R.P. FR. LUDOUICI A CRUCE LUSITANI, ... DISPUTATIONES MORALES IN TRES BULLAS...

Luis : de la Cruz, Grégoire Huret, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
43 C
10
ROMA

Digitized by Google

8-43-C-10

Digitized by Google

Digitized by Google

8.43.C.10

R. P. FR. LVDOVICI
A CRVCE
LVSITANI,

ORDINIS MINORVM STRICTIORIS Obſeruantiæ, Prouinciæ Neapolitanæ Miniſtri, & Præſidis S. Pœnitentiariæ Lateranenſis,

DISPVTATIONES MORALES IN TRES BVLLAS APOSTOLICAS; CRVCIATÆ, DEFVNCTORVM, & COMPOSITIONIS.

In quibus potiores Doctrinæ Moralis difficultates de Sacramentis, Priuilegiis, Cenſuris, Regularibus, Confeſſariis, Votis, Simonia, Indulgentiis, Sacrificio Miſſæ, & Reſtitutione reſoluuntur.

Adiecta Appendice de Opinionum electione.



LVGDVNI,
SVMPTIBVS NEMESII TRICHET.

M. DC. XXXIV.

Digitized by Google

Eminent^mo^. Principi Franciſco Card.

BARBERINO, SANCTISSIMI D. VRBANI VIII. EX FRATRE NEPOTI, ET ORDINIS MINORVM Regularis obſeruantiæ optimo Protectori,

Æ. F.

APPLAVDENTE vniuerſo fratrum Sodalitio, & collætantibus ſingulis ad certum ſuæ felicitatis auſpicium in commiſſo V. Eminentiæ Religionis noſtræ patrocinio conſtitutum, atque hinc ſibi augurantibus maiora virtutis, & honoris incrementa, lætatus ſum his, quæ dicta ſunt mihi, & gratias reddidi bonorum omnium authori; qui ſuo in terris Vicario hunc cogitatum infudit, per quem & noſtro cōſulatur nomini, & collabeſcens reſtituatur diſciplina. Extenuato ſpiritu languebat corpus immenſum, & magnitudine laborabat ſua, ea per aliquot annos deſtitutum protectione, quam Sacer Inſtitutor & implorari voluit, & neceſſariam iudicauit. Belli furor, & contagionis lues vbique nuper debacchantes, illa per ſingulas prouincias inuexerunt mala, eaſque ſtrages exercuerunt, vt domicilia abſque habitatoribus, &

 templa

templa abſque cultoribus ſqualleant, extinctis virtutum Magiſtris pietas frigeſcat, deficientibus doctoribus literaria pereant exercitia, & quod demum conſectaneum erat, apud exteros minuatur fama, atque in domeſticis paulatim deficiat regularis vitæ inſtitutum. His malis medendis opportunè aduenisti adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, qui tua authoritate abuſus propellas, pietate vulnera delinias, manſuetudine languentes in ſpem meliorem erigas, & inuicta patientia quotidianas fratrũ perferas moleſtias. Fulcrum hoc, & ſacrum ſuſtentaculum ſeruauit Deus Religioni Franciſcanæ æqua prorſus retributione: vt ſicut labanti Eccleſiæ Lateranenſi Franciſcus humeros ſuppoſuit, ita eiuſdem ædificio inclinanti Franciſcus alter potenti virtute ferat ſubſidium. Felix rerum, & temporis coniunctio, vt Vrbani Pontificis in rem Franciſcanam propenſio, idoneum habeat nepotem, quem noſtris miſeriis ſubleuandis præficiat, & deſtinati Protectoris pietas eum ſortita ſit patruũ, qui authoritatem omnem impertiat. Aliarum Religionum patrocinia S. R. E. Cardinalibus pius Pontifex diſtribuit, ſed Franciſcanæ illi commiſit, cui vicariam tribuit poteſtatem, & Pontificij curas voluit eſſe communes. Non aliter mihi viſus eſt Nicolaus III. egiſſe cum Minorum inſtituto, quando protectionem apud ſe diu retentam in Cardinalem Matthæum Rubeum Vrſinum ex fratre nepotem tranſtulerat, dicens: *Ordinem hunc tuæ commendamus tutelæ, damuſque tibi arrham vitæ æternæ per tot proborum virorum ſuffragia;*

gia;

gia; *tradimus tibi omnium quæ habemus, potiſſimum cordis noſtri delicias, pupillam oculorum noſtrorum.* Quàm impenſe Sanctiſſimus D. Vrbanus hanc amauerit ſodalitatem, vel inde dignoſcitur, quod alteri à ſe tot annis commendare noluerit, nec demum alij tradiderit, quam ei quem præ omnibus dilexit. Beneficij huius amplitudinem ſodales omnes agnoſcunt, quid rependant nõ habent. Adeo anguſta eſt potentia noſtra, ſiue potius tanta eſt impotentia noſtra, vt cum multa ac varia ab vtriuſque affectu nobis obtigerint munera, *vnum hoc* (vt cum magni Baſilij fratre loquar) *ad retributionem eorum, quæ accepimus, habeamus*; *vt per gratiarum actionem liberaliſſimos benefactores remuneremur.* Æternas, maximas, quas debemus pro beneficij menſura, non quas poſſumus pro noſtra tenuitate, vellemus reddere; humanitas tua nouo hoc afficiat munere, vt quod imbecillitas noſtra non poteſt, ardor gratiarum ſuppleat affectus. Supereſt, vt ego à multis annis T.E. obſeruantiſſimus huius protectionis fruar beneficio, & peculiare nunc implorem patrocinium. Abſolui ſub tuo auſpicio, tua beneficentia, tuis auxiliis, in tua domo, nobili nuper memoria translati in Occidentem Imperij à te illuſtrata, Commentarios in Bullam Cruciatæ: Hos velim tuo patrocinio defendi, tuo nomine illuſtrari. Non reluctantes mitto, ſed ſponte ad te currentes dimitto, vt duplici fungantur officio; meæ ſcilicet in te ſint indices obſeruantiæ, & quem ab authore non habent, à tua authoritate ſplendorem obtineant. Vale.

Niſſ. lib. de orat. poſt princip.

EX LIBRO DE SCRIPTORIBVS ordinis Minorum R. P. Fr. Lucæ Vvaddingi, eiuſdem ord. Chronologi.

FRATER LVDOVICVS A CRVCE Luſitanus, vrbe Brigantina, honeſtis parentibus ortus, in Bæticam traiiciens, Minorum ſubiit inſtitutum in prouincia S. Gabrielis. Complutum amandatus vt ſtuderet, optimæ indolis ſpecimen exhibuit, eamque aſſecutus eſt inter conſodales opinionem, vt dignus videretur, qui Romam mitteretur, curaturus ordinis negotia penes Procuratorem generalem. Hoc officio aliquot annis laudabiliter functus, tranſiuit in Apuliam allectus precibus Patrum prouinciæ S. Nicolai, apud quos remanſit, donec à Clemente VIII. vocatus ad aliorum mores reformandos, inſtitutus eſt prouinciæ Terræ laboris in Campania felici Miniſter. Poſt hæc præfectus nobiliſſimo, & numeroſiſſimo Parthenoni Clariſſarum Corporis Chriſti vrbis Neapolitanæ, deinde tranſlatus Romam, vt præeſſet ſacræ Pœnitentiariæ Lateranenſi ſub Gregorio XV. creatus eſt Vicarius generalis ſtrictioris obſeruantiæ in Italia. Sublato tamen ſub Vrbano VIII. hoc regendi genere, quod minus vniuerſo ſodalitio expediret, rediit ad priſtinam præfecturam Pœnitentiariæ: dehinc ſecundo adſcitus ad regimen prouinciæ Neapolitanæ retento priori officio, ad comitia generalia ſui ordinis Toleti celebranda proficiſcens obiit in itinere Cæſarauguſtæ in conuentu à IESV nuncupato, 7. Idus Maij anno 1633. ætatis LXVII. à cœnobitis ſolennibus exequiis, & oratione funebri cohoneſtatus. Vir fuit religioſiſſimæ vitæ, perpetui, & conſtantis in ſe rigoris, aſſiduus in ſtudiis, vbi per tot occupationes, quibus implicabatur, licebat.

Claruit ſub Clemen. VIII. Leone XI. Paulo V. Greg. XV. Vrbano VIII. Summis Pontificibus, imperantibus Rodulpho, Matthia, & Ferdinando Auſtriacis.

Scripſit in Bullas Cruciatæ, Compoſitionis, & Defunctorum Commentariorum tomum vnum.

In Bullam Cœnæ Domini alterum. Vtriuſque editionem nos curamus.

Tractatum de piis legatis relictis fratribus Minorum, in quo probat licere hæc admittere iuxta cautiones à S. Bonauentura præſcriptas in regulam Minorum, dummodo fratrum nimia ſolicitudo, aut cæcus amor habendi aliquos abuſus in his non introducat.

Dubia aliquot moralia, quibus in Pœnitentiaria Lateranen. docte reſpondit.

APPROBA

Digitized by Google

APPROBATIONES THEOLOGORVM.

NOs infraſcripti Collegij Sancti Iſidori Vrbis, ſtrictioris obſeruantiæ Sancti Franciſci Prouinciæ Hiberniæ, ſacræ Theologiæ Lectores ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Fr. Antonij à Galbiato Commiſſarij Generalis Ciſmontanæ familiæ: vidimus,& legimus explicationem in *Bullam Cruciata*, Reuerendiſſimi P. Fr. LVDOVICI A CRVCE, Præſidis Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Lateranenſis Baſilicæ, in qua in vniuerſum reſoluit quidquid circa prædictam Bullam in genere, aut ſpecie, quoad ſtatum, perſonas, caſus, & circumſtantias moueri poſſit, reuocans vnumquodque ad ſuam claſſem, & principia: per dubia, & quæſtiones appoſitè diſcuſſas, & deciſas magna claritate, & felici methodo, qua abundantiam breuitati conciliat, & ſolidis fundamentis dubium à certo, probabile ab apparenti diſcernit, & in varietate opinionum quid ſpeculatiuè cum fundamento teneri, quid vero in praxi tutius conſulendo conſcientiis ſequendum ſit, docet. Sicut & modum, quo Canones Eccleſiæ, Decreta Pontificum,ac placita tam vtriuſque Iuris, quam Doctorum praxi deſeruiant, accommodarique poſſint. Cenſemus ergo opus non ſolum doctum eſſe, pium, ac catholicum, ſed magno labore, & ingenio elaboratum, ac neceſſarium ad peruiam, & ſolidam reſolutionem multorum, quæ non ſolum ſub præſenti materia comprehenduntur,ſed etiam ad potiores doctrinæ moralis difficultates de Sacramentis,Priuilegiis,Cenſuris,Regularibus, Confeſſariis, Votis, Simonia, Indulgentiis, Sacrificio Miſſæ, reſtitutione ſpectant. Dignum proinde iudicamus, quod in lucem ad inſtructionem aliorum, & profectum edatur. In cuius rei fidem his ſubſcribimus, duodecimo Kal. Maij, anno 1632.

Fr. MARTINVS ANGELVS *Valeſius S. Theologiæ Lector, & Guard. S. Iſidor.*

Fr. LVCAS VVADDINGVS *S. Theolog. Lector, & S. Roman. Inquiſit. Qualificator.*

Fr. ANTONIVS HIQVÆVS *ſacræ Theologiæ Lector.*

Fr. FRANCISCVS A S. MARIA *ſacræ Theologiæ Lector.*

Fr. IOANNES A S. FRANCISCO *Lector ſacræ Theologiæ.*

Librum

Digitized by Google

LIbrum cui inſcriptio eſt, *Diſputationes Morales in tres Bullas Apoſtolicas, Cruciatæ, Defunctorum,& Compoſitionis,&c.* perlegi, nihilque in eo fidei Catholicæ contrarium reperi. Ita teſtor ego infraſcriptus in ſacra Theologiæ facultate Pariſ. Magiſter. Lugd. 21. Apr. anno 1634.

FR. CL. COCHET *Ord. Præd.*

VIſis à nobis præfatorum Reuerendiſſ. Patrum & Doctorum approbationibus, & præſertim Reuerendi Patris & Fratris Nicolai Riccardij S.Pal. Apoſt. Magiſtri conſenſu, hoc Opus, cui inſcriptio eſt, *Diſputationes Morales in tres Bullas Apoſtolicas Cruciatæ, Defunctorum,& Compoſitionis, authore Reuerend. P. Fr. Ludouico à Cruce, Sacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidente*, ſub prælum mitti, & in lucem edi vltrò facimus facultatem. Lugduni 12. Kal. Maij 1634.

DE VILLE *Vicar. Gen. ſubſtitutus.*

CVm opus à Reuerendiſſimo P. FR. LVDOVICO A CRVCE, olim Vicario Generali Reformatorum, nunc autem Sacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidente, eruditè confectum, cuius titulus eſt: *Expoſitio Bullæ Cruciatæ, & Defunctorum, ac Compoſitionis,* de noſtro mandato reuiſum, & iam approbatum fuerit: harum ſerie facultatem concedimus, vt, ſeruatis ſeruandis, in lucem edi, & typis mandari poſſit. Datum Romæ in noſtro Aracælitano Conuentu die 20. Aprilis anno 1632.

FR. ANTONIVS A GALBIATO
Commiſſ. General.

Digitized by Google

EX Commiſſione Reuerendiſſimi P. Fr. Nicolai Riccardij Magiſtri ſacri Palatij Apoſtolici vidi hunc librum, qui inſcribitur: Expoſitio Bullæ Cruciatæ Authore Reuerendiſſimo P. Fr. Ludouico à Cruce ſacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidente, in quo, omnes, quotquot circa eam Bullam excitari poſſunt, difficultates, doctè, & ſubtiliter examinantur, &, vt decet Authorem prudentem, & religioſum, ſecundùm tutiora, & magis recepta moralis Theologiæ, & ſacrorum Canonum principia, ſoluuntur. Ideo dignum cenſeo, quod imprimatur. Datum Romæ in Monaſterio ſanctæ Crucis in Hieruſalem Ordinis Ciſtercienſis die 17. Aprilis 1632.

Don HILARION RONCATVS Abbas ſanctæ Crucis in Hieruſalem, & ſacrarum Congregationum S. Officij, & ſacrorum Rituum Conſultor.

IMPRIMATVR.

Fr. NICOLAVS RICCARDIVS S. Pal. Apoſt. Magiſter.

b PIVS

Digitized by Google

PIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI.
AD FVTVRAM REI memoriam.

CVM antea Reſpublica Chriſtiana nefariis impiorum hæreticorum aduerſus proprios Principes coniurationibus diu vexata, in extremum diſcrimen adducta eſſe videbatur, tum poſteaquam ad illa vetera mala peccatis noſtris id facientibus, nouum hoc ab immaniſſimo Turcarum tyranno, magno belli apparatu exitium populo Chriſtiano moliente periculum acceſſit, eò iam redacta eſt, vt niſi illius miſericordia affuerit, qui mari, ac ventis imperat, non longe ab interitu abeſſe videatur. Quocirca nos iam inde ab initio primis Turcici tumultus nunciis acceptis, ad lacrymas,& preces conuerti, omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexus litteris noſtris Apoſtolicis in forma Iubilæi editis ad implorandum diuinum auxilium aduerſus communes omnium Chriſtianorum hoſtes excitauimus. Deinde, quod vnum ex rebus humanis eiuſmodi periculis remedium à cæteris Pontificibus Romanis prædeceſſoribus noſtris, & quæri, & adhiberi ſolitum eſſe cognoueramus, in eam curam, & cogitationem ſedulo incubuimus, vt omnes nos quidem Reges, & Principes Chriſtianorum; præcipue autem chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum, & dilectum filium nobilem virum Aloyſium Venetiarum Ducem, Senatúmque Venetum ad ineundum nobiſcum contra ſæuiſſimam Turcarum gentem fœdus hortaremur; cuius quidem ineundi fœderis conſilium, cum vterque probauiſſet, & certis quibuſdam conditionibus inter nos, Sedémque Apoſtolicam, atque inter eos fœdus ſtatutum eſſet, vna illa cura & cogitatio animum noſtrum ſollicitum habebat, quibus facultatibus, quibúſve prouenientibus, tot, tantíque ſumptus ad comparandum, alendúmque Chriſtianorum aduerſus Turcas exercitum

neceſſarij

Digitized by Google

neceſſarij ſuppeditari poſſent: Occurrunt enim animo noſtro æraria Chriſtianorum Principum exhauſta, Prouinciæ, ac Regna variis hæreticorum, & infidelium bellis afflicta, agri vaſtati ſic, vt omnes Principes vectigalibus imminutis, magna rei pecuniariæ inopia laborantes, vix impendenti tanti belli periculo, vllum ſubſidium afferre poſſe videantur. In primis autem eiuſdem Regis Hiſpaniarum, cuius vires in propugnando Turcarum bello præcipue neceſſariæ ſunt; ærarij anguſtiæ, oculis noſtris ſeſe offerunt, qui primò hæreticorum in Flandria, proximè verò Maurorum in Hiſpania coniurationibus, atque armis vexatus, maximas impenſas facere coactus eſt, præter eas, quas mittendis in Galliam, & in Germaniam contra Vgonottos, & Turcas auxiliis, & in Melitæ inſulæ defenſione antea fecerat: quæ quidem Chriſtianorum Principum virium imbecillitas, cum illa ipſa, quæ ab initio propoſuimus pericula maiora reddat, apparet res Chriſtianorum ad eam neceſſitatem redactas eſſe, vt quod vnuſquiſque proximo ſuo, in neceſſitate conſtituto auxilium præſtare teneretur; hoc idem omnes Chriſti fideles, nedum orationibus, eleemoſynis, & ieiuniis diuinum auxilium implorantes, ſed propriis corporibus, ac bonis, tali tamque præſenti neceſſitati ſubuenientes Reipublicæ Chriſtianæ præſtari debeatur. Quam quidem ad rem omnes, & ſingulos Chriſtianos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, eo, quo maiore poſſumus animi noſtri ſtudio, hortamur, monemus, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri IESV Chriſti rogamus. Vt autem id ipſum eò libentius, alacriúſque faciat, quo ſe magis ſpecialibus fauoribus, & gratiis à nobis, atque hac ſancta Sede Apoſtolica nouerint eſſe proſequendos: de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum eius Apoſtolorum Petri, & Pauli authoritate nobis diuinitus data confiſi, ipſi Philippo Regi huic operi incumbenti; præterea omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Hiſpaniarum Regnis, & illis adiacentibus. Nec non Sardiniæ inſulis conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, qui intra biennium à die publicationis harum litterarum in ſingulis locis, in quibus publicabuntur computandum; fidei Catholicæ zelo permoti ad exercitum prædicti Regis in executionem fœderis prædicti contra Turcas comparatum, vel in illos pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi ſuis ſumptibus acceſſerint, & ibidem vſque in finem expeditionis illius anni, quoad dictum exercitum, acceſſerint, permanſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum, ſi de illis corde contriti, & ore confeſſi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint; indulgentiam, & remiſſionem, quæ proficiſcentibus ad recuperationem terræ ſanctæ; quæque in anno Iubilæi

Digitized by Google

concedi conſueuit, concedimus, & elargimur. Declarantes eandem indulgentiam aſſequi etiam illos, qui ante finem expeditionis, aut in itinere ad exercitum euntes, aut in eodem exercitu obierint, necnon etiam illos, quos propter infirmitatem, ſiue aliam ſuperuenientem veram neceſſitatem inde recedere oportuerit. Rurſum eos, qui alios ſuis impenſis illuc, vt ſupra, miſerint; modo mittentes, ſi fuerit S.R.E. Cardinalis, Primas, Patriarcha, Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, ſaltim mittat tot homines vſque ad decem incluſiue, quot commode mittere poterit, nec mittat pauciores quatuor, ſi plures mittere non poterit. Alius vero cuiuſcumque conditionis, ſiue laicus, ſiue clericus ſæcularis vnum hominem mittat, niſi fortè huius poſterioris claſſis homines tenues habeant facultates, hoc enim in caſu eos volumus hac indulgentia etiam potiri; ſi duo, vel tres, aut etiam quatuor ſimul, prout ſingulorum facultates commode patientur: ſtipẽdium vni in hac expeditione ſeruienti perſoluent; ad eandem quoque rationem ſingula ſingulis debite referendo hanc Indulgentiam animabus exiſtentibus in Purgatorio, quæ per charitatem Chriſti vnitæ ab hac vita deceſſerunt, pro quibus in huiuſmodi ſubſidium proficiſci, vel milites mitti contigerit ad relaxationem pœnarum, quibus ſecundùm Diuinam iuſtitiam ſunt expoſitæ, per modum ſuffragij prodeſſe concedimus. *Capitula Eccleſiarum*, Monaſteria, & loca etiam regularium, & mendicantium, & tam fœminarum, quam maſculorum, ſi pro decem perſonis eorundem Capitulorum, & locorum vnum, nec pauciores ſuis impenſis mittant. Itaque fiat, præcedente deliberatione, capitulariter, ſeu conuentualiter facta, eandem conſequantur indulgentiam, quam pariter volumus aſſequi eos omnes, qui mittentur, ſi pauperes fuerint, ac clericos ſæculares, necnon & regulares; qui habita licentia ab Ordinariis, & Superioribus debite referendo verbum Dei, ibidem prædicauerint, Confeſſiones audierint, ſeu Miſſas celebrauerint, vel alia Eccleſiaſtica, & pia miniſteria exercuerint, id enim eis in exercitu citra irregularitatis incurſum licere declaramus. Beneficia quoque Eccleſiaſtica, tam ſæcularia, quam regularia obtinentes, qui in hac expeditione dicto huic operi vacabunt per idoneos Vicarios eorum beneficiis, iuxta ſingulorum obligationem deſeruire poſſe concedimus. Nolumus tamen hac gratia gaudere poſſeſſiores beneficiorum curam animarum habentium; quos non niſi mediante ſpeciali noſtra licentia volumus illuc poſſe proficiſci. Milites in bello occupatos à ieiuniis, quibus, aut voto, aut alias eſſent obligati excuſamus, & in die feſto belli negotiis vacare poſſe declaramus. Inſuper quoque tam prædi-

ctis.

Digitized by Google

ctis omnibus, quàm illis, qui nec in hanc expeditionem ibunt, nec alios, vt prædictum eſt, mittent, ſi infra biennium prædictum ex bonis ſibi à Deo collatis in hāc cauſam liberaliter pro Religionis defenſione contulerint, *dummodo tamen infra poſitum ſummarium receperint, & penes ſe habeant*, quod ideo per eos recipi, & haberi præcipimus, ne circa per præſentes conceſſas gratias, & indulta errare poſſint, nève alij illa ſibi vſurpent, & vnuſquiſque docere poſſit, qua facultate eiſdem gratiis vtatur; concedimus, vt dicto biennio durante, *liberè poſſint in priuato oratorio ad Diuinum cultum dumtaxat deputato ab ordinario deſignando*, & viſitan. etiam in locis interdicto quauis etiam Apoſtolica authoritate ſuppoſitis; dummodo ipſi cauſam huiuſmodi interdicto non dederint, vel per eos non ſteterit, quin interdictum huiuſmodi amoueatur, ac qui facultatem ad id ab infraſcriptis Epiſcopo, & Commiſſario habuerint, etiam per horam antequam illuceſcat dies, & per ſimilem horam poſt meridiem in ſua, ac familiarium, & domeſticorum, & conſanguineorum ſuorum præſentia Miſſas, & alia Diuina per ſe ipſos, ſi Preſbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, ſeu alios celebrari facere, & tempore interdicti huiuſmodi Diuinis intereſſe. Necnon Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica ſacramēta, præterquam in die Paſchatis recipere, & corū decedentium corpora, etiam cum moderata funerali pompa Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poſſint. Eos tamen qui præmiſſo oratorio ad præmiſſa vti voluerint, quoties id fecerint, ad aliquas preces, prout cuiuſque eorum deuotio dictauerit, Deo pro conſeruatione vnionis Principum Chriſtianorum contra infideles, eorumque contra eoſdem infideles victoria fundendas omnino teneri volumus. Præterea, vt dicto biennio durante, *Carnibus de conſilio vtriuſque medici* temporibus ieiuniorum, tam quadrageſimalium, quam quorumlibet aliorum totius anni veſci, ac pro eorum libito ouis, & lacticiniis. Ita quod, qui carnes non comederint, ſeruata in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur, Apoſtolica authoritate concedimus, & diſpenſamus, ſub hac tamen gratia, & conceſſione vltimo dicta, eo quod eccleſiaſtici ſæcularibus abſtinentiores eſſe debeant, minime comprehendi volumus Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, neque alios inferiores Prælatos, neque quaſlibet perſonas regulares, ac ex ſæcularibus eas, quæ in Preſbyteratus ordine conſtitutæ ſint, quoad quadrageſimalia ieiunia; illis autem exceptis, omnes prædictos, præterquam inſularum prædictarum incolas, etiam ouis, & lacticiniis veſci poſſe, vt ſupra concedimus. Neque volumus etiam quemcunque Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, qui eam gratiam fuerit aſſecutus, ea poſſe vti

Digitized by Google

extra ipſa Hiſpaniarum Regna. Singulos præterea ordinarios Epiſcopos, & Archiepiſcopos dictorum Regnorum, & Inſularum prædictarum enixè rogamus, eíſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt omnes pœnas pecuniarias etiam loco corporalium, durante ipſo biennio imponendas, ſeu exigendas huic tam pio operi omnino velint applicare. Imò illas omnes, de quarum tamen quantitate aſſertioni ordinariorum, quorũ conſcientias oneramus, ſtandum eſſe decernimus, theſauro eiuſdem expeditionis: Nos etiam ex nunc, prout ex tunc applicamus, & appropriamus, ſicut etiam eorum, qui aliquid patrauerint in huius expeditionis præiudicium, vel ad eam euntium pœnas ſimiliter applicamus, & appropriamus. Qui verò ex dictis non euntibus, neque mittentibus, ſed tantum erogantibus vltra prædictam erogationem, etiam aliquibus anni diebus nõ alicui ieiunio ſuppoſitis ad implorandum Diuinum auxilium pro Chriſtianorũ Principum vnione contra infideles, & victoria contra eoſdem infideles ieiuniũ voluntarium; vel ſi ieiunare legitime impediti fuerint, aliud opus pium arbitrio eorum Confeſſoris, vel Parochi aſſumpſerint, & ſimul preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto biennio durante, 15. annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, & quomodolibet debitis miſericorditer in Domino relaxamus. Et amplius omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, & Hieroſolymitan. cæterorúmque bonorum operum, quæ fiunt in vniuerſali militanti Eccleſia, & in ſingulis eius membris participes eſſe volumus. Et ſi vltra voluntaria ieiunia, vel pia opera prædicta, & preces prædictas etiam deuotè viſitauerint in loco, vbi eos morari contigerit, ſingulis quadregeſimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus ſtationum almæ Vrbis, & extra illius muros, quinque Eccleſias, ſiue altaria, ſeu ſi ibi tot Eccleſiæ, ſeu altaria non fuerint; quinquies vnum, vel vnam; altare, ſeu Eccleſiam; precéſque ad Deum ſimiliter pro vnione, & victoria prædictis deuotè fuderint, omnes, & ſingulas indulgentias tam per ſe, quàm per modum ſuffragij pro perſonis, quæ in Chriſti charitate deceſſerint, pro quibus viſitauerint, conſequantur, quas conſequi poſſent, ſi iiſdem temporibus, & diebus, ſingulas Eccleſias dictæ Vrbis, & extra illius muros huiuſmodi, pro eiſdem ſtationibus, & indulgentiis conſequendis deputatas perſonaliter viſitarent, & vt purius preces Deo fundere, & eo efficacius Diuinum auxilium implorare poſſint, quo peccatorũ vinculis abſoluti in his litteris cõtenta adimpleuerint, vt iidem omnes, ac eorum ſinguli, dicto biennio durante; *quemcunque Presbyterum ſæcularem, vel cuiuſuis etiam Mendicantium Ordinum*

regularem,

Digitized by Google

regularem, ex ÿs, qui ab ordinario, & quoad regulares ſemel tantum approbati fuerint, in Confeſſorem eligere,& ab eo quorumcunque peccatorum, ac cenſurarum, eorum videlicet, & earum, quæ Sedi Apoſtolicæ etiam in Bulla ſolita publicari in die Cœnæ Domini continentur plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, aut non reſeruatarum, toties quoties confitebuntur abſolutionem, & remiſſionem, mediante ſalutari pœnitentia, ſecundùm culparum exigentiam obtinere,modo etiam in caſibus, in quibus neceſſaria erit per ipſos,vel dato impedimento per hæredes,aut alios ſatisfactio fiat. *Declarantes fructus beneficiorum*, qui ad ratam omiſſionis horarum Canonicarum illicitè percipiuntur, & retinentur, debere ab his, qui abſolutionem aſſequi voluerint pro vna Eccleſiis, vel aliis locis Eccleſiaſticis integraliter, quarum, & quorum ratione horas prædictas recitare tenentur, & pro altera medietatibus in ſubuentione huius negotij dare, & illis vota omnia, *vltramarino, caſtitatis, & Religionis dumtaxat exceptis*, in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eundem Confeſſorem commutari. Volumus etiam eos, ſi dicto biennio durante contingat ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam ſine confeſſione decedere, modo contriti deceſſerint: & prius ſtatuto tempore confeſſi fuerint, nec huius noſtræ conceſſionis fiducia negligentiores fuerint, plenariam, vt ſupra remiſſionem conſequi, eorumque corpora, niſi forte vinculo excommunicationis innodati deceſſerint, nō obſtante etiam interdicto prædicto, vt præfertur, Eccleſiaſticæ tradi poſſint ſepulturæ: *Et quoniam hac in re fidelibus indigemus Miniſtris*, de probitate, & ſolertia Veneralib. fratris noſtri Bernardini Freſneda Epiſcopi Conchen.plurimū in Domino confidentes, eum Commiſſarium, receptorémque in toto iſto negotio conſtituimus, eique, vt ſuper ordinariorum huiuſmodi pœnis inquirere,& contra eos,qui in præiudicium huius expeditionis, aut ad eam euntium aliquid patrauerint procedere, & ſuper illicitè habitis, ac ſuper medietate legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta ſint, ſi legatarij per annum in exactione negligentes fuerint, ac illis etiam, quæ facta erunt, & quæ dicto biennio fient; ſi legatarij adhibita per Commiſſarium diligentia, inueniri non poterat; nec non etiam male ablatis, & per vſurariam prauitatem, aut aliter male acquiſitis, dummodo in omnibus præmiſſis caſibus,prӕterquam dictæ annalis negligentiæ, perſonæ,quibus reſtitutio,ſeu ſolutio facienda eſt, facta diligenti perquiſitione per Epiſcopum, & Commiſſarium prædictum non reperiantur componere, & ita

Digitized by Google

ita debitores liberari, *& ſuper irregularitate* per eos, qui etiam quibuſuis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis ligati, Miſſas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebrarunt, ſeu alias ſe immiſcuerunt, vel alias quomodolibet, præterquam ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide, aut hæreſis, vel malæ promotionis cõtracta, quodque in per eos, non tamen male ſuſceptis ordinibus, etiam per eos obtenta beneficia Eccleſiaſtica, & ex eis perceptos fructus retinere, valeant diſpenſare, *omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam* exinde prouenientem abolere, & ſuper his componere, ac nullis datis litteris, ſeu per Confeſſorem laceratis, cum iis, qui primo, & ſecundo affinitatis, ex fornicatione contracta gradibus coniuncti matrimonium contraxerunt; dummodo ſi poſt Concilium Tridentinum illius formam ſeruauerint, ac impedimenta huiuſmodi penitus occulta ſint, & alter contrahentium tempore contracti matrimonij, impedimenti ignarus extiterit, vt altero, ita vt præfertur impedimentum ignorante, de nullitate prioris conſenſus prius certificati, tacitaque ſi videbitur, ad euitanda ſcandala cauſa nullitatis, matrimonium inter ſe etiam ſecrete de nouo contrahere poſſint in foro conſcientiæ dumtaxat, ſi ad euitanda grauia ſcandala diſpenſandum iudicauerit, diſpenſare, prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernere: Nec non etiam in ſuperuenienti ſimili affinitatis impedimento ſimiliter diſpenſare, vt debitum petere poſſint; perſonis quoque nobilibus; ac quæ iuxta ipſius Epiſcopi, & Commiſſarij arbitrium qualificatæ fuerint, vt Miſſas per horam ante lucem, & poſt meridiem audire valeant, indulgere. Ac inſuper omnes ſimiles, aut diſſimiles indulgentias, aut facultates à nobis, & dicta Sede, vel eius authoritate, quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus; piis locis, vniuerſitatibus; Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis in Regnis prædictis etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in Hiſpaniarum Regnis prædictis receptæ adhuc durent conceſſas huiuſmodi, etiamſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes, continerent, ita vt interim, quæ iam publicatæ fuerint etiam communiter, vel diuiſim vlli hominum nullatenus ſuffragari, nec ſub pecuniariis, ac inuocationis brachij ſæcularis, pœnis publicari, aut prædicari, vel quæuis alia ſuffragia poſtulari poſſint ſuſpendere; Commiſſarios ad ſingulas Prouincias per ordinarios locorum, quorum conſcientias oneramus, præuia matura deliberatione approbandos cum ſimili, vel limitata facultate; ac etiam pro collectione pecuniarum eligere, necnon notarios, quorum opera vtendum erit, ab ordinariis tamen locorum, in quibus illi de-

putandi

Digitized by Google

putandi ſunt, ſimiliter approbandos deputare, ac Tabelliones, & quemlibet alium ad exhibitionem quarumcunque ſcripturarum, vel inſtrumentorum huic negotio pertinentium cogere, & denique inhibendi, quibus inhibendum erit. Nec poſſit Commiſſarius coram alio, quam nobis, aut poſſint ab eo deputandi coram alio, quam ipſo Commiſſario pro re ad hoc munus pertinenti quandiu iſtis negotiis vacauerint, in iudicium trahi. Poſſint tamen à locorum Ordinariis, quibus ſuberunt, ſi ibi deliquerint, coërceri, & puniri. Prædicatio autem harum litterarum, non niſi per probos, & idoneos Prædicatores, quorumuis etiam Mendicantium Ordinum regularis obſeruantiæ profeſſores, ex his, qui à locorum Ordinariis approbati fuerint; per eundem tamen Commiſſarium à Prouincialibus ſingulorum dictorum Ordinum petendos, & recipiendos, quorum Prouincialium conſcientiam oneramus, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, vt Prædicatores, vt præfertur, integros, & idoneos, integris moribus, & vita aſſignent, & omnino aſſignare debeant, iiſque, & in eiuſdem obedientiæ virtute iniungant, vt nihil aliud tanquam à nobis conceſſum populo proponant, niſi quod in præſentibus litteris continetur, vel in locis pauperibus per quotas alimenta conſtitui prohibemus, etſi in loco, in quo erit facienda publicatio, fuerit interdictum per octo dies ante, & poſt, poſſit illud ſuſpendi. Poſſintque etiã habentes ſcripturas ad aliquod ex prædictis pertinentes, per Commiſſariũ, vel ipſos deputatos, etiã in ſubſidiũ per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas ad eorum exhibitionem compelli. Poſſint pariter cogi omnes, vt reddant rationem earum rerum, quæ in ſingulis Diœceſibus fidei eorum committentur, & quidquid à ſponte dantibus fuerit in ſingulis Diœceſibus receptum, Commiſſario, aut ab eo deputãdis integre, ſtatimque conſignari faciant: ita verò auditores ad prædicta per Prædicatores hortari duntaxat permittimus, vt clare intelligant, nos neminem ad aliquid cogere, ſed tantummodo eorum deuotionem ad id excitare, rogare, hortarique. Volumus etiam moneri omnes; quibus contigerit habere pecunias, aut bona in hoc opus deſtinata, ſeu inſtrumenta, vel ſcripturas cõtinentes aliquid huic negotio principaliter, vel ſecũdario attinens, vt debeant quidquid habuerint, ſtatim cum poterunt, vel habere copiam Commiſſarij, aut ab eo deputati, omnia ipſi Commiſſario, ſeu ab eo deputato propalare, ſub eiſdem pœnis pecuniariis; in ſubſidium, vt præfertur, Epiſcopos, & alios maiores Prælatos ſuſpẽſionis à diuinis, & interdicti ad Eccleſiam ingreſſus, alios vero omnes excommunicationis latæ ſententiæ, quam ipſo iure, & facto incurrant, & à qua non niſi à Sede Apoſtolica abſolui poſſint. Declarantes hos

Digitized by Google

tales, ſi ſcienter aliquod prædictorum retinuerint, nullo modo poſſe harum litterarũ, & gratiæ beneficio frui. Vt autem Summarium prædictum illibatum ab omnibus conſeruetur, ac in eo aliquid indecens non apponatur, illius formam præſentibus inſeri voluimus, quam de Latino idiomate in Hiſpanum de verbo ad verbum tantum conuerti; *illúdque de eiuſdem Commiſſarij mandato imprimi, & Commiſſarij prædicti ſigillo munitum omnibus Chriſti fidelibus, qui præmiſſorum participes eſſe voluerint, conſignari volumus,* quod etiam indubiam illorum, tam in iudicio, quàm extra, fidem omninò facere decernimus. Expirante autem biennio prædicto, declaramus omnes gratias, & indulta prædicta expirare, & nihil penitus virtuti harum litterarum fieri poſſe, ſed tantum poſſe ad finem cauſas pendentes perduci. Et cùm non deceat officiales, ſeu Miniſtros officij ſanctæ inquiſitionis in aliis manifeſtam hæreſim non ſapientibus occupari, ſeu detineri, nolumus aliquem eiuſdẽ ſanctæ inquiſitionis officialẽ, ſeu miniſtrũ poſſe aſſumi in Prædicatorem, ad præſentes noſtras litteras publicãdas, neque etiã ſubdeputari Commiſſarium ad pecunias exigendas, vel alia quouiſmodo pro huiuſmodi rebus gerendis pertractanda, quæ omnia, & ſingula facimus, concedimus; ac valere, & obſeruari debere decernimus. Non obſtantibus quibuſcunque decretis, conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, Bullis, priuilegiis, litteris, indulgentiis, Bulla; *Mare Magnum* nuncupata, & ordinibus editis; aut approbatis etiam pluries, non ſolum ab inferioribus, ſed à nobis, & à noſtris prædeceſſoribus, cũ quibuſuis clauſulis, derogationibus, ac iuramentis, & ex quacunque cauſa, & expeditione contra Turcas, & ſiue per modum vniuerſalis legis, ſiue ſub alia forma, & ſiue in fauorẽ Eccleſiarum etiã Cathedralium, ſiue in fauorẽ alicuius militiæ, tam ſancti Iacobi de Spatha, de Calatraua, & de Alcantara, quàm aliarum quarumlibet, & ſiue etiam in fauorem publicarum perſonarum, aut vniuerſitatum emanauerint. Quoniam illis omnibus, & ſingulis etiam, quòd de verbo ad verbum debuiſſent præſentibus inſeri habentes, & haberi volentes omnia pro inſertis, & expreſſis de verbo ad verbum, ex certa ſcientia, motu proprio, & de noſtræ poteſtatis plenitudine: eatenus, quatenus directè, vel indirectè præfatis in toto, aut in parte contrariantur, aut aliquod quamquam minimum, præiudicium, ſeu impedimentum afferant, expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteríſque contrariis quibuſcunque. *In hac autem derogatione noſtra nolumus comprehendi ſimiles, vel diſsimiles facultates conceſſas Mendicãtium Ordinum huiuſmodi Superioribus quoad ſuorum Ordinum fratres, nec per illam aliquod ipſis præiudicium afferre;* quin imò illa omninò quoad ſuorum Ordinum fratres, vt præfertur

Digitized by Google

fertur, durare volumus. Inſuper, quod aliæ litteræ à nobis ſub datæ.8. Kalend.Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 3. conceſſæ, viribus omnino careant, nulliuſque ſint roboris, vel momenti, & tanquam tales minime ſuffragentur.

Summarium autem, quod ſuper præſentibus fieri ſtatuimus, tale eſt. Hoc eſt Summarium indulgentiarum, & aliarum gratiarum per S.D. N.Pium Diuina prouidentia Papam V.in eius Bulla conceſſarum per omnes Chriſti fideles, qui illis vti voluerint, recipiendum, & retinendum, ne circa ſibi conceſſas gratias errare poſſint, neve alij illas ſibi vſurpare, & vnuſquiſque qua facultate eiſdem gratiis vtatur docere valeat. Quarum gratiarum publicatio non niſi, vel in locis pauperibus per Parochos, & idoneos Prædicatores regularis obſeruantiæ profeſſores ex approbatis ab Ordinariis per R.D. Epiſcopum Concheñ. Cōmiſſarium generalem à Prouincialibus ſingulorum ordinum regularis obſeruantiæ petendos, & recipiendos, quorum Prouincialium conſcientiam idem S. D. N. onerat, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ iniungit, vt Prædicatores idoneos integris moribus, & vita aſſignent. Quibus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ iniungitur, vt nihil aliud, tanquam ab eodem S. D. N. conceſſum populo proponant, niſi quod in hoc Summario, & Bulla eiuſdem S. D. N. continetur, quibus Prædicatoribus alimenta per quotas conſtitui prohibetur. Quibus Prædicatoribus etiam iniunctum eſt, vt ita hortari duntaxat auditores valeant, vt clare intelligant, neminem cogi, ſed tantum eorum deuotionem excitari, & rogari. Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Pius Diuina prouidentia Papa V.pro affectu conſiderans ingentia pericula Reipublicæ Chriſtianæ, iamdiu tot aliis ſeditionibus, & tumultibus cōquaſſatæ à Turcis imminentia, volens illis ea, qua poſſet ratione, occurrere, fœdus iniit cum ſereniſſimo Domino Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, & illuſtriſſimo Duce, ac Senatu Veneto aduerſus Turcas, cupienſque omnes Chriſti fideles huic ſancto, & neceſſario operi auxilium petere, concedit omnibus in Hiſpaniarum Regnis, & inſulis illis adiacentibus, ac etiam Sardiniæ conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, qui intra biennium à die publicationis in ſingulis locis faciendæ computando fidei catholicæ zelo moti ad exercitum prædicti ſereniſſimi Regis Hiſpaniarum contra Turcas in executionem fœderis prædicti comparatum, vel cōtra illos pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi ſuis ſumptibus acceſſerint, & ibidem vſque in finem expeditionis eius anni, quo acceſſerint, permanſerint plenariam omnium peccatorum ſuorum, ſi de illis corde contriti, & ore confeſſi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint,

Digitized by Google

indulgentiã,& remiſſionẽ,quæ proficiſcentib. ad recuperationẽ terræ ſanctæ, quæque in anno Iubilæi concedi conſueuit. Declarat etiam, quòd eandẽ indulgentiam aſſequantur illi, qui ante finem expeditionis, aut in itinere ad exercitum euntes, aut in eodem exercitu abierint.Item qui propter infirmitatem, ſeu aliam ſuperuenientem neceſſitatem, inde receſſerint. Itẽ illi,qui alios ſuis impenſis miſerint,dummodo ſi mittens fuerit S. R. E. Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Epiſcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittat quot homines vſque ad decẽ incluſiue commode poterit, nec mittat pauciores quatuor,ſi plures non poterit: Alias vero cuiuſcunque conditionis,ſiue laicus, ſiue clericus ſæcularis, niſi tenues habeant facultates; duo vel tres, aut etiam quatuor ſimul, prout ſingulorum facultates commode patientur, ſtipendium vni perſoluant. Item Capitula Eccleſiarum, Monaſteria, & loca etiam regularium, & mendicantium, & tam fæminarum, quam maſculorum, quæ pro decem perſonis eorundem Capitulorum, & locorum, præcedente Capitulari, ſeu Conuentuali deliberatione,ſi vnum miſerint. Eadem indulgentia ſuffragabitur per modum ſuffragij, etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiuſmodi ſubſidiium proficiſci, vel milites mitti contigerit; eandem indulgentiam aſſequantur etiam omnes, qui mittentur,ſi pauperes fuerint. Item Clerici ſæculares, qui ab ordinariis, & regulares,qui à ſuis Superioribus,habita licentia,verbum Dei in dicto exercitu prædicauerint, vel alia Eccleſiaſtica, & pia miniſteria exercuerint,quod eis in exercitu citra irregularitatem licere declaratur,& vt beneficiis,tam ſecularibus,quàm regularibus per idoneos Vicarios deſeruire poſſint: exceptis beneficia curam animarum habentia obtinentibus, quibus non alias ire licet, niſi ſpecialem licentiã ſuæ Sanctitatis eundi habuerint. Milites in bello occupati à ieiuniis votiuis, vel Eccleſiæ excuſentur,& in die feſto belli negotiis vacare poſſe declarantur. Concedit inſuper omnibus prædictis,necnon his, qui nec ibunt, nec mittent, ſi ex bonis ſibi à Deo collatis in hanc expeditionem liberaliter pro religionis defenſione contulerint, dicto biennio durante, *poſſint in priuato oratorio ad Diuinum cultum tantum deputato ab ordinario viſitando, & deſignando, etiam tempore interdicti*, cui ipſi cauſam non dederint, vel per ipſos non ſteterit, quominus amoueatur, & qui facultatem ad id ab infraſcriptis Epiſcopo, & Commiſſario præſentis Conceſſionis habuerint, etiam per horam antequam illuceſcat dies, & per horam poſt meridiem in ſua, ac familiarium, & domeſticorum, ac conſanguineorum ſuorum præſentia Miſſas, & alia Diuina officia per ſe, ſi Preſbyter fuerit, vel

per

per alium celebrari facere, & Euchariſtiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paſchatis recipere, & mortuorum corpora cum moderata funerali pompa ſepeliri, dummodo quoties huiuſmodi oratorio ad præmiſſa vti voluerit aliquas preces iuxta cuiuſque eorum deuotionem pro conſeruatione vnionis Principum Chriſtianorum contra dictos infideles, corúmque contra eos victoria Deo fundant. *Item; vt dicto biennio durante, intra ipſa Hiſpaniarum Regna*, & non extra, carnibus de conſilio vtriuſque Medici temporibus ieiuniorum totius anni etiam quadrageſimalium veſci, ac pro eorum libito ouis, & lacticiniis. Itaque qui carnes comederint, ſeruata in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur: *Excipiuntur ab indulto*, veſcendi ouis, & lacticiniis; quoad quadrageſimalia ieiunia tantùm Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij ſuperiores, vel inferiores Prælati, & quælibet perſona Regularis, & ex ſæcularibus illi, qui in Preſbyteratus ordine conſtituti ſunt; nec nō inſularum prædictarum incolæ. Item, vt qui ex dictis non euntibus, neque mittentibus, ſed ex eorum bonis conferentibus vltra prædictam erogationē diebus ieiunio alias non ſuppoſitis ad implorandum Diuinum auxilium, pro Chriſtianorum Principum vnione, & victoria contra infideles ieiunium voluntarium aſſumpſerint, & preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, quoties id, dicto biennio durante, fecerint, 15. annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, & quomodolibet debitis miſericorditer relaxantur. Et omnium bonorum operum, quæ in vniuerſali militanti Eccleſia fiunt, & in ſingulis eius membris participes fiunt, & ſi vltra voluntarium ieiunium, & preces prædictas etiam deuotè viſitauerint, dicto biennio durante, ſingulis diebus ſtationum almæ Vrbis quinque Eccleſias, ſiue altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies vnum altare, vel Eccleſiam, precéſque ad Deum pro vnione, & victoria prædictis deuotè fuderint; omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum Vrbis, tam pro ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis, pro quibus viſitauerint, conſequantur. Item, vt omnes, & ſinguli prædicti purius preces ad Deum fundere, & efficacius Diuinum auxilium implorare poſſint: conceditur, vt poſſint eligere quemcunque Preſbyterum ſæcularem, vel Regularem ex approbatis ab Ordinario, & ab eo quorumcunque peccatorum etiam cenſurarum, etiam Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum, plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo; aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, aut reſeruatarum, toties, quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem, mediante ſalutari pœnitentia, ſecundum culparum

Digitized by Google

rum indigentiam obtinere,dummodo,vbi neceſſaria erit per ipſos,vel dato impedimento per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat, & pro fructibus beneficiorum propter horarum Canonicarum omiſſionem indebitè perceptis ſatisfactio facienda erit integraliter, hoc modo videlicet;pro medietate Eccleſiis, vel locis Eccleſiaſticis, quorum ratione horas recitare tenetur, pro alia medietate in ſubuentionem dictæ expeditionis contra Turcas; poterit etiam idem Confeſſor vota quæcunque commutare in aliquod ſubſidium huius expeditionis; Caſtitatis, Religionis, & vltramarino votis duntaxat exceptis. Item, vt ſi dicto biennio durante, contingat eos ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam ſine confeſſione decedere,modo contriti deceſſerint,& antea ſtatuto tempore confeſſi fuerint;nec huius conceſſionis fiducia fuerint negligentes, plenariam, vt ſupra, remiſſionem conſequantur; eorúmque corpora, niſi vinculo excommunicationis innodati deceſſerint,non obſtante etiam interdicto prædicto, vt præfertur,Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poſſint.R.D. Epiſcopo Conchen. qui Commiſſarius deputatur, datur facultas inter alia componenda ſuper illicitè habitis,& ſuper medietate legatorum,quæ propter male ablata facta ſint, ſi legatarij per annum in exactione negligentes fuerint,& ſuper illis etiam legatis,quæ facta erunt, & dicto biennio fient; ſi legatarij,adhibita per Commiſſarium diligentia, inueniri non poterunt,& ſuper malè ablatis,& per vſurariam prauitatem,aut aliter malè acquiſitis, dummodo perſonæ, quibus reſtitutio fieri debet, adhibita diligentia, non reperiantur, & ita debitores liberari. Item diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate cum his, qui quibuſuis cenſuris Eccleſiaſticis ligati,Miſſas,& alia Diuina officia,non tamen in contemptum clauium celebrarunt, ſeu alias illis ſe immiſcuerunt, & ſuper alia qualibet irregularitate,præterquam ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide,aut hæreſis, vel propter malam ordinum ſuſceptionem contractam,cum retentione beneficiorum,& fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde prouenientis abolitione, & executione ordinum,non male ſuſceptorum reſtitutione. Item diſpenſandi in foro conſcientiæ duntaxat, nullis datis litteris, ſeu per Confeſſorem laceratis, ſi ad euitanda grauia ſcandala diſpenſandum iudicauerit, cum his, qui primo, & ſecundo affinitatis ex fornicatione contracta gradibus coniuncti, matrimonium contraxerunt, illius formam ſeruauerint, & impedimenta huiuſmodi penitus occulta ſint, & alter contrahentium tempore contracti matrimonij,ignarus impedimenti fuerit, eo quòd de nullitate prioris conſenſus (tacita ſi videbitur, ad euitanda

ſcandala,

Digitized by Google

ſcandala, cauſa nullitatis) prius certificati, vt matrimonium inter ſe etiam ſecrete de nouo contrahere poſſint, prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimã decernendo.Item diſpenſandi in ſimili affinitatis impedimento ſuper debiti exactione in eodem foro conſcientiæ tantùm.Item indulgendi perſonis nobilibus, & quæ iuxta ipſius Epiſcopi,& Commiſſarij arbitrium qualificatæ fuerint, vt Miſſas per horam poſt meridiem audire,& celebrari facere valeant.Item,vt ſuſpendere poſſit,dicto biennio durante, omnes ſimiles, aut diſſimiles indulgentias, aut facultates ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, & in fauorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorũ de Vrbe, Vniuerſitatibus,Hoſpitalibus, piis locis,Cõfraternitatibus, & ſingularibus perſonis in dictis Regnis conceſſas, etiamſi clauſulas contra ſuſpenſionem continerent, ita vt interim nulli ſuffragari, nec publicari poſſint, *exceptis tamen conceſsis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres*, gratias vero, & indulta quæcunque vigore cuiuſcunque Bullæ Cruciatæ nuncupatæ, in dictis Regnis conceſſas, idem Sanctiſſimus Dominus N.expreſſe reuocauit. Item,vt deputare poſſit Commiſſarios in ſingulis prouinciis per locorum ordinarios; quorum conſcientiæ onerantur, præuia matura deliberatione approbandos cum ſimili, vel limitata facultate, ac etiam pro collectione pecuniarum. Item,vt poſſit deputare Notarios neceſſarios, ab ordinariis tamen locorum,in quibus deputabuntur, modo præmiſſo approbandos. Item, vt Tabelliones, vel quoſcunque alios compellere poſſit ad exhibitionem quarumcunque ſcripturarũ, ſeu inſtrumentorum huic negotio pertinẽtium. Item inhibere,quibus inhibendũ erit;Item,vt Cõmiſſarius prædictus coram alio,quàm ſanctiſſimo Domino noſtro,nec ſubdelegandi Commiſſarij coram alio,quam ipſo Commiſſario pro re ad hoc munus pertinente,quamdiu his negotiis vacauerint, in iudicium trahi valeant, poſſint tamen à locorum ordinariis, quibus ſuberunt, ſi ibi deliquerint, coërceri,& puniri.Item, vt ſuſpendere poſſit interdictum, quod forſan eſſet in loco, in quo publicatio huius conceſſionis fiet. Item,vt à Cõmiſſariis,Notariis, & aliis rationem exigere poſſit earum rerum, quæ fidei eorum committentur, & quidquid à ſponte dantibus receptum fuerit,eidem Commiſſario aſſignent.Item,vt monere poſſit habentes pecunias, aut bona in hoc opus deſtinata ſeu inſtrumenta: vel ſcripturas huic negotio principaliter, vel ſecundario attinentes;vt ſtatim cum copiam Commiſſarij,aut ab eo deputati habuerint propalare ſub pœnis pecuniariis, & in ſubſidium quoad ipſos, & alios maiores Prælatos ſuſpenſionis à Diuinis,& interdicti in Eccle-
ſiam

Digitized by Google

ſiam ingreſſus quoad alios excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi à Sede Apoſtolica abſolui poſſint,& qui ſcienter aliquid prædictorum retinuerit,ſupradictarum gratiarum beneficio frui non poſſit. Ordinarij omnes, Epiſcopi, Archiepiſcopi dictorum regnorum, & inſularum illis adiacent. enixe rogantur,eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur,vt omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante dicto biennio imponendas,ſeu exigendas huic tam pio operi omnino velint applicare, eaſque pœnas omnes, de quarum quantitate aſſertioni ordinariorum; quorum conſcientiæ onerantur, ſtandum eſſe decernitur;theſauro eiuſdem expeditionis contra Turcas, idem ſanctiſſimus Dominus noſter ex nunc, prout ex tunc applicat,& appropriat,vna cum pœnis eorum,qui aliquid in huius expeditionis præiudicium,vel ad eam euntium patrauerint. Item expirante biennio, omnes ſupradictæ facultates, indulta, & gratiæ expirant, *tantumque poterunt cauſæ* pendentes ad finem perduci. Item prohibentur quicunque Miniſtri, & Officiales ſanctæ Inquiſitionis in Prædicatores, Commiſſarios, aut aliud quodcunque huius negotij miniſterium aſſumi. *Item conceditur eidem* Epiſcopo, & Commiſſario: ne Chriſti fideles ſemper in dubio ſint, an ſufficientem ex eorum bonis ſubuentionis quantitatem, iuxta eorum ſtatum, & conditionem contulerint,vt poſſit dictam ſubuentionem pro perſonarum qualitate arbitrari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ hortationis, monitionis, rogationis, declarationis, voluntatis, conceſſionis,diſpenſationis,præcepti,decreti applicationis, appropriationis, relaxationis, onerationis, iniunctionis, permiſſionis, facti, prohibitionis,& derogationis infringere,&c. Si quis, &c. incurſurum,&c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, &c. Anno Incarnationis Dominicæ 1571. 12. Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Chariſſimo

Digitized by Google

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro

PHILIPPO HISPANIARVM REGI CATHOLICO,

PAVLVS PAPA V.

CHARISSIME in Chriſto fili noſter, ſalutem, &c. Indulgentias, & gratias illas ſpirituales, & temporales ad ſex annos publicandas, & duraturas clam. mem. Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico genitori tuo, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Regni, & Dominiis Hiſpaniarum, ac illis adiacentibus, necnon Sardiniæ Inſulis conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, iis qui certa munera adimpleuiſſent à diuerſis Rom. Pontificibus conceſſas, & deinde pluries etiam à fel.rec. Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIV. & Clemente VIII. prædeceſſoribus noſtris, ac etiam à nobis eidem Philippo Regi genitori tuo, ac Majeſtati tuæ per diuerſas eorum, ac præſertim dicti Clementis ſub dat. die nona Februarij M.D.XCij. Pontificatus ſui anno primo, & xvij. Iunij M.D.C.iij. Pontificatus item ſui anno nono, & die xxx. Octobris M.D.C.iij. Pontificatus ſimiliter ſui anno xij. & ſubinde per noſtras ſub die xxij. Iunij M.D.C.V. Pontificatus noſtri anno primo, ac die vij. Septembris M.D.CXj. Pontificatus pariter noſtri anno ſeptimo, & nouiſſime die xij. Nouembris M.D.CXV. Pontificatus item noſtri anno xj. in huiuſmodi forma Breuis expeditas literas ad ſexennium prorogatas iuſtis, & grauibus cauſis adducti Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad aliud ſexennium à fine vltimi ſexennij per Nos, vt præfertur, prorogati numerandum extendimus, & prorogamus. Et nihilominus Majeſtati tuæ, ac prædictis omnibus eaſdem gratias, & indulgentias cum omnibus, & quibuſcunque indultis, facultatibus, conceſſionibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis in aliis

Digitized by Google

Gregorij XIII. Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtris litteris prædictis contentis ad prædictum ſexennium à fine ſex annorum per Nos, vt præfertur, prorogatorum, prout in qualibet prouincia, ſiue Regno finem habebunt auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de nouo concedimus, & indulgemus, ac propterea dilecto filio Magiſtro Martino de Corduba in vtraque ſignatura noſtra referendario Executori, & Commiſſario ad hoc Apoſtolica auctoritate deputato, plenam, & liberam in præmiſſis facultatem, & auctoritatem tribuimus per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad id idoneos duxerit ad executionem præmiſſorum, & alias iuxta facultates conceſſas, omni & quacunque appellatione poſtpoſita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in ſuis voluerunt, & nos in noſtris litteris prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Vt autem præſentes litteræ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam deduci poſſint, decernimus vt earum exemplis, etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub die 21. Octobris 1619. anno 15.

Chariſſimo

Digitized by Google

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro

PHILIPPO HISPANIARVM REGI CATHOLICO,

VRBANVS PAPA VIII.

CHARISSIME in Chriſto fili noſter, Salutem, &c. Indulgentias, & gratias illas ſpirituales, & temporales ad ſex annos publicandas, & duraturas clar. mem. Philippo II. auo, & Philippo III. genitori tuis Hiſpaniarum Regibus Catholicis, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Regnis, & Dominiis Hiſpaniarum, ac illis adiacentibus, nec non Sardiniæ Inſulæ conſiſtentibus, & ad illa declinantibus iis, qui certa munera adimpleuiſſent, à diuerſis Rom. Pont. conceſſas, & deinde pluries etiam à fel. rec. Gregor. XIII. Sixto V. Gregor. XIV. Clemente VIII. & Paulo V. prædeceſſoribus noſtris eiſdem Philippo auo, & Philippo genitori ſuis Regibus, nec non Maieſtati ſuæ per diuerſas eorum, & noſtras reſpectiuè, & præſertim dicti Clementis ſub dat. die ix. Februarij M. D. xcij. Pontificatus ſui anno primo, & xvij. Iunij M. DC. Pontificatus item ſui anno nono, & die xxx. Octobris M. DC. iij. Pontificatus ſimiliter ſui anno xij. & dicti Pauli ſub dat. xxij. Iunij M. DC. v. Pontificatus ſui anno primo, ac die vij Septembris M. D. C. xj. Pontificatus pariter ſui anno ſeptimo, & die xij. Nouembris M. DC. xv. Pontificatus item ſui anno xj. ac die xxj. Octobris M. DC. xix. Pontificatus etiam ſui anno xv. & nouiſſimè die xxvj Martij M. DC. xxiiij. Pontificatus noſtri anno primo in huiuſmodi forma Breuis expeditas litteras ad ſexennium prorogatas, iuſtis, & grauibus cauſis adducti, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad aliud ſexennium à fine vltimi ſexennij, vt præfertur, progati numerandum extendimus, & prorogamus. Et nihilominus Maieſtati tuæ, ac ſupradictis omnibus eaſdem gratias, & indulgentias, cum omnibus, & quibuſcumque indultis, facultatibus,

Digitized by Google

cultatibus, conceſſionibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis in aliis Gregorij XIII. Sixti V. Greg. XIV. Clement. VIII. ac Pauli V. prædeceſſorum noſtrorum litteris prædictis contentis ad ſexennium à fine ſex annorum vltimo prorogatorum, vt præfertur, prout in qualibet Prouincia, ſiue Regno finem habebunt, Apoſtolica authoritate tenore præſentium de nouo concedimus, & indulgemus, ac propterea dilecto filio Antonio Sotomayor Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori Executori, & Commiſſario, ad hoc Apoſtolica auctoritate deputato, plenam, & liberam in præmiſſis facultatem, & auctoritatem tribuimus, per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem præmiſſorum, & alias iuxta facultates conceſſas omni, & quacunque appellatione poſtpoſita, procedendi aliáque faciendi & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in ſuis litteris prædictis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Vt autem præſentes litteræ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam deduci poſſint, decernimus, vt earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Octobris 1619. anno ſeptimo.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
DISPVTATIONVM, CAPITVM, ET DVBIORVM HVIVS OPERIS.

DISPVTATIO I. DE expoſitione Bullæ Cruciatæ. pag. 1
CAPVT I. De perſonis quæ poſſunt vti Bulla. 2
DVBIVM I. An ſit neceſſarium accipere Bullam per ſe, ita vt non ſufficiat per alium. ibid.
Dub. II. An qui amiſit Bullam poſſit gaudere priuilegiis illius. 3
Dub. III. Vtrùm Bulla accepta nomine Hiſpani ſubditi Regis, ſed extra ditionem eius commorantis, proſit illi; idem quæritur de eo, qui nec Regis Hiſpaniarum ſubditus eſt, nec in eius Regnis commoratur. 4
Dub. IV. Vtrùm Bulla prodeſſe poſſit illi, qui tempore acceptionis erat excommunicatus. 6
Dub. V. An qui ex confidentia Bullæ incidunt in peccata reſeruata, poſſint gaudere priuilegio illius ad eligendum confeſſarium pro abſolutione reſeruatorum. ibid.
Dub. VI. Vtrùm accipiens Bullam credita ſibi pecunia, gaudeat illa, ſi poſtea præ nimia paupertate, nec reuera ſoluat, nec ſpem ſoluendi habeat. 9
Dub. VII. Vtrùm qui furatur pecuniam ad ſumendam Bullam, proſit illi Bulla ex tali pecunia accepta. 10
Dub. VIII. Vtrùm hæreticus, ſeu infidelis mentalis poſſit gaudere Bulla. 11
Dub. IX. Vtrùm Religioſi profeſſi etiam mendicantes, poſſint Bullam Cruciatæ licitè ſumere, eiuſque fructu gaudere. 12
Dub. X. Vtrùm regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes poſſint abſque Prælatorum licentia Bullam Cruciatæ ſumere ad confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis eligendum. 16
Dub. XI. In quo argumenta pro vtraque opinione præcedenti adducta ſoluuntur. 23
Dub. XII. Quo ſententia authoris circa propoſitam difficultatem exponitur. 27
Dub. XIII. An ſufficiat tacita Prælatorum licentia, vt Religioſus poſſit Bullam Cruciatæ ſumere ad effectum eligendi Confeſſorem, & cuius Prælati licentia requiratur. 32

Digitized by Google

Dub. XIV. & VLT. *Vtrùm ſaltem Nouitij cuiuſcunque Religionis, etiam Mendicantis, poſſint abſque Prælatorum licentia tacitè, vel expreſſè ſumere Bullam Cruciatæ ad eligendum Confeſſorem pro abſolutione à reſeruatis.* 34

CAP. II. *De requiſitis ex parte Sacerdotis, vt poſſit eligi in Confeſſarium virtute Bullæ.* 36

Dub. I. *An ſit in Eccleſia poteſtas remittendi peccata, & quibus præcisè conceſſa.* ibid.

Dub. II. *Quo proponuntur & ſoluuntur aliquæ obiectiones contra tertiam concluſionem præcedentem factæ.* 41

Dub. III. *Vtrùm ſimplex Sacerdos ſit eligibilis in Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ.* 45

Dub. IV. *Quo ſententia authoris proponitur & explicatur.* 52

Dub. V. *Quo ſoluuntur argumenta dubio tertio in fauorem primæ opinionis adducta.* 56

Dub. VI. *Vtrùm Sacerdos, quem Ordinarius iudicauit idoneum ad audiendas ſacramentales confeſſiones, non tamen illi contulit iuriſdictionem, poſſit virtute Bullæ eligi in Confeſſarium.* 62

Dub. VII. *An Parochus relinquens Curatum per commutationem, vel aliam cauſam, ſit eligibilis in Confeſſarium virtute Bullæ.* 65

Dub. VIII. *An ſæcularis Sacerdos, qui pro tempore determinato dumtaxat eſt approbatus, maneat eligibilis per Bullam tranſacto illo tempore.* 66

Dub. IX. *Vtrùm Sacerdos ab Ordinario approbatus pro vno tantùm oppido, ſeu pro vno genere perſonarum, ſit abſolutè eligibilis ab omnibus virtute Bullæ Cruciatæ.* 67

Dub. X. *An ſi Parochus deſignet Sacerdotem doctum, non approbatum ab Epiſcopo, ad audiendas confeſſiones ſuæ parochiæ, talis poſſit audire illas, & eligi per Bullam.* 71

Dub. XI. *An Prælatus monaſterij ſit eligibilis per Bullam, ſecluſa omni Epiſcopi approbatione.* 72

Dub. XII. *An Sacerdos ſæcularis abſolutè, & ſimpliciter approbatus, poſteà tamen iniuſtè reprobatus, eligibilis ſit per Bullam.* 74

Dub. XIII. *Vtrùm Regularis ſemel approbatus, & poſtea iniuſtè reprobatus ab Epiſcopo, ſit eligibilis per Bullam, & virtute ſuorum priuilegiorum poſſit audire confeſſiones carentium illa.* 76

Dub. XIV. *An Doctor, vel Licentiatus in ſacra Theologia, aut iure Canonico, ſit eligibilis per Bullam ad audiendas confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione.* 78

Dub. XV. *Vtrùm Sacerdos etiam ſæcularis approbatus ab vno dumtaxat Epiſcop*

Digitized by Google

Epiſcopo,ſit vbique terrarum eligibilis in Confeſſarium à quocunque habente Bullam. 80

Ad hoc idem dubium appendix, an ſaltem Religioſus ex Mendicantibus ſemel approbatus ab vno Ordinario poſsit vbique confeſsiones ſæcularium virtute Bullæ, ſeu alterius priuilegÿ audire; & an idẽ ſit de alÿs Religioſis, qui Mendicantium priuilegÿs gaudent. 85

Dub. XVI. *Vtrùm Sacerdos Religioſus approbatus ab Ordinario, prohibitus tamen à ſuo Superiore audire confeſsiones, poſsit validè illas audire.* 87

Dub. XVII. *An prædictus Religioſus approbatus ab Epiſcopo, non tamen expoſitus, ſed prohibitus à ſuo Superiore audire confeſsiones, poſsit abſoluere à reſeruatis virtute Bullæ aut priuilegiorum ſuæ Religionis,* 90

Dub. XVIII. *Vtrùm virtute Bullæ ſit eligibilis Sacerdos ab Epiſcopo approbatus, licèt ſit excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, aut degradatus, ita vt validæ ſint eius abſolutiones.* 91

Dub. XIX. *Vtrùm ſufficiat, quod prædicta approbatio ſit petita, quamuis non obtenta.* 93

Dub. XX. *An ad prædictam delegationem, ſeu approbationem ſufficiat futura ratihabitio in præſenti probabiliter præſumpta.* 100

Dub. XXI. *Quo breuiter explicantur quatuor difficultates, prædictam conceſsionem concernentes.* 104

Dub. XXII. *Quo agitur de facultate Confeſſorem eligendi, qua gaudent Cardinales, & Epiſcopi.* 109

Dub. XXIII. *An in Confeſſore eligendo prærequiratur Ordinarÿ approbatio.* 114

Dub. XXIV. *Cuius Ordinarÿ approbatio neceſſaria ſit, & ſufficiat, vt Confeſſor eligendus, ſimpliciter reputetur idoneus.* 122

Dub. XXV. *Quo opinio authoris proponitur.* 130

Dub. XXVI. *Vtrùm Superiores regulares gaudeant eodem priuilegio eligendi Confeſſorem.* 134

Dub. XXVII. *Vtrùm Religioſi omnes, ſaltem itinerantes poſsint quibuſcunque Sacerdotibus, ſiue regularibus, ſiue ſæcularibus cõfiteri.* 138

Cap. III. *De peccatis reſeruatis, à quibus virtute Bullæ poteſt quis abſolui.* 146

Dub. I. *Vtrùm in Eccleſia Dei ſit poteſtas reſeruandi peccata.* ibid.

Dub. II. *Quo caſus Summo Pontifici, Epiſcopis, & Prælatis Regularium reſeruati, compendioſè explicantur.* 153

Dub. III. *An Superior cuicunque ſubdito facultatem pro abſolutione à reſeruatis petenti teneatur eam concedere.* 157

Dub.

Digitized by Google

Dub. IV. *An Superior, dum facultatem abſoluendi à reſeruatis concedit, poſſit taxare pœnitentiã pœnitenti à Confeſſario imponendã.* 160

Dub. V. *Vtrùm Confeſſarij Regulares poſſint ſæculares non habentes Bullam Cruciatæ abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis.* 163

Decretum ſacræ Epiſcoporum, & Regularium Congregationis, ne Regulares cuiuſcunque Ordinis abſoluant à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel Ordinariis locorum reſeruatis. 164

Moderatio præcedentis decreti facta per eandem ſacram Congregationem. 165

S. D. N. Paulus Papa V. Romæ die 7. Ianuarij anni 1617. in confirmationem ſupradicti decreti, eiuſdémque declarationis, infraſcripta ab eadem ſacra Congregatione addi præcepit. 166

Declaratio eiuſdem ſacræ Congregationis circa facultatem abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario reſeruatis. 167

Dub. VI. *Vtrùm quando in Bulla Cruciatæ, vel Iubileo datur ſine aliqua exceptione facultas abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, poſſit quis virtute illius abſolui ab hæreſi externa in eadem Bulla Cœnæ reſeruata.* 168

Dub. VII. *An dicta dubio præcedenti intelligenda ſint de quacunque hæreſi, etiam mentali.* 170

Dub. VIII. *Vtrùm modò virtute Bullæ Cruciatæ poſſimus abſoluere ſchiſmaticos, fautores, & receptores Hæreticorum.* 172

Dub. IX. *Vtrùm qui virtute Bullæ, vel Iubilei fuit abſolutus, poſſit tranſacto tempore talis Bullæ, vel Iubilei, à reſeruatis, in confeſſione oblitis, iterũ abſolui per quemcunque Confeſſarium approbatũ.* 175

Dub. X. *Vnde ſit dignoſcendum quando ſacramentum Pœnitentiæ ſit validum, & informe ſimul.* 179

Dub. XI. *An Sacramentum validum, & informe, habeat effectum, obice, ſeu fictione recedente.* 182

Dub. XII. *Vtrùm cui virtute Bullæ, ſeu Iubilei inualidam fecit confeſſionem, vel ex defectu doloris, vel ex occultatione alicuius peccati, poſſit elapſo tempore præfixo per quemcunque Confeſſarium approbatum à reſeruatis abſolui.* 183

Dub. XIII. *Vtrùm virtute Bullæ poſſit quis toties abſolui à reſeruatis in Bulla Cœnæ, quoties in illa incidit, ſi differant ſpecie.* 188

Dub. XIV. *Quem effectum operetur facultas in Bulla conceſſa ad abſoluendum à reſeruatis in articulo mortis.* 189

Dub. XV. *Vtrùm habens Bullam exiſtens in articulo mortis poſſit confiteri ſimplici Sacerdoti, ſi Parochus adſit, vel alius approbatus.* 189

Dub. XVI. *Vtrùm quando Bulla concedit poſſe abſolui à reſeruatis in articulo*

Digitized by Google

articulo mortis, intelligatur de articulo mortis vero, an præſumpto. 195

Dub. XVII. *An ſi pænitens ſemel ſit abſolutus virtute Bullæ à reſeruatis in articulo mortis præſumpto, poſsit iterum ab aliis reſeruatis abſolui virtute eiuſdem priuilegij, ſuppoſito quod Bulla abſolutè concedit poſſe abſolui in articulo mortis à reſeruatis.* 198

Dub. XVIII. *An ſuper mortis articulum, vt ad præſens ſpectat, comprehendatur omne periculum probabile mortis; etiam remotum, ſiue proueniat à mari, à iudice, ab hoſte, vel à partu.* 199

CAP. IV. *De cenſuris à quibus virtute Bullæ liberari poſſumus.* 202

Dub. I. *Vtrùm poſsit quis per Bullam abſolui in foro interiori ab excommunicatione, lata à iure, vel ab homine; generaliter ſeu ſpecialiter, & nominatim; ſaltim ſatisfacta parte.* ibid.

Dub. II. *An quando in Bulla datur facultas abſoluendi ab excommunicatione, dummodo prius ſatisfiat parti læſæ, ſit valida abſolutio non præcedente reali ſatisfactione propter impotentiam ſolutionis, diſtantiam, vel aliam rationabilem cauſam.* 204

Dub. III. *An abſolutio publicè excommunicati, quæ fit virtute Bullæ, valeat etiam pro foro exteriori, & non interiori tantum.* 208

Dub. IV. *An virtute Bullæ poſsit quis abſolui cum prædicta cautione reclamante Ordinario? Vt ſi quis percuſsit Clericum, & ad magis illum vexandum, nolit Clericus acceptare ſatisfactionem: & hac ratione Ordinarius reclamat.* 212

Dub. V. *An virtute Bullæ poſsit Confeſſor abſoluere ab excommunicatione extra Confeſsionem.* 214

Dub. VI. *An per Bullam poſsit quis abſolui à cenſuris latis contra cauſantes, procurantes, vel conſulentes aborſum.* 218

Dub. VII. *An poſsit quis virtute Bullæ abſolui ad cautelam, vt quando dubitat probabiliter, an quædam excommunicatio publicè lata comprehenderit illum.* 220

Dub. VIII. *Vtrùm poſsit quis ex conſenſu partis, virtute Bullæ, abſolui ad reincidentiam inconſulto Iudice.* 223

Dub. IX. *An abſolutio à cenſura ſit valida, dum virtute Bullæ non ſatisfacta parte cum commodè poſsit, quis abſoluitur.* 227

Dub. X. *An poſsit quis abſolui virtute Bullæ ab interdicto, & ſuſpenſione etiam illa, quæ contrahitur cum quis ſine debita ætate ſuſcepit Ordines.* 230

Dub. XI. *Vtrùm Confeſſor poſsit abſoluere à ceſſatione à diuinis virtute Bullæ.* 231

Dub. XII. *An quando in Bulla vel ſimili priuilegio datur facultas ad*

 diſpenſan

Digitized by Google

diſpenſandum in omnibus irregularitatibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij, & aliis tribus, poſsit virtute illius diſpenſari in irregularitate homicidij iuſti. 232

CAP. V. *De priuilegiis quæ in Bulla conceduntur contra ius commune, præſertim circa tempus interdicti, & circa cibos prohibitos.* 234

Dub. I. *Quomodo intelligatur priuilegium de habendo domi Oratorio ad celebrandam Miſſam, & an ſit omnino neceſſaria licentia Ordinarij ad eam celebrandam ibi.* ibid.

Dub. II. *Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem ad audiendum Miſſam, vel celebrandum tempore interdicti in priuato Oratorio.* 235

Dub. III. *Quomodo intelligatur facultas Bullæ concedentis, vt non ſolùm habens illam, ſed etiam eius familiares, domeſtici, & conſanguinei poſsint diuinis intereſſe.* 236

Dub. IV. *An qui tempore interdicti ex priuilegio Bullæ poteſt audire Miſſam in diebus feſtis, teneatur ſub mortali illam audire.* 238

Dub. V. *Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem recipiendi Euchariſtiam, & alia Sacramenta tempore interdicti, præterquam in die Paſchatis.* 241

Dub. VI. *An quis poſsit die Paſchatis, ſaltem ex deuotione communicare in Eccleſiis Regularium, abſque Parochi licentia.* 243

Dub. VII. *Quomodo intelligatur priuilegiũ Bullæ concedentis facultatem ad obtinendam ſepulturam in loco ſacro tempore interdicti.* 247

Dub. VIII. *An quæ conceduntur tempore interdicti in Bulla, intelligantur concedi tempore ceſſationis à diuinis.* 249

Dub. IX. *Qua ratione intelligatur facultas de edendis carnibus diebus prohibitis, ex conſilio vtriuſque Medici, & an ſit verè priuilegium.* 251

Dub. X. *An qui ex diſpenſatione Bullæ, vel alio priuilegio, aut certe ex manifeſta neceſsitate veſcitur carnibus in die ieiunij, ſit excuſatus in totum à præcepto ieiunij.* 252

Dub. XI. *Quo opinio authoris ſtatuitur.* 256

Dub. XII. *Qua ratione intelligatur priuilegiũ Bullæ concedentis facultatem ad veſcendũ ouis, & lacticiniis temporibus ieiuniorum totius anni etiã quadrageſimalibus, & an ſit licita talis diſpẽſatio.* 258

Dub. XIII. *An ſuppoſito quod eſus ouorum & lacticiniorum ſit de iure communi prohibitus, id ſub mortali culpa, aut veniali tantum obliget.* 261

Dub. XIV. *An virtute Cruciatæ poſsit quis edere lacticinia, & oua in ieiunio, vel Iubilei, vel voti, vel pœnitentiæ ſacramentalis.* 263

Dub.

Digitized by Google

Dub. XV. *Vtrùm abſque Bullæ liceat in diebus veneris, & ſabbati veſci & ouis,& lacticiniis.* 257
Dub. XVI. *Vtrùm diſpenſatus virtute Bullæ,vel alterius priuilegij ad oua & lacticinia,poſsit comedere lardum,quod eſt pinguedo ſuilla ſale condita,& non liquata;& ſagimen,quod eſt pinguedo liquata.* 269
Dub. XVII. *Quænam perſonæ veniant intelligendæ nomine Regularium & Prælatorum in prohibitione, quæ habetur in Bulla circa eſum ouorum,& lacticiniorum in diebus quadrageſimalibus.* 271
Dub. XVIII. *Vtrùm liceat virtute Bullæ omnibus tam regularibus,quam ſæcularibus presbyteris veſci ouis,& lacticiniis in diebus Dominicis Quadrageſimæ.* 272
Dub. XIX. *Qua ætate pueri incipiant indigere Bulla ad edendum oua, & lacticinia diebus vetitis.* 275
CAP. VI. *De commutatione votorum.* 276
Dub. I. *Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem Confeſſario ad commutandum vota,exceptis caſtitatis,religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ.* ibid.
Dub. II. *An virtute Cruciatæ ſint neceſſario commutanda vota in tempore aliquod belli ſubſidium contra Infideles.* 279
Dub. III. *An abſque priuilegio Bullæ, vel authoritate Prælati poſsit quis ſuum votum commutare propria authoritate.* 281
Dub. IV. *An ad puram commutationem, hoc eſt in maius, vel æquale bonum,requiratur aliqua cauſa.* 286
Dub. V. *Vtrùm virtute Bullæ concedentis facultatem ad commutanda vota poſsint commutari iuramenta pia.* 288
Dub. VI. *An virtute Cruciatæ,ſeu Iubilei poſsint commutari vota iurata ſeu iuramento firmata.* 292
Dub. VII. *An delegata poteſtas commutandi vota extendatur ad diſpenſandum in eis,& è contra,an delegata poteſtas diſpenſandi extendatur ad commutandum.* 297
Dub. VIII. *Vtrùm virtute Bullæ poſsint commutari,& per Epiſcopum diſpenſari vota caſtitatis, aut Religionis, tam pœnitentialia, quam conditionalia ante impletam conditionem.* 300
Dub. IX. *Vtrùm virtute Bullæ commutari poſsint & per Epiſcopum diſpenſari vota conditionalia, & pœnalia caſtitatis & Religionis poſt impletam conditionem.* 304
Dub. X. *Vtrùm vota non nubendi,caſtitatis coniugalis,continentiæ ad tempus,vel etiam ſuſcipiendi Sacros ordines, poſsint per Bullam commutari,& per Epiſcopum diſpenſari.* 309
Dub. XI. *An votũ Religionis poſsit virtute Bullæ aliquando cõmutari.* 312

Digitized by Google

Dub. XII. *An ſi quis voueat non ſolùm ingredi in ſtrictiorem Religionem, ſed perſeuerare etiam in eadem, poſſit id votum diſpenſari per Epiſcopum aut per Bullam commutari, vt in laxiori vouens profiteatur.* 316

Dub. XIII. *An votum caſtitatis perpetuæ, ſaltem metu incuſſum, poſſit per Bullam commutari.* 320

Dub. XIV. *An poſſit per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari votum caſtitatis emiſſum à coniugatis, vel vtriuſque, vel vnius tantum coniugis conſenſu præcedenti.* 326

Dub. XV. *An votum peregrinationis vltramarinæ poſſit aliquo modo per Bullam commutari.* 331

Dub. XVI *An poſt factam commutationem liceat vouenti redire ad priorem materiam, & omittere commutationem.* 337

Dub. XVII. *An reuiuiſcat in aliquo caſu obligatio voti commutati.* 341

Dub. XVIII. *An Prælati poſſint ſua, ſicut & ſubditorum, per ſe, aut per Confeſſarios ab ipſis electos vota commutare, ac diſpenſare.* 344

Dub. XIX. *Quibus Prælatis competat ordinaria poteſtas diſpenſandi in ſæcularium votis.* 348

Dub. XX. *Quibus Prælatis competat ordinaria poteſtas diſpenſandi in votis Regularium.* 352

Dub. XXI *Quæ, & qualiter per Religioſorum priuilegia poſſint vota ſæcularium commutari ac diſpenſari.* 355

Cap. VII. *De praxi & modo commutandi vota, tam virtute Bullæ, quam cuiuſcunque alterius priuilegij.* 362

Dub. I. *Quænam ſint obſeruanda in commutatione voti, abſtrahendo ab hoc, vel ab illo voto.* ibid.

Dub. II. *Quid ſit obſeruandum in commutatione voti peregrinationis quæcunque ſit.* 368

Dub. III. *Quomodo commutandum ſit votum peregrinationis Hieroſolymitanæ.* 371

Dub. IV. *Quomodo ſit commutandum quodcunque Religionis votum.* 372

Dub. V. *Quomodo ſit commutandum votum caſtitatis.* 377

Dub. VI. *Qua ratione ſit commutandum votum aſſumendi ſtatum Sacerdotalem.* 378

Dub. VII. *Qua ratione ſit facienda commutatio voti de ieiunando ſextis feriis, aut de recitandis ſeptem pſalmis pœnitentialibus, & aliis eiuſmodi.* 379

Dub. Vlt. *Vtrùm votum factum in fauorem tertiæ perſonæ, aut alicuius loci pij, poſſit virtute Bullæ commutari abſque partis conſenſu.* ibid.

Cap.

Digitized by Google

CAP. VIII. *De Indulgentiis, quas lucrari poſſunt virtute Bullæ.* 383

Dub. I. *Quodnam ſit diſcrimen inter Indulgentiam plenariam, pleniorem, & pleniſſimam, & quid etiam ſit concedere tot dies vel quadragenas Indulgentiæ.* ibid.

Dub. II. *Vtrùm cum in Bulla datur facultas ad lucrandum omnes indulgentias vrbis Romanæ, & an in ea comprehendantur indulgentiæ plenæ.* 387

Dub. III. *Vtrùm omnes perſonæ, quæ aſſignantur in Bulla, æqualiter aſſequantur indulgentiam plenariam.* 389

Dub. IV. *Vtrùm ad lucrandam prædictam indulgentiam Bullæ opus ſit exercere in gratia opera ad id iniuncta.* 391

Dub. V. *Vtrùm requiratur ad lucrandam prædictam indulgentiam Bullæ, & idem eſt de Iubileo, vt actus, quibus lucranda eſt, ſint boni moraliter.* 394

Dub. VI. *Vtrùm ad lucrandam indulgentiam plenariam Bullæ debeat neceſſario præcedere confeſſio actualis.* 398

Dub. VII. *Num quando indulgentia conceditur ſub hac forma, vere pœnitentibus & confeſſis, ſit actualis confeſſio præmittenda ad indulgentiam conſequendam.* 402

Dub. VIII. *Vtrùm ſit vtile omni hominum generi indulgentiam accipere.* 405

Dub. IX. *Vtrùm ad indulgentiæ valorem requiratur cauſa, non ſolum iuſta, ſed etiam proportionata.* 408

Dub. X. *Vtrùm cauſa, quæ in Bulla Cruciatæ exponitur, ſit pia & rationabilis cenſenda, vt virtute illius concedantur indulgentiæ, & aliæ, quæ in dicta Bulla continentur.* 414

Dub. XI. *Quomodo intelligantur indulgentiæ conceſſæ militibus, & Clericis regularibus, aut ſæcularibus ad bellum, & aliæ etiam conceſſiones pro ieiunantibus & orantibus pro vnione Eccleſiæ contra infideles.* 419

Dub. XII. *An qui propter infirmitatem, aut aliam grauem neceſſitatem omittit aliquod opus ex præſcriptis à Pontifice, conſequatur indulgentiam in totum, vel ſaltem in partem.* 421

Dub. XIII. *Qua ratione intelligatur indulgentia Bullæ conceſſa viſitantibus quinque Eccleſias, & an poſsit quis illam lucrari toties, quoties eas viſitauerit eodem die.* 423

Dub. XIV. *Vtrùm in articulo mortis poſsit virtute Bullæ impendi pœnitenti indulgentia ab alio, quam à Sacerdote.* 425

Dub. VLT. *Qua ratione intelligatur facultas Bullæ concedentis communicationem bonorum operum totius militantis Eccleſiæ.* 426

Digitized by Google

CAP. IX. *De facultatibus, quæ Commiſſario Bullæ conceduntur.* 431

Dub. I. *An per Bullam ſuſpendantur indulgentiæ, & facultates aliæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis conceſſæ.* ibid.

Dub. II. *An per Bullam ſuſpendantur indulgentiæ & alia priuilegia Regularibus conceſſa pro ſæcularibus.* 435

Dub. III. *An reualidentur per Bullam Cruciatæ gratiæ & facultates conceſſæ in aliis Bullis præteritis.* 439

Dub. IV. *Vtrùm cum in ſuſpenſione Bullæ excipiuntur priuilegia Superioribus Mendicantium conceſſa in ordine ad ſuos fratres, excipiantur etiam priuilegia eiſdem conceſſa in ordine ad Moniales.* 441

Dub. V. *Vtrùm prædictum indultum extendatur ad Nouitios Ordinum Mendicantium.* 443

Dub. VI. *Vtrùm in anno Iubilei, quod 25. quoque anno conceditur Romæ, ſuſpendantur, tam priuilegia quædam conceſſa in Bulla, quam alia conceſſa Religionibus.* 444

Dub. VII. *Qua ratione intelligatur facultas Commiſſario conceſſa in diſpenſandis irregularitatibus.* 445

Dub. VIII. *Qua ratione intelligenda ſit facultas Commiſſario conceſſa ad diſpenſandum in primo & ſecundo gradu affinitatis ex fornicatione contracta.* 447

Dub. VLT. *Qua ratione intelligatur poteſtas Commiſſario conceſſa ad dandam facultatem pro dicenda Miſſa per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem.* 450

CAP. X. *De modo quo ſpirant Bullæ priuilegia, & aliæ facultates in eis conceſſæ.* 451

Dub. I. *An annus quo durat Bulla Cruciatæ, debeat computari à die acceptionis, an à die publicationis.* ibid.

Dub. II. *An annus pro quo conceditur Bulla ſit vulgaris, hoc eſt, dierum duntaxat 365. ita vt non amplius durare poſſit.* 452

Dub. III. *An hoc diploma, & priuilegia, gratiæ, & iadulgentiæ in eo conceſſæ ſpirent morte concedentis.* 454

Dub. IV. *Vtrùm per promulgationem Bullæ Cœnæ expiret, & reuocetur facultas per Bullam Cruciatæ conceſſa ad abſoluendam à reſeruatis in eadem Bulla Cœnæ.* 456

Dub. V. *Quo argumẽta dubio præcedẽti in contrariũ adducta ſoluuntur.* 461

DISPVTATIO II. *In expoſitionem Bullæ Defunctorum.* 464

Dub. I. *Vtrùm poſſit Sũmus Pontifex concedere indulgentias defunctis.* 465

Dub. II. *Vtrùm poſſit Papa de plenitudine ſuæ poteſtatis euacuare Purgatorium per indulgentias, quas concedit in eiuſmodi Bullis, & in aliis indulgentiis.* 466

Dub.

Digitized by Google

Dub. III. *An indulgentiæ defunctis conceſſæ, valeant illis per modum abſolutionis, an ſolutionis tantum.* 468

Dub. IV. *An indulgentiæ defunctis applicatæ per modum ſuffragij proſint illis de congruo tantum, an de condigno, & ex iuſtitia? vbi etiam explicabitur, quid ſit indulgentia per modum ſuffragij.* 473

Dub. V. *Vtrum conceſſa indulgentia plenaria defuncto ex legitima cauſa, & illi applicata, infallibiliter liberetur anima eius à tota pœna Purgatorij.* 478

Dub. VI. *Vtrùm ſit neceſſarium ad hoc, vt anima Purgatorij conſequatur indulgentiam; vt qui pro illa exercet opus præſcriptum à Papa, ſit in gratia.* 481

Dub. VII. *Vtrùm poßit Sum. Pontif. concedere defuncto indulgentiã huius Bullæ propter aliquod bonũ opus, quod fecit in vita, abſque eo, quod præcipiat eleemoſynam, aut aliud bonum opus fieri pro illo.* 484

Dub. VIII. *Vtrùm indulgentiæ huius Bullæ, & aliæ ſimiles proſint catechumenis non baptizatis exiſtentibus in Purgatorio?* 485

Dub. IX. *Vtrùm Epiſcopi poßint, tam iure diuino, quàm humano concedere defunctis indulgentias in ea quantitate, qua illas concedunt viuis.* 487

DISPVTATIO III. *In expoſitionem Bullæ Compoſitionis.* 490

Dub. I. *Vtrùm expeditio huius Bullæ compoſitionis ſit licita, & ſic compoſiti maneant ſecuri in conſcientia.* ibid.

Dub. II. *An Epiſcopi (ſecluſa prohibitione Papæ) poſsint in ſua Diœceſi facere prædictam compoſitionem pro ſuis ſubditis?* 494

Dub. III. *Vtrùm Principes ſæculares poſsint concedere ſuis ſubditis prædictam compoſitionem bonorum incertorum?* 496

Dub. IV. *An, ſi facta compoſitione, compareat verus Dominus, teneatur ſic compoſitus facere illi integram reſtitutionem rei?* 497

Dub. V. *An poſsit vti Bulla compoſitionis, qui iniuſtè accepit bona ex confidentia illius?* 499

Dub. VI. *An ſit ſufficiens cauſa ad vtendum Bulla Compoſitionis, quòd creditor ſit ita diſtans, vt nequeat debitum ad eum deferri.* 500

Dub. VII. *Quinam ſint caſus, in quibus valeat compoſitio circa redditus eccleſiaſticos?* 501

Dub. VIII. *Quinam ſint caſus, in quibus non liceat compoſitio circa redditus eccleſiaſticos?* 503

Dub. IX. *Vtrùm poſsit licitè concedi compoſitio pro medietate legatorum, prout concedit Pontifex in hac Bulla.* 504

Dub. X. *An locum habeat compoſitio circa bona, quæ Iudex accipit, vt iniuſtam ſententiam ferat?* 506

Dub.

Digitized by Google

Dub. XI. *An locum habeat compoſitio huius Bullæ circa bona accepta pro ferenda iuſta ſententia?* 508
Dub. XII. *Vtrùm Aduocati, Scribæ, Tabelliones, & alij miniſtri Iuſtitiæ indigeant Compoſitione, quando, vt ſua officia exerceant, recipiunt aliquid à parte?* 509
Dub. XIII. *Vtrùm in bonis per ludum male acquiſitis habeat locum Compoſitio?* 510
Dub. XIV. *An locum habeat compoſitio in bonis per fictionem acquiſitis, nec non in damnis ex venatione factis?* 512
Dub. XV. *Vtrùm qui teneatur ſub mortali reddere res inuentas, quas vocant, Moſtrencos? aut alia bona incerta, Ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, aut Sanctiſsimæ Trinitatis.* 513
Dub. XVI. *An Bulla Compoſitionis ſuffragetur etiam illi, qui ingentem pecuniæ ſummam à diuerſis accepit in ſtipendium pro Miſsis celebrandis.* 518
Dub. XVII. *Quo eadem materia continuatur, proponendo, & ſoluendo aliqua quæſita.* 527
Dub. XVIII. *Quo ſoluuntur rationes dubitandi initio dubij primi adductæ.* 531
Dub. XIX. *An ſit licitus vſus accipiendi iuſta ſtipiendia pro Miſſarum celebratione.* 536
Dub. XX. *An Miſſarum obligationes poſsint ad minorem numerum reduci à quo, & quomodo.* 545
Dub. XXI. *An Sacerdos vnico ſacrificio poſsit pluribus obligationibus aliquando ſatisfacere.* 550
Dub. XXII. *An ſi Sacerdos contra iuſtitiam ſeu obedientiam applicet alicui fructuum, ſit valida talis applicatio.* 557
Dub. Vlt. *Quo nonnullæ difficultates ſoluuntur, vt plenius præcedentes comprehendantur.* 563

APPENDIX.

Dub. I. *An liceat dum varietas opinionum probabilium occurrit, ſequi quamcunque, etiam minus probabilem.* 570
Dub. II. *An in aliquo caſu ſit neceſſario ſequenda opinio tutior.* 573
Dub. Vlt. *Quo proponitur triplex via pro explicatione præcedentis difficultatis.* 576

DISPVTA

Digitized by Google

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

IN TRES BVLLAS APOSTOLICAS, CRVCIATÆ, DEFVNCTORVM, & COMPOSITIONIS.

DISPVTATIO PRIMA

De expoſitione Bullæ Cruciatæ.

PRÆLVDIVM.

1. VNIVERSAM hanc diſputationem ad X. potiſſimùm capita reuocabimus, quæ etiam, maioris perſpicuitatis gratia, in varia dubia diſtribuentur.

In I. capite agendum eſt de perſonis, quæ poſſint vti Bulla.

In II. de requiſitis ex parte Sacerdotis, vt poſſit eligi in confeſſarium virtute Bullæ.

In III. de peccatis reſeruatis, à quibus virtute Bullæ poteſt quis abſolui.

In IV. de cenſuris, à quibus liberari poſſumus per Bullam.

In V. de priuilegiis tam circa tempus interdicti, quàm circa cibos prohibitos, vt lacticinia, oua, & ſimilia.

In VI. de commutatione votorum.

In VII. de praxi, & modo commutandi vota, tam virtute Bullæ, quàm cuiuſcunque alterius priuilegij.

In VIII. de indulgentiis, quas virtute Bullæ lucrari poſſumus.

In IX. de facultatibus quæ commiſſario Bullæ conceduntur.

In X. tandem erit ſermo de tempore, quo expirat Bulla; quibus peractis, expirabit etiam vniuerſa hæc diſputatio.

2. Sed antequam vlteriùs progrediamur, de ſignificatione, & origine huius nominis *Bulla*, aliquid dicendum duximus: de ea namque copioſè agunt Alciat. *lib.4. parergon iuris cap.18.* Alex.

Digitized by Google

Alex. ab Alex. *lib.2. dier. genial. cap.19.* Zaz. *l.2.ff.de orig.iur.num.*12. & Calep. *in Dictiion.* cum aliis, quos refert, ac ſequitur Enriq. *lib.7. de Indulg. cap.* 29. *litt. N.* Quia autem Bulla non expeditur à Pontifice, niſi cum magno conſilio, videtur dicendum, hoc nomen *Bulla* ἀπὸ τῆ βουλῆς, id eſt, à conſilio deduci. Vnde virtus εὐβουλία, quæ prudentiæ annectitur, benè conſiliatiua dicitur, de qua D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 48. *in fine,& quæſt.*49.*art.*4. *ad* 2. & Ariſtoteles 6. *Ethic.* Attamen hæc deriuatio non videtur omnino certa, quia Bulla cum duplici l.ſcribitur; βουλὴ verò non. Quapropter alij, vt huius nominis originem explicent, cenſent, & fortaſſe opportuniùs, nomen *Bulla* ſignificare figuram quandam auream. ad ſimilitudinem cordis formatam, quam olim Magiſtratus, triumphatores, & Patriciorum filij ad collum appenſam geſtare ſolebant, vt tradit Alex. ab Alex. *vbi ſuprà*, & à nobis etiam *in proœmio expoſitionis Bullæ Cœnæ* inſinuatur. Hinc autem ſigillum, quod à literis Apoſtolicis pendet, nomen Bullæ ſibi vendicaſſe, immo & ipſas literas Apoſtolicas Bullam appellari, deducitur ex quadam gloſſa *ver. aurea, in Clem.*1. *de iur.iur.* & docet Nauarr. *cap. accepta, de reſtit. ſpol. oppoſ.* 8. *num.* 23. & tradunt communiter Canoniſtæ *in cap. ad audientiam, de crim. falſ.*

3. Et ſi inquiras, cur Bulla dicatur Cruciata? reſpondent Sot. & Enriquez *vbi ſuprà* cum Platina *in vita Vrbani II.* & Tiraquell. *lib.*1. *de velo ſacr. cap.*17. & aliis multis, quos refert Enriq. *ibi*, propterea dici Cruciatam Bullam, quia ſimiles Indulgentias conceſſit Vrbanus II. militibus cruce rubea inſignitis, cùm ad recuperandam Terram ſanctam ſe contulerunt, vt habetur *in cap. ad liberandam*, quod olim extabat, *de Iud.& Sarac.*

CAPVT I.

De perſonis, quæ poſſunt vti Bulla.

DVBIVM I.

An ſit neceſſarium accipere Bullam per ſe, itavt non ſufficiat per alium.

1. CERTISSIMVM eſt, omnes, & ſingulos Chriſti fideles, qui in Hiſpaniarum Regnis, atque inſulis, illis adiacentibus commorantur, ſeu ad illa declinant, eſto inde poſtea diſcedant, poſſe Bullam Cruciatæ ſumere, & illius priuilegiis gaudere. Ita Roder. *in expoſit. Bull.*§.1.*num.*7. Enriq. *lib.7.de Indulg.c.*20.*num.*6. Anton.Gom. *in Bull. cap.* 3. *num.*1. Villalob. Minor *tom.*1. *tract.* 27. *clauſ.*1. *num.* 2. & habetur expreſsè ex verbis eiuſdem Bullæ. Controuertitur autem, an Bullam poſſit quis per alium ſumere?

2. Huic difficultati reſpondeo cum Rodriq. §.12.*num.*17. & aliis recentioribus, ſufficere, ſi per alium ſumatur; immò, etſi, me ignorante, ſit ab alio ſumpta nomine meo. Erit tamen neceſſarium, cùm ad notitiam illius deuenerit, vt ipſe ratam habeat talem Bullæ acceptionem: hîc enim habet locum illud ex reg. iur. in 6. *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato non eſt dubium comparari.*

3. Certitudo autem, quam quis debet habere, quòd fuerit Bulla nomine illius ſumpta, non debet eſſe metaphyſica, ſed moralis, immo ſufficit probabilis, aut probabilior opinio. Sufficit ſimiliter ſi Bulla per alium cuſtodiatur, arg. text. *in l.clauibus.ff.de contrah.empt.* Huiuſmodi enim actiones non ſunt adeò

Digitized by Google

adeò perſonales, vt nequeant per alium præſtari, atque ita tradunt Cord. *lib.5. quæſt.26.* Suarez *tom.4.diſp.52.ſect.7.n.5.* Enriq. *lib.7. de Indulg.cap.20.n.5.* Gom. *in Bull.pag.119.num.7.* & plures alij, cum Villalob *clauſ.12.num.22.* Si autem contigerit me accepiſſe Bullam, & per errorem patrem, vel amicum aliam accepiſſe nomine meo, probabile exiſtimo, poſſe me, vel accepta ſtipe, vel gratis vnam earum alteri condonare, quæ non minus proderit illi, quàm ſi illam immediatè à depoſitario accepiſſet. Ita Enriquez *lib.7.de Indulg.cap.20.num.6.* & Rodr. §.10. cuius ratio eſt

Prima, quia quandiu non acceptaui applicationem, eſt in pendente Bulla, atque adeò poteſt in alium transferri, accepta etiam ſtipe.

Secunda, quia Pontifex neminem vult grauari acceptione plurium Bullarum, cùm vnica illi ſufficiat. Ergo cùm quis per errorem habet duas, poteſt iacturam reſarcire, accipiendo pecuniam pro altera, & inſcribere in ea nomen alienum, proprio deleto.

4. Nec hoc certè erit mutare literas Apoſtolicas, vt quidam aiunt, ſed quod ex ignorantia factum erat, corrigere; idque in ſimili licere docet Card. Tolet. *in ſua ſum.* & Gerſ. *2.p.alphab.32.* & Nauarr. *cap.27.num.62.§.6.* Dixi notanter, *per errorem:* nam ſi quis ſcienter duplicem ſibi ſumpſiſſet Bullam, non poteſt vnam earum alteri applicare, vt docent multi DD. quos refert, & ſequitur Enriquez *lib.7.cap.8.§.1.* quia ex voluntate eius, vtraque fuit illi applicata; & gratia perſonalis non poteſt tranſire in alium, quod non contingit, quando per errorem duplex Bulla ſibi aſſumitur, quia tunc vna ſolùm eſt illi applicata, illa nimirum, quam ipſe ſumpſit.

5. Sed obiicies, quia facultas concedendi Bullas emanat à Papa, & à Commiſſario per deſignatos ab eo, & per ſubdelegatos miniſtros. ergo Bulla data ab illo particulari, non proderit alteri.

Reſpondeo, etiam tunc illam Bullam dari per delegatos à Commiſſario, non immediatè, ſed mediatè, & hoc ſufficit.

DVBIVM II.

An qui amiſit Bullam, poſſit gaudere priuilegijs illius.

1. Ratio dubitãdi deſumitur ex verbis ipſius Bullæ, quæ ſic habet: *Dummodò tamen infraſcriptum ſummarium receperint, & penes ſe habeant.* Vnde Rodriq. §.12. *num.17.* in partem negantem inclinare videtur.

2. Sed verius exiſtimo cum Enriq. *lib.7.c.20.num.5.* Villalob. *clauſ.12.n.22.* & aliis grauiſſimis recentioribus, Pontificem, aut Commiſſarium non velle, eum, qui ſemel accepit Bullam, illa inculpatè amiſſa, vel combuſta, fraudari bono illius; ſed ſolùm intendunt per illa verba, vt de poteſtate depoſitarij tranſeat in poteſtatem recipientis, vel alterius pro ipſo, ſiue poſtea illam amittat, ſiue non. Atque huius rei duplex ratio aſſignatur in Bulla.

Prima, vt cuilibet conſtet, quid ſibi per Bullam concedatur, & docere poſſit, qua facultate gratiis ipſius Bullę vtatur.

Secunda, quoniam ex eo, quòd Bullæ relinqui conſueuerant apud depoſitarium, plures fraudes exercebantur, applicando eaſdem aliis: & ad euitandum hoc malum, addita ſunt prædicta verba.

3. Hinc ad eundem finem in inſtructione Cruciatæ, teſte Rodr. *vbi ſuprà,* collectoribus præcipitur ſub pœna triginta aureorum, & inhabilitatis ad munus Cruciatæ exercendum, ne repetant, aut recipiant prædictas Bullas iam diſtributas, & quòd nomina ſuſcipientium in illis inſcribantur ſub pœna excommu-

Digitized by Google

communicationis. Verum eſt tamen, quòd ſicut ad valorem Bullæ, non opus eſt, iam dediſſe duos argenteos, ſed vel dediſſe, vel creditos fuiſſe, vt vſus ipſe declarat, ita etiam non opus eſt, nomen eſſe inſcriptum.

4. Et, ſi obiicias, quod in ſummario vulgari dicitur, *Y por quanto, vos fulano diſtes dos Reales, y va eſcrito en ella vueſtro nombre*, &c. Ergo opus eſt, habere in Bulla inſcriptum nomen.

Reſpondeo in Bulla Latina non exigi talem inſcriptionem. Quod ſi in ſummario vulgari exigitur, non eſt tanquam neceſſarium ſimpliciter ad gaudendum Bulla, ſed vt aliquid, quod regulariter ita ſit.

5. Obiicies iterum, quia in Bulla expreſsè habetur, neminem poſſe eiuſdem priuilegiis gaudere, niſi ſummarium recipiat, atque illud penes ſe habeat.

Reſpondetur, concedendo actualem ſummarij acceptionem adeò eſſe neceſſariam, vt alioquin Bullæ gratiis nemo gaudere queat, quantumuis habeat animum illam accipiendi: immo, eſto eius nomen ſit in Bulla inſcriptum. Ita Nugnus *in 3. p. tom. 2. tract. de Bull. §. in fin.* Gom. *clauſ.* 11. *n.* 12. *&* 13. Acoſt. *q.* 12. Veg. *ſum. tom.* 2. *cap.* 7. *caſ.* 23. & communiter omnes. Quò autem ad retentionem eiuſdem penes ſe; reſpondetur, ſatis eſſe, quòd de poteſtate depoſitarij tranſeat in poteſtatem recipiẽtis, ſeu alterius pro ipſo, vt conſtat ex dictis, nam res aliqua penes me eſſe dicitur, quæ in domo mea eſt. arg. *l. Titia cùm teſtamento. §. Gaius. de legat.* 2. atque *ibi* Bart. & alij.

6. Obiicies tertiò, Indulgentias olim granis benedictis, & nunc figuris pariter benedictis conceſſas nemo conſequitur, ſeu lucratur, niſi eiuſmodi grana, ſeu figuras penes ſe habeat, vt tradit Enriq. *loco cit.* Igitur idem videtur ſentiendum de indulgentiis, ſeu priuilegiis Cruciatæ.

Reſpondetur, negando conſequentiam; gratiæ namque granis, ſeu figuris benedictis conceſſæ, ſunt illis quodammodo per benedictionem affixæ, atque ideo, niſi quis eiuſmodi grana, ſeu figuras penes ſe habeat, non conſequitur indulgentias; ſummario autem Bullæ non alliguntur priuilegia virtute Cruciatæ conceſſa, vt conſtat, ſed ſolùm requiritur, vt ſumatur ob rationes ſuperiùs inſinuatas. Atque iuxta hunc ſenſum poteſt dici, quòd eius ſuſceptio ad priuilegia Cruciatæ cõſequenda requiratur tanquam conditio, ſine qua non.

7. Quare ex dictis apertè colligitur, ad gaudendum priuilegiis Bullæ non opus eſſe illam ſecum deferre, vt nonnulli falsò putauerunt, ſed ſufficiet, in loco quantumuis diſtanti, illam habere: nam ſicut quis dicitur habere domum, licèt illa ſit in diſtantiſſimo Regno, ita & Bullam, ſeu eius ſummarium, quod ſatis comprobat communis vſus, qui nec à doctis viris, nec à Bullæ Commiſſario vllatenus reprobatur.

DVBIVM III.

Vtrùm Bulla accepta nomine Hiſpani ſubditi Regis, ſed extra eius ditionem commorantis, proſit illi; atque idem quæritur de eo, qui nec Regis Hiſpaniarum ſubditus eſt, nec in eius Regnis commoratur.

1. NOnnulli recentiores tenent partem affirmatiuam, &

Quoad priorem partem, ducuntur, quia finis præcipuus huius conceſſionis, eſt ſubſidium Regi Catholico pro belli expenſis datum, vel à ſuis ſubditis, vel ab aliis, qui tamen ad eiuſdem Regis Regna declinant. Igitur cùm Hiſpanus, licèt extra Hiſpaniarum Regna commoretur, ſit Regis Catholici vaſallus, atque illi ſubditus, non eſt cur Bulla

Digitized by Google

Bulla Cruciatæ priuetur. Secundò, quia, vt conſtat ex *cap. Dominus* 32. *queſt.* 7. exceptio firmat regulam in contrarium, quam declarat Sylu. *verb. Alienatio.* 11. Sed in Bulla Latina excipitur priuilegium veſcendi oua, & lacticinia, atque etiam carnes de vtriuſque Medici conſenſu pro iis, qui extra Regna commorantur; ergo reliqua priuilegia poterunt illis prodeſſe.

2. Quò autem ad poſteriorem partem, ducuntur, tum quia ſi alienigena accedat, poſſet vti Bulla, eſto ad rationem ſuam mox diuerteret, vt omnes fatentur, & ratio ipſa docet; quoniam priuilegium perſonale ſequitur perſonam, prout habetur *de reg. iur. in 6.* ergo idem videtur dicendum, ſi talis alienigena mittat alium vt ſuo nomine Bullam ſumat; neque enim, vt Bulla quis gaudeat, opus eſt, quòd illam per ſeipſum accipiat, ſed ſufficit, ſi per alium ſumat, vt conſtat ex dictis *dubio* 2. *præcedenti.* Tum etiam, quia ratio conceſſionis non conſiſtit in eo, quòd extranei perſonaliter in Hiſpaniam ſe conferant, ſed in eo, quòd præfixam eleemoſynam impendunt; præcipuus enim finis illius, eſt ſubſidium pecuniale in gratiam Regis impenſum, vt diximus. Ad hoc autem impertinens eſt, quòd ſit ſubditus Regi, vel non: aut quòd per ſe, ſeu per alium Bullam accipiat.

3. Neque obſtare videtur, ſi dicas in Bulla ſolùm fieri mentionem de iis, qui in Regnis Hiſpaniarum commorantur, ac de iis, qui ad eadem Regna declinant.

Reſpondetur item, Pontificis intentionem ſolùm fuiſſe, quòd in prædictis Regnis duntaxat fieret publicatio, cùm Bulla expediatur in fauorem Regis Hiſpaniarum, huic tamen fini maximè conſonum eſt, vt quicunque velit, ibi diploma accipiat, ſiue perſonaliter adueniat, ſiue pro ſe alium mittat.

4. Hæc opinio videtur mihi probabilis; vnde oppoſitam non ſolùm probabiliorem, ſed abſolutè tenendam exiſtimo, eam tuentur Rodr. *in expoſ. Bullæ.* §. 1. *n.* 7. Enriq. *vbi ſuprà n.* 6. Gom. *in Bull. c.* 3. *n.* 1. & Villalob. *clauſ.* 1. *n.* 4. & communiter omnes. Ratio eſt, primò, quia ex verbis Bullæ id manifeſtè colligitur; ſolùm enim conceditur iis, qui in Hiſpaniarum Regnis, atque inſulis adiacentibus commorantur, necnon iis, qui ad eadem Regna, ſeu inſulas declinant, & conſequenter ij, qui ibi perſonaliter non exiſtunt, vel eò perſonaliter nō adueniunt, dicta Bulla gaudere nō poſſunt: Bullæ enim tãtum valent, quantũ ſonãt.

5. Et deinde, quamuis DD. non ſpernendi ſentiant, priuilegia Cruciatæ latè eſſe interpretanda, id tamen intelligitur, quantum verborum proprietas permittit, & nō amplius, vt tenet Villalob. *ſuprà num.* 7. ac propterea non eſt dicendum, quòd Cruciatæ fructu gaudere poſſint, niſi perſonæ ibi expreſſæ.

6. Demum obſeruare oportet, priuilegia aliquãdo concedi in fauorẽ illius, qui diſpenſaturus eſt, & tunc latè ſunt interpretanda; aliquando autẽ in fauorem diſpenſati, & tunc regulariter ſunt ſtrictè interpretanda. Hinc deducit Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.* 2. *n.* 7. priuilegia Cruciatæ eſſe ſtrictè interpretãda, quòd nō ſint priuilegia, ſeu beneficia perſonæ diſpenſantis, ſed perſonæ Bullam accipientis. Idem ſentit Nauarr. *lib.* 1. *conſil. tit. de iur. iur. in* 1. *edit. conſil.* 3. *num.* 6. *in* 2. *verò edit. conſil.* 1. *n.* 6. atque etiam Enriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 1. Igitur non ſunt beneficia, & priuilegia Cruciatæ extendenda, niſi ad perſonas, quarum ibi expreſſa ſit mentio.

7. Quapropter ad omnia in contrarium adducta reſpondetur, non eſſe recurrendum ad coniecturas, ſeu præſumptiones, dũ verba legis ſunt clara. Vnde

Ad primum, quoad priorem partem, negatur conſequentia, quoniam licèt

Digitized by Google

Hiſpanus extra Hiſpaniarũ Regna conſiſtens, ſit illius Regis vaſallus, niſi tamen perſonaliter eò accedat, non gaudet priuilegio Cruciatæ, cùm alioquin verba conceſſionis de illo non verificentur.

Ad ſecundum negatur ſimiliter conſequentia, quia ſolùm concludit de iis, qui poſt acceſſum ad Hiſpaniarum Regna; inde diuertunt.

8. Argumenta etiam quoad poſteriorem partem facilè diluuntur: nam

Ad primum etiam negatur conſequentia, quia eſto ſit verum, quòd Bullam poſſit quis per alium ſumere, id tamen ſolùm verificatur reſpectu illius, qui in Hiſpaniarum Regnis commoratur, vel ad ea accedit, & non aliter.

Ad ſecundum dico, nihil concludere, quia eſto ad ſubſidium prætenſum parum referat, quòd accipiens Bullam ſit Hiſpanus, vel alienigena, illámque vel per ſe, vel per alium ſumat, attamen, vt fructu eius quis gaudeat, neceſſariò requiritur, vt tempore, quo Bulla pro illo accipitur, ipſe in Hiſpaniarum Regnis commoretur; ſic enim ſonant expreſsè verba ipſius Bullæ, quibus omnino ſtandum eſt.

Dvbivm IV.

Vtrùm Bulla prodeſſe poßit illi, qui tempore acceptionis erat excommunicatus.

1. Ratio dubitandi poteſt eſſe, quia, vt conſtat ex *c.* 1. *de reſcript. in* 6. literæ Apoſtolicæ, vel reſcriptum impetratum per excommunicatum ſuper alio articulo, quàm excõmunicationis, non valet, vt videtur deduci ex *cap.* 1. *de reſcript. in* 6. & communiter docent DD. cum Ang. *verb. excommunicatio, vlt.* §. 14. & *verb. reſcriptum.* §. 2. Sylu. *ibi queſt.* 2. & Nauarr. *cap.* 27. *n.* 22. & 23. ergo, &c.

2. Sed reſpondeo, Bullam prodeſſe ei, qui excommunicatus illam accepit. Probatur

Primò, quia alterũ priuilegium Bullæ eſt, vt à cenſuris poſſit abſolui. ergo poteſt excommunicatus accipere Bullam.

Secundò, quia in Bulla ſunt multa priuilegia, quę cum excommunicatione nulla ratione pugnant. ergo poteſt quis gaudere illis, quantumuis excommunicatus illam accipiat, immò, ſi contritus ſit, eſt valde probabile, poſſe lucrari indulgentias, & gaudere aliis Eccleſiæ ſuffragiis, vt docet Nauarr. *c.* 27. *num* 18. cum aliis DD. de quo nos *infrà*. Quòd ſi accipiens Bullam ſit in peccato mortali, etiam gaudet omnibus priuilegiis Bullæ, quæ ſe compatiuntur cum peccato mortali; quod dixerim propter indulgentias, quas exiſtens in peccato mortali lucrari non poteſt, vt *infrà* dicemus.

3. Ad rationem verò dubitandi reſpondeo, quòd literæ diplomatis non fuerunt tunc impetratæ per excommunicatum, nec præcipuè in fauorem illius, ſed Regnorum Regis Hiſpaniæ pro ſubſidio belli. Ita Rodriq. *in addit.* §. 1. *num* 10. & Villalob. *ſuprà num* 6.

Secundò reſpondeo nihil mirandum eſſe, quòd excommunicato poſſint literæ Apoſtolicę prodeſſe, cùm in multis caſibus tales literæ Apoſtolicæ impetratæ per excõmunicatum proſint illi, quod notauit Geminian. *c.* 1. *de reſcr. in* 6. vt refert Ang. *verb. reſcriptum,* §. 1.

Dvbivm V.

An qui ex confidentia Bullæ incidunt in peccata reſeruata, poßint gaudere priuilegio illius ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione reſeruatorum.

1. Partem negantem tenent quidam Iuriſperiti cum Ioanne Lupo *in cap.*

Digitized by Google

cap.per veſtrat.§.10.*de donat.* & Couarr. 2.*variar.cap.*2.*num.*26.Oroſ.*opuſc.*1.*dub. diffic.*Felin.*in ſerm.de Indulg.verſ.*3.*Card. S.Sixti.* §.*in Leuitico num.*83. & Balt. *in margar.conf.fol.*269. & inter Theologos ſequuntur illam D.Anton.1.*parte tit.*10. §.5.*cap.*3. Armill.*verb.Indulgentia,in fin.* Tab. *ibi num.*24. & Archid. apud Sylu. *ibidem quaſt.*10.*p.*5. dum dicunt priuilegiatos ſic eſſe abſoluendos: Abſoluo te à peccatis,&c. præter ea,quæ ex confidentia huius indulti commiſiſti. His accedit Cord. *in ſum.quaſt.*22. vbi reſolutoriè,& indubitanter tenet hanc ſententiam.

2. Probatur primò ex *cap.quando, de conſecr. d.*4. *& cap. illud, de clerico excommunicato miniſtrante, & ex l.*1. §. *hac autem actio.ff.ſi quis teſtam.* & Lactant. 6. *diuin.inſtit.* vbi ait,quòd quamuis eleemoſyna deleat peccata, non tamen illa deleri, ſi quis ex confidentia illius peccauerit. Quæ omnia ad hoc propoſitum adducit Couarr.*vbi ſuprà*; ſed magis vrget text.*in cap.nulli,de ſentent.excommun.* vbi probant DD. non valere priuilegium, quod aut probet materiam delinquendi, aut reddat homines audaciores ad peccandum,& fauet commune axioma: Qui abutitur priuilegio, priuatur eo.

3. Secundò probatur, quia in Bulla dicitur,non lucrari illum indulgentiam plenariam in articulo mortis, qui ex confidentia illius factus fuerit negligentior. ergo à fortiori non gaudebit beneficio abſolutionis à reſeruatis, qui fiducia illius in reſeruata incidit. Patet conſequentia, quia maius priuilegium eſt abſolutio à reſeruatis, quàm indulgentia plenaria: ergo ſi à Pontifice tollitur indulgentia plenaria,propter fiduciam prædictam, à fortiori credendum eſt, velle etiam tollere abſolutionem à reſeruatis ex tali fiducia commiſſis.

4. Tertiò probatur, quia, vt docent communiter DD. cum Couarr. *vbi ſuprà*,& aliis relatis à Nauarr.*cap.*25.*n.*12. qui delinquit propè Eccleſiam ſpe immunitatis, non gaudet immunitate, & qui peccat cum conſanguinea ſpe matrimonij, priuatur ſpe diſpenſationis, per Trident. vt docet Nauarr. *cap. ſi quando, de reſcript.* ergo ſimiliter qui peccat ex fiducia Bullæ, priuatur ipſo priuilegio.

5. Quartò, quià in generali conceſſione non veniunt intelligenda,quæ veriſimiliter non eſſet quis in ſpeciali conceſſurus, vt conſtat ex *cap.in generali,de reg.iur.in* 6. *& in cap. ſi Epiſcopus,de pœnit. & remiſſ. eod. lib.* Sed nulli illo modo peccanti concederet Papa in ſpeciali tale priuilegium, vt ex ſe conſtat, quia non eſt credendum, quòd concederet alicui quod ei eſſet incentiuum peccati,cuiuſmodi videtur eſſe facultas abſoluendi ab iis, quæ cum talis facultatis committuntur fiducia; ergo cenſendum eſt, de facto non concedi ab eo in Bulla; ſemper enim eſt facienda interpretatio, vt vitetur delictum, iuxta *l.*1.*C.de his,qui.* §.*ſi fundum.*

5. Verùm, his non obſtantibus, reſpondeo,dicendum,contrariam ſententiam eſſe veriorem, & magis receptam, quam ſequuntur multi recentiores,cum Bellarm.*de Indulg.lib.*1.*c.*10.*fin.*Ledeſm. 2.*p.*4.*quaſt.*29.*art.*1. Idem ſignificat Nauarr. *cap.*6.*num.*4. *& tract.de Iubil.notab.* 34.*num.*4. Sà *in aphoriſm verb.Indulg.fin.* Filliuc. *tom.*1.*tract.*8.*c.*10.*q.*8.*num.*262. necnon Curiel. *de Iubil. pag.*91. quem refert, & ſequitur Rodriq. *in Bull.* §.9. *num.*99. Acoſt.*quaſt.*43. & Cord. etiam *lib.*5.*quaſt.q.*37.

6. Probatur primò, quia in multis priuilegiis exprimitur, indulgentiam non valere, ſi eius confidentia delinquatur, teſte Nauarr. §. *in Leuit. not.*3. *num.*7. & Cord. *eod.lib.*5.*de Indulg.q.*37. *propoſitione* 3. & patet expreſsè in Bulla

Compoſi

Compoſitionis. Sed exceptio firmat regulam in contrarium, ex text. *in cap. Dominus* 32. *q.*7. ergo vbi non exprimitur non prodeſſe priuilegium ei, qui ex fiducia illius peccat, ſemper valebit. Patet conſequentia, quia priuilegium latè eſt interpretandum, & maximè in fauorabilibus, quæ non ſint in præiudicium tertij, vt latè probat Cord. *lib.*5. *de indulg. q* 9. *propoſ.*3. ergo non eſt, cur hoc priuilegium limitetur ad peccata, quæ patrata non ſunt ex fiducia Bullæ.

7. Secundò, quia peccata cõmiſſa ex fiducia confeſſionis, aut Baptiſmi, remittuntur per eadem Sacramenta, Religioſi etiam peccantes ex fiducia ſuorum priuilegiorum poſſunt per illa abſolui; ergo eadem ratione poterit quis virtute Bullæ abſolui à peccatis, in quæ prolapſus eſt ex fiducia eiuſdem Bullæ.

8. Tertiò, quia vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, vt colligitur ex *cap. ſi Euangelica. d.*55 *& ex cap. ſolitæ*, §. *nobis autem, de maior. & obed.* & ex gloſ. *cap. conſuluiſti* 2. *q.* 5. *& cap. Saluator* 1. *q.* 3. *verſ. indefinitè*, & ſumitur argumentum ex *cap. porrò, & cap. cùm & plantare, de priuileg.* Sed ſic eſt, quòd Bulla non diſtinguit de peccatis commiſſis ex confidentia; ergo nec nos diſtinguere debemus.

9. Quare omnino reiiciendam puto diſtinctionem Cordubæ 5. *de indulgent. q.*37. *propoſ.*7. quam ſequuntur quidam moderni, & acceptat Rodriq. *vbi ſuprà*, aſſerens, quòd peccare ex confidentia contingit dupliciter.

Primò, vt Bulla ſit quaſi cauſa motiua, & quaſi per ſe primò, vt ſi diceret quis: Occidamus illum, vel percutiamus Clericum, quia Bullam habemus per quam poſſumus abſolui.

Secundò quòd non perſonaliter moueat, ſed tantùm facilitet; quia ſi non haberet tam facile remedium, non peccaret: dicit ergo, quòd qui hoc ſecundo modo peccat, abſolui poteſt per Bullam, etiamſi expreſsè dicatur in Bulla, quòd non poſſit abſolui à peccatis commiſſis ex confidentia, quia illo modo delinquere, non eſt propriè ex confidentia peccare. Qui verò primo modo peccat, abſolui non poteſt, quia talis fiducia eſt cauſa motiua, & impulſiua peccati, & ſic daretur incentiuum & anſa ad peccandum.

10. Sed talis diſtinctio in primis eſt inutilis, & nociua; quia infinitos pareret ſcrupulos, cùm difficillimè quis poſſet agnoſcere ex qua fiducia peccauerit, ex prima, an ex ſecunda, eſſétque illaqueare animas. Deinde illa diſtinctio ſupponit, eam fiduciam eſſe cauſam motiuam peccati, quod apertè eſt falſum; cùm ſolùm ſit conditio, ſine qua quis fortaſſe non peccaret, remouens ſcilicet, vel prohibens difficultatem remedij, quæ animam à peccato retardabat. Et tandem hanc diſtinctionem apertè improbant rationes allatæ pro noſtra ſentẽtia. Doctores autem Theologi (vno dempto Cord.) quos pro contraria ſententia adduximus in principio huius dubij, cùm dicunt, abſolutionem virtute priuilegij faciendam eſſe, excipiendo peccata ex confidentia priuilegij commiſſa, loquuntur in caſu quo exprimatur in illo, non eſſe abſoluendum à peccatis ex confidentia commiſſis, vt olim fieri ſolebat; teſte Nauar. §. *in Leuitico, notab.* 3. *n.*7.

11. Ad primum in contrarium reſpondeo, textus illos ſolùm probare, eum qui ex ſpe veniæ, promptior ſit ad delinquendum, abuti beneficio, dignúmque eſſe priuatione illius, non tamen actu eſſe illo priuatum. Lactant. autem rectè interpretatur D. Thom. & Caiet. 2. 2. *q.* 21. *art.* 2. *ad* 3. Ad text. verò *in c. nulli*, reſpondeo id intelligi de priuilegio, quod ex natura rei, & non ex vitio priuilegiati occaſionem præbet delin

Digitized by Google

delinquendi. Ad illud etiam iuris axioma reſpondetur, quòd ſicut peccator (vt inquit D. Auguſtinus,) eſt indignus pane, quo veſcitur, & non tamen actu priuatur illo; ita, qui prætextu priuilegij peccat, dignus eſt eo priuari, ſed nõ actu priuatur, niſi id in illo exprimatur.

12. Ad ſecundum reſpondeo, quòd potiùs ex illa ratione probatur noſtra ſententia. nam cùm exceptio firmet regulam in contrarium, vt *ſuprà* diximus, & Summus Pontifex ſolùm excipiat indulgentiam plenariam in articulo mortis, quam dicit non lucraturum eum, qui ex confidentia illius, negligentior factus eſt licentioſiùs viuendo, non eſt, cur illam extendamus ad abſolutionem à peccatis, cùm odia potius ſint reſtringenda, quàm extendenda, ex *reg. iur. in* 6.

13. Ad tertium reſpondeo, illam opinionem Couar. & aliorum de immunitate, eſſe falſam, vt docet Nauarr. *c.* 25. *num.* 22. & Ledeſm. *ſuprà*; & videtur colligi ex textu, & gloſſa *cap. fin. de immunit. Eccleſ.* Dicendum igitur eſt, eum, qui in Eccleſia, vel propè eam delinquit, priuari quidẽ immunitatis priuilegio, non quia peccauit in ſpem immunitatis, ſed quia in eo, quo quis deliquit, puniri debet, vt habetur ex *c. fin. de immun. Eccleſ.* vbi etiam Põtifex pro ratione aſſignat, quòd fruſtrà legis auxilium inuocat, qui peccat in legem. Illud verò de matrimonio, fatemur, ita verum eſſe ex ſpeciali Tridentini decreto; in noſtro autem caſu nullum tale decretum eſt.

14. Ad quartum reſpondeo, quòd etiam id concedi ſolet in ſpeciali ad vitandos ſcrupulos, & alia ſimilia inconueniẽtia. Nam in aliquibus Bullis olim habebatur, earum virtute poſſe abſolui, etiamſi earum fiducia peccaretur. Quare ex eo, quòd talis clauſula modò non apponatur, nullum fit argumentum contra noſtram ſententiam, quia, vt dixi, ſolùm ponebatur ad vitandos dumtaxat ſcrupulos.

Dubium VI.

Vtrùm accipiens Bullam, credita ſibi pecunia, gaudeat illa, ſi poſtea præ nimia paupertate, nec reuera ſoluat, nec ſpem vllam ſoluendi habeat.

1. Videtur ſanè non poſſe talis gaudere Bulla à tempore, quo omni ſoluendi ſpe caruit.

Primò, quia præcipuus finis Bullæ, vt ex illa cõſtat, eſt eleemoſynæ elargitio in ſubſidium belli contra infideles; ergo eſt apertè contra intentionem Pontificis, aliquem gaudere Bulla, pro qua talem eleemoſynam non fuerit elargitus.

Secundò, quia, ad gaudendum Iubilæo, oportet exequi in illo requiſita; ergo, & ad gaudendum Bulla: at alterum requiſitum, & principalius quidem, eſt elargitio duorum argenteorum. ergo qui totaliter caret ſpe illos elargiendi, neque in re vnquam illos elargitur, non poteſt gaudere Bulla.

2. Sed nihilominus reſpondeo, in prædicto caſu illum gaudere Bulla. Ratio à priori eſt, quia licèt in rei veritate, ille nunquam habeat talem pecuniam, neque illam per ſeipſum ſoluat; ſoluit tamen de facto illam depoſitarius, aut diſtributor Bullæ. nam ipſe manet obligatus ad ſoluendum duos argenteos pro ſingulis Bullis, quas diſtribuit; & ideo cautum eſt apud eos, non præbere Bullas illis, de quibus timetur, quòd nulla ratione poterunt prædictam eleemoſynam elargiri, ne aliàs ipſi grauentur ſoluentes pecuniam, quam alius erogare tenebatur. Quare, cùm ille bona fide acceperit Bullam, & de facto depoſitarius eroget præfixam eleemoſynam pro eo, iure cenſetur

cenſetur talis poſſe vti Bulla, & omnibus eius priuilegiis.

3. Ad duplicem rationem dubitandi, negamus illum non dare prædictam eleemoſynam; nam quamuis non det illam per ſe, dat tamen illam per depoſitarium, qui ſponte ad id ſe obligauit, cùm traditæ fuerunt ei Bullæ ad faciendam prædictam diſtributionem, atque ita inſinuat Villalob. *clauſ.11.n.16.* ſecutus Henriq. *lib.7. de indulg. num.5.* Verum tamen eſt quòd ſi quis per fraudem id faceret, fortè non gauderet Bulla, vt patebit ex dubio ſequenti.

Dubium VII.

Vtrùm, qui furatur pecuniam ad ſumendam Bullam, proſit illi Bulla ex tali pecunia accepta.

1. Videtur, quòd ſic, quia nihil refert, quòd quis per actum malum moraliter, accipiat Bullam, quominus poſtea gaudere poſſit eius priuilegiis: ergo licèt ille ſumens Bullam aliena pecunia per acceptionem Bullæ peccet, gaudebit tamen deinde priuilegiis illius.

Secundò, quia ſi quis per pecuniam furto habitam obtineret aliquod indultum vel à Nuncio, vel à Pontifice, vtputa diſpenſationem, aut quid ſimile, certè tale indultum illi valeret, licèt aliàs aliena pecunia acquiſitum. ergo ſimiliter, licèt quis accipiat Bullam pecunia furto habita, poterit gaudere priuilegiis illius.

2. Reſpondetur nihilominus cum Acoſta *q.12.* & Nugno *in 3. part. tom.2. tract. de Bulla*, eum, qui accepit Bullam pecunia furto habita, non gaudere Bulla. Probatur

Primò ex *l.1.ff. de furt.* ex qua id apertiſſimè colligitur. Idémque habetur ex *cap. non eſt putanda 1. q.1.* quoniam, vt inquit textus, qui ea intentione malè accipit, vt benè diſpenſet, potius grauatur, quàm iuuatur. Hoſtiæ enim impiorum abominabiles ſunt Domino. Vnde *Eccleſ.34.* ait Spiritus ſanctus, *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.*

Secundò, quia in Bulla communiter habetur hæc clauſula, ſi ex bonis ſibi à Deo collatis in hanc cauſam liberaliter contulerint: ſed ille non tribuit de ſuis bonis, ſed de alienis, inuito domino. ergo non implet conditionem requiſitam ad gaudendum Bulla, atque adeò non proderit illi.

Tertiò probatur, quia conueniens eſt, quantum fieri poſſit, vt nemo ex proprio peccato commodum reportet.

3. Sed obiicies primò. ergo falsò dictum eſt dubio præcedenti, gaudere illum Bulla, qui credita ſibi pecunia illam accepit, neque habet poſtea vnde ſoluat, cùm talis nihil de ſuis bonis erogauerit pro illa.

Reſpondeo depoſitarium, ſeu diſtributorem Bullarum ſponte ſe obligaſſe ad ſoluendum de ſuis bonis pro illo, & hoc ſufficit ad gaudendum Bulla, vt *ibidem* diximus.

4. Obiicies ſecundò, quia videtur, idem dicendum de meretricibus, cuius oppoſitum tenent Nugn. & Acoſt. *loc. cit.* & Veg. *ſum. tom.1. cap.43. caſ.7.*

Reſpondetur, negando conſequentiam, quia meretrices, licèt turpiter faciant peccando, non tamen turpiter recipiunt quæſitum, ſeu oblatum, vt communiter ſentiunt DD.

5. Ex quibus colligo primò, quòd ſi dominus illius pecuniæ ſciat, illam Bullam fuiſſe acceptam ſua pecunia, & id ratum habeat, exinde incipit valere Bulla illi, qui aliena pecunia illam accepit.

Colligo ſecundò, quòd tunc dominus pecuniæ poterit (ſi ratam non habeat talem acceptionem) ab alio ſurripere

Digitized by Google

pere Bullam tanquam rem ſuam, vtpotè ſua pecunia acquiſitam, & vti illa, cùm reuera nondum fuerit alteri applicata, quamuis nomen eius in ea eſſet inſcriptum.

Colligo tertiò, quòd ſi ille intra annum, quo durat Bulla, reſtituat pecuniam, quam conſumpſit pro accipienda Bulla, gaudebit quidem Bulla à tempore reſtitutionis, quia exinde incipit facere Bullam ſuam, & verificatur, contribuiſſe de ſuis bonis pro illa accipienda.

6. Ad primum reſpondetur, non impediri illi vſum Bullæ in prædicto caſu, ex eo quòd acceptio illius fuerit actus malus, & peccatum; ſed ex eo, quòd elargitio eleemoſynæ non fuerit ex bonis propriis, aut ex alienis ſibi condonatis: quod tamen neceſſariò requiritur in Bulla, tanquam conditio ad gaudendum illa.

7. Ad ſecundum reſpondetur, quòd alia indulta non conceduntur ſicut Bulla, ſub hac ſcilicet conditione, vt ex propriis bonis fiat contributio, & ſic licèt obtineantur pecuniæ furtim habitæ, valida erunt.

Hinc deducitur, quòd ſi in aliqua Bulla non poneretur illa clauſula, vt ſcilicet fiat elargitio eleemoſynæ ex propriis bonis, certè qui furaretur pecuniam, vt, v.g. duos argenteos, gauderet quidem Bulla, immò nec mortaliter etiam peccaret, per ſe loquendo, in furto illorum duorum argenteorum, iuxta opinionem probabilem aſſerentium, illam non eſſe ſufficientem quantitatem ad peccatum mortale in materia furti, vt probat Petr. Nauarr. *de reſtit. lib. 3. c. 1. à num. 30. vſque ad 39.* vbi multis DD. & rationibus probat, quantitatem minorem quàm quatuor argenteorum, non eſſe mortale, per ſe loquendo, hoc eſt, niſi aliàs perſona eſſet pauper; & idem iudicium faciendum eſt in materia paupertatis reſpectu Religioſorum, de quo alibi dicendum eſt.

Dubium VIII.

Vtrùm hæreticus, ſeu infidelis mentalis poſſit gaudere Bulla.

1. Ratio dubitandi prima eſt, quia in Bulla expreſsè habetur illam concedi Chriſti fidelibus; ſed hæreticus mentalis non eſt Chriſti fidelis, cùm diſceſſerit à fide catholica: ergo non poteſt gaudere Bulla.

Secunda, quia in ſummario vulgari dicitur, concedi illis, qui acceperint eam, *monidos del enſalçamiento de la fé*; ſed infidelis mentalis non accepit Bullam zelo fidei motus, cùm illam execretur, & potiùs velit Chriſti fidem omnino diſſipari. ergo talis non poteſt gaudere Bulla.

2. Sit prima concluſio. Chriſtianus, qui labitur in hæreſis crimen per exteriorem actum, dummodo pertinaciter illi adhæreat, non poteſt gaudere Bulla. Vnde, ſi diebus quadrageſimalibus lacticinia comedat, peccat mortaliter; & idem eſt ſi vtatur aliis, quæ ſine Bulla fieri non poſſunt abſque peccato. Hanc ſententiam probant rationes ſuprà tactæ, ſufficienter.

3. Secunda concluſio. Hæreticus purè mentalis videtur poſſe gaudere Bulla, & ſic virtute illius Miſſam audire tempore interdicti, lacticiniis veſci, & aliis ſimilibus frui, quæ in Bulla conceduntur.

4. Probatur primò, contra quoſdam recentiores, quia cùm ab Eccleſia fertur ſententia excommunicationis pro hæreticis, non veniunt intelligendi mentales, vt omnes fatentur. ergo ſimiliter, cùm per Bullam excluduntur ab eius vſu infideles, ſeu hæretici, nō debet intelligi de hæreticis purè mentalibus.

Digitized by Google

Secundò, quia licèt illi interiùs ſint infideles,& hæretici,non tamen quoad forum exterius. ergo non eſt, cur exteriori pœna puniantur,qualis eſt inhabilitas ad gaudendum Bulla reſpectu eius qui baptizatus eſt, & in Regnis Philippi commoratur.

Tertiò, quia illi poſſunt ab hæreſi mentali abſolui virtute Bullæ, quia, vt omnes concedunt, ſola exterior eſt reſeruata. ergo ſtat,eum qui caret habitu fidei, poſſe vti Bulla: ſuppono enim per Sacramentum illud infundi illi fidem & reliquos habitus infuſos.

Quartò, quia res hæc pertinet ad odia, ſed odia ſunt reſtringenda, & non amplianda,ex *reg iur.in 6.* ergo reſtringi debet verbum *infidelis*, aut *hæreticus*,ad exteriorem, & non ampliandum ad purè mentalem.

5. Ad primum reſpondetur,illos infideles purè mentales,licèt in foro exteriori non ſint Chriſti fideles,non tamen ſecundùm forum exterius, & hoc ſufficit, vt non priuentur facultate vtendi Bulla; quod ſecus eſt de hæretico exteriore, quia ille iam iudicari poteſt, ſecundùm forum exterius, quantumuis occultus: id enim eſt per accidens;ipſe namque hoc ipſo, quòd ſuam hæreſim manifeſtauit, expoſuit ſe exteriori Eccleſiæ iudicio.

6. Ad ſecundum reſpondetur, quòd etiamſi rigoroſè illa verba accipiantur, non opus eſt, Bullam accepiſſe ex ſpeciali illo zelo, ſed vtplurimum ſufficiet poſtea, illo zelo moueri formaliter,vel virtualiter:ſicut miles,qui vanitate motus militiæ nomen dedit, & poſtea exiſtens in bello habet prædictum zelum,gaudet ſine dubio priuilegiis Bullæ,quæ talibus militibus conceduntur.Deinde reſpondetur ſecundò,in clauſula illa non exigi, vt conditionem neceſſariam ad gaudendum Bulla, zelum illum, aliàs multi ruſtici non gauderent Bulla, qui licèt illam recipiant, in mentem tamen illorum non venit talis zelus,ſed commodum proprium.

Dvbivm IX.

Vtrùm Religioſi profeſſi quicunque, etiam Mendicantes,poſſint Bullam Cruciatæ licitè ſumere,eiúſque fructu gaudere.

1. Svppono hîc, non controuerti, an dictis Religioſis liceat virtute Cruciatæ eligere Confeſſorem pro abſolutione à reſeruatis,(de hoc enim latè dubio ſequenti diſputandum erit;) ſed controuerti ſolùm, an ſuſceptio Bullæ illis ſit licita pro lucrandis indulgentiis, & gratiis aliis conſequendis, quæ virtute Cruciatæ conceduntur.Rodr.*in expoſ.Bull.*§.1.*dub*.1.in partem negantem videtur propendere,niſi Bullam ſumant de Prælatorum licentia. Ducitur, quia ex doctrina D.Thom. *in addit ad 3.part. q.27. art.1.* Religioſi nequeunt contra Prælatorum voluntatem extra clauſtra egredi,nec aliquid impendere,quod regulari diſciplinæ,ſeu eorum profeſſioni repugnet, etiam ſub prætexu lucrandi indulgentias. Neque enim eſt præſumendum Pontificum intentionem eſſe, indulgentias concedere in diſſolutionem,ſed in ædificationem.

2. At,quoniam indulgentiæ,quæ in Bulla conceduntur, quantum ad remiſſionem pœnæ,maioris ſunt pretij,quàm regularis diſciplina, in ordine tamen ad meritum, & præmium tam eſſentiale, quàm accidentale illis correſpondens, maioris eſt valoris ipſa obedientia,quàm indulgentia; ideo ipſe Rodr. *ibidem* §.9.*num*.24. aſſerit, quòd ſi Religioſi quicunque abſque Prælatorum licentia Bullam ſumant, eſto id regulari diſciplinæ aduerſetur, poſſent tamen omnibus indultis per eam conceſſis, & regulari

Digitized by Google

regulari Obſeruantiæ non repugnantibus, frui, cuiuſmodi ſunt indulgentiæ quas lucrari quis poteſt, Altaria viſitando, aliáve opera pia præſtando. Neque enim ſubditi Prælatis ſuis obedire tenentur, niſi in iis, quæ ad regularem Obſeruantiam ſpectant. Vnde ſi in aliis etiam bonis obediant, id perfectionis argumentum potiùs exiſtit, vt docet D.Thom. 2. 2. *q.* 104. *& in epiſt. ad Rom. cap.* 13. quem ſequitur Nauarr. *cap.* 23. *num.* 38. Cord. *in ſuo quæſt. lib.* 5. *de indulg. q.* 13. *dub.* 2. cum aliis per eum citatis, exiſtimat poſſe Religioſos abſque ſpeciali ſuorum ſuperiorum licentia indulgentias lucrari, quia de iure communi hoc eis competit. Nec obſtat, ſi dicas, hinc ſequi, quòd poſſet Religioſus contra ſui Prælati voluntatem egredi extra Conuentum, & pecuniam etiam contribuere iuxta tenorem Bullæ, & ſic Religio deperiret. Reſpondet enim ipſe Cord. negando aſſumptum. Tum quia nequit Religioſus aliquid facere, quod ſit contra regularem diſciplinam, aut ſuæ profeſſionis tenorem, tum etiam, quia indulgentiæ non conceduntur ad diſſolutionem, vt dictum eſt *ſuprà*. Vnde infert, quòd de licentia ſui ſuperioris poteſt Religioſus clauſtra exire, aut eleemoſynam pecuniariam contribuere iuxta Bullæ tenorem: ſi autem ad lucrandas indulgentias quid inſuper requiratur, quod contra regularem diſciplinam non ſit, nempe orare, ieiunare, & ſimilia, tunc poteſt ſimiliter Religioſus ea facere abſque ſuperioris ſpeciali licentia, non tamen contra rationabilem eiuſdem prohibitionem, quia Pontifex indulgentias concedens, intendit, ſalua ſemper regulari Obſeruantia, & non aliter. Atque in hanc ſuam opinionem adducit Ang. *verb. indulg.* §. 22. Hæc tamen opinio videtur repugnantiam quodammodo includere, cùm priùs ſimpliciter aſſerat, Religioſum poſſe abſque ſui ſuperioris licentia indulgentias Bullæ lucrari: poſtea autem dicat, nec clauſtrum exire poſſe, nec pecuniam erogare abſque eiuſdem ſui ſuperioris facultate; niſi in priori parte interpretetur de indulgentiis, quas poſſet Religioſus lucrari intra clauſtra, & nulla præaſſumpta Bulla. Id autem nihil facit ad rem, de qua agimus. Quapropter ſit

3. Prima concluſio. Certiſſimum eſt poſſe omnes Religioſos, etiam Mendicantes, ſumere Bullam Cruciatæ pro lucrandis indulgentiis, & certis aliis gratiis conſequendis, quæ virtute eiuſdem Cruciatæ conceduntur. Hæc concluſio eſt communis, ita ſentiunt Cordub. & Rodr. *vbi ſuprà*, Acoſt. *q.* 106. Villalob. *clauſ.* 11. *num.* 27. *& ſeqq.* & plures alij *dub. ſequenti* citandi. Sed probatur in primis, quia prædicta omnia æquè conceduntur omnibus Chriſti fidelibus, qui in Regnis Hiſpaniarum, & inſulis adiacentibus commorantur. horum autem appellatione veniunt prædicti Religioſi. Deinde in Bulla ſic expreſsè habetur: *Capitula Eccleſiarum, monaſteria, & loca etiam Regularium, etiam Mendicantium, & tam fœminarum, quàm maſculorum, ſi pro decem perſonis eorundem Capitulorum & locorum vnum, nec pauciores, ſuis expenſis mittant.* Et paulò infrà addit: *Inſuper quoque tam prædictis omnibus, quàm illis, qui nec in hanc expeditionem ibunt, nec alios, vt prædictum eſt, mittant, ſi infra biennium prædictum ex bonis ſibi à Deo collatis in hanc cauſam liberaliter pro defenſione contulerint*, &c. Ex his autem ſatis apertè colligitur, Regulares omnes poſſe Bullam Cruciatæ ſumere, & fructu illius gaudere.

4. Secunda concluſio. Tenentur ſubditi à Prælatis licentiam ſumendi Bullam exigere; eam verò non debent Prælati ſubditis petentibus denegare.

Hanc concluſionem, quoad priorem

Digitized by Google

partem amplectuntur Rodr. Cord. & Villalob. *vbi ſuprà*. & eam probo ex eo, quia in Bulla Pij IV. in Hiſpaniarum Regnis ſub anno 1564. publicata concedebatur expreſsè Religioſis, vt eam abſque Prælatorum licentia ſumere poſſint, eadem tamen clauſula in Bulla anni ſequentis, & in aliis omnibus vſque nunc, dempta, ſeu omiſſa eſt. Hinc autem rectè fit argumentum, per talem omiſſionem inſinuaſſe Pontifices, non eſſe ſuæ intentionis, tantæ libertatis anſam Religioſis præbere. Et quidem, cùm Pontifices regularis Obſeruantiæ conſeruationem, & augmentum ſummopere exoptent, & curent, non eſt vllatenus præſumendum, quòd intendant indulgentias, ſeu quæuis alia indulta in eiuſdem regularis Obſeruantiæ præiudicium concedere; eſſet autem graue diſciplinæ regularis præiudicium, ſi Religioſis liceret, abſque ſuperiorum licentia, Bullam ſumere, & cætera exequi, quæ ibi præſcribuntur, vt patet ex adductis per Cord. & Rodr. *ſupra*.

Nunc, quoad poſteriorem partem probatur eadem concluſio.

Primò, quia in Bulla Cruciatæ derogantur omnia priuilegia contraria iis, quæ in dicta Bulla continentur, ſiue ſint conceſſa monaſteriis, ſiue ſodalitatibus, ſiue Eccleſiis, aut piis locis, ſeu Vniuerſitatibus, aut peculiaribus perſonis cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, cum quibuſcunque clauſulis ſolitis, & inſolitis, vt ipſam Bullam legenti facilè conſtabit. Igitur, cùm nullum priuilegium, contra Bullæ ſuſceptionem, robur habere poſſit, conſequenter dicendum videtur, nec ſuperiores debere, aut poſſe denegare ſubditis licentiam ſumendi Bullam pro lucrandis indulgentiis, & aliis etiam conſequendis, quæ regulari Obſeruantiæ præiudicium non inferunt, immò potiùs ſuffragantur.

Secundò, quia Prælatus non habet ius præcipiendi ſubditis aliquid, quod non ſit bonum vel in genere entis, vel in genere moris; ſed non ſumere Bullam, neque eſt bonum in genere entis, cùm ſit negatio, & conſequenter non ens, cui nulla competit bonitatis ſpecies; neque etiam eſt bonum in genere moris: animam enim cuiuſcumque priuare bonis, & gratiis per Bullam conceſſis, malum potiùs eſt. Igitur Prælati non debent, nec poſſunt ſubditis interdicere ſuſceptionem Bullæ, niſi ex rationabili aliqua circumſtantia occurrenti cohoneſtetur aliquando talis prohibitio: atque ideo expreſsè tenent hanc partem Rodr. §. 12. *n.* 15. & Acoſt. *loc. cit.*

5. Tertia concluſio. Probabilis videtur opinio aſſerens, quòd ſubditus, ſi prædictam petat licentiam, & ſibi denegetur, licitè poteſt Bullam ſumere, atque illius fructu gaudere, modò in reliquis ſuæ profeſſionis modificationes obſeruet. Prælatus autem, ſi licentiam huiuſmodi deneget, peccat, niſi ex rationabili aliqua circumſtantia aliquando excuſetur. Hanc concluſionem quoad vtramque partem tenent Acoſt. & Villalob. *ibidem*. Sed

Quoad priorem partem probatur; quoniam Prælatus non habet ius ad denegandam talem licentiam, vt habetur ex dictis concluſione præcedenti. Igitur ſubditus ex licentia petita, quamuis non obtenta, licitè poteſt Bullam ſumere, & indulgentiis virtute Bullæ conceſſis ſimiliter frui, quod non immeritò colligit Acoſt. ex D. Thoma, *in addit. ad 3. p. q. 27. art. 3. & in 4. d. 20.* & Palud. *ibi q. 4. art. 3.*

Quoad poſteriorem partem probatur. Tum quia Prælatus iniuſtè denegans (vt ſupponimus) ſubdito talem licentiam, priuat eum lucratione indulgentiarum, & conſequenter peccat grauiter.

uiter.

Digitized by Google

niter contra charitatem, immò & contra iuſtitiam, dum eundem priuat iure ſuo, id eſt, ſibi, ſicut & aliis Chriſti fidelibus, per Sedem Apoſtolicam beneficio virtute Cruciatæ conceſſo. Tum etiam, quia impedit executionem literarum Apoſtolicarum, quod eſt graue crimen. Dixi in concluſione, niſi ex rationabili cauſa aliquando denegetur, quoniam ſi id faciat ex legitima cauſa, excuſatur quidem, & nullum peccatum committit.

6. Sed quæres primò, an Fratres Minores regularis Obſeruantiæ poſſint ſimiliter ſumere Bullam Cruciatæ, cùm ex vi regulæ ſit illis prohibitum ad pecunias recurrere, niſi ob neceſſitatem præſentem, vel imminentem.

Author Compendij *tit. Cruciat. poſt* §. 5. *fol.* 49 *&* 50. negatiuè reſpondet, ductus, quia ob ſtrictam paupertatem, Fratres Minores profitentur, nec etiam totus Ordo habet auctoritatem concedendi alicui Religioſo, vt ad pecuniam queat recurrere, niſi pro vera, & manifeſta neceſſitate præſente, vel imminente ipſius Religioſi, ſeu Conuentus ſub pœna lethalis culpæ. Religioſis autem prædictæ Religionis non videtur neceſſaria Bulla, cùm ex vi ſuorum priuilegiorum poſſint gaudere gratiis omnibus per Bullam conceſſis.

Oppoſitum tenet Cord. *cap.* 4. *ſuper Reg. q.* 7. dicens, pro lucrandis indulgentiis, & ſumendis Bullis, ſeu Cruciatis, licitè poſſe pecuniam procurari, dummodo alia concurrant requiſita iuxta Pótificis declarationes neceſſaria. Idem ſentit Sorb. *in addit. ad Compend. verb. Cruciata, verſ. Deinde dico.* Rodr. §. 12. *n.* 16. & Villalob. *clauſ.* 12. *n.* 27. & mihi etiam videtur ſatis pium, præſertim ſi id fiat de ſuperiorum licentia; & probatur. Tum quia grande bonum ſpirituale eſt indulgentiarum acquiſitio, cùm ex vi earum, ac Bullarum, ſi licitè acquirantur, magnum quidem non ſolùm pœnæ, & Purgatorij malum, ſed periculum etiam peccati euitetur. Tum quia ſanctum, ac valde ſalubre conſilium eſt, ſalutem animæ variis modis procurare, atque ideo, eſto Religioſi ex vi ſuorum priuilegiorum poſſint animas ſuas à pœnis Purgatorij liberare; id etiam aliis viis procurare, ſanctum, ac meritorium eſt. Tum quia ſi neceſſitas corporalis ſufficiens cauſa eſt, (vt omnes fatentur) pecuniam procurandi, abſurdum eſſet, idipſum de neceſſitate ſpirituali inficiari, ac potiſſimum, quia certum eſt virtute Cruciatæ poſſe à caſibus in Cœna Domini contentis abſolui, non ita ex vi ſuorum priuilegiorum, vt ſuo loco (Deo dante) oſtendemus.

Adde, quòd ſicut licitum eſt Religioſis prædictis permittere, ſeu petere ab aliquo ſæculari, vt ſoluat pecuniam pro ipſis vehendis in equo, aut in mari, iuxta ea, quæ tradit Cord. *lib.* 5. *de indulg. q.* 26. *verſ. verum eſt*; ita id licet eiſdem ad ſumendam Bullam, & lucrandas indulgentias; & hoc modo dicuntur etiam ipſi per ſe facere, quod Bulla faciendum præcipit, atque ſic etiam ſentiũt Roſel. *in ſum. tit. Indulgentia.* §. 17. & Ioan. Marier. *in* 4. *d.* 20. quos citat Cord. *ibidem.*

7. Quæres ſecundò, an ſi Religioſus Bullam ſumat, nulla priùs requiſita licentia à ſuo Prælato, gaudeat nihilominus fructu illius?

Rodr. §. 9. *num.* 24. reſpondet affirmatiuè, ob rationem ab ipſo adductam initio huius dubij. Mihi etiam placet eadem ſententia. nam quamuis Religioſus ratione ſui ſtatus indigeat ſuperioris facultate, vt licitè Bullam ſumat, vel vt eleemoſynam ad id neceſſariam expendat, vel etiam, vt faciat actionem, ſine qua effectus Bullæ comparari non poteſt; huiuſmodi tamen licentia ſolùm requiritur, vt rectè, ac ordinatè hæc fiant. Vnde, ſi tali ordine prætermiſſo, & abſque

abſque debita licentia fiant, facta tenent, atque ad effectus Bullæ comparandos ſufficiunt, niſi aliud obſtet impedimentum, cùm modus ille rectè operandi non ſit de ſubſtantia talis actionis, ſeu effectus. Immo nec culpa illa videtur, ex ſuo genere, eſſe graue peccatum: at ſi tale aliquando eſſe contingat, poterit per pœnitentiam deleri, acceptio Bullæ valida manebit, & conſequenter vſus illius poterit poſtea eſſe fructuoſus.

8. Quæres tertiò, an committatur ſimoniæ vitium dum pecuniam quis erogat, vt Bullam Cruciatæ ſuſcipiat: tunc enim videtur dari temporale pro ſpirituali, id eſt, pecuniam pro lucratione indulgentiarum, & conſequenter videtur vitium ſimoniæ committi. Nihilominus.

Reſpondetur negatiuè; quoniam etiamſi pro re purè temporali nequeant indulgentiæ concedi, bene tamen pro re temporali, quæ ad ſpirituale ordinatur; cuiuſmodi eſt eleemoſyna pecuniaria, quæ erogatur in ſubſidium belli, quod aduersùs Catholicæ fidei hoſtes, ac pacis Romanæ Eccleſiæ perturbatores geritur. Ita communiter DD. & præſertim D. Thom. *in addit. ad 3. p. quæſt. 27. art. 3.* Ex dictis igitur infert Acoſta *vbi ſuprà*, quòd ſi generali Bullæ Commiſſario conſtiterit, nullos alicuius familiæ Religioſos Bullam Cruciatæ ſuſcipere, deberet ſuper hoc diligenter inquirere, & contra ipſius Prælatos Apoſtolica auctoritate procedere, ſi illos talis omiſſionis reos inueniret, ob aliquam fortaſſe prohibitionem ab eiſdem factam de non ſuſcipienda huiuſmodi Bulla.

Dvbivm X.

Vtrùm Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, poſſint abſque Prælatorum licentia Bullam Cruciatæ ſumere ad Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis eligendum.

1. HÆc quæſtio inter modernos ſatis controuerſa eſt, quam adeò diffuse agitare oportet, vt ſic omnium animis pleniùs ſatisfiat. Adducam igitur in præſenti dubio duas opiniones circa hanc difficultatem inter ſe è diametro pugnantes cum ſuis fautoribus, & probationibus. Deinde tertiam apponam opinionem eorum, qui vtramque præcedentem problematicè tuentur. In ſequenti autem dubio, quid ego ſentiam in hoc, explicare, & probare contendam. Atque inprimis partem negatiuā tuentur Mart. Ledeſm. *2. p. 4. q. 29.* vbi multa dicit in fauorē huius ſententię, & alter Ledeſm. *de ſacram. Pœnitentiæ, c. 13. dub. 13.* Cord. *in annot. ad Compend. priuileg. verb. Abſolutio extraordinaria, & verb. Cruciata, & ſuper regulam D. Franciſci cap. 7. q. 8. punct. 2.* Rodr. *in expoſ. Bullæ. §. 9. num. 24. & in qq. regularib tom. 1. quæſt. 21. art. 10.* ſpecialiter *concl. 4.* Enriq. etiam *lib. 7. de indulgent. cap. 22.* ait, hanc quæſtionem fuiſſe Salmāticæ agitatam anno 1576. & grauiſſimos Theologos, vt Gallum Metinam, & Alcaçar reſpondiſſe, per ſequentes Bullas non derogari quoad hoc priuilegia ſpecialia Religionum; & poſtea ab eodem Enriq. conſulti ſapientiſſimi Iuriſperiti Moya Solis, Sahagum, & Buſtos reſponderunt, propriis nominibus ſubſcriptis, non derogari prædicta Religionum priuilegia per ſequentem Cruciatam. Hanc tandem docet Collector priuilegiorum *verb. Cruciata. §. 3. & 5.* qui mordicus

Digitized by Google

dicus hanc defendit ſententiam, & ait, eam tenere omnes zelum Dei habentes. Communiter etiam hanc ſententiam defendunt Acoſta *q.* 107. Miranda *in manu. Pralat. p.* 2. *q.* 34. *art.* 25. *con.* 2. Deia *in ſum. p.* 3. *caſ.* 16. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 3. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 27. *clauſ.* 9. *n.* 13. & alij, quos hi referunt. Sed ratione probatur.

2. Primò ex reſponſis ſacrorum Pontificum, & Cardinalium, qui de hac difficultate interrogati, reſponderunt, Religioſos mendicantes, & qui eorum priuilegiis gaudent, non poſſe abſque facultate ſuorum Prælatorum gaudere priuilegiis Bullæ ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione reſeruatorum. Ita reſponderunt Innocentius VIII. Alexander VIII. Leo X. vt refert Collector *vbi ſuprà*, & Sixtus IV. & Iulius II. cum aliis, quos allegat Cord. *loc. cit.* & Pius V. *in ſpeciali Motuproprio edito anno* 1571. quem referunt Rodr. *in expoſitione Bulla fol.* 191. & Paſarel. *in comp. priuileg. priuil.* 175. Cardinales etiam tempore Gregorij XIII. deputati ad explicandũ Tridentinum, & reformationem Religionum, teſte Rod. *vbi ſuprà* §. 9. *num.* 24. quæſiti de hoc à D. Ioanne de Ribera Archiepiſcopo Valentino, reſponderunt Moniales non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ alios Confeſſores eligere, præter aſſignatos à ſuo Ordinario, quam reſponſionẽ teſtatur Rod. ſe vidiſſe, & ipſis Monialibus fuiſſe promulgatam per publicum Notarium, & conſtat, in Bulla non magis excipi Moniales, quàm Monachos. ergo ſicut Moniales non poſſunt gaudere Bulla ad prædictum effectum, ita nec Monachi.

3. Secundò probatur, quia Religiones mendicantes, & reliquæ ex earum communicatione, habent ſpecialia priuilegia, quibus eis interdicitur vſus Bullæ abſque licentia Prælatorum ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis, vt conſtat ex priuilegio Auguſtinianis conceſſo ab Innocentio VIII. ſicut refertur *in compendio priuilegiorum Mendicantium, ver. Confeſſor.* §. 6. & ex aliis conceſſis Fratribus Minoribus ab eodem Innocentio VIII. vt habetur *in prædicto compendio*, & à Sixto Quarto §. 11. & à Leone X. §. 17. & ex priuilegio conceſſo Ordini Prædicatorum, vt habetur in eorum priuilegiis *fol.* 33. & refert Enriq. *lib.* 6. *moralis Theologia c.* 16. *Alphab.* 2. *lit. Q.* & ex alio conceſſo eidem Ordini à Pio V. ad inſtantiam Iuſtiniani Generalis Ordinis Prædicatorum, & conſtat etiam ex priuilegiis conceſſis Ordini D. Bernardi ab Alexandro VI. vt patet ex compendio priuilegiorum eiuſdem Ordinis *ver. Bulla Cruciata.* §. 1. & habetur prædicta Bulla Alexandri *in tomo priuilegiorum eiuſdem Ordinis priuil.* 15. *n.* 7. & 8. Conſtat etiam ex priuilegio à Gregorio XIII. conceſſo Societati Ieſu *anno* 1575. & habetur in Bullis eiuſdem Societatis *pag.* 186. *n.* 8. & 9. vbi grauiſſimis verbis prohibet, ne perſonæ Societatis gaudeant Bulla Cruciatæ abſque licentia Prælatorum ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis. Ac tandem idipſum prohibuit nouiſſimè Clemens VIII. omnibus Regularibus vtriuſque ſexus ad inſtantiam Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum. Sed ſic eſt, quòd omnia hæc priuilegia non derogantur per Bullas ſubſequentes; ergo virtute Bullæ Cruciatæ non poſſunt prædicti Religioſi vti Bulla abſque ſuorum Prælatorum facultate in ordine ad prædictum effectum. Maior cum conſequentia eſt euidens; & minorem probo, quia priuilegium generale non derogat ſpeciali, niſi illius faciat expreſſam mentionem, vt docet Sylu. *verb. priuilegium q.* 10. *part.* 6. & Tabien. *ibi. q.* 14. *part.* 13. Ledeſm. 2.

Digitized by Google

abſque debita licentia fiant, facta tenent, atque ad effectus Bullæ comparandos ſufficiunt, niſi aliud obſtet impedimentum, cùm modus ille rectè operandi non ſit de ſubſtantia talis actionis, ſeu effectus. Immo nec culpa illa videtur, ex ſuo genere, eſſe graue peccatum: at ſi tale aliquando eſſe contingat, poterit per pœnitentiam deleri, acceptio Bullæ valida manebit, & conſequenter vſus illius poterit poſtea eſſe fructuoſus.

8. Quæres tertiò, an committatur ſimoniæ vitium dum pecuniam quis erogat, vt Bullam Cruciatæ ſuſcipiat: tunc enim videtur dari temporale pro ſpirituali, id eſt, pecuniam pro lucratione indulgentiarum, & conſequenter videtur vitium ſimoniæ committi. Nihilominus,

Reſpondetur negatiuè; quoniam etiamſi pro re purè temporali nequeant indulgentiæ concedi, bene tamen pro re temporali, quæ ad ſpirituale ordinatur; cuiuſmodi eſt eleemoſyna pecuniaria, quæ erogatur in ſubſidium belli, quod aduersùs Catholicæ fidei hoſtes, ac pacis Romanæ Eccleſiæ perturbatores geritur. Ita communiter DD. & præſertim D. Thom. *in addit. ad 3. p. quæſt. 27. art. 3.* Ex dictis igitur infert Acoſta *vbi ſuprà*, quòd ſi generali Bullæ Commiſſario conſtiterit, nullos alicuius familiæ Religioſos Bullam Cruciatæ ſuſcipere, deberet ſuper hoc diligenter inquirere, & contra ipſius Prælatos Apoſtolica auctoritate procedere, ſi illos talis omiſſionis reos inueniret, ob aliquam fortaſſe prohibitionem ab eiſdem factam de non ſuſcipienda huiuſmodi Bulla.

Dubium X.

Vtrùm Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, poſſint abſque Prælatorum licentia Bullam Cruciatæ ſumere ad Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis eligendum.

1. HÆc quæſtio inter modernos ſatis controuerſa eſt, quam adeò diffuse agitare oportet, vt ſic omnium animis pleniùs ſatisfiat. Adducam igitur in præſenti dubio duas opiniones circa hanc difficultatem inter ſe è diametro pugnantes cum ſuis fautoribus, & probationibus. Deinde tertiam apponam opinionem eorum, qui vtramque præcedentem problematicè tuentur. In ſequenti autem dubio, quid ego ſentiam in hoc, explicare, & probare contendam. Atque inprimis partem negatiuã tuentur Matt. Ledeſm. *2. p. 4. q. 29.* vbi multa dicit in fauorẽ huius ſententię, & alter Ledeſm. *de ſacram. Pœnitentiæ, c. 13. dub. 13.* Cord. *in annot. ad Compend. priuileg. verb. Abſolutio extraordinaria, & verb. Cruciata, & ſuper regulam D. Franciſci cap. 7. q. 8. punct. 2.* Rodr. *in expoſ. Bullæ. §. 9. num. 24. & in qq. regularib. tom. 1. quæſt. 21. art. 10.* ſpecialiter *concl. 4.* Enriq. etiam *lib. 7. de indulgent. cap. 22.* ait, hanc quæſtionem fuiſſe Salmãticæ agitatam anno 1576. & grauiſſimos Theologos, vt Gallum Metinam, & Alcaçar reſpondiſſe, per ſequentes Bullas non derogari quoad hoc priuilegia ſpecialia Religionum; & poſtea ab eodem Enriq. conſulti ſapientiſſimi Iuriſperiti Moya Solis, Sahagum, & Buſtos reſponderunt, propriis nominibus ſubſcriptis, non derogari prædicta Religionum priuilegia per ſequentem Cruciatam. Hanc tandem docet Collector priuilegiorum *verb. Cruciata. §. 3. & 5.* qui mordicus

Digitized by Google

dicus hanc defendit ſententiam, & ait, eam tenere omnes zelum Dei habentes. Communiter etiam hanc ſententiam defendunt Acoſta *q.* 107. Miranda *in manu. Prælat. p.* 2. *q.* 34. *art.* 25. *con.* 2. Deia *in ſum. p.* 3. *caſ.* 16. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 3. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 27. *clauſ.* 9. *n.* 13. & alij, quos hi referunt. Sed ratione probatur.

2. Primò ex reſponſis ſacrorum Pontificum, & Cardinalium, qui de hac difficultate interrogati, reſponderunt, Religioſos mendicantes, & qui eorum priuilegiis gaudent, non poſſe abſque facultate ſuorum Prælatorum gaudere priuilegiis Bullæ ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione reſeruatorum. Ita reſponderunt Innocentius VIII. Alexander VIII. Leo X. vt refert Collector *vbi ſuprà*, & Sixtus IV. & Iulius II. cum aliis, quos allegat Cord. *loc. cit.* & Pius V. *in ſpeciali Motu proprio edito anno* 1571. quem referunt Rodr. *in expoſitione Bullæ fol.* 191. & Paſarel. *in comp. priuileg. priuil.* 175. Cardinales etiam tempore Gregorij XIII. deputati ad explicandũ Tridentinum, & reformationem Religionum, teſte Rod. *vbi ſuprà* §. 9. *num.* 24. quæſiti de hoc à D. Ioanne de Ribera Archiepiſcopo Valentino, reſponderunt Moniales non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ alios Confeſſores eligere, præter aſſignatos à ſuo Ordinario, quam reſponſionẽ teſtatur Rod. ſe vidiſſe, & ipſis Monialibus fuiſſe promulgatam per publicum Notarium, & conſtat, in Bulla non magis excipi Moniales, quàm Monachos. ergo ſicut Moniales non poſſunt gaudere Bulla ad prædictum effectum, ita nec Monachi.

3. Secundò probatur, quia Religiones mendicantes, & reliquæ ex earum communicatione, habent ſpecialia priuilegia, quibus eis interdicitur vſus Bullæ abſque licentia Prælatorum ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis, vt conſtat ex priuilegio Auguſtinianis conceſſo ab Innocentio VIII. ſicut refertur *in compendio priuilegiorum Mendicantium, ver. Confeſſor.* §. 6. & ex aliis conceſſis Fratribus Minoribus ab eodem Innocentio VIII. vt habetur *in prædicto compendio*, & à Sixto Quarto §. 11. & à Leone X. §. 17. & ex priuilegio conceſſo Ordini Prædicatorum, vt habetur in eorum priuilegiis *fol.* 33. & refert Enriq. *lib.* 6. *moralis Theologiæ c.* 16. *Alphab.* 2. *lit. Q.* & ex alio conceſſo eidem Ordini à Pio V. ad inſtantiam Iuſtiniani Generalis Ordinis Prædicatorum, & conſtat etiam ex priuilegiis conceſſis Ordini D. Bernardi ab Alexandro VI. vt patet ex compendio priuilegiorum eiuſdem Ordinis *ver. Bulla Cruciatæ.* §. 1. & habetur prædicta Bulla Alexandri *in tomo priuilegiorum eiuſdem Ordinis priuil.* 15. *n.* 7. *&* 8. Conſtat etiam ex priuilegio à Gregorio XIII. conceſſo Societati Ieſu *anno* 1575. & habetur in Bullis eiuſdem Societatis *pag.* 186. *n.* 8. *&* 9. vbi grauiſſimis verbis prohibet, ne perſonæ Societatis gaudeant Bulla Cruciatæ abſque licentia Prælatorum ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis. Ac tandem idipſum prohibuit nouiſſimè Clemens VIII. omnibus Regularibus vtriuſque ſexus ad inſtantiam Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum. Sed ſic eſt, quòd omnia hæc priuilegia non derogantur per Bullas ſubſequentes; ergo virtute Bullæ Cruciatæ non poſſunt prædicti Religioſi vti Bulla abſque ſuorum Prælatorum facultate in ordine ad prædictum effectum. Maior cum conſequentia eſt euidens; & minorem probo, quia priuilegium generale non derogat ſpeciali, niſi illius faciat expreſſam mentionem, vt docet Sylu. *verb. priuilegium q.* 10. *part.* 6. & Tabien. *ibi. q.* 14. *part.* 13. Ledeſm. 2.

Digitized by Google

part.4.q.2.art.2.& grauiſſimi Iuriſperiti *ſuprà* citati cum Panormitano, *c. veniens, & ex cauſa* 25. *q.* 2. *per totam.* Sed priuilegium Bullæ eſt generale ad Hiſpaniam & alia Regna Philippi; priuilegium autem huius, ſeu illius Religionis eſt ſpeciale. ergo cùm non fiat eius mentio expreſſa, non debet cenſeri derogatum per generalèm clauſulam Bullæ,qua ratione multi Doctores docent, per generales clauſulas Bullæ Cœnæ Domini prohibentis abſolutionem hæreſis, non derogari priuilegia Epiſcoporum de abſoluendo ab illa in foro interiori, quando eſt occulta. Ac tandem certè Sūmi Pontifices concedentes Religionibus priuilegia ad impediendum vſum Bullæ,non ignorabant Bullā Cruciatæ ſingulis annis in Hiſpania publicari cum clauſulis derogatoriis aliorum priuilegiorum;ergo cenſebant per tales clauſulas generales non derogari, aut ſuſpendi ſpecialia priuilegia Religionum ab ipſis conceſſa,aliàs fruſtrà illa concederent, cùm nullum effectum ſortiri poſſent.

4. Tertiò probatur, quia in Bulla expreſsè habetur, non derogari per illam priuilegia, gratias, & facultates conceſſas ſuperioribus Mendicantium quoad eorum Fratres. Sed ſic eſt, quòd Mendicantium priuilegia, quibus prohibentur Religioſi accipere Bullam ſine facultate ſuperiorum in ordine ad abſolutionem reſeruatorum, ſunt indulta conceſſa ſuperioribus in ordine ad ſuos Fratres, non contra illos, ſed in fauorem, cùm ſint in maiorem eorum profectum, & vt meliùs illos contineant in obſeruantia regulari : nam ampla libertas eligendi quemcumque Confeſſarium approbatum in ordine ad quoſcumque caſus reſeruatos,potiùs eis noceret, vt expreſsè docent ſacri Pontifices ſuprà relati; ſpecialiter tamen Sixtus IV. Innocentius VIII. Leo X. & Gregorius XIII. quod etiam habetur *in compendio priuilegiorum Mendicantium, ver. Cruciata.*§.3.*&* 5. vbi dicitur, quòd nec eſt, neque eſſe debet intentio Pontificis aliquid concedere, vnde Ordinis diſciplinam collabi contingat. & infrà dicitur, quòd per talem libertatem eligendi confeſſionem daretur Religioſis occaſio violandi votum caſtitatis, vt experti dicere poſſunt.Hęc *ibi.*Idque etiam probat Cord. *ſuper Reg.D.Franciſci c.*3.*punct.*10. *& ſuper compendium ver. Cruciata.* ergo per nullam clauſulam Bullæ derogantur priuilegia Mendicantium, cùm ſemper fiat in illis exceptio priuilegiorum conceſſorum ſuperioribus Mendicantium in ordine ad ſuos Fratres. Vnde rectè Ledeſm. ſuprà relatus ait, ſemper Religiones habere priuilegia per Breuia Pontificum, quòd indulgentiæ non valeant Religioſis quoad Confeſſionale ſine licentia ſuorum Pręlatorum.Atque idem dicendum eſt de non mendicantibus ob communicationem, quam habent, priuilegiorum.

5. Quartò probatur, quia per Bullam Cruciatæ non ſuſpenduntur priuilegia Regularium ad abſoluendos alios à peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, & ad commutanda vota,præter excepta in Bulla, vt omnes fatentur, & vſus ipſe cōfirmat.ergo neque etiam intelligendum eſt derogari alia priuilegia,per quorum derogationem (vt inquit Cord. *vbi ſuprà*) relaxaretur diſciplina regularis, & anſa præberetur ad peccandum.

6. Neque obſtat, ſi dicas, ſæcularibus concedi amplam illam facultatem eligendi confeſſionem pro reſeruatis, neque id reputari inconueniens; hoc (inquam) non obſtat, quia multa cōceduntur ſæcularibus,quæ tamen non expedit concedi Regularibus, propter ſtrictiorem, & perfectiorem vitam, quam

Digitized by Google

quam profitentur. Atque hoc eſſe vnum ex numero eorum, quæ non licet illis concedi, patet manifeſtè, tum ex ſententia tantorum Pontificum, qui hoc illis interdixerunt, tum ex hoc, quòd in Concilio Tridentino iubetur, quòd Monialibus bis, aut ter in anno extraordinarij Confeſſarij deputētur. ergo cenſet Concilium, eas non poſſe pro libito eligere quemcumque Confeſſarium approbatum, aliàs ſi id poſſent, non opus eſſet ea cautione, cùm liberum eſſet eis eligere quemcumque mallent. Tum quia ſemper in Eccleſia Dei, vt res magni momenti, fuit habita à ſanctis Patribus, & fundatoribus Religionum caſuum reſeruatio, & ſpecialiter B. Franciſcus ſupponit *in ſua Regula*, nonnulla peccata debere eſſe reſeruata Miniſtris Prouincialibus, à quibus alij ordinarij Confeſſarij non poſſint abſoluere. Hæc autem peccatorum reſeruatio omnino corrueret, ſi liceret Religioſis vti priuilegio Bullæ pro abſolutione reſeruatorum.

6. Quintò probatur, quia, licèt aliquando Pius IV. conceſſerit omnibus Religioſis, etiam Mendicantibus, facultatem accipiendi Bullam abſque licentia Prælatorum pro abſolutione à reſeruatis, id tamen (vt experientia docet) non conceditur in Bullis, quæ hac tempeſtate expediuntur: ergo manifeſtum ſignum eſt, intentionem Pontificum eſſe, ne Regulares, abſque licentia Prælatorum, gaudeant Bulla in ordine ad prædictum effectum, aliàs non præcepiſſent auferri prædictam clauſulam Pij IV. quæ in Bulla erat inſerta.

7. Oppoſitam ſententiam tuentur infrà citandi authores, dicentes, licitè poſſe Religioſos quoſcunque, etiam Mendicantes, abſque facultate Prælatorum vti priuilegio Cruciatæ pro abſolutione à reſeruatis, non obſtantibus quibuſcumque ſuarum Religionum priuilegiis. Ita grauiſſimi DD. Salmanticen. Academiæ de hoc conſulti anno 1559. Magiſter Bánes Primarius theologicæ facultatis, Alphonſus Luna, & Orellana Ordinis Prædicatorum, & Magiſter Chaues Regis Hiſpaniæ Confeſſarius, Gueuara, Ludouicus de Leone, & Mendoça Ordinis D. Auguſtini, & Magiſtri ſacræ Theologiæ, ac publici eius Profeſſores in Salmanticenſi Academia, & Magiſter Zumel Generalis Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, dixit hanc opinionem eſſe veram, & communem praxim Religionum. Idem docuerunt Magiſter Didacus Rod. Decanus facultatis theologicæ eiuſdem Academiæ, & Magiſter Sanctius Magiſtralis Canonicus Salmantinus, & Corduba, licèt præcedentem ſententiam ſequatur, tamen *in annotationibus ad Compendium Mendicantium ver. Cruciata, & ſuper Regul. D. Franc. c. 7. q. 3.* hanc dicit eſſe probabilem, & *ibidem* fatetur, virtute Iubilæorum poſſe Religioſos ſine licentia ſuperiorum eligere Confeſſarium, & abſolui à reſeruatis. Si ergo id poſſunt virtute Iubilæi, cur non virtute Bullæ, cùm priuilegia Religionis non magis derogentur Iubilæis, quàm Bullis eaſdem clauſulas habentibus? & Rodr. *in expoſ. Bullæ* §. 9. *n.* 25. ait expreſsè hanc opinionem eſſe probabilem, & ſecurè procedere eos, qui eam ſequuntur in praxi, ibidémque hortatur Confeſſarios, ne ſcrupulum iniiciant Religioſis, qui ad caſus reſeruatos vtuntur Bulla abſque Prælatorum facultate, & *tom. 2. regul. quæſt. q.* 21. *art.* 10. licèt oppoſitam ſententiam defendat, ait tamen: Non auderem illos condemnare, qui ſine tali licentia vtuntur Bulla quantum ad hos articulos, ſcilicet reſeruationis caſuum, & reliquorum, quæ in ea continentur. Eandem ſententiam docet Collect. priuilegiorum Ordinum Mendicantium;

Digitized by Google

nam *in compendio ver. abſolutio*, referens verba Innocentij VIII. quibus declarauit Fratres minores non poſſe eligere Confeſſores pro abſolutione à reſeruatis, virtute Bullæ Cruciatæ, quam ipſe conceſſerat in Hiſpania, ſtatim ipſe Collector ait: Aduertẽdum eſt, quòd ſimilem reuocationem fecerunt alij Pontifices, qui dederunt Bullas Cruciatæ, ſed iſtæ reuocationes non ſunt perpetuæ, quia non extenduntur ad Bullas Cruciatæ futuras, & ideo, quandocunque venerit noua Cruciata, oportet habere nouam reuocationem illius, ad hoc vt Fratres nequeant illa vti. Ac tandem nouiſſimè Card. Toletus *in ſua ſumma fol.* 269. agens de obligatione, quam quiſque habet ad confitendum proprio Sacerdoti, & excipiens ab hac lege aliquos, ait: Vigeſimus ſextus caſus eſt, cùm quis habet Bullas, aut diplomata Apoſtolica, quamuis hactenus derogata ſint præterita, quantum ad hoc tamen ſi quæ impoſterum dantur iuxta præcedentium tenorem, per ea homo habet facultatem confitendi cuilibet Sacerdoti apto ad confeſſiones audiendas, etiam nulla habita licentia ipſius proprij. Hæc ille, & probatur à priori.

8. Primò, quia omnia priuilegia Religionum derogantur per Bullam ſubſequentem. ergo illa non obſtant, quominus tales Religioſi poſſint abſque facultate Prælatorum vti Bulla ad reſeruatorũ abſolutionem. Conſequẽtia eſt nota, & antecedẽs probatur, quia in ipſa Bulla concedit Pontifex prædictam facultatem omnibus Chriſti fidelibus in Hiſpaniæ Regnis commorantibus, non obſtantibus quibuſcũque Apoſtolicis ordinationibus Eccleſiarum, aut Monaſteriorũ, Conuentuum, & Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, & priuilegiis etiam Mendicantibus ſub quacunque forma, aut tenore conceſſis, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione dicatur, de eorum tenore habendam eſſe ſpecialem mentionem. Ita habetur in Bulla Sixti V. *anno* 1585. & in ea, quæ expedita eſt à Clemente VIII. & in aliis communiter. ergo, non obſtantibus prædictis priuilegiis prohibentibus vſum Bullæ pro abſolutione à reſeruatis, poſſunt omnes Regulares gaudere Bulla Cruciatæ ad prædictum effectum.

9. Neque obſtat, ſi quiſpiam obiiciat, quòd infrà Pontifex, vel Commiſſarius auctoritate illius excipit priuilegia Mendicantium quantum ad hoc, dum ait, ſe derogare omnia priuilegia, præter facultates conceſſas Mendicantium Ordinũ ſuperioribus quoad ſuos Fratres. Hoc (inquam) non obſtat, tum quia, cùm talia priuilegia impedientia vſum Bullæ quoad electionem Confeſſarij pro reſeruatis, non ſint facultates, aut gratiæ conceſſæ ſuperioribus in ordine ad eorũ Fratres, hoc non eſt in fauorem Fratrum, ſed potiùs contra Fratres, cùm id ſit valde odioſum, & moleſtum illis, manifeſtum eſt, ibi nullam fieri eorum exceptionem. Tum etiam, quoniam, vt docet Ledeſm. *de ſacramento Pœnitentiæ c.*13. & alij recentiores, ex illo nomine facultatum, quas ibi excipit Pontifex, poſſunt intelligi gratiæ, & indulgentiæ quædam, quas poſſunt Prælati regulares applicare ſubditis, etiamſi careant Bulla. Immò (iuxta probabilem, & ferè communem ſententiam) de illis ſolùm videtur eſſe ſermo. Poteſt etiam id intelligi de priuilegiis conceſſis ſuperioribus in ordine ad ſuos Fratres pro tempore interdicti, & ad oua, & lacticinia veſcenda, immò & ad abſoluendum eos à multis caſibus in iure Papæ reſeruatis. Pontifex ergo, ac Commiſſarius in Bullæ dero

Digitized by Google

derogatione, excipit has omnes facultates ſuperioribus conceſſas in ordine ad ſuos Fratres, non tamen priuilegium ad impediendum vſum Bullæ Fratribus.

10. Secundò probatur etiam à priori, quia cùm in priuilegiis, & indultis ponitur illa clauſula, *Pro expreſſis habentes,* reuera ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ derogantur priuilegia præcedentia, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & ibi inſererentur: ſed in Bullis huius temporis, immo & in omnibus à tempore Pij V. conceſſis, habetur illa clauſula, *Pro expreſſis habentes*; ergo priuilegia præcedentia Religionum verè derogantur quantum ad hoc per ſubſequentem expeditionem nouæ Bullæ Cruciatæ. Minor cum conſequentia eſt nota, & maiorem docent Caſſiod. *d.*10.*regul.Cancell.* & Paſarell. *lib. de priuil. Minimorum c.* 8. 12. *&* 13. Ang. *ver. excommunicatio* 5. *caſ.*31. Sylu. *verb.exemptio q.*11.*& ver. priuilegium q.* 10.*part.*6.*ibi* Amil. *n.*6.*& ver. exemptio n.* 11. & ratione patet. Tum, quia impoſſibile eſt, omnes conceſſiones antecedentium Pontificum in aliquo vno priuilegio inſerere, vt de ſe patet. ergo ſufficienter derogantur per clauſulam, *pro expreſſis habentes*; vnde compendium Mendicantium *tit. priuilegia, circa fin.& verb. Indulgentia ſtationum quoad Fratres.* §. 7. ait, eſſe pluſquam manifeſtum, illum eſſe ſtylum Curiæ, cùm in nullis reuocationibus inſerantur literæ Apoſtolicæ, niſi aliquando ad abundantiorem cautelam. Tum, quia in iure, ad derogationem priuilegiorum, aut teſtamenti habentis clauſulam derogatoriam ſequentis, ſufficit clauſula generalis, vt docet Ant. Gabr. *tom.* 7. *lib.* 6. *tit. de clauſul. col.* 5. *per totum.* Couar. *rubr. de teſtament. part.*2.*n.*19.*&* 20. Tabiena *ver.priuilegium, q.*15. *n.* 16. & Roſel. *ver. exemptio n.* 1. ergo, iuxta ſententiam horum Doctorum, idem ſufficit in priuilegiis Pontificum, cùm in vtriſque ſit eadem prorſus ratio.

11. Tertiò probatur, quia Pontifex, cùm præbet facultatem ſumentibus Bullam, ad veſcendum ouis, & lacticiniis in Quadrageſima, excipit Regulares; cùm verò concedit facultatem ad eligendum Confeſſarium, nullam facit exceptionem Regularium; ergo euidens ſignum eſt, non id prohibere illis, ſicut prohibet lacticinia, aliàs etiam illos exciperet, ſicut excipit in priuilegio lacticiniorum.

12. Quartò idem à poſteriori probatur. In rebus moralibus ſemper cenſui eam eſſe vrgentiſſimam rationem, quòd moralia moraliter pertractanda ſunt; ſed in rebus moralibus ipſa ratio dictat in dubiis opinionem humaniorem & benigniorem eſſe eligendam, ſuppoſito, quòd pro ſe habeat rationes, & graues auctores, qui illam defendant. Nam vbi ius non inuenitur expreſſum (vt contingit in propoſito) vbi tanta eſt opinionum varietas, in humaniorem partem declinandum eſt; vt docet text. *in c.final. de tranſact. & in l. benignius.ff. de legib.& l. ſemper in dubijs, ff. de reg. iur.* & probat Sylu. *ver. opinio,* & Nauar. *c.ſi quis autem, de pœnit. d.*7.*n.*130.*&* 131.*& c.*27. *n.*287. & inter alia ponit exemplum in opinione, quæ fauet doti, vel libertati, vt habetur ex *l. quoties dubia ff.de reg. iur. & c.fin. de re iudicata.* Vnde Inſtructorium, *c.*88. *in fin.* ait, quòd quando dubium exagitat animum an lex obliget, vel non obliget, benignior pars eſt amplectenda; ſed ſic eſt, quòd hic vrget dubium, & hæc opinio eſt benignior, & magis fauet libertati ſpirituali in ordine ad confeſſiones. ergo hæc opinio eſt ſequenda, & amplectenda ſecundùm rectam rationem.

13. Quintò eadem ſententia probatur

Digitized by Google

batur ex variis, & vrgentiſſimis inconuenientibus, quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia.

Primum, quòd fieret contra intentionem Summi Pontificis, & Commiſſarij Cruciatæ, & totum Senatum illius, deſiderantium multam pecuniam colligi in ſubſidium contra infideles. Si autem Regulares non ſumant Bullam, magna pecuniæ quantitate defraudaretur prædictum ſubſidium contra infideles. Eſt etiam ex alio capite contra intentionem Pontificis: nam ipſe concedit Bullam Cruciatæ ad inſtantiam Philippi Regis Hiſpaniarum, & iuxta tenorem petitionis illius: eſt autem euidens moraliter Regem poſtulare Bullam pro omnibus commorantibus in Regnis Hiſpaniæ, ſiue ſint Regulares, ſiue non. ergo dum Pontifex in Bulla Cruciatæ ſubſequenti non excipit Regulares, manifeſtè conſtat, eſſe contra eius intentionem, quòd non poſſint prædicti Regulares vti priuilegio illius in ordine ad abſolutionem pro reſeruatis.

14. Secundum inconueniens, & valde vrgens eſt: nam cùm ſtricta ſit caſuum reſeruatio, & ex alia parte magna ſit hominum fragilitas, imminet magnum periculum committendi plura ſacrilegia; nam pro verecundia, aut alia ratione dimidiabunt Regulares confeſſionem, & in peccato mortali celebrabunt ſæpè, & in eodem miniſtrabunt Sacramenta, & multo tempore miſerè iacebunt, prolabentes quotidie in deteriora peccata; quæ omnia facilè vitarentur, vel magna ex parte per remedium Bullæ. Ergo prudenter iudicamus non velle Pontificem illos priuare tali remedio: & quidem licèt de humana fragilitate credi poſſit, aliquos Regulares nonnulla commiſſuros eſſe peccata ex confidentia Bullæ, ſi illa vti poſſunt ad abſolutionem pro reſeruatis, tamen non pauciora, ſed fortè plura committerentur, ſi illa non poſſent vti ob rationem verecundiæ ſuprà tactam.

15. Tertium inconueniens eſt, quia per hanc ſtrictam caſuum reſeruationem, & maximè in Religionibus, vbi eſt copioſa plurium peccatorum reſeruatio, fit iugum Dei intolerabile, quod tamen Dominus dicit ſuaue eſſe, & leue; magnáque ex parte præcluditur via ad æternam ſalutem, propter difficultatem ſuperadditam confeſſioni ratione reſeruationis. Ac tandem, ſi tam magnum inconueniens eſſet, Religioſos liberè poſſe vti Bulla pro abſolutione à reſeruatis, vt aduerſarij proclamant, certè ſacri Pontifices, aliàs pij, & prudentes, non id ita planè conceſſiſſent, prout de facto conceſſerunt Pius IV. in ſua Bulla, ſine facultate ſuorum ſuperiorum *anno* 1564. & Paulus III. viuæ vocis oraculo pro Religioſis B. Franciſci *anno* 1533. *die* 11. *Iulij*, prout refert Cord. *in citat. annotat. verb. Cruciata*, & licèt in Bullis, quæ hac tempeſtate expediuntur, non ponatur illa clauſula, *ſine facultate ſuperiorum*; tamen Pontifex non ponit contrariam, ſed indiſcriminatim cõcedit omnibus fidelibus, poſſe vti priuilegiis Bullæ, non diſtinguens, an valeat cum licentia Prælatorum, vel ſine illa: vbi autem lex ipſa non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, iuxta text. *in cap. ſi Euangelica, diſt.* 55.

16. Atque ideo hanc ſententiam, vltra præallegatos, ſuſtinent Ioann. à Cruce *de ſtat. relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *con.* 3. Sanc. *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 10. *ad fin. & num.* 13. Baſil. Pontius de Leone *lib.* 5. *de matrim. cap.* 2. *num.* 7. & diſtinctiùs *lib.* 2. *cap.* 19. §. 2. *num.* 13. ſed nouiſſimè in MS. *de pœnit. cap.* 4. *dub.* 2. & latè Ruy Mendes Secretarius conſilij ipſius Cruciatæ in Regno Luſitaniæ, in quodam tract. quem de hac materia edidit *cap.* 1. *concl.* 1. & Sorb. *in addit. ad*

Comp.

Digitized by Google

Comp. verb. Cruciata.§.5.ver. deinde dico. qui omnes cenſent hanc opinionem eſſe probabilem. Mihi autem longè aliter videtur dicendum tam de iſta, quàm de præcedenti opinione, vt *dub.* 12. diffusè oſtendam.

DVBIVM XI.

In quo argumenta, pro vtraque opinione præcedenti, adducta ſoluuntur.

1. VTraque prædicta opinio videtur nonnullis ſaltem ſpeculatiuè probabilis, ac propterea vtriuſque probationes ſoluere contendunt. Vnde

Ad primum argumentum in fauorem primæ opinionis adductum reſpondet, illa præterita Pontificum reſponſa, & decreta ſufficienter derogari per ſubſequentem Bullæ Cruciatæ expeditionem, quia præcedentes Pontifices non potuerunt ligare ſuos ſucceſſores, vt non poſſent concedere Regularibus gaudere priuilegio Bullæ ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis. Neque idem Pontifex potuit ſe ita aſtringere, vt non poſſit per ſecundam ſuam facultatem, aut ſecundum priuilegium derogare, aut ſuſpendere primum, prout probabiliter arbitrantur nonnulli feciſſe Sanctiſſimum Clementem VIII. qui omnibus Regularibus per ſpeciale Breue interdixit vſum Bullæ, & poſtea per Bullam Cruciatæ ſuſpendit illud, & omnia alia priuilegia prohibentia vſum Bullæ.

Ad reſponſionem verò Cardinalium, reſpondet Ledeſm. iunior *in ſum. vbi ſuprà*, quòd Cardinales per illam declarationem non ſtatuunt ius aliquod; ſed nulla eſt hæc ſolutio, quia licèt non ſtatuant ius, interpretantur tamen illud ex poteſtate Pontificia ſibi delegata, & eorum interpretatio eſt magnæ auctoritatis; quare aliter reſponderi poteſt dupliciter.

2. Primò dicendo, illam reſponſionem Cardinalium ſolùm loqui de Monialibus, non de Monachis, & licèt videatur eſſe eadem ratio de vtriſque, quæ forſan non eſt, in rebus tamen odioſis non eſt facienda extenſio ad caſum non expreſſum, propter paritatem rationis, vt latè tradunt Iuriſtæ.

3. Deinde reſpondetur, & meliùs, illã interpretationem factam fuiſſe à Cardinalibus ad inſtantiam Archiepiſcopi Valentini, qui cùm in ea eſſet opinione, Monialibus non licere vti priuilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum Confeſſarium, ipſi etiam Cardinales huic opinioni tanquam probabiliori, & ſecuriori annuerunt; per hoc tamen nulla ratione damnarunt oppoſitam ſententiam tanquam improbabilem, aut non ſecuram in conſcientia.

4. Ac tandem reſpondetur, quòd vt obligaret prædicta declaratio Cardinalium ad ſtandum illi, oporteret, vt fieret Regularibus generalis eius intimatio, quam tamen conſtat non fuiſſe factam niſi in Archiepiſcopatu Valentino, vt teſtatur ipſe Rodr. *vbi ſuprà.*

5. Ad ſecundum negant minorem, & ad probationem diſtinguũt ſic antecedẽs: Priuilegiũ generale non derogat ſpeciali, niſi faciat expreſsã illius mentionem: verum eſt, ſi tale priuilegium generale non continet clauſulam illam, *Pro expreſſis habentes*, aut ſpecialem clauſulam ſuſpenſionis illius; ſecus, ſi contineat illam, prout reuera continet priuilegium Cruciatæ, quia tunc illa clauſula æquiualet ſpeciali mentioni ipſiuſmet priuilegij, vt clarè conſtat ex ſtylo Curiæ Romanæ; vt *ſuprà* oſtendimus *dub.* 9.

6. Ad illud verò, *de facultate Epiſcoporum*, reſpondent, quòd adhuc retenta illa opinione, non ideo non derogatur

per

per Bullam Cœnæ, quia clauſula derogatoria illius ſit generalis, & non faciat expreſſam eius mentionem, ſed quia (vt multi Doctores dicunt) Pontifex ſolùm aufert per Bullam Cœnæ facultatem abſoluendi ab hæreſi, illis, quibus ex priuilegio id competebat. Epiſcopi autem nõ ex priuilegio, ſed ex iure ipſo habent facultatem abſoluẽdi ab hæreſi, quia iure diuino, & humano, & ex officio sũt Inquiſitores, vel quia, vt docet Nauar. *in ſum. c.27. num.260.* clauſula illa generalis Bullæ Cœnæ limitanda eſt, vt procedat in occultis, & habentibus complices, non verò in caſibus occultis ſimpliciter, de quibus ſpecialiter loquitur Tridentinum, dicens Epiſcopis licere abſoluere in foro interiori ab hæreſi occulta.

7. Ad id tandem quod *ibidem* dicitur fruſtrà concedi prædicta priuilegia, ſi per Bullam derogarentur. Reſpondent nequaquam fruſtrà concedi, quia ſuum vigorem retinent, donec ab eodem, vel ab aliis Pontificibus reuocentur, licèt aliàs pro tunc ſuſpendantur, non enim idem eſt reuocari, & ſuſpẽdi, quia quod reuocatur, irritatur, & annullatur; quod verò ſuſpẽditur, ſolùm impeditur ad tempus quantũ ad exequutionem. Huiuſmodi antẽ ſuſpenſiones, immò & reuocationes ſunt frequẽtiſſimæ ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ: quotidie enim videmus expediri quędã indulta, quibus derogantur alia eodem anno, immo & eodem interdum menſe conceſſa, & experientia compertum eſt, quòd modò Pontifex concedit alicui Eccleſiæ indulgentiam plenariam pro certis diebus, & tamen paulo pòſt concedit Commiſſario Bullæ Cruciatæ facultatem ad ſuſpendendum prædictas indulgentias, & de facto Cõmiſſarius illas ſuſpendit pro anno publicationis Bullæ: fatentur tamen quòd tempore, quo durauit Bulla Cruciatæ expedita à Sanctiſſimo Clemente Octauo, non poterant illa vti Regulares pro abſolutione à reſeruatis, poſtquam ipſe expreſſit, & declarauit ſuæ mentis, & intentionis eſſe id eis prohiberi. Similiter cùm Sanctiſſimus D. N. Vrbanus VIII. ſimilem etiam fecerit declarationem, idem iudicium de eius Cruciata faciendum eſt.

8. Ad tertium negant minorem, quia, præterquam quod *ſuprà* dictum eſt *dub. 9.* quid ſibi vellent verba illa, *facultates conceſſæ ſuperioribus in ordine ad ſuos Fratres*, per quod videtur ſufficienter reſponderi huic tertio argumento, manifeſtum eſt prædicta indulta non eſſe in fauorem Fratrum, ſed valde illis odioſa, cùm auferant eis libertatem eligendi Confeſſarium, ex quo grauiſſima illa pullulant incommoda, quæ *ſuprà* enumerauimus *dub.9.* Et quidẽ ex verbis ipſius Pontificis in Bulla Cruciatæ conſtat, prædicta indulta prohibentia vſum Bullæ non eſſe adeò proficua, vt aduerſarij proclamant: nam ipſe Pontifex ait in Bulla Latina: *Item, vt omnes, & ſinguli prædicti puriùs preces ad Deum fundere*, &c. ergo ſi hæc facultas eligendi Confeſſarium iuuat ad maiorem animæ puritatem, certè indulta prohibentia vſum Bullæ non poterunt ita abſolutè dici fauorabilia, & vtilia, ſed potiùs odioſa, & plerumque nociua Regularibus.

9. Ad quartũ negant conſequentiam, quia in huiuſmodi abrogatione facultatum, ſtandum eſt declarationi ipſius ſuſpendentis, & abrogantis: ipſe autem Commiſſarius Cruciatæ, cui hæc ſuſpendendi facultas delegatur à Pontifice, declarauit, ſuæ intentionis non eſſe ſuſpendere facultates Regularibus conceſſas ad abſoluendum ſæculares à reſeruatis, benè tamen indulta prohibentia prædictis Regularibus vſum Bullæ, prout teſtatur Cord. *vbi ſuprà* de commiſſione

miſſione ſui temporis: quod idem reſpondent communiter omnes Commiſſarij Cruciatæ, quia ſi non fieret huiuſmodi ſuſpenſio, cederet in magnum detrimentum ſubſidij, cùm millia millium Regularium non ſumerent Bullam, ſi eis prodeſſe non poſſet ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis, cùm ad reliqua, quæ in Bulla continentur, innumeræ ſuppetant eis facultates per priuilegia ſuarum Religionum. Quòd autem vſus Bullæ non cedat in damnum diſciplinæ religioſæ, ſed potiùs iuuet ad maiorem animæ puritatem, iam *ſuprà* oſtenſum eſt *dubio 9.* & in ſolutione ad tertium.

Ad id verò, quod ex Concilio Tridentino obiicitur, quod valde vrgere videtur, reſpondent Concilium ibi loqui independenter de Bullis Cruciatæ, quarum expeditio libera eſt Pontificibus, & contingere poterit non expediri illas, & licèt expediantur, id non eſt pro omnibus fidelibus, ſed pro illis dumtaxat, qui commorantur in Regnis Philippi Regis Hiſpaniarũ. Vnde, quia ſtando in iure communi, & ſecluſo omni priuilegio, Moniales non poſſunt confiteri niſi proprio ſuo Sacerdoti, prudenter valde Concilium Tridentinum prouidit, vt bis, aut ter in anno extraordinarij Confeſſarij deputentur, quibus liberiùs ſua peccata aperire poſſint. Quare exiſtimo, ex teſtimonio illo Concilij nullum firmum argumentum ſumi poſſe contra iſtam ſententiam.

Ac tandem ad illud de reſeruatione, reſpondent, quòd ſicut non fruſtranea cenſetur reſeruatio caſuum Papalium, & Epiſcopalium, licèt aliàs per Bullam poſſit quilibet in Regnis Philippi ab illis abſolui à quocunque Sacerdote approbato, ita etiam non debet cenſeri fruſtranea in Religione caſuum reſeruatio, cùm ſecluſo priuilegio Pontificis ſuam vim retineat. Nec tale priuilegium ſit commune omnibus Religioſis in quacumque mundi plaga exiſtentibus, ſed ſolùm illis, qui in Regnis Hiſpaniarum Regis commorantur.

10. Ad quintum diſtinguunt minorem, in Bullis non ponitur illa clauſula Pij IV. expreſsè, & explicitè concedunt, tacitè, & implicitè negant; quia cùm ex vna parte concedat Pontifex omnibus Chriſti fidelibus priuilegia Bullæ, & id perinde ſit, ac ſi ſingulas fidelium ſpecies numeraret, iuxta text. *in l. ſi chorus. ff. de legat. 3.* vbi habetur, quòd tantum valet expreſſio generalis quoad ſpecies in illa contentas, quantum valeret enumeratio ipſarum ſpecierũ, & ex alia parte Pontifex ipſe non apponat conditionem illam vt ſit cum licentia Prælatorum, prudenter interpretamur, debere ſubintelligi, cùm potiùs beneficium Principis ſit latiſſimè interpretandum, & fauores debeant ampliari, ſicut & odia reſtringi, vt tradunt communiter Iuriſtæ, & ratio ipſa dictat.

11. Supereſt ſoluere argumenta in fauorem ſecundæ opinionis facta.

Ad primum reſpondetur benè ibi; ad impugnationem autem dicitur, priuilegia Mendicantium, quæ prohibent prædictum vſum pro reſeruatis, non eſſe odioſa, ſed fauorabilia potius tam Religioni, quàm Religioſis, cùm valde illos retrahant à peccatis, & multum iuuent ad ſpiritualem profectum eorundem, vt relati Pontifices teſtantur.

12. Ad ſecundum negatur maior. Bald. *cap. ſuper literis, de reſcr. verb. quòd ſi Papa in priuileg.* vbi ait, clauſulam, *pro expreſſis habentes*, non derogare diſpoſitioni pro antecedenti, in qua petatur mentio expreſſa illius, prout reuera petitur in prædictis priuilegiis Pontificum. Idem docet Ant. Gabr. *tom. 2. tit. de cauſ. concluſ. 5.* quod maximè habet verũ;

Digitized by Google

quando primum priuilegium conceſſum eſt toti Religioni, aut communitati. nam licèt priuilegium conceſſum priuato monaſterio, aut particulari perſonæ tanquam odioſum contra ius commune ſtrictè interpretandum ſit, & facilè etiam derogetur, vt ex Dec. Anan. Albert. & Feder. probat Anton. Gabr. *tom.2. lib.6. tit. de reg. iur. concl.9. n.5.* tamen priuilegium conceſſum per Bullam, & in perpetuum toti Religioni, reputatur fauor, & ius, non minus, ac ſi eſſet inſertum in corpore iuris, vt habetur in compendio Mendicantium, *verb. Priuilegiũ, ad fin.* & docet D. Thom. *opuſc. contr. impugnantes Religiones, cap.4. col. penult.* & probat Bald. *tract. exempt. cap.1. & 2.* vbi ait, exemptionem Regularium à iuriſdictione Epiſcoporum cedere in magnum fauorem Religionis, ideóque interpretandam eſſe latè, vt non facilè derogetur; ſed de his latiùs *cap.2. dub.19.*

13. Ad tertium reſpondetur, quòd dum Pontifex præbet facultatem virtute Bullæ ad veſcendum lacticiniis tempore Quadrageſimæ, diſpenſat in iure communi, ac propterea opus fuit vt exprimeret perſonas, quibus talis facultas non ſuffragatur. Dum verò præbet facultatem eligendi Confeſſorem pro reſeruatis, ſatis fuit, vt exprimeret, ſe non reuocare Mendicantium priuilegia Superioribus conceſſa in ordine ad ſuos Fratres, vt *dubio ſequenti* oſtendemus.

14. Ad quartum dico primò, cæteris paribus, benigniorem opinionem eſſe eligendam. Hîc verò non ſunt cætera paria, nec ex parte Doctorum, nec ex parte rationum.

Dico ſecundò, benigniorem opinionem eſſe eligendam. Tamen in præſenti illa iudicanda eſt benignior, quæ & ſecurior, & regulari diſciplinæ vtilior habetur; & huiuſmodi eſt pars negatiua.

15. Ad quintum, quod ex variis inconuenientibus deſumitur, reſpondetur primum eorum non obſtare, quia, etſi intentio Pontificum ſit, vt pecunia multa colligatur in ſubſidium belli, non tamen derogando, nec præiudicando priuilegiis, & indultis Religioſorum, quæ ad continendum eos in maiori obſeruantia ſacri Pontifices antea conceſsère.

Non obſtat ſecundum, quia etiam ex oppoſita ſententia grauiſſima incommoda oriuntur, per quæ ipſæ Religiones ſolent interdum infirmari, & Religioſi licentioſiùs viuere.

Tertium etiam non obſtat, quia, etſi attendendo dumtaxat ad humanam fragilitatem difficilis ſit Religioſis præfata peccatorum reſeruatio, facilis tamen eſt cum diuina gratia ſecundùm legem ordinariam. Quòd ſi quempiam Religioſum (quod Deus auertat) in mortale reſeruatum labi contingat, non ita eſt difficile remedium (vt contraria ſententia exaggerat) cùm facilè poſſit à Superiore, abſque eo, quòd nullo modo agnoſcat delinquentem, impetrari licentia pro illius abſolutione. Id autem, quod *ibidem* additur ex Pio Quarto, & aliis Pontificibus, fateor, expediens eſſe, aliquando, quippe amplam illam libertatem concedere ad tempus, laudabile eſt, non ita in perpetuum. Vnde, nec ipſe Pius IV. id licere iudicauit, cùm in ſequentibus Bullis ab eo expeditis præfatam clauſulam omninò abſtulerit. Nec valet dicere, quòd vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; id enim falſum ſupponit, quia Pontifex in Bulla Cruciatæ excipit priuilegia conceſſa ſuperioribus Mendicantium.

DVBIVM

Digitized by Google

Dubium XII.

Quo ſententia authoris circa propoſitam difficultatem explicatur.

1. SVppono in primis, Clementem Octauum *ſub die* 23. *Nouembris* 1599. ad inſtantiam Procuratoris generalis ſanctæ Mariæ de Maiore Carmelo conſtitutionem edidiſſe, qua declarat, conceſſionem Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis cum Regularibus vtriuſque ſexus, tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere; ſed ſuæ intentionis, & Sedis Apoſtolicæ exiſtere, quòd iidem Fratres, & Moniales, quantùm ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint. Hanc autem conſtitutionem Rodr. *ſum. tom.* 3. *cap.* 7. opinatur exponendam fore, itavt prædictis Religioſis ſolùm interdicatur vſus Bullæ quoad articulum eligendi Confeſſorem pro abſolutione à reſeruatis, non tamen ab aliis etiam mortalibus. Ducitur, quia, vt in iure diſponitur ex proœmio conſtitutionis, limitanda eſt eiuſdem determinatio; in proœmio autem præcitatæ conſtitutionis ſic habetur: *Cùm in Bulla Cruciata, & aliis priuilegiis, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi Confeſſorem idoneum ab Ordinario approbatū, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam etiam, quæ dictæ Sedi reſeruata ſunt, Religioſi d. Ordinis, ſeu eorum nonnulli iis etiam vti præſumant.* hæc ibi. Ex quibus infert *vt ſuprà*, atque ita ſenſiſſe, & ſubſcripſiſſe viros doctiſſimos Academiæ Salmanticenſis teſtatur *ibidem* Rodriq. Cæterùm Villalob. *ſum. tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 9. *num.* 12. refert opinionem multorum aſſerentium præallegatam Clement. VIII. conſtitutionem limitandam fore, vt ſolùm impediat, ſeu prohibeat, ne eligant Religioſi Confeſſorem extra Ordinem pro abſolutione à reſeruatis, cùm huiuſmodi conſtitutio ad hoc ſolum fuerit requiſita, vt deducitur ex relatione, quæ initio illius apponitur, ſi rectè conſiderentur verba eiuſdem, ibi, *& illorum prætextu, eligunt Confeſſorem aliquando, præter eos, qui à ſuis Prælatis eorum confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum.* & refert pro hac ſententia Alphonſ. Curiel, & Antol. Auguſtin. vtrumque eruditiſſimum, & ſucceſſiuè Primarium ſacræ Theologiæ Profeſſorem in Academia Salmanticenſi, Petr. Cornejo Carmelitanum, magnæ æſtimationis virum, & in eadem Academia cathedram Durandi regentem, Ferdinandum ſimiliter de Campo, Franciſcanum, in eiuſdem ciuitatis Conuentu prælectorem, vtique doctiſſimum, & plures alios Societatis, & Dominicanæ familiæ Magiſtros præſtantiſſimos, quos etiam nominatim recenſet Ioan. à Cruce *de ſtat. relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. *concl.* 3. Prædictam conſtitutionem confirmauit alia ſua ſpeciali S. D. N. Vrbanus Octauus *ſub die* 19. *Iunij* 1630. ad inſtantiam Procuratoris generalis Ordinis Prædicatorum, quam ideo vtroque prædicto modo interpretari poſſe, ſimiliter opinantur nonnulli.

2. Nihilominus verius cenſeo, Regulares tam mendicantes, quam non mendicantes, tam Fratres, quàm Moniales virtute Cruciatæ non poſſe, abſque licentia ſuorum Prælatorum, Confeſſorem extra Religionem eligere, nec abſolui ab iis, quæ ſuis Superioribus reſeruata ſunt; non tamen eiſdem prohibetur Confeſſorem eligere intra Religionem pro abſolutione à mortalibus non

reſeruatis eorum Superioribus. Hæc concluſio, quam certiſſimam exiſtimo quoad primam partem, defenditur à DD. per Villalob. inſinuatis; & quoad ſecundam tenetur à Rodr. & Salmanticenſibus. Sed quoad vtramque probatur in primis ex præcitata conſtitutione Clem. Octaui, ex cuius procemio conſtat, eam limitandam fore quoad prohibitionem eligendi Confeſſorem extra Religionem, & abſoluendi à reſeruatis, vt ex præmiſſa duplici expoſitione habetur.

3. Nec immeritò, quia, vt docent Tiraquel. *tit. ceſſante cauſa, limit.* 1. *n.* 65. Guttier. *pract.* 99. *lib.* 3. *q.* 17. *n.* 90. *&* 91. Paz *conſ.* 92. *n.* 6. & Salas *de legib. diſp.* 17. *ſect.* 9. *n.* 13. cum aliis, quos hi referunt; ex procemio colligitur animus, & intentio Legiſlatoris, necnon totius decreti intellectus, ac limitatio.

4. Probatur deinde, & diſtinctiùs, ex conſtitutione Vrbani VIII. quæ cùm ſit poſterior, eidem abſolutè ſtandum eſt, vbi inter alia ſic habetur: *Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quòd ijdem Fratres, & Moniales, quantum ad ſacramenta Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint, earundem tenore præſentium perpetuò declaramus.* Vnde apertè deducitur, virtute huius cõſtitutionis, ſolùm prohiberi Religioſis vſum Cruciatæ quoad articulum eligendi Confeſſorem extra Religionem, & abſoluendi à reſeruatis eorum Superioribus dumtaxat.

5. Probatur ſecundò, quia licèt Pius IV. in Bulla per ipſum *annò* 1561. expedita, concedat, quòd Regulares etiam mendicantes poſſint abſque ſuorum Prælatorum facultate gaudere cunctis illius Bullæ priuilegiis, eam tamen clauſulam in Bulla ſequentis anni auferri voluit, & deinceps nec ipſe, nec eius ſucceſſores illam remiſerunt. Vnde apertè deducitur, ſaltẽ poſt dictum Põtificem, nunquam fuiſſe Regularibus conceſſam facultatem eligendi Confeſſorem extram Religionem, & abſoluendi à reſeruatis abſque ſuorum Superiorum licentia: immo fuiſſe, & eſſe expreſsè prohibitam, declarant manifeſtè variæ Pontificum conſtitutiones, quibus expreſsè interdicitur vſus Cruciatæ ad huiuſmodi effectum, vt habetur ex allegatis *dub.* 11. *præcedenti*, in fauorem opinionis negatiuæ. Immò temerarium potiùs videtur id in contrarium interpretari, attentis tot Pontificum declarationibus, quibus cauetur expreſsè, non eſſe, nec fuiſſe vnquam intentionis Sedis Apoſtolicæ prædictam facultatem Regularibus virtute Cruciatæ concedere; quod eſt magna conſideratione dignum. Ita, vltra Clementem VIII. & Vrbanum VIII. declarauit Leo X. in fauorem Minorum, Alexander III. in fauorem Ciſtercienſium, Pius V. in fauorem Prædicatorum, & Gregorius XIII. in fauorem Societatis Ieſu, & alij.

6. Probatur tertiò, quia ſub clauſula generali non comprehenduntur particularia, quæ non erat quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus; vt habetur ex *reg. iur. in* 6. At huiuſmodi facultas habet in Religioſis ſpecialem quandam rationem, & (vt ita dicam) diffo:mitatem. igitur non eſt veriſimile Religioſos comprehendi ſub verbis ſolùm generalibus, quoad illam facultatem, etiamſi, quoad alios, Bullæ fauores comprehendantur, vt *dub.* 10. oſtenſum eſt. Maior, & conſequentia patent; minor autem probatur, quia talis facultas vergeret ſanè in magnum Religionum detrimentum, vt experientia reddit manifeſtum. Ad hæc Pontifex, dum generale priuilegium concedit, non præſumitur comprehendere particulares caſus, qui vel præiudicium tertij includunt,

Digitized by Google

includunt, vel ſunt contra ſpeciale alterius ius. In caſu autem, de quo nunc agimus, intercedit Religionis præiudicium, vt indicant Pontifices prædicti in ſuis declarationibus; & Prælatorum ius, quod abſque dubio habet aliquid magis ſpeciale, quàm ius Parochorum, aut Epiſcoporum circa ſubditos ſæculares. Prælati namque Regulares habent ſpecialem obligationem procurando non ſolùm ſalutem ſpiritualem, ſed perfectionem etiam ſuorum ſubditorum, & ſuæ Religionis conſeruationem, quoad diſciplinam regularem, vt rectè perpendit Suar. *de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 16. n. 6.* ergo non eſt veriſimile, quòd Pontifex intendat talem facultatem Regularibus virtute Cruciatæ concedere.

7. Quartò probatur à ſimili ex Concilio Tridentino, quòd *ſeſſ. 20. c. 10.* cùm expediens iudicauerit, bis, térve in anno Monialibus dari Confeſſores extraordinatorios; illos tamen eſſe voluit deſignatos ab Epiſcopis, vel Superioribus. Ratio eſt, quia, cùm illa eſſet lex perpetua, cenſuit Sacr. Concilium eſſe maximum inconueniens, liberam Monialibus facere facultatem, vt vna, vel altera vice in anno poſſent ſuo arbitrio Confeſſorem eligere. Igitur non videtur credibile, Pontificem Regularibus, ſiue Fratribus, ſiue Monialibus concedere abſolutam licentiam id ſemper faciendi virtute Cruciatæ, vel cuiuſcumque alterius priuilegij, quod vel ſit perpetuum, vel per continuam ſucceſſionem ſemper duret, præſertim pro abſolutione à caſibus reſeruatis.

8. Quintò probatur, quia iuxta noſtram ſententiam euitantur præcipua vtriuſque opinionis *præcedenti dub.* adductæ inconuenientia; euitatur namque occaſio infamandi Religionem, ſi cùm nequeant Regulares extra illam, virtute Cruciatæ, Confeſſorem eligere, euitatur diſſolutio diſciplinæ regularis, cùm nequeant ſimiliter de caſibus reſeruatis eorum Superioribus, abſolui. quæ duo ex opinione aſſirmatiua ſequebantur. Deinde euitatur, ne quis præ nimia verecundia ſæpe reuelandi Confeſſori deſignato defectus ordinarios non reſeruatos, mortales tamen, confeſſionem interdum efficiat ſacrilegam. Euitatur demum occaſio minuendi ſubſidium contra infideles per Bullam prætenſum, vt ex opinione negatiua infertur; quia adhuc ſuperſunt multa pro Regularibus priuilegia, non ſolùm quoad indulgentiarum conſequutionem, votorum commutationem, & eiuſmodi alia, quæ in Bulla continentur, ſed quoad abſolutionem à reſeruatis Sedi Apoſtolicę, etiam in Bulla Cœnæ, per Confeſſorem tamen intra Religionem electum, & approbatum, quod eſt priuilegium magni faciendum, præſertim iuxta probabilem opinionem eorum, qui aſſerunt Prælatis regularibus per promulgationem Bullæ in Cœna Domini, tolli auctoritatem abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus eiuſdem Bullæ.

9. Neque obſtat, ſi dicas, in aliquibus priuilegiis interdum Pontifices concedere ſimiles licentias non ſolùm ſæcularibus, ſed Regularibus etiam, vt contingit tempore Iubilæi ſolemnis, & in caſibus ad commune Reipublicæ Chriſtianæ beneficium ſpectantibus. Igitur non abs re poteſt præſumi, quòd virtute Cruciatæ ſimilis gratia, & facultas concedatur; cùm cauſa illius ſit grauiſſima, & bonum commune fidei Catholicæ concernat: vt patet ex ipſius Bullæ proœmio.

Reſpondeo, non eſſe inconueniens, immo interdũ expediens dictam facultatem concedere pro vna, vel altera vice, id namque non ſolùm abſque præiudicio Religionum, ſed cum fructu etiam

Digitized by Google

etiam non mediocri poteſt interdum fieri, præſertim reſpectu aliquorum, qui vel ex verecundia, vel timore, aut naturali puſillanimitate non audent defectus ſuos Confeſſori ordinario explicare. At in priuilegiis perpetuis, quæ vel ad longum tempus, ſeu ad ordinarium confeſſionis vſum conceduntur, aliter videtur ſentiendum, quia per huiuſmodi facultatem, & vſum potiùs euerteretur diſciplina religioſa, vt experto conſtat manifeſtè.

10. Obiicies ſecundò, quia communiter Doctores admittunt priuilegia conceſſa alicui communitati, ob bonum illus æquiparari, ac ſi eſſent inſerta in corpore iuris: immo priuilegium prohibens, ne Regulares confiteantur aliis, quàm Confeſſoribus per eorum Prælatos deſtinatis, eſt in corpore iuris *in Extrauaganti inter cunctas, de priuil.* & conſequenter de eius reuocatione eodem modo ſentiendum eſt, atque de reuocatione alterius legis; ſed leges communes reuocantur per poſteriores, etiamſi de illis non fiat mentio, quoties poſterior lex ſtare non poteſt cum priori, vt latè probat Suar. *lib. 6. de leg. c.* 27. Igitur dicendum eſt, priuilegium illud per hoc poſterius Bullæ reuocari, quod etiam conceditur Hiſpanorum Reipublicæ, & ob bonum commune, ac proinde eſt amplè interpretandum, cùm legi æquiparetur.

Reſpondeo negando conſequentiam; priuilegium enim Bullæ, quoad iſtum articulum, ſuſpenditur pro Regularibus per illam clauſulam in ipſa contentam; exceptis tamen cõceſſis Ordinum mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres, atque ita fuiſſe ſibi reſponſum à Clemente VIII. teſtatus eſt Reuerendiſſimus Pater Soſa olim totius Ordinis Franciſcani Miniſter generalis, & Epiſcopus Oſmenſis in quodam Prouinciæ Sancti Iacobi Capitulo, cui interfuiſſe, & ſic teſtantem audiuiſſe refert Rodr. *ſum. tom.* 3. *c.* 7.

11. Obiicies tertiò, quia per dictam clauſulam, ſolùm excipiuntur à derogatione priuilegia Regularibus conceſſa circa indulgentias, non verò priuilegium prohibens facultatem eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſeruatis, alioquin Pontifex non reſtringeret exceptionem illam ad Mendicantes, cùm etiam non Mendicantes ſpecialibus decretis Pontificiis prohibiti ſint eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis. igitur, vel dicendum eſt, ſaltem non Mendicantes virtute Cruciatæ poſſe eligere Confeſſorem, &c. quod videtur abſurdum, cùm nulla poſſit ratio aſſignari, cur tantùm id Mendicantibus prohibeatur, vel dicendum eſt, per illam clauſulam ſolùm comprehendi priuilegia Regularibus conceſſa circa indulgentias. Hanc rationem valde extollit Baſil. Pont. de Leone *loco ſtatim citando*, putans eſſe ferè irrefragabilem; mihi tamen non ita videtur. Quare

Reſpondetur primò retorquendo argumentum; idem enim poteſt obiici, ſi dicta clauſula exponatur de indulgentiis, quippe, nulla etiam poteſt aſſignari, immo nec excogitari ſufficiens ratio, cur potiùs ad Mendicantes, quàm ad non Mendicantes tunc reſtringatur; cùm etiam non Mendicantibus plures ſint per Sedem Apoſtolicam indulgentiæ conceſſæ.

Reſpondetur ſecundò per illam clauſulam multa comprehendi, ideſt, non ſolùm indulgentias, ſed omnes etiam gratias, & facultates in Bulla conceſſas; clauſula namque in fine poſita, & verbis generalibus concepta, cadit in omnia præcedentia, vt Iuriſtæ communiter tradunt, & oſtenſum eſt *dubio præcedenti.* Excipiuntur autem præcisè Mendicantes ob peculiarem Sedis Apoſtoli-

cæ

cæ affectum erga illos, ne forſitan alicuius priuilegij reuocatio in regularis Obſeruantię eorum vergeret detrimentum. Nec inde ſequitur, non Mendicantes virtute Cruciatæ poſſe Confeſſorem eligere pro abſolutione reſeruatorum, tum ob priuilegiorum communionem, quam habent; tum quia id per diuerſas conſtitutiones Pontificias, ac nouiſſimè Clem. VIII. & Vrbani VIII. ſic expreſsè cautum habetur.

12. Obiicies quartò, quia prædictæ conſtitutiones, ſeu declaratioaes Pontificię ad ſummum durant, quandiu durat vita Pontificum, qui eas ediderunt, per Bullam enim Cruciatæ editam à ſucceſceſſore reuocantur: immo nonnulli opinantur, conſtitutionem declaratoriam cuiuſcumque Pontificis non extendi vltra annum; tum quia Bulla Cruciatæ incipit, & expirat ſingulo quoque anno, & conſequenter prohibitio, ſeu declaratio ab vno Pontifice edita reuocatur per Bullam eiuſdem anno ſequenti promulgatam: tum quia Pontifex potuit ſuam conſtitutionem reuocare; cenſetur autem reuocaſſe eo ipſo, quòd priuilegium conceſſit abſque vlla limitatione ſaltem generali quoad omnes Regulares; ſi enim voluiſſet Religioſos non gaudere eo priuilegio, expreſſiſſet in Bulla ſequentis anni.

13. Reſpondetur primò, per Bullam Cruciatæ ſuſpendi priuilegia rectam eiuſdem Bullę expeditionem impedientia, cùm tamen hæc ſit generalis ſuſpenſio, non comprehendit priuilegia, quæ ſpecialem requirunt ſuſpenſionem, cuiuſmodi ſunt ea, de quibus in præſenti eſt noſtra diſputatio.

Reſpondetur ſecundò Pontifices, à tempore Leonis X. vſque ad Vrbanum VIII. ſemper declaraſſe, vt ſuprà; ridiculum autem videtur dicere, quòd Pontifices velint ſuas declarationes, ſeu conſtitutiones reuocare per Bullam anno ſequenti promulgandam, nulla de illis facta ſpeciali mentione.

14. Obiicies quintò, quia Bulla Cruciatæ pro anno ſequenti promulgata non videtur propriè eadem cum præcedenti, ſed noua, ac diuerſa, quamuis ſit eiuſdem Pontificis. Ratio eſt, quoniam conceſſio Bullæ facta ab vno Pontifice, etiam pro toto vitæ ſuæ tempore, æquiualet multis conceſſionibus, itaut ſint quaſi repetitæ conceſſiones annuæ, hoc enim priuilegium dumtaxat annuum eſt, & ſingulo quoque anno finitur, & expirat, itaut elapſo promulgationis anno, non poſſit quis ampliùs tali priuilegio frui, niſi ſequenti anno promulgetur, & denuò Bulla ſumatur. Exemplum habetur in iure accommodatiſſimum, quoniam ſi in ſingulos annos ſit relictum legatum, vel vſusfructus, cenſentur plura annua legata, & quolibet anno repetita. *l. cùm in ſingulos. ff. de annu. legat.* Idem videtur dicendum de Bulla, quæ pro pluribus annis conceditur, & quolibet anno finitur, & incipit cum noua promulgatione. Hoc argumento vtitur Baſil. Pont. de Leone *in quodam ſuo manuſcr. de pœnit. c. 4. dub. 2.* atque illud confirmat exemplo ex alio caſu valde ſimili. Nam Sixtus V. in quadam ſua conſtitutione edita contra procurantes abortum, id peccati genus ſibi abſoluendum reſeruauit, voluítque vt virtute Cruciatæ quis abſolui nequiret, expreſsè enim illi derogauit. Et nihilominus Suar. de hoc conſultus, reſpondit, poſſe abſolui ab eo peccato per Bullam anni ſequentis, cùm illud ſit annuum, & nouum priuilegium, & nouo eo conceſſo, videtur derogata prima conſtitutio, cuius in nouo priuilegio nulla fiebat expreſſio, ſeu exceptio. hoc autem conſultum teſtatur *ibidem* Baſilius legiſſe, & apud ſe habuiſſe.

Reſpondetur tamen, quòd quicquid ſit

Digitized by Google

ſit de conſulto, Suarez nihil refert, quia ſapientis eſt mutare conſilium. Conſtat autem ipſum *tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 16.* contrarium ſenſiſſe: immo volẽs oſtendere, nec ante, nec pòſt Clementem VIII. potuiſſe Regulares virtute Cruciatæ eligere Confeſſorem extra Religionem, vel abſolui à reſeruatis, id probat, quia non ſolùm alij Pontifices, ſed etiam Clemens VIII. declararunt, conceſſionem Cruciatæ, quoad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſeruatis, nõ habuiſſe, nec habere locum in Religioſis, aut Monialibus vſque ad eius tempora. Igitur (infert Suar.) neque modò habebit. Probat conſequentiam ex eo, quia tenor Bullarum ſubſequentiũ eſt omnino idem, & immutatus, præſertim quoad extenſionem, ſeu comprehenſionem perſonarum, quæ priuilegiis Bullæ vti poſſunt; & ſolùm certo annorum numero, nempe ſexto quolibet anno, à Sede Apoſtolica accipit confirmationem, eodem tamen manente Bullæ tenore: ergo, ſi antea Bullæ conceſſio non comprehendebat perſonas religioſas, vt prædicti Pontifices declarant, nec modò comprehendet; noua enim extenſio ad illas non cenſetur fieri, niſi per nouam clauſulam, ſeu nouam declarationem, id explicetur.

Dvbivm XIII.

An ſufficiat tacita Prælatorum licentia, vt Religioſus poſſit Bullam Cruciatæ ſumere ad effectum eligendi Confeſſorem, & cuius Prælati licentia requiratur.

1. PArtem affirmatiuam tenent expreſſe Enriq. *lib. 7. c. 22. n. 4.* Rodr. *in Bull. §. 9. n. 25.* & idem ſentiunt DD. allegati *dub. 11.* pro parte affirmatiua. Et

Probatur primò, quia licèt ſæpe contingat, quòd Regulares non habeant expreſſam ſuorum Prælatorum facultatem, dum nec ab eis explicitè datur, nec à ſubditis explicitè petitur, vt in multis Religionibus vſus, & experientia docet; habent tamen ad id tacitam Prælatorum facultatem, eámque ſufficere arbitrantur præcitati authores, quia (vt habetur ex iuris axiomate) qui tacet, conſentire videtur, & tacitus conſenſus dat iuriſdictionem, vt trad. Nau. *cap. placuit, de pœnit. d. 6. n. 96.* Alcoç. *ſum. c. 9. concl. 9.* Inſuper conſuetudo ampliat, & dat iuriſdictionem, vt docet Nauar. *ſum. c. 27. n. 255.* & habetur ex *cap. ſi duo, cum gloſ. de off. ord.* ſed ſic eſt, quòd in multis Religionibus etiam mendicantibus, vidẽt Prælati ſubditos abſque licentia ab eis impetrata, Bullam ſumere ad effectum abſolutionis à reſeruatis, & hãc eſſe vniuerſalem ſuarum Religionum conſuetudinem. ergo ex tali conſuetudine, & tacito conſenſu licitè poſſunt Regulares vti Bulla ad prædictũ effectum abſque expreſſa Prælatorum facultate, præſertim cùm poſſint, & nolint id prohibere.

Secundò probatur, quia non ſolùm fuit Regularibus prohibitus per Leonem X. *vbi ſuprà*, vſus Bullæ ad prædictum effectum, ſed etiam ad veſcendum cibis vetitis, vt habetur *in compendio priuilegiorum Mendicantium, titul. Cruciata, fin. & titul. abſolutio ordinaria quoad Fratres* §. 21. ſed, hoc nonobſtante, ex tacito Prælatorum conſenſu, vt conſuetudo ipſa probat, poſſunt vti, & de facto vtuntur, prædicti Regulares Bulla ad cibos prohibitos. ergo ex eodem tacito conſenſu, vel conſuetudine introducta poſſunt licitè vti priuilegio Bullæ pro abſolutione à reſeruatis.

Neque obſtat huic doctrinæ textus in *c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ.* vbi habetur, nulla conſuetudine introduci poſſe,

poſſe, vt quis pro ſua libertate eligat Confeſſarium. Reſpondetur enim quòd prædicti Regulares, dum ex tacito Prælatorum conſenſu id videntium, & non prohibentium, vtuntur prædicto priuilegio Bullæ, iam non ex ſua, ſed ex tacita Prælatorum ſuorum voluntate eligunt Confeſſarium.

Tertiò probatur, quia leges reuocatoriæ priuilegiorum non cēſentur vim, ſeu robur habere, donec promulgentur, non ſolùm in Prouincia, ſed etiam in diœceſi, vt tradunt Sot. *lib.* 1. *de iuſt. q.* 2. *art.* 4. & Metina 2.2. *q.* 21. *art.* 4. & plures alij, qui in materia de legibus referri ſolent. Igitur indulta Regularibus per Sedem Apoſtolicam facta, quibus priuilegium cunctis fidelibus virtute Cruciatæ conceſſum reuocatur, non habent robur contra Regulares ipſos, vbi non ſunt promulgata, ſaltem in Capitulis prouincialibus, ſeu Conuentuum viſitationibus per Superiores factis. Ratio eſt, quia per huiuſmodi promulgationis defectum videtur Superiores quodammodo renunciare ſuis indultis, & conſequenter tacitam ſuis ſubditis concedere facultatem vtendi Bulla.

Hæc opinio ſatis probabilis, & pia mihi videtur; nihilominus tutiùs exiſtimo, quòd requiratur expreſſa Prælatorum facultas, vt Religioſi poſſint Bullam ſumere ad prædictum effectum, tum quia id exprimit Leo X. & alij Pontifices, tum etiam, quia ſic deducitur ex conſtitutione Sanctiſſimi D. Vrbani VIII. dum in ſua præallegata conſtitutione ſtatuit, quòd Regulares teneantur ſtare diſpoſitioni ſuorum Prælatorum quoad ſibi reſeruata: vnde ſufficiens ſumitur argumentum, quòd requiratur expreſſa Prælatorum licentia; tum denique, quia prædicta conſtitutio id diſponit ex Motu proprio, & conſequenter obligat Regulares omnino.

Ex dictis colligo, ſaltem in Religionibus D. Bernardi, & Societatis IESV non poſſe quenquam huiuſmodi licentiam tacitam in ſui fauorem allegare, cùm ſufficienter earum conceſſiones promulgentur. Idem ſentio de Religione Minorum regularis Obſeruantiæ, cùm in generali Congregatione, ſub anno 1621. Segouiæ celebrata (præſidente in ea Reuerendiſſimo Patre Fr. Benigno de Genua totius Ordinis Generali Miniſtro) ſic fuerit deciſum. Et quidem de aliis Religionibus idem ſimiliter videtur ſentiendum iuxta præcitatam Vrbani Octaui conſtitutionem.

2. Sed quæres primò, an Commiſſarij Generalis Cruciatæ declaratio ſit nunc ſufficiens, vt Regulares abſque Prælatorum licentia poſſint priuilegio Bullæ vti ad prædictum effectum?

Reſpondetur negatiuè, nam ſic habetur expreſsè in prædicta conſtitutione Vrbani, vbi aliter declarandi, ſeu interpretandi auctoritas interdicitur omnibus, & ſingulis iudicibus ordinariis, & delegatis, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, ac Sedis Apoſtolicæ Nunciis; necnon Cruciatæ Commiſſariis.

3. Quæres ſecundò, cuius Prælati licentia requiratur, vt licitè, & validè poſſint Regulares Bullam ad prædictum effectum ſumere?

Reſpondetur, quòd cùm in caſu iſto agatur de iure tertij, ad eum Prælatum ſpectat, huiuſmodi licentiam cōcedere, ad quem de iure cōmuni ſpectat à caſibus reſeruatis abſoluere, & conſequenter requiritur licentia Prælati Generalis, ſeu Prouincialis, nec ſufficiens videtur licentia Prælati localis, niſi fortaſſe in iis Religionibus, in quibus Prælati locales poſſunt etiam de iure à dictis caſibus abſoluere, & abſoluendi facultatem aliis quoque delegare.

Digitized by Google

Dubium XIV. & vlt.

Vtrùm ſaltem Nouitij cuiuſcunque Religionis, etiam mendicantis, poſſint abſque Prælatorum licentia tacitè, vel expreſsè ſumere Bullam Cruciatæ ad eligendum Confeſſorem pro abſolutione à reſeruatis.

1. Nonnulli recentiores cum Cord. *lib.1. quæſt. q.30.* & Collecto. *in comp. priuileg. Mendicantium, verb. abſolutio, quoad fratres.* §.4. *dub.2.* & Paſarel. *in comp. Minimorum tit. notanda priuilegia.* §.15. *fol.*179. aſſerunt, non poſſe vti priuilegio Bullæ ad prædictum effectum abſolutionis à reſeruatis.

2. Cæterùm oppoſitum cenſeo verius, & omnino tenendum, ſicut tenent etiam Enriq. *lib.7. cap.*21. Rodr. *in Bull.* §.4. *n.27. & tom.1. quæſt. regul. q.21. art.*11. & Lop. *in ſum. lib.* 1. *cap.* 27. aſſerentes, hanc opinionem eſſe communem DD. & probatur

Primò ex communi ſententia DD. cum Syluest. *ver. Nouitius.* 5. *q.* 6. Roſel. *ibi.* §. *vlt.* Angel. §.18. Sot. 7. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 1. qui omnes ſine controuerſia docent, Nouitios non obligari ad præcepta Regulæ. ergo nec obligantur ad non ſumendam Bullam ad prædictum effectum ſine licentia Prælati. Patet conſequentia, quia grauius multo eſſet, obligare illos ad non gaudendum Bulla pro abſolutione à reſeruatis, quàm ad ſeruanda alia præcepta Regulæ. ergo ad id non obligantur, cùm eadem ſit vtriuſque ratio. Et licèt Nouitij quibuſdam priuilegiis profeſſorum gaudeant, non inde ſtatim fit conſequens, ſentire debere ſub peccato grauiora onera illorum, cùm fauores ſint ampliandi, & odia reſtringenda.

Secundò, quia, vt habetur ex *c. monaſterijs* 19. *q.* 3. *& cap. ad Apoſtolicam, de Regular.* Nouitij ſolùm ingrediuntur ad probandum, & experiendum, ſi mores Religionis illis placeant, non tamen ingrediuntur ad probandum cum grauamine, quod habent profeſſi, vt ſi contrarium faciant, peccent mortaliter. ergo Nouitij rectè poſſunt vti Bulla abſque facultate Prælatorum, quantumuis Regula, & Prælatus id eis prohibeat. Maior, cum conſequentia eſt nota, & minorem probo exemplo paupertatis; veniunt namque Nouitij ad experiendam paupertatem, & tamen, quamuis magnam pecuniæ quantitatem donent, vel donatam accipiant, abſque vlla Prælatorum licentia, non peccant mortaliter. Neque obſtat, ſi velis hanc rationem retorquere, dicens, quòd cùm Nouitij ingrediantur ad probandum, an poſſint ferre auſteritatem Regulæ, etiam debent probare prædictum rigorem de non eligendo prohibito Confeſſario pro reſeruatis. nam reſpondebo, quòd in ipſo effectu expediens eſt, illum rigorem probare, ſed ad id ſunt à Magiſtris inuitandi, non tamen ad id tenerentur ſub obligatione peccati mortalis. Neque opus eſt, vt Nouitij totum Religionis rigorem & ſingula eius grauamina experiantur, ſed quòd illa nouerint, vt ſic voluntariè ea ſuſcipiant. Immo eſt contra conſilium Patrum, proponere totum Religionis rigorem in principio experiendum, ſed paulatim proponendus eſt.

Tertiò probatur, quia priuilegia conceſſa Religionibus ad impediendum vſum Bullæ in ordine ad prædictum effectum abſolutionis à reſeruatis, ſolùm id prohibent illis, qui verè religioſi ſunt, ſed Nouitij non ſunt verè religioſi, vt docet Sylu. *ver. religio* 5. *q.* 9. 10. *&* 12. Roſel. *ver. nouitius.* §.12. Ang. *ver. religioſus* §.3. *&* 4. Rodr. *vbi ſuprà.* & conſtat ex *cap. religioſi, de ſent. excom in* 6. vbi nō impeditur Nouitius facere teſtamentum,

Digitized by Google

mentum, neque illud reuocare, vt docet Couar. *c. 12. de teſtam. n.* 4. & colligitur ex Tridẽtino *ſeſſ. 25. de regul. c. 16.* Nec poteſt puniri à Prælato carcere perpetuo, etſi delictum ſit atrociſſimũ, teſte Sylu. *ver. Religio q.* 7. & Roſel. *ver. Nouitius.* §. 12. Et ratio ipſa idem manifeſtè comprobat, quia, cùm Nouitij ante annum impletum probationis non emiſerint tria eſſentialia Religionis vota, prout ſunt neceſſaria ad conſtituendum verum Religioſum, apertè ſequitur, ipſos non eſſe veros religioſos, & conſequenter non prohiberi eis per prædicta priuilegia vſum Bullæ pro abſolutione à reſeruatis, cùm illa ſolùm loquantur cum religioſis, qui verè tales ſunt.

Verùm quia video nonnullos Religionum Prælatos ita adhærere oppoſitæ ſententiæ, vt hanc noſtram prædictam aſſertionem nullo modo probabilem autumẽt, nec conſulendam iudicent tuta conſcientia, placet quibuſdam eorum obiectionibus facere ſatis.

3. Obiiciunt enim primò, quòd qui mutat domicilium, ſubditur omnino ſpeciali iuriſdictioni Prælati illius loci, ad quem migrat, vt conſtat ex *c. fin. de paroch. & c. propoſuiſti, & cap. fin. de for. comp.* & docent Sylu. *verſ. domicilium n.* 2. & Cord. *lib. 1. queſtion. q. 30. in 2. ſententia prob.* 7. ſed Nouitius mutat domicilium propter ſuſceptionem habitus. ergo manet omnino ſubditus Prælato Religionis, & extra iuriſdictionem Epiſcopi, & Parochi. Maior cum conſequentia eſt nota; & minorem probo, quia ibi dicitur quis habere domicilium, vbi ſe transfert cum animo in eo loco remanendi, vt conſtat ex *c. fin. de paroch & c. ad Apoſtolicam, de decimis, verb. oſtenſis*; ſed, huiuſmodi eſt Nouitius, vt de ſe conſtat. ergo verè ſuſcipiendo habitum mutat domicilium, atque ideo manet intra iuriſdictionem Prælati quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ; ſicut & profeſſus.

Reſpondeo ita eſſe, quòd ex mutatione habitus, & ingreſſu Religionis verè mutatur domiciliũ, & manet Nouitius ſub iuriſdictione Prælati, itaut Prælatus ſit, ſecũdùm ius cõmune, proprius eius Sacerdos, cui debeat confiteri, & non alteri, niſi de eius licentia; cum hoc tamen ſtat, quòd talis Nouitius ex priuilegio Summi Pontificis, quale ei conceditur in Bulla Cruciatæ, poſſit eligere Confeſſariũ abſque licẽtia Pręlati pro abſolutione à reſeruatis.

4. Secundò obiiciunt, quia, vt conſtat ex *compendio priuilegior. Mendicantium, titulo abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 4. Summus Pontifex ſolis Prælatis Religionum, vel ab eis delegatis, concedit facultatem abſoluendi Nouitios: ibi enim dicitur quòd Miniſtri Generalis, & Prouincialis, eorúmque vicesgerentes & cuſtodes poſſint eoſdem Nouitios abſoluere, & cum eis diſpenſare. ergo aliis, præter iſtos, non concedit Summus Pontifex facultatem eos abſoluendi.

Ad hoc quidam reſpondent cum Cord. *lib.* 1. *q.* 30. per illam clauſulam ſolùm concedi facultatem Prælatis abſoluendi à cenſuris, & votis Papæ reſeruatis; ne Nouitij his vinculis irretiti, occaſione quærendi abſolutionem, vel diſpenſationem Pontificis, à perſeuerantia in Religione impediantur. Sed non placet hæc ſolutio, quia, per ſe loquendo, nullum votum eſt, quod non ſufficienter commutetur in ingreſſum Religionis; quòd ſi votũ fuiſſet de Religione ſtrictiori, etiam per priuilegia Mendicantium, ſufficienter ſatisfit voto, ingrediendo in quamlibet illarum, immo & in quamcũque aliam Religionem quę communicet priuilegiis Mendicantium. Quare ad argumentum reſpondeo, re vera ibi concedi facultatem

Digitized by Google

abſoluendi à peccatis; cum hoc tamen ſtat (vt *ſuprà* dixi,) quòd Nouitij ratione ſpecialis priuilegij, cuiuſmodi eſt Bulla Cruciata, poſſint abſolui à reſeruatis per alios, quàm per aſſignatos à Prælatis.

5. Sed obiiciunt tertiò, quia quí poteſt abſoluere, poteſt ligare, & è conuerſo, cùm ligare, & abſoluere ſacramentaliter eiuſdem ſit poteſtatis, vt conſtat ex *c. ſi Petrus 24. q. 1. & c. inferior. d. 21.* & conſtat etiam ex *l. qui condemnare. ff. de re iudic. & l. nemo la 1. ff. de reg. iur.* Sed Prælati Religionum poſſunt abſoluere Nouitios à peccatis: ergo & ligare, atque adeò & coercere, vt dum in monaſterio manent, & in diſciplina regulari perſeuerant; non ergo alios Confeſſarios præter aſſignatos ab eis.

Reſpondetur, quòd quamuis Prælatus poſſit Nouitium, quandiu manet in clauſtro, ligare ad non vtendum priuilegiis ab alio inferiore Prælato dimanantibus, non tamen poteſt illum coercere, ne vtatur priuilegiis à Summo Pontifice conceſſis, cum clauſula derogatoria cuiuſcumque prohibitionis, vt habetur in Bulla.

6. Et ſi vlteriùs vrgeas, quòd qui ſentit commodum, ſentire debet & onus, vt conſtat ex *regul. qui ſentit, de reg. iur. in 6.* ſed Nouitius gaudet commodis aliorum Religioſorum. ergo ſentire debet & onera, quorum alterum eſt, non poſſe abſolui à reſeruatis ſine licentia Prælati; aliàs eius conditio amplecteretur omnia commoda ſæcularium, & profeſſorum.

Reſpondetur quòd Nouitij non gaudent omnibus priuilegiis profeſſorum, ſed aliquibus dumtaxat, & hoc ex ſpeciali priuilegio. Vnde, ſicut non ſentiunt niſi illa tantùm commoda, quæ eis ſunt ſpecialiter conceſſa, ita neque ſentire debent onera, quæ non fuerint illis ſpecialiter impoſita; inter quæ ſanè hoc non inuenitur, vt omnibus compertum eſt. Neque eſt inconueniens, quòd Nouitius fruatur fauoribus, quibus ſæculares, cùm illi non pugnent cum ſtatu Nouitij, ſi ſtatus dici poſſit. Et hæc quoad primum caput, dicta ſint ſatis.

CAPVT II.

De requiſitis ex parte Sacerdotis, vt poſſit eligi in Confeſſarium virtute Bullæ.

DVBIVM I.

An ſit in Eccleſia poteſtas remittendi peccata, & quibus præcisè conceſſa.

1. EXTITERE olim plures hęretici, qui hanc poteſtatem Eccleſiæ denegarunt, vt fusè oſtendit Cyprian. *lib. de lapſis, à principio* vbi huius pernicioſiſſimi erroris authorem indicat, fuiſſe Nouatianum. Idem Ambr. *lib. 1. de pœnit. à princ.* Auguſtin. autem *hæreſ. 38.* aſſerit, fuiſſe Nouatum. Hos verò diuerſos extitiſſe, alterúmque, nempè Nouatum fuiſſe Presbyterum Africanum, & alterum fuiſſe pſeudochriſtum Romanum, qui contra Cornelium ſchiſma excitauit, patet ex Damaſo *in vita Cornelij*, ac ex eodem Cornelio *in Epiſtola 1. Decretal.* Hieron. etiam *in lib. de ſcriptor. eccleſ.* docet, primum huius erroris authorem fuiſſe Nouatum, qui poſtea ſibi Nouatiani nomen adiunxit. Hic autem, poſtquam Epiſcopus factus eſt, huius hæreſis, veluti caput, ac Princeps fuit æſtimatus. Attamen, ob nominum ſimilitudinem confusè de

Digitized by Google

de vtroque hiſtoriæ agunt, vt habetur ex Euſeb. *lib.6.c.33.& 34.* Niceph. *lib.6. c.3.& ſeqq.* & Socrat. *lib. 4. hiſt. c. 28. & lib.8. Tripartita c. 9.* Cæterùm, omiſſis hæreticorum erroribus, ſic

2. Prima concluſio. De fide tenendum eſt, Chriſtum Eccleſiæ Paſtoribus reliquiſſe poteſtatem remittendi peccata. Ita habetur expreſsè in Concil. Lateran. *in c. firmiter, de ſum. Trinit.* & in Flor. *in literis vnionis ſub nomine Clauium,* expreſſiùs autem in Trid. *ſeſſ. 14.c.1.can.3.* & in Conſtant. *ſeſſ.8.& 15.*

Sed probatur primò ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram,* &c. quæ verba *Matth.18.* vniuerſaliter prolata ſunt ad omnes Chriſti diſcipulos.

Probatur ſecundò efficaciùs ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,* &c. quæ verba, communiter teſtantur DD. intelligenda fore de poteſtate remittendi peccata.

3. Sed quæres, num prædicta poteſtas conferat ad remiſſionem culpæ, an verò ad remiſſionem pœnæ?

Nonnulli opinantur per hanc poteſtatem non poſſe remitti peccatorum culpas, ſed ſolùm declarari remiſſas, & remitti pœnas, immo etiam quoad hoc vltimum, diſcrepant ipſi DD. Nam quidam aſſeruerunt huiuſmodi poteſtatem ſolùm ad remiſſionem pœnæ temporalis conferre: alij autem ad remiſſionem pœnæ æternæ. Priorem opinionem tenuit Magiſter ſentent. 4. *d. 16. & 18.* Altiſ. *lib.4.ſum.tract.6.c.8.* Alex. Alenſ. *4. p. q. 20. aliàs 21. memb. 1.* S. Bonau. *in 4.diſt.18. art.2.q.1. & 2.* atque *ibi* Gabr. *q. 2.* & Maior *q. 1.* Abul. *1. p. defenſorij c. 6.* immò & Adrian. *quolib. 5. art. 3.* probabilem arbitratur hanc opinionem, dubiam tamen, ac propterea ab illa diſceſſit.

Ducuntur primò, quia remiſſio peccati, quoad culpam eſt propria ſolius Dei. præcipua namque ratio culpæ in Dei iniuria conſiſtit, & conſequenter ad illum ſolum ſpectat, culpam remittere.

Secundò, quoniam poteſtas iſta ſemper ante omnem ſuam actionem ſupponit culpam remiſſam. igitur non eſt (dicunt) inſtituta ad culpas remittendas.

Probatur conſequentia, nulla enim potentia actiua dicitur ordinari ad effectum, quem ſemper ſupponit iam factum, alioquin ſuperflua eſſet. Antecedens probatur, quoniam poteſtas remittendi peccata vt aliquid operetur, ſupponit in ſubiecto interiorem pœnitentiam, ac contritionem: at ſine contritione nequit peccatum remitti, ea autem poſita, tollitur; igitur, cùm talis poteſtàs ſit verè potentia actiua, non eſt dicendum, quòd ordinetur ad culpæ remiſſionem, quam ſupponit factam, ſed ad remiſſionem pœnæ temporalis. Hinc præcitati DD. aiunt, poteſtatem hanc, & eius actionem fuiſſe indicatam *Ioan.11.* vbi Chriſtus Dominus ſolus Lazarum ſuſcitauit, deinde eundem ſoluendum tradidit diſcipulis. Similiter ſolus Deus ſuſcitat hominem per contritionem, remittendo culpam, committit autem Eccleſiæ poteſtatem ſoluendi vincula pœnarum, quæ manent. Ita videtur exponere Auguſtin. *tract.22.& 49. in Ioan.* & Cyril. *lib.7.* ſimiliter *in Ioan. c.23.* Greg. *homil. 26. in Euang.* Beda *Ioan.11.* atque *ibi* D.Thom. & alij.

4. Secunda opinio, eſtò conueniat cum præcedenti, negando huiuſmodi poteſtatem conferre ad culpæ remiſſionem, ob rationes aſſignatas, differt tamen, quia non ſolùm tenet conferre ad remittendas pœnas temporales, ſed etiam æternas. Ita Hug. Victor. *in ſum. ſent. tract.5.c.11.* Ricard. de ſancto Victor.

lib. de poteſt. ligan. & ſolu. c. 12. atque idem ferè tenet Medi. *C. de pœnit. tract.* 2. *q. de effectu abſolutionis ſacramentalis*; quamuis enim aſſerat, per contritionem ſupponi remiſſam pœnam æternam, addit tamen Regnum cœlorum adhuc eſſe clauſum, donec per hanc poteſtatem aperiatur. Ducuntur, quia vt poteſtas remittendi peccata ſit clauis Regni cœlorum, oportet quòd ipſum cœlum aperiat, & conſequenter eſt poteſtas tollendi peccatum quatenus impedit Regni cœlorum ingreſſum. Sed hunc impedit per æternam pœnam damni. ergo huiuſmodi poteſtas confert ad illam tollendam, & in hoc ſenſu cenſet Med. ſufficienter intelligi verba Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Sæpè enim pœna peccati, peccatum nuncupari conſueſcit. quod præcipuè verificatur de pœna æterna damni. atque ita non ſolùm quadrat metaphora clauis Regni cœlorum, ſed manet etiam ſalua neceſſitas, & efficacitas tam confeſſionis, quàm contritionis. Vnde tenet Med. per contritionem tolli culpam ac æternam ſenſus pœnam; damni autem pœnam nonniſi in ordine ad hoc Sacramentum. Hug. tamen, & Ricard. de vtraque pœna æterna damni, & ſenſus loqui videtur, forſitan quia hæ pœnæ cum proportione ſumptæ nunquam ſeparantur, ideóque ſi æterna pœna damni non remittitur, nec pœna ſenſus abſolutè remittitur, vt notat Suar. *tom.* 4. *diſp.* 16. *ſect.* 2. *n.* 4. Sit nihilominus

5. Secunda concluſio. Proprius, primarius, & præcipuè intentus actus huius poteſtatis, eſt peccatum remittere quoad culpam, & conſequenter etiam quoad pœnam æternam, necnon quoad temporalem, iuxta pœnitentis diſpoſitionem. De poſteriori parte huius concluſionis nulla eſt controuerſia inter DD. ſecunda verò pars neceſſariò ſequitur ex prima, iuxta communem doctrinam aſſerentium quòd, ablata culpa, neceſſariò tollitur æternitas pœnæ, & habetur ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 14. vbi, cùm dixiſſet, poſt remiſſam culpam nos debere adhuc ſatisfacere, ſubdit, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur. Prior igitur, quæ ſolùm ſupereſt probanda, de qua licèt fuerit aliquando controuerſia inter DD. nunc tamen adeò certa eſt, vt abſque errore negari non poſſit; & eſt iam communis Theologorum *in* 4. *diſt.* 18. & Richard. *ibi art.* 2. *q.* 1. Sot. *q.* 3. *art.* 1. *& diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 1. D. Thom. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3. atque *ibidem* plerumque Thomiſtæ, & præſertim Capreol. & Ledeſm. Caiet. *tom.* 1. *Opuſc. tract.* 18. *q.* 5. Scot. *diſt.* 14. *q.* 4. Palud. *diſt.* 19. *q.* 1. vbi etiam Dur. & in eandem ſententiam propendet Adrian. *q.* 2. *de clauib.* quibus adhæret Suar. *loc. cit.*

6. Suadetur primò ex abſoluta, & propria verborum ſignificatione, quæ retinenda eſt, quantum fieri poteſt, præſertim in rebus ad fundamenta Eccleſię ſpectantibus. At peccatum propriè non ſignificat pœnam ſolam, ſed culpam. ergo remiſſio peccati abſolutè, & ſimpliciter prolata ſonat culpæ remiſſionem; remiſſio enim ſolius pœnæ, ſolùm eſt remiſſio peccati ſecũdùm quid.

Secundò idem ſuadetur ex præcitat. Concil. nam apud Florent. in literis vnionis, dicitur, rem Sacramenti, hoc eſt, effectum illius, eſſe peccatorum remiſſionem; conſtat etiam apertiſſimè ex Tridentino multis in locis ſi inter ſe conferantur. Hinc *ſeſſ.* 2. *can.* 1. poſtquam definiuit, pœnitentiam eſſe verè Sacramentum, ſtatim *can.* 6. definit continere, & conferre gratiam, & non eſſe tantùm acceptæ iuſtitiæ ſignum. & *ſeſſ.* 14. *c.* 3. docet, effectum Sacramenti huius, eſſe reconciliationem cum Deo;

per

Digitized by Google

per remiſſionem autem pœnæ non reconciliatur homo cum Deo, benè tamen per remiſſionem culpæ, vt patet ex verbis eiuſdem Concilij dicentis, ad huiuſmodi reconciliationem conſequi ſolere conſcientiæ pacem, & tranquillitatem; quæ proprie ſequitur ex remiſſione culpæ.

Tertiò ſuadetur ex communi doctrina Patrum aſſerentium, ſacramentum Pœnitentię eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium, & habetur ex Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 2. At, ſi ante ſuſceptionem huius Sacramenti, & abſolutionis, homo ſola Dei gratia liberatur à peccato, non eſt, cur dicatur ſecunda tabula poſt naufragium, cùm ſine ea homo liberetur à peccato.

7. Ex dictis patet ſolutio ad vtramque opinionem præcedentem. Nam

Ad primu n fundamentum primæ ſententiæ concedimus, ſolum Deum propria auctoritate, tanquam principale agens, remittere peccatum; Confeſſarium autem, tanquam Miniſtrum illius, & hoc tam quoad culpam, quàm quoad pœnam.

Ad ſecundum eiuſdem ſententiæ fundamentum dicimus falſum aſſumere, quoniam abſque præfata contritione poſſunt interdum per hanc poteſtatem peccata remitti, immò & peccata, quæ per contritionem tolluntur, non tolluntur, niſi in ordine ad hanc poteſtatem quæ ad illa etiam tollenda eſt quidem per ſe ordinata. Vnde Patres *ibidem* citati intendunt in primis Deum eſſe, qui ſua virtute animam viuificat, vtitur autem hominibus, vt miniſtris. Atque id etiam ſignificatum fuit in illo facto *Ioan.* 11. vt rectè obſeruat D. Thom. 3. *part q.* 84. *art.* 3. *ad* 3. Deinde intendunt etiam Sancti docere, quòd Deus priùs ſua gratia hominem interiùs excitat ad pœnitentiam, & vitam ſpiritualem comparandam, vt poſtea poſſit à Sacerdotibus abſolui: non tamen (inquiunt) ſemper opus eſſe, vt ob illam excitationem vera ſemper contritio, ſeu iuſtificatio præcedat. Angel. enim *vbi ſuprà* cenſet, peccatorem à Domino excitatum per internam pœnitentiam, eſto ſit quodammodo viuificatus, non tamen eſſe plenè ſolutum, aut liberum ad ambulandum: quoniam, quamuis habeat aliquem vitę motum, quem ſolus Deus infundere poteſt, per contritionem, vel attritionem. Non tamen eſt plenè liber, quia vel nondum eſt verè iuſtificatus, vel quidem non abſque ordine ad claues Sacerdotum, apud quos poteſtas per ſe efficax ad remittenda peccata reperitur.

8. Ad fundamentum ſecundæ opinionis reſpondetur, per verba *ſoluendi*, & *ligandi* vtrumque inſinuari, poſſunt enim referri ad remiſſionem, & retentionem tam culpæ, quàm pœnæ cuiuſcunque, itaut remiſſio denotet actum poſitiuum, retentio autem negatiuum. Actus igitur poſitiuus, quem propriè, & primariò intendit hæc poteſtas, eſt remiſſio, ſeu ablatio culpæ, quod fit per propriam, & poſitiuam actionem, ideſt, per collationem gratiæ ſacramentalis, quæ mortalis culpæ expulſiua eſt, cùm nunquã culpa abſque gratiæ infuſione remittatur. Nec obſtat, ſi dicas per hanc poteſtatem peccata venialia interdum remitti, ad venialium autem expiationem non requiri gratiæ infuſionem. Non (inquam) obſtat, quia eſtò venialia poſſint abſque gratiæ infuſione remitti, ſi tamen Eccleſiæ clauibus ſubiiciantur, numquam ex vi Sacramenti remittuntur, niſi per gratiæ infuſionem. Alius verò actus retinendi peccata non eſt poſitiuus, & conſequenter nec fit per directam huius poteſtatis actionem, quoniam hæc poteſtas nec culpam influit, aut conſeruat, nec illius remiſſionem impedit, ſed iuridicã profert

Digitized by Google

fert ſentētiam dum Confeſſarius ſentit pœnitentem eſſe remiſſionis peccati indignum; & hoc modo dicitur, peccata retinere. Similiter philoſophandum eſt de hac eadem poteſtate reſpectu pœnæ: nam per actum remiſſionis culpæ, remittitur etiam pœna æterna, non ſolùm damni, vt conſtat ex dictis, ſed etiam ſenſus per commutationem eiuſdem in aliquam temporalem maiorem, vel minorem, iuxta pœnitentis diſpoſitionem. atque hæc remiſſio directè,& per ſe fit ex efficacia huius poteſtatis. Quatenus verò Confeſſarius pœnitentem non abſoluit, conſequenter nec pœnam remittit, & hac ratione dicitur illam retinere.

9. Tertia concluſio. Poteſtas remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ apud Sacerdotes ſolùm reperitur. Hæc concluſio eſt de fide, definitúrque in Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. *de Sacrament.* & in Tridentino *ſeſſ.14.c.6.can.9.&* 10. atque etiã in Conſtant. *ſeſſ.8.&* 15. & in Cauilonen. II. *c.* 33. & habetur *in c. quidam dicunt, de pœnit.diſt.*1. Immò eadem veritas definitur à Leone X. in damnatione articulorum Lutheri.

10. Poteſt autem ſic ſuaderi. Cui datur quod maius eſt, regulariter illi non negatur quod eſt minus; ſed maxima poteſtas poſſibilis viatori, eſt poteſtas conſecrandi verũ Chriſti corpus, quam Deus cunctis, & ſolis Sacerdotibus contulit. ergo eiſdem etiam contulit poteſtatem reſpectu corporis myſtici, clauem nimirum ſoluendi, & ligandi, quæ minor eſt. Confirmatur, quia in miniſtro huius Sacramenti neceſſariò requiritur poteſtas clauium, cùm nemo poſſit eſſe iudex abſque poteſtate; ſed huiuſmodi poteſtas cùm ſit ſupernaturalis non poteſt per ſe, & neceſſariò omnibus competere, ſed illis tantùm, quibus à Chriſto data eſt; vt conſtat euidenter. ergo illi dumtaxat poſſunt eſſe confeſſionis miniſtri, quibus Chriſtus hanc contulit poteſtatem. Contuliſſe autem ſolis Sacerdotibus, probatur ex *Ioan.* 20. vbi Chriſtus ſolis Apoſtolis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus in dignitate ſacerdotali dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,* &c. quorum verborum virtute dictam poteſtatem Chriſtum illis conceſſiſſe oſtenſum eſt *ſuprà.*

11. Sed quæres, vnde conſtet, illa verba intelligenda fore in dicto ſenſu, cùm Chriſtus Dominus variè loquutus ſit Apoſtolis; nam ſæpè illis loquutus eſt pro eorũdem perſonis, vt quando ipſis contulit poteſtatem eiiciendi dæmonia, & infirmos ſanandi. Interdum in illis loquutus eſt toti Eccleſiæ, vt cùm dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Aliquando locutus eſt eiſdem ac ſucceſſoribus in dignitate Epiſcopatus, vt cùm contulit illis poteſtatem ordinandi Sacerdotes. Vnde igitur conſtat non poſſe præcitata verba interpretari, niſi de Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus in dignitate ſacerdotali?

Reſpondeo in his, & ſimilibus non poſſe rationẽ aſſignari à priori, ſed per coniecturam, ſufficienter tamen. Nam cùm hæc poteſtas, & Sacramentum ad commune Eccleſiæ bonum ordinaretur, eſſétque vnum ex præcipuis fundamentis illius; hinc eſt, quòd ſicut Eccleſia erat perpetuò duratura, ita & hæc poteſtas. Atque inde deducitur præcitata verba non eſſe Apoſtolis perſonaliter dictã, ſed pro illis, ac eorum ſucceſſoribus. Præterea, cùm hoc Sacramentum ſit grauiſſimum iudicium, non debuit cuilibet de populo indifferenter committi, ſed determinatis iudicibus. Immo, cùm ſit iudicium ſacrum, non niſi ſacer miniſter, ſeu conſecratus inſtitui debet. Deinde nec ſolis Epiſcopis

Digitized by Google

pis reſeruari oportuit, cùm Sacramentum iſtud magnæ neceſſitatis exiſtat,& iudicium frequenter, & communiter exercendum. Ideóque hinc etiam conſtat, verba illa non intelligi de Apoſtolis, vt ſimpliciter totam Eccleſiam, aut etiam Epiſcopos, ſed vt Sacerdotes ſolùm repræſentabant. Et quod potiſſimum eſt, hanc interpretationem confirmat infallibilis traditio Eccleſiæ, coniuncta cum perpetua conſuetudine, cuius nullum initium, neque in aliquo Concilio, neque in vllo pontificio decreto agnoſcitur. Vnde conſequenter deducitur, eandem fuiſſe etiam traditionem Apoſtolorum præcitata verba Chriſti ita interpretantium. Hinc autem tria neceſſariò ſequuntur.

12. Primum eſt, hanc poteſtatem Eccleſiæ relictam ad peccata remittenda non requirere ſimpliciter ſanctitatem in Sacerdote, qui conſequenter poteſt eſſe ſufficiens huius Sacramenti miniſter, eſto iniquus fortaſſe exiſtat. Sic definitum eſt in Tridentino *ſeſſ.* 14. *can.* 10. Et ratio eſt, quia miniſterium iſtud non innititur ſanctitati, ſed poteſtati à Chriſto conceſſæ, quæ ob lethale peccatum non amittitur.

13. Secundum eſt, Eccleſiam in nullo caſu poſſe diſpenſare, vt aliquis non Sacerdos ſacramentaliter abſoluat. Ita ſentiunt communiter DD. Theologi, & eſt etiam de fide, habetúrque ex Tridentino *loc. cit.* vbi abſolutè definit, ſolum Sacerdotem poſſe eſſe huius Sacramenti miniſtrum. Ratio eſt, quia, abſque clauium poteſtate, nullus poteſt eſſe ſufficiens huius Sacramenti miniſter: poteſtas autem clauium in charactere ſacerdotali fundatur. Vnde ſicut nullus, niſi Sacerdos poteſt etiam ex diſpenſatione, vel neceſſitate quacumque verum Chriſti corpus conficere, ita nec circa myſticum eiuſdem Chriſti corpus miniſteriũ Sacramenti exercere.

14. Tertium eſt, confeſſionem factam non Sacerdoti, etiam in quacunque neceſſitate, nullam omnino eſſe ex poteſtatis defectu, eſto quauis ſanctitate præfulgeat is, cui fit confeſſio. Ita habetur ex *cap. noua, de pœnit. & remiſſ.* & eſt communis DD.

DVBIVM II.

Quo proponuntur, & ſoluuntur aliqua obiectiones contra tertiam concluſionem præcedentem facta.

1. COntra vltimam concluſionem præcedentem videtur obſtare in primis illud Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* vbi, cùm ſermo ſit ad omnes fideles, omnibus vtique videtur tribui poteſtas abſoluendi. Vnde Aug. *de ver. & falſ. pœnitentia,* relato *cap. qui pœnitet. diſt.* 1. *de pœnit.* ſic ait: Tanta eſt vis confeſſionis, vt ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo; & ſaltem de venialibus videtur dicendum, confeſſionem poſſe fieri laico; tum quia venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis; tum etiam, quia Beda allegatus à Magiſtro ſententiarum *in* 4. *diſt.* 17. inquit: Coæqualibus quotidiana, & leuia, grauiora verò Sacerdoti pandamus.

2. Secundò obſtat *cap. extra, de furt.* vbi præcipitur, vt fur qui in actuali furto comprehenſus interficitur, careat ſepultura. & ſtatim ſubditur: Si autem Preſbytero, vel Diacono confeſſus fuerit, communione non priuetur. Confirmatur ex D. Cyprian. *lib.* 3. *epiſt.* 13. vbi committit Diacono, quòd in abſentia Sacerdotis reconciliet pœnitentem iam animam agentem.

3. Tertiò non minoris neceſſitatis eſt ſacramentum Pœnitentiæ relapſis poſt Baptiſmum, quàm Baptiſmus ipſe ob remiſſionem peccati originalis. Sed

Digitized by Google

in caſu neceſſitatis, quilibet laicus, immo & fœmina, *cap. mulier, de conſecrat. diſt.* 4 poteſt baptizare. ergo ſimiliter in caſu neceſſitatis poterit quilibet confeſſiones audire & abſoluere. Confirmatur, quia interdum is, qui ex ſe non eſt ſufficiens, ac idoneus miniſter ad Sacramentum aliquod miniſtrandum, poteſt ex Summi Pontificis diſpenſatione fieri idoneus, vt patet in ſacramento Confirmationis, in quo eſto Epiſcopus ſit ordinarius, & idoneus miniſter, ex diſpenſatione tamen Pontificis poteſt ſimplex Sacerdos illud conferre. ergo idem videtur dicendum de ſacramento Pœnitentiæ, præſertim cùm ſit maioris neceſſitatis.

4. His argumentis ducti, nonnulli authores catholici, aſſerunt in caſu vrgentis neceſſitatis, cuiuſmodi eſt, articulus mortis, ſi non adſit copia Sacerdotis, poſſe quempiam, immò teneri, confiteri laico. Ita Mag. ſent. *in* 4. *diſt.* 17. *p.* 2. nec diſſentit D. Thom. *ead. diſt. q.* 3. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. & conſentiunt gloſſ. *in d. cap. fures, de furt.* & Panorm. *ibidem.* Hanc tamen opinionem falſam eſſe ſatis conſtat ex dictis pro noſtræ concluſionis confirmatione. Vnde præcitati authores ſunt cautè legendi, vt notauit Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 1. *concluſ.* 3. Quapropter certum eſt, non eſſe interpretandos de confeſſione ſacramentali, quæ, vt ex Tridentino oſtenſum eſt *ſuprà,* non poteſt fieri, niſi Sacerdoti. Vnde addunt iidem authores eum, qui laico confitetur, teneri iterum Sacerdoti confiteri, interímque à ſummo Sacerdote Chriſto abſolui.

5. Alij DD. aiunt in caſu neceſſitatis, & deficiente Sacerdotis copia, debere quempiam laico confiteri, non quidem ratione præcepti, ſed ratione conſilij ad humilitatem exercendam, & conſilium petendum. Ita Alenſ. 4. *p. q.* 19. *memb.* 1. *art.* 1. qui tamen docet, huiuſmodi confeſſionem non eſſe ſacramẽtalem. Idem ſentit D. Bonauentura *in* 4. *d.* 17. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. & Palud. *ead. diſt.* 17. atque etiam Nauar. *c.* 1. *de pœnit. diſt.* 6. *num.* 72. qui ſubiungit id licere, modò laicus, cui confeſſio erit facienda, ſit perſona prudens, à qua poſſit vtiliter, & rationabiliter ſecretum ſperari; pœnitens autem conſilio, & auxilio indigeat; cui ſubſcribit Suar. *diſp.* 24. *ſect.* 1. *n.* 12. addit verò, quòd niſi hæ circunſtantiæ concurrant, melius erit ſoli Deo confiteri.

6. Scotus autem vtramque opinionem reprobat, aſſeritque confeſſionem laico faciendam nec ſacramentalem eſſe, nec neceſſariam, immo regulariter nec vtilem, nec conſulendam. Ita *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 4. *art.* 2. *&* *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. quæ doctrina ſatis conſtat ex ſupradictis quoad duas priores partes, & conſentit Sot. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 1. Durum tamen ſibi videtur dicere, quòd non ſit vtilis, nec conſulenda talis confeſſio, ſed immeritò, præſertim poſt hæreſim Lutheri, de qua haberetur quidem ſuſpectus qui laico confiteretur. Scotum ſequuntur Maior *diſt.* 17. *q.* 2. Gabr. etiam *q.* 2. *dub.* 7. & alij. Immo Scot. *vbi ſuprà,* dubitat an talis confeſſio ſit licita? & rationem reddit, quoniam nulli licet ſe infamare; qui autem peccata ſua laico reuelaret, ſeipſum infamaret, præſertim ſi reuelaret peccata turpia, & enormia, idque ſine cauſa legitima, quia nec ratione præcepti, cùm nullum detur de confeſſione laico facienda, nec ratione beneficij, cùm talis confeſſio non conferret gratiam ex opere operato.

7. Nec obſtat, ſi dicas, eiuſmodi confeſſionem eſſe vtilem ſaltem ob conſilium habendum, dum laicus ſit aptus conſulere, & pœnitens eget conſilij. non (inquam) obſtat, quia id poſſet fieri, proponendo caſum in vniuerſali, & in tertia perſona abſque perſonæ propriæ reuelatione.

8. Nunc

Digitized by Google

8. Nunc ſupereſt ſoluere argumenta in contrarium adducta.

Ad primum dico, in primis non eſſe certum ibi loqui D. Iacobum de confeſſione ſacramentali, ſed potiùs de accuſatione quadam propriorum peccatorum in generali ad humilitatis excitationem, & charitatem fraternam fouendam, vt colligitur ex verbis ſtatim ſubſequentibus, *& orate pro inuicem vt ſaluemini.* Vnde Beda diſtinguit inter peccata mortalia, & venialia, & priora ait eſſe confitenda Sacerdoti, poſteriora autem poſſe æqualibus, & coram aliis confiteri, quod non poteſt verum eſſe de ſacramentali cõfeſſione. quæ quamuis de venialibus facienda ſit, ſoli Sacerdoti fieri debet, vt probatum eſt *ſuprà.* Beda igitur exponendus eſt de accuſatione generali, quæ regulariter fit de peccatis venialibus. Atque eodem modo interpretanda ſunt verba Auguſtini.

Vel ſecundò, & meliùs reſpondetur iuxta communem ſententiam DD. verba Apoſtoli intelligenda fore de confeſſione ſacramentali: præmiſerat namque doctrinam de extrema vnctione, & eius effectu, & ne quis exiſtimaret, eo Sacramento remitti peccata mortalia, quorum haberet memoriam, ſubiicit, *confitemini alterutrum peccata veſtra*; ac ſi diceret, confitemini, qui abſolutione indigetis, illis qui abſoluendi habent poteſtatem. Itaque ſenſus erit, homines non tantùm Deo, ſed hominibus etiam debere confiteri peccata ſua, non autem omnes omnibus, ſed illis, qui ad hoc deputati ſunt, & poteſtatem habent, quod Apoſtolus ſupponebat eſſe in Eccleſia ſatis diſtinctum, & ordinatum.

9. Ad ſecundũ reſpondet Coninch. *diſp. 8. de pœnit. dub. 1. n. 5.* quòd *in c. fures,* non dicitur, Diaconum poſſe aliquem ſacramẽtaliter abſoluere, ſed poſſe eius confeſſionem audire, vt iudicet, an verè ſit contritus, & dignus, cui detur Communio; quam tunc temporis, abſente Sacerdote Diaconi adminiſtrabant; atque idem ſentit Suar. *ſuprà n.* 10. Mihi tamen non placet, tum quia difficile videtur Concilium ſtatuiſſe, vt Euchariſtia daretur ſolùm contritis, ſi lethalis culpæ conſcij eſſent cõtra eccleſiaſticam conſuetudinem, vt docet Tridentinum *ſeſſ.* 13. maximè cùm Euchariſtiæ ſacramentum, ex multorum ſententia, non ſit ſimpliciter neceſſarium reipſa ſumptum. Tum etiam, quia alia ſigna ſuppeterent, ex quibus iudicari poſſet, an eſſet contritus, quamuis Diaconus non audiret peccatorum confeſſionem.

Alij explicant dictum cap. de abſolutione ab excommunicatione, quæ etiam poteſt fieri à Diacono. quæ ſolutio videtur ſatis conſona Concilio Lateranenſi, in cuius appendice ſub Alexandro III. habentur eadem verba, quæ *in dicto c. fures* citantur; tamen ex Concilio Turonenſi ibi tantùm agitur de raptoribus rerum eccleſiaſticarum, cõtra quos lata eſt ſententia excommunicationis, ac propterea de abſolutione ab excommunicatione videntur fore intelligenda verba illa, *Communionem eis non negamus*, de quibus ſtatim dicemus. Nihilominus ratio ipſa contextus videtur ſolutioni iſti repugnare, vt ex mox dicendis conſtabit.

10. Quapropter duæ mihi videntur interpretationes legitimæ.

Prima eſt, textum illum intelligi de ſolemni reconciliatione, non verò de ſacramentali abſolutione. Ita Sot. *in 4. diſt.* 18. & Pamel. *in præcit. Cyprian. Epiſtolam,* & plures alij: & propendet etiam Fauent. *in 4. diſt. 17. q. vnic. n.* 25. Atque in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod in Concilio Elboracenſi ſub Calixto III. habetur, ſcilicet, Decernimus, vt niſi ſumma, & graui vrgente neceſſitate Diaconus baptizet, corpus Chriſti ero-

Digitized by Google

get, vel pœnitentiam confitenti imponat. Neque id mirum debet videri, cùm ſolennis reconciliatio pœnitentis ſoli Epiſcopo fuerit reſeruata, itaut neque Presbytero liceret, niſi in graui neceſſitate, vel in abſētia Epiſcopi, vt cōſtat ex Concil. Carthag. II. *cap.* 3. *&* 4. & aliis. Atque hæc quidem interpretatio rectè poteſt teſtimonio Cypriani accommodari; textui tamen *in d. cap. fures* adhuc non ſatis accommodatur, vt ex verbis ipſius colligitur.

11. Pro ſecunda igitur (& quæ mihi magis arridet) interpretatione præmitto verba ipſius textus, *Fures, & latrones ſi in furando, & depradando occiduntur, viſum eſt, pro eis non eſſe orandum; quòd ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Decernit itaque Canon pro eo, qui occiditur in flagranti delicto, non eſſe orandum, neque oblationem in Miſſa fieri debere, tanquam pro eo, qui in publico peccato obſtinatus deceſſit; at ſi comprehenſi, & vulnerati, ſigna pœnitentiæ dederint coram Presbytero, vel Diacono, quibus in hoc maior eſt adhibenda fides, ſicut & ipſorum maior eſt auctoritas, & tunc deceſſerint, vel ad ſupplicium rapti fuerint, & ſuſpenſi, tunc non eſſe eis negandam communionem. Quæ verba conſtat non eſſe accipienda de Euchariſtia, vt conuincit ſecunda pars textus, nempe, *vel ad ſuppliciū rapti fuerint, & ſuſpēſi*; nec tantùm de abſolutione ab excommunicatione, ſed ſimpliciter de communione eccleſiaſtica, iuxta quam & oratur pro mortuis, offertúrque ſacrificium, & datur eccleſiaſtica ſepultura.

12. Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam, diuerſa enim ratio eſt de ſacramento Baptiſmi, ac de ſacramento Pœnitentiæ; illud enim eſt ſimpliciter neceſſarium, præſertim infantibus, quibus nulla alia via patet ad ſalutem; pœnitentiæ autem Sacramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium: ſufficit namque contritio in caſu, quo Sacerdotis copia haberi non poſſit.

Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur, quòd non eſt par ratio de ſacramento Pœnitentiæ, ac de ſacramento Confirmationis, quia ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti Pœnitentiæ à Chriſto inſtitutū, tenet infallibilis, & antiqua Eccleſiæ traditio, ex fundamento verborū Euāgelij *Ioan.* 20. & *Matth.* 18. & habetur ex Conciliis *ſuprà* citatis; quæ autem à Chriſto inſtituta ſunt circa formam, materiam, & miniſtrum Sacramentorum, Eccleſia immutare non poteſt; at de ſacramento Confirmationis expreſsè docet Concilium Florentinum, ordinarium illius miniſtrum eſſe Epiſcopum, poſſe tamen ex Pontificis diſpēſatione à quouis Sacerdote conferri, & conſequenter maniſeſtè inſinuat aliter eſſe de miniſtro Confirmationis ſentiendum, quàm de miniſtro Confeſſionis.

13. Nec immeritò, quia ordinarij pœnitentiæ miniſtri, ſunt Sacerdotes, quorum cùm in tota Eccleſia ſit ſufficiens numerus, vix vnquam, aut ſaltem rarò accidere poteſt, vt in aliqua ciuitate deſit copia illius: ordinarius autem confirmationis miniſter eſt ſolus Epiſcopus, qui interdum deeſſe poteſt, non ſolùm in aliqua diœceſi, ſed in tota aliqua regione, & conſequenter non oportuit circa pœnitentiæ miniſtrum diſpenſatione vti, benè tamen circa Confirmationis miniſtrum. Adde, ſacramentū Confirmationis ſolùm Presbytero committi poſſe; Presbyter autem iam poteſtatē habet in verū Chriſti corpus, & adhuc durat controuerſia, an in charactere differat ab Epiſcopo? at ſi miniſteriū ſacramenti Pœnitentiæ committendum eſſet alteri, quàm Sacerdoti,

Digitized by Google

cerdoti, committeretur alicui non habenti poteſtatem in verum Chriſti corpus, quod omnino videtur diſſonum.

Dubium III.

Vtrùm ſimplex Sacerdos ſit eligibilis in Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ.

1. Ratio dubitandi eſt, quia apud Presbyteros reperiri poteſtatem remittendi peccata, cõſtat ex dictis *dub. præcedenti*, & conſequenter quilibet Sacerdos videtur eligibilis per Bullam; ex alia verò parte conſtat ex context. ipſius Bullæ, neminem poſſe per Bullam eligi in Confeſſorem, niſi ſit ab Ordinario approbatus. Vt igitur conſtet, quid circa huiuſmodi difficultatem tenendum ſit, præmittenda eſt explicatio illius controuerſiæ, num poteſtas remittendi peccata ſit eadem cum poteſtate Ordinis, an diuerſa?

2. Conueniunt in primis omnes Theologi, poteſtatem Ordinis in re nihil aliud eſſe, quàm characterem ſacerdotalem, quatenus ex diuina ordinatione per illum quiſpiam deputatur miniſter conficiendi corpus Chriſti, & iudex animarum in foro pœnitentiæ. Duplicem namque diſtinguunt Theologi poteſtatem Ordinis, alteram nimirum in corpus Chriſti verum, & eſt illa, quam Sacerdotes habent ad conſecrandum: alteram verò ſuper corpus Chriſti myſticum, & de hac nunc agimus, & nihil aliud eſt, quàm prædictus character, quatenus per eum quis deputatur iudex in foro pœnitentiæ. Vnde, ſicut hic character indelebilis eſt, ita etiam hæc poteſtas; & ſicut in Sacerdotibus character iſte inuenitur, ita etiam & prædicta poteſtas. Inſuper, quamuis ſacerdotalis character integer conſideratus duplicem habeat reſpectum, ſeu actum, vt iam oſtenſum eſt. Ratio tamen huiuſmodi poteſtatis non competit illi ſub præciſo reſpectu ad corpus Chriſti verum, ſed ſub habitudine ad corpus myſticum; atque ita explicarunt dictam poteſtatem Theologi *in* 4. *diſt.* 18. S. Thom. *ibi q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 1. Richard. *art.* 1. *q.* 3. Sot. *diſt.* 20. *q.* 1. & alij, quos ſequitur Suar. *in d. diſp.* 16. *ſect.* 3. *n.* 2.

3. Conueniunt ſecundò ferè omnes Theologi, ad effectum dictæ poteſtatis neceſſariò requiri poteſtatem iuriſdictionis, itaut abſolutio, vel ſententia data per poteſtatem Ordinis ſine iuriſdictione ſit nulla. Ita habetur ex Concilio Florentino *in decreto Eugenij*, atque ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 7. Ratio autem euidenter deducitur ex eo, quia huiuſmodi poteſtas eſt iudiciaria; omne autem iudicium, vt validum ſit, iuriſdictionem requirere certum eſt, de his enim, qui foris ſunt, nihil ad nos. quod ex infrà dicendis fiet magis manifeſtum. Obſerua tamen in Eccleſia duplicem exiſtere iuriſdictionem ſpiritualem: vnam videlicet in foro exteriori, & contentioſo, quæ deſeruit ad Eccleſiæ regimen, ad ferendas leges, & cenſuras, necnon ad determinationem cauſarum eccleſiaſticarum, de qua alibi erit ſermo: aliam autem in foro interiori, & pœnitentiali; & de hac controuertitur, an ſit eadem, vel diuerſa cum proteſtatione Ordinis?

4. Conueniunt tertiò ſimiliter ferè omnes, poteſtatem huiuſmodi ſaltem eſſe aliqua ratione diuerſam à poteſtate Ordinis, alioquin omnes Sacerdotes eſſent huius Sacramenti miniſtri, cuius oppoſitum de fide certum eſt. Nam in Concilio Florentino *vbi ſuprà*, ſic habetur: Miniſter huius Sacramenti, eſt Sacerdos habens auctoritatem abſoluendi vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. & Tridentinum *loc. cit.* ſic ait: Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei

Digitized by Google

fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem illam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionē. Igitur iuxta has Conciliorum deciſiones, firmiter tenendum eſt, non omnes Sacerdotes indifferenter eſſe huius Sacramenti miniſtros; ſed eos tantùm, qui ordinariam, ſeu delegatam habent poteſtatem. Rurſus, ſi omnes Sacerdotes haberent abſoluendi poteſtatem, omnes quidem eſſent iudices, & haberent poteſtatem ordinariam, & nullus ex commiſſione alterius, cuius oppoſitum manifeſtè indicant præcitata Concilia. Inſuper, ſi quilibet Sacerdos, ex vi Ordinis, eſſet huius Sacramenti miniſter, non eſſet neceſſariũ obtinere à proprio Sacerdote abſoluendi licentiam, iuxta text. *in c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* neque *in cap. ſi Epiſcopus, eod. tit. in 6.* dixiſſet Pontifex nulla conſuetudine fieri poſſe, vt præter Superioris licentiam poſſit aliquis Confeſſorem eligere. Sequitur ergo poteſtatem iuriſdictionis eſſe aliqua ſaltem ratione diuerſam à poteſtate Ordinis ſacerdotalis; neque id ampliùs in dubium reuocari poteſt.

5. Tota igitur controuerſia conſiſtit in modo explicandi differentiam, quæ inter vtramque poteſtatem reperitur, quando videlicet, & à quo hæc vltima conferatur.

Circa quam difficultatem ſunt duæ potiſſimùm opiniones.

Prima eſt Armacani *lib. 11. qq. Armenorum à c. 1. vſque ad 6.* vbi aſſerit Sacerdotes omnes iure diuino, & in ipſa ordinatione accipere veram abſoluendi à peccatis poteſtatem: quæ tamen per Eccleſiæ præceptum ſuſpenſa eſt, ne quilibet Sacerdos poſſit quemlibet, & de quolibet peccato abſoluere, & conſequenter inſinuat in re dictam poteſtatem non eſſe diſtinctam à poteſtate Ordinis, nec ſeparabilem ab ipſa, & poteſt ſic ſuaderi.

Primò quia per illa verba, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Chriſtus contulit Apoſtolis poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis in hoc foro; ex tunc enim potuit quilibet eorum abſque dependentia ab aliis confeſſiones ſacramentales audire, & abſoluere; ſed hæc eadem verba dicuntur in perſona Chriſti cuilibet Sacerdoti in ipſa ordinatione. igitur ex tunc quilibet Sacerdos conſtituitur iudex in hoc foro, ac ſubinde non ab Eccleſia, ſed à Chriſto immediatè habet iuriſdictionem abſoluendi.

Secundò, quia ſi Sacerdotes ab Eccleſia acciperent iuriſdictionem, & non à Chriſto immediatè, ſequeretur Summum Pontificem à nullo poſſe abſolui, ſicut nec excommunicari, quoniam ſicut nulli poteſt conferre iuriſdictionem ſupra ſe ipſum ad excommunicandum, ita nec poſſet eam conferre ad abſoluendum, ſed omnes fatentur poſſe Summum Pontificem confiteri cuicumque Sacerdoti ſimplici; ergo fateri etiam debent, Sacerdotes à Chriſto, & non ab Eccleſia habere auctoritatem abſoluendi.

Tertiò, quia à venialibus ſemper, & à mortalibus in extrema neceſſitate, quilibet Sacerdos eſt legitimus huius Sacramenti miniſter, nec oppoſitum poſſet Eccleſia ſtatuere. igitur conſequenter videtur dicendum, authoritatem abſoluendi eſſe immediatè à Deo, non ab Eccleſia, alioquin poſſet illam tollere, etiam in extrema neceſſitate, quod nemo audet aſſerere.

6. Hanc opinionem ſatis probabilem cenſet Dur. *diſt. 19. q. 2.* ei tamen adhærere non audet, & in eam propendet Almayn. *diſt. 18. art. 4.* Nihilominus dicta opinio, ſaltim ſi de integra, ac

ac ſufficienti iuriſdictione intelligatur, falſa quidem eſt, immo hoc tempore nullatenus ſuſtineri poteſt, quia certum eſt, abſolutionem datam à ſimplici Sacerdote circa peccata mortalia, nullam eſſe ex defectu iuriſdictionis, vt omnes fatentur. ergo non eſt dicendum huiuſmodi iuriſdictionem ex vi ordinationis inſeparabiliter haberi. Reſpondet Dur. abſolutionem illam eſſe nullam, non ex defectu iuriſdictionis, ſed propter obicem peccati, quem apponit pœnitens. Vnde obſeruat, quòd ſicut Epiſcopus in ſua conſecratione accipit poteſtatem alios ordinandi, & tamen ei iniungitur, ne quoſlibet ordinet, ſed tantùm ſibi ſubditos, alios verò ſolùm de ſui Epiſcopi conſenſu; ita Sacerdotes in ſua ordinatione accipiunt poteſtatem abſoluendi à peccatis, eiſdem tamen iuſta de cauſa iure Eccleſiaſtico prohibetur, ne quemlibet indifferenter abſoluant, ſed illos dumtaxat, in quos habuerint iuriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam. Hinc igitur deducit, quòd ſi pœnitens ſcienter confiteatur Sacerdoti, quem nouit non habere talem iuriſdictionem, abſolutio nulla eſt ob peccati obicem, quem penitus ipſe apponit: ſi autem id faceret ignorãter, valida eſſet abſolutio; teneretur tamen, cùm rem agnouerit, confeſſionem reiterare cum Sacerdote proprio, ſeu alio ex commiſſione proprij, quia cùm extet Eccleſiæ præceptum non ſolùm recipiendi hoc Sacramentum, ſed à miniſtro etiam deſignato, nullus ab huius præcepti obligatione liberatur, niſi miniſtro per Eccleſiam deſignato confiteatur.

7. Hæc ſolutio nullius eſt momenti, tum quia falſo nititur fundamento: abſolutio enim data à Sacerdote non habente iuriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam per ſe, & ex parte miniſtri, nulla eſt, tanquam ſententia lata à non iudice. ille autem defectus ex parte pœnitentis accidentarius eſt. tum etiam, quia, quamuis interueniente ignorantia, ceſſet obex pœnitentis, tenetur tamen iterum peccata omnia proprio Sacerdoti confiteri, quod ſufficiens indicium eſt, præcedentem abſolutionem fuiſſe nullam, at non ratione obicis, vt ſupponitur; ergo ex parte miniſtri. Adde, quòd ſi ex vi iuris diuini per talem confeſſionem eſſent remiſſa peccata, non poſſet pœnitens per Eccleſiam obligari ad illa iterum confitenda, quoniam præcedens abſolutio ſimpliciter rata fuit, & bona fide recepta. Hæc demum opinio ex infrà dicendis efficaciùs impugnabitur.

8. Secunda opinio præcedenti ſatis oppoſita tenet, poteſtatem Ordinis eſſe diſtinctam à poteſtate iuriſdictionis tam in eſſentia, quàm in modo, ſeu tẽpore, quo confertur. Illa namque per impreſſionem characteris datur in ipſa ordinatione, & conſequenter immutabilis, ac inſeparabilis permanet; hæc verò extra Sacramentum confertur ab Eccleſia per extrinſecam cõceſſionem, aut alicuius Eccleſiaſtici muneris collationem. Ita D.Thom. *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. q. 4. in corp. ad 3. & diſt. 19. q. 1. art. 3. q. 1. in corp. ad primum*, S. Bonau. *ead. diſt. 19. art. 3. q. 1.* Capr. *q. 1. art. 1. concl. 3.* Ricard. *art. 1. q. 3.* Gabr. *q. 1. art. 3. concl. 5.* Dur. *vbi ſuprà*, Sot. *diſt. 18. q. 4. art. 2.* Can. *relect. de pœnit. part. 1.* Med. *C. de confeſſ. q. de alien. ſine licen. prop. abſol.* Caſtr. *de iuſt. hæret. punit. c. 21.* Ledeſm. *2. p. 4. q. 22, n. 7.* Hanc ſententiam tenent communiter DD. quam ego veriſſimam cenſeo, ſed quomodo ſit intelligenda non ſatis conſtat; ſunt enim varij ipſi DD. circa eius explicationem.

9. Primus modus dicendi eſt Nau. *in manuſcr. c. 4. n. 2. & 3. & in cap. placuit, de pœnit. diſt. 6. à p. inc.* aſſerentis duplicem dari iuriſdictionem, actualem vnam,

Digitized by Google

vnam, habitualem alteram, háncque accipere Sacerdotes à Chriſto, illam verò ab Eccleſia: quomodo autem differant inter ſe hæ duæ iuriſdictiones, non ſatis explicat Nauar. ex verbis tamen illius *in dicto cap. placuit, n.* 84. videtur colligi, quòd iuxta eiuſdem opinionem iuriſdictio habitualis identificatur cum poteſtate Ordinis, & nequit per Eccleſiam tolli à Sacerdote; iuriſdictio verò actualis diſtinguitur realiter ab vtraque, & ſicut per Eccleſiam confertur Sacerdoti, ita per Eccleſiam poteſt etiam tolli. Addit tamen *eod. cap. n.* 27. omnes Sacerdotes ante Eccleſiæ prohibitionem habuiſſe iuriſdictionem actualem, non quidem acceptam à pœnitente, ſed à Chriſto, cùm primùm eliguntur, ſeu deputantur ad munus abſoluendi; ſicut enim cùm Pontifex concedit alicui facultatem eligendi Confeſſorem, Confeſſor electus ſtatim habet iuriſdictionem, non tamen à pœnitente, qui illum elegit, ſed à Chriſto, ſeu Pontifice; ſimiliter ante Eccleſiæ ordinationem quilibet Sacerdos in ſui Ordinis ſuſceptione accipiebat à Chriſto iuriſdictionem in habitu, & actu ſimul, ideſt, nullo Superioris imperio impeditam ab exercitio. Subiungit etiã Nau. *ibidem n.*48. Romanum Pontificem, eſto non poſſit tollere Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi, ſicut nec conſecrandi, poſſe tamen illis materiam ſubtrahere, & ſimiliter, cùm eis confert iuriſdictionem, non conferre authoritatem aliquam, ſed illis dumtaxat ſubdere materiam, in qua ſuam poteſtatem exercere poſſint. Hunc autem dicendi modum, quoad poſteriorem partem (quæ eſt opinio propria Nauar.) nititur ipſe confirmare ex vſu primitiuæ Eccleſiæ, dum ait: Omnes Sacerdotes, vſque ad tempora Vrbani II. potuiſſe omnium confeſſiones excipere, & omnes abſoluere; creſcente tamen malitia, id poſtea prohibuiſſe Vrbanum II. *in dicto cap. placuit. diſt.* 6. Atque idem confirmari poteſt ex illis tribus caſibus, quos *ſuprà* in fauorem prioris ſententiæ adduximus. Priùs tamen iudicauerunt iſtum dicendi modum Palud. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *caſ.* 4. Sylu. *ver. Confeſſor.* 1. *q.* 2. & Abul. *in ſuo defenſorio p.* 2. *cap.* 62.

10. Hæc expoſitio Nau. videtur quodammodo coincidere cum opinione Armachani, ideóque rationes contra illam adductæ, valent etiam contra iſtam. Et quidem mihi ſummopere diſplicet,

Primò, quia ſi, ſecluſa lege humana, quilibet Sacerdos ex vi ordinationis ſuæ, & iuris diuini, reciperet iuriſdictionem in foro pœnitentiæ non ſolùm habitualem, ſed etiam actualem, ſiue intrinſecè, ſiue per concomitantiam, non poſſet Eccleſia illum priuare tali iuriſdictione, ſeu vſu, itaut eius actum reddat inualidum: conſtat autem id feciſſe Eccleſiam. ergo. Conſequentia eſt manifeſta, quia Eccleſia non poteſt ſuper ius diuinum, neque poteſt impedire effectus à Sacramentis prouenientes, vt patet in Sacerdote degradato Euchariſtiam conficiente. poteſt ſanè ei interdicere, ne conficiat, ita vt ſi Sacerdos contra illam ordinationem attenter, peccet, non tamen poteſt ſua prohibitione efficere, vt conſecratio non teneat: ex Conciliis autem *ſuprà* adductis habetur, abſolutionem, contra Eccleſiæ prohibitionem, eſſe nullam.

Secundò quia, vel iuriſdictio, quæ in ipſa ordinatione confertur, eſt ordinaria, vel delegata: neutrum autem eſt dicendum. ergo in primis non eſt ordinaria, quoniam non omnes Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis, & diuini iuris, conſtituuntur paſtores animarum, ſeu Epiſcopi, vel Parochi, quorum eſt huiuſmodi

iuſmodi iuriſdictio; nec etiam eſt delegata, alioquin delegarentur immediatè à Chriſto,& conſequenter nullus Chriſto inferior poſſet illam auferre; iuriſdictio namque à ſuperiore collata, non pendet ab inferiore, ſicut contingit in Religioſo, à quo nequit Epiſcopus auferre iuriſdictionem ipſi per Summum Pontificem delegatam.

11. Nec obſtat, ſi dicas, hanc iuriſdictionem actualem à Chriſto conferri Sacerdotibus ex vi ordinationis ſuæ, cum ſubordinatione tamen ad vicarium ſuum, ita vt pro opportunitate poſſit illam conferre, & auferre. Hæc enim reſponſio voluntaria eſt, tum quia nullum habet fundamentum in ſacra Scriptura, immò repugnat illis verbis, *accipite Spiritum ſanctum*, &c. quorum virtute Sacerdotibus, abſque vlla ſubordinatione confertur dicta auctoritas. tum etiam, quia alioquin poſſet quis etiam dicere, eodem modo eſſe Sacerdotibus delatam poteſtatem conſecrandi, & Epiſcopis poteſtatem ordinandi, dependenter à voluntate Pontificis, itavt, ſi præcedente illius prohibitione Sacerdos conſecret, vel Epiſcopus ordinet,nihil facerent.quod eſt penitus à veritate alienum.Tum denique,quia,iuxta communem DD.ſententiam, quæ ſunt de iure diuino, nec permutari,immò nec diſpenſari poſſunt ab hominibus, niſi in caſu aliquo, quo aliunde ex traditione, vel alio principio,notum ſit poſſe diſpenſari.

12. Hinc deducitur,falſum docuiſſe Nauar.*in d.cap.placuit.d.6.num.1.& ſeqq.* non ſolùm in primitiua Eccleſia liberum fuiſſe cuicumque Sacerdoti quemlibet abſoluere, ſed id etiam duraſſe vſque ad tempora Vrbani Secundi, qui id primò prohibuit.Hoc autem eſſe falſum conſtat, quia id decreuerant priùs Dionyſ. *in cap.*1.13.*q.*7. & antea Calixtus I. 9.*q.*2.*cap.*1.qui Vrbano antiquiores fuerunt;floruit enim Calixtus anno circiter 220. & Dionyſ. anno circiter 250. Vrbanus autem Secundus anno circiter 1100. Nec valet reſponſio eiuſdem Nauarri,aſſerentis,decreta Dionyſij, & Calixti non fuiſſe recepta, atque ideo Vrbanum II. idipſum poſtea reuocaſſe, gratis namque, ac ſine vlla probatione id ait: quoniam, vt conſtat ex dictis,nunquam Sacerdotibus ex vi ſuæ ordinationis liberum fuit,quemlibet indifferenter abſoluere, ſed ex eo forſitan, quòd abuſus aliquis eſſet, illud fuit per plures Pontifices ſtatutum, vt narrat Vaſquez *tom.* 4. *q.* 95. *dub.* 2. *n.*16. Vel ſecundò,& meliùs,dicendum erit cum Scoto *d.diſt.*17.*q.*1.*art.*3. *verſ. quoniam autem*,&c.in primitiua Eccleſia non fuiſſe quidem diſtinctos proprios Sacerdotes;cùm enim Apoſtoli huc,atque illuc diſcurrebant verbum Dei prædicando, non fuère ſinguli Sacerdotes pro ſingulis gentibus deputati, non tamen inde ſequitur, quòd auctoritas iuriſdictionis tunc dabatur in collatione Ordinis ſacri, vel vnicuique ex ſe liberum erat,quem vellet,Confeſſorem eligere;ſed illi tunc dicebantur Sacerdotes proprij, qui ordinariam, delegatámve iuriſdictionem habebant. Apoſtoli enim quos in primitiua Eccleſia ad ſacerdotium promouebant, mittebant etiam ad prædicandum, ac eis conferebant authoritatem Sacramenta miniſtrandi omnibus, qui ad fidem conuertebantur, idque abſque vlla ſubditorum, ſeu Epiſcopatuum, vel parochiarum diſtinctione, & fortaſſe per aliquod tempus,Epiſcopi etiam hanc iuriſdictionem ſuis Preſbyteris facilè committebant, quia pauci, ſelecti tamen, ordinabantur; poſtea verò, creſcente iam fidelium numero, ad vitandam confuſionem, facta eſt Epiſcopatuum,& parochiarum diſtinctio.

13. Secundus modus explicandi eſt

G Caiet.

Caiet.*tom.1.opuſc.tract.7.*aſſerentis,præter iudiciariam poteſtatem, quæ Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis confertur, non eſſe neceſſariam aliam iuriſdictionem ad actus illius exercendos, niſi eam,quæ ex voluntaria pœnitentis ſubiectione prouenit; & rationem reddit, quia cùm idem ſit ibi actor,& reus,poteſt ſe ſponte ſubiicere, & quaſi iudicem arbitrum eligere. Itaque fatetur Caietanus, in hoc iudicio, ex parte principij agentis non requiri iuriſdictionem,quia principium per ſe remiſſionis peccati, non eſt iuriſdictio, ſed poteſtas ordinis; iuriſdictio autem ſolùm requiritur ex parte materiæ, quæ per ſpontaneam illam ſubiectionem ſufficienter applicatur; non tamen inficiatur, in aliquibus Sacerdotibus ex parte principij reperiri iuriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam, ſed negat eſſe per ſe, ac ſimpliciter neceſſariam ad actus talis poteſtatis, quoniam nec ad abſoluendum à venialibus neceſſaria eſt, nec à mortalibus in extrema neceſſitate, nec demum in iudicio, quod circa perſonam Pontificis in hoc foro exercetur, vt ex ſupradictis habetur: nam in his tribus caſibus, videtur ſufficiens voluntaria pœnitentis ſubiectio; extra illos autem, neceſſariò requiritur iuriſdictio ordinaria, ſeu delegata, propter ſanctæ Eccleſiæ determinationem.

14. Hanc opinionem falſam eſſe oſtendo.

Primò, quia inter hoc iudicium, & humanum, magna eſt differentia: nam iudici arbitro ex partium conuentione ius committitur; ibi enim partes conſentientes habent ius ſuum proprium, cui cedunt, & modo ſuo illud transferunt, ponúntve in iudicio arbitri; in foro autem pœnitentiali, totum ius ferendi iudicium de peccatis ſupernaturale eſt,& proprium ſolius Dei, & conſequenter ab eo ſolùm, vel immediatè, vel mediatè per miniſtros ſuos manare poteſt. Vnde falſum eſt, quòd pœnitens per voluntariam ſubiectionem conferat Sacerdoti iuriſdictionem, niſi ſit Pontifex, ſeu Epiſcopus in ſua diœceſi.

15. Secundò,quia hoc iudicium agitur inter Deum, & hominem, Deus autem eſt principalis actor, tanquam perſona offenſa, idémque eſt vnicus & principalis peccatorum iudex; igitur nullus poteſt in tali iudicio iuriſdictionem conferre,niſi vel Deus ipſe,vel qui ad hoc habeat vicem illius, cuiuſmodi eſt Pontifex in tota Eccleſia,& Epiſcopus in ſua diœceſi;de pœnitente autem id ſimpliciter affirmari non poteſt. Vnde voluntaria pœnitentis ſubiectio neceſſaria quidem eſt ad hoc iudicium, non vt iuriſdictionem conferat, etiam circa venialia, vt patebit ex *infrà* dicendis, ſed vt in illo fiat proportionata accuſatio; hoc enim modo dicitur pœnitens eſſe actor,& reus,nimirum, quia illi commiſſum eſt, vt ſe accuſet, & ſic conſtet iudicij meritum, ſeu demeritum cauſæ, de qua ſententiam laturus eſt.

16. Tertius explicandi modus eſt, Sacerdotes verè in ſuſceptione ſui Ordinis accipere poteſtatem iuriſdictionis,inchoatam tamen,& incompletam, compleri autem per applicationem,ſeu ſubiectionem materiæ. Cæterùm hæc opinio non ait, prædictam applicationem materiæ eſſe poſitam in ſola voluntate ipſius pœnitentis, nec in poteſtate Sacerdotum, ita vt à voluntate pœnitentis pendeat facere ſe ſubditum huic Sacerdoti, & ab illo abſolui, vel Sacerdos poſſit ad libitum applicare ſibi hunc, vel illum ſubditum, etiam ante omnem Eccleſiæ prohibitionem: ſed ait dictam applicationem à Chriſto commiſſam eſſe Summo Pontifici, & Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ Prælatis, ita vt niſi ipſi applicent materiam, conferántve ſubditos, non poſſint Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis dumtaxat validum efficere huius poteſtatis actum. Ita S. Anton. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 4. Maior *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *circ. fin.* Ang. *verb. confeſſio* 3. *n.* 4. Cather. *in opuſc. de hac materia*, cui titulus eſt, vtrùm ratione Ordinis, an iuriſdictionis, &c. videntúrque annuere Panorm. *in Clem.* 1. *de priuil. num.* 16. & Hoſtienſ. *in ſum. tit. de pœnit. & remiſſ.* §. *cui*, immo & Palud. ſic etiam videtur ſententiam ſuam interpretari *vbi ſuprà.* Idem denique ſentiunt Suarez *num.* 26. Vaſquez *num.* 33. & alij.

17. Hunc modum dicendi, immo & præcedētes, vt explicent eorum authores, vtuntur exemplo deſumpto ex iure ciuili de iudicibus chartulariis, quorum meminit Palud. *præcit. art.* 3. *caſ.* 3. *n.* 21. Sylu. *verb. iudex* 1. *q.* 1. Gloſ. & Bart. *in l.* 1. *ff. de iudic. chartular.* Igitur iudices ab Imperatoribus deſignabantur, & poteſtatem habebant iudicandi cauſas eorum, qui ſe illis vellent ſubiicere, non tamen poterant reos, ſeu litigantes ad iudicium cogere. Vnde ſicut huiuſmodi iudices habebant poteſtatem iudicandi ab Imperatoribus, ſic Sacerdotes habent etiam illam à Chriſto Domino: & ſicut chartularij ex ſola Imperatorum conceſſione non habebant ſubditos, ita nec Sacerdotes habent illos à Chriſto ex vi ſolius ordinationis. Hoc autem diſcrimen inter chartularios, & Sacerdotes reperitur, quòd in illis applicatio materiæ, & ſubiectio ſubditorum erat ab Imperatoribus commiſſa voluntati, & arbitrio iudicandorum: in iſtis verò commiſſa eſt à Chriſto, non arbitrio pœnitentium, vt Armachanus, Caietanus, & alij volebant, ſed Summi Pontificis, atque aliorum Eccleſiæ Prælatorum. Nec id mirum videri debet, quia ſicut Chriſtus impoſuit præceptum confitendi, non tamen determinauit tempus, extra caſum extremæ neceſſitatis, ſed reliquit Eccleſiæ modificandum, & determinandum; ita etiam intelligi poteſt, Chriſtum Sacerdotibus in ipſa ordinatione conferre poteſtatem, relinquere autem non cuiuſuis, ſed Eccleſiæ arbitrio modificandam, ſeu determinandam materiam, in quam talis poteſtas iure diuino conceſſa exerceatur.

18. Hic modus dicendi ferè coincidit cum primo quoad primam partem. quam enim authores illius vocant iuriſdictionem habitualem, authores iſtius, dicunt iuriſdictionem inchoatam, ſeu incompletam; & quam illi dicunt iuriſdictionem actualem, hi vocant iuriſdictionem completam, quæ confertur per applicationem, aut deſignationem materiæ. Sed vtcumque ſit, adhuc propoſita difficultas manet inſoluta. Ratio eſt, quoniam cùm Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis conſtituantur iudices in foro conſcientiæ, ſeu pœnitentiæ, vt conſtat ex ſæpè dictis, conſequenter videtur dicendum quòd etiam ex vi ordinationis habeant ſubditos, in quos poſſint ius dicere: iudices enim ſine iuriſdictione, nec iuriſdictio ſine ſubditis non magis eſſe poſſunt, quàm homo ſine rationalitate, & tamen certum eſt Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis non habere ſubditos.

Secundò cùm alicui non Sacerdoti confertur beneficium parochiale, non confertur illi complementum iuriſdictionis præexiſtentis, cùm nullum habuerit; ſed abſolutè ei confertur iuriſdictio. ergo ineptè dicitur hæc iuriſdictio complementum alterius inchoatæ.

Tertiò, quia nonnulli ex præcitat. DD. tenent applicationem, ſeu deſignationem materiæ, non eſſe collationem iuriſdictionis, nec eo nomine cenſeri poſſe. quod ſic probari poſſet: nam

Digitized by Google

ſi deſignare, ſeu applicare materiam, eſſet conferre iuriſdictionem, ſequeretur inde, quòd impedire, ſeu ſubtrahere materiam, eſſet impedire, aut ſubtrahere iuriſdictionem, quod eſſe falſum, oſtendo in primis, quia impedire vſum regiæ iuriſdictionis, eſt crimen læſæ maieſtatis, vt conſtat ex *l.* 1. *tit.* 2. *part.* 7. & ex iure ciuili notum eſt: qui autem carcerem confregit, reúmque inde eduxit, materiam quidem ſubtraxit, in quam regia iuriſdictio exercetur, & tamen non tenetur vt reus læſæ maieſtatis, ſed ad pœnam dumtaxat, qua reus inde eductus, dignus erat, vt habetur expreſsè ex *l.* 14. *tit.* 29. *partit.* 7. Deinde is, qui commiſit crimen læſæ maieſtatis, non gaudet Eccleſiæ immunitate, iuxta magis receptam opinionem, & tamen qui aufugiens è carcere ad Eccleſiam confugit, gaudet huiuſmodi immunitate, niſi obſtet delicti qualitas, vt, citatis aliis, tradit Couar. *lib.* 2. *variar. reſol. c.* 2. *n.* 12. & Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 19. Rurſus in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur impedientes iuriſdictionem eccleſiaſticam: at qui ſubtrahit materiam iudici eccleſiaſtico, non incurrit dictam cenſuram. ergo non impedit, neque ſubtrahit iuriſdictionem. Probo minorem, quia aliàs ſequeretur, excommunicationem contrahere reum, qui carceri eccleſiaſtico mancipatus inde aufugit ante ſententiam, is enim fugiendo materiam iuriſdictioni eccleſiaſticæ ſubtrahit, quod tamen non eſt dicendum, cùm ex vera ſententia reus, qui ante ſententiam capitalem, vel pecuniariam fugit è carcere, non peccat, & conſequenter nec etiam excommunicationem incurrit; non peccare autem reum, dum fugit ante ſententiam, docet S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. & *ibi* Caiet. atque, aliis citatis, Vaſquez 1. 2. *tom.* 2 *diſp.* 174. *cap.* 2.

DVBIVM IV.

Quo ſententia Authoris proponitur, & explicatur.

1. PRæmiſſis tribus præfatis modis dicendi, reſtat explicandum quid circa præſentem difficultatem ſentiamus. Quapropter ſit

2. Prima concluſio. Poteſtas Ordinis, quæ ſuper corpus Chriſti myſticum Sacerdoti confertur in ſua ordinatione, potius dicenda eſt poteſtas clauis, quàm poteſtas iuriſdictionis, quamuis, cùm de re conſtat, non ſit multum de vocibus contendendum. Noſtra tamen concluſio eſt modo loquendi, non ſolùm grauium Theologorum, ſed Conciliorum etiam, ac ſacræ Scripturæ maximè conſona: nam in primis Concilium Florentinum & Tridentinum, vt dictum eſt *ſuprà*, de iuriſdictione ordinaria, vel delegata ſemper loquuntur: poteſtas autem Ordinis per ſe conſiderata, nec ordinaria, nec delegata iuriſdictio eſt. Præterea ex eiſdem Conciliis habetur, Sacerdotem poſſe omni iuriſdictione carere, poteſtate autem Ordinis minimè. Denique ex Concilio Tridentino habetur, Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis non habere ſubditos. igitur iuxta modum loquendi eiuſdem Concilij, videtur dicendum, id quod Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis recipiunt, non eſſe iuriſdictionem propriè ſumptam. Atque ex eodem Concilio habetur, Eccleſiam, cùm Sacerdoti dat ſubditos, eidē tunc conferre iuriſdictionem. Nam Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 7. ſic ait: Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos

dos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionẽ. vbi ex neceſſitate ſubditorum colligit Concilium neceſſitatem iuriſdictionis, ſupponítque, Sacerdotem poſſe carere vtraque prædicta iuriſdictione,& conſequenter etiam ſubditis, eſto poteſtatem in ordinatione acceptam retineat. Vnde ſi dicas, poſſe hæc omnia exponi de iuriſdictione completa,& actuali, non autem de incompleta,& habituali,nihil refert:tum quia nec in Conciliis huiuſmodi diſtinctio reperitur, tum etiam, quia nec ad rei declarationem confert, immò potiùs confuſionem inducere poteſt, vt habetur ex proximè dictis cõtra ſecundum, & tertium modum explicandi.

3. Quòd autem poteſtas Ordinis ſuper corpus Chriſti myſticum rectè ſit, & dicatur poteſtas Clauis, patet in primis ex ſacra Scriptura. nam *Matth.* 16.dixit Dominus Petro,*Tibi dabo claues Regni cælorum,*&c.atque hoc promiſſum adimpleuit poſtea, dum *Ioann.vlt.* dixit ſimiliter Petro, *Paſce oues meas.* Auguſt. autem ſæpe, ac potiſſimum *ſuper Pſalm.* 108.ait,Petrum geſſiſſe Eccleſiæ perſonam,atque ideo, quod Petro datur, toti Eccleſiæ datum ſimpliciter fuiſſe,Petro tamen principaliter,& cum ſumma poteſtate,Epiſcopis verò,& Sacerdotibus, cum ſubordinatione ad Petrum, vt ad caput. Vnde gloſ. ſuper illud Matth.18. *quæcumque ſolueritis ſuper terram,*&c. colligit huiuſmodi claues, eſſe ſcientiam, & poteſtatem iudicandi,id eſt, ligandi, atque ſoluendi; quamuis enim poteſtas remittendi peccata vna ſit,in vſu tamen illius duo diſtingui poſſunt, quæ in omni iudicio neceſſaria ſunt; vnum eſt cognitio, ſeu examinatio cauſæ: aliud eſt,ſententiæ prolatio. Dicta igitur poteſtas vtrumque comprehendit, & ſecundùm priorem rationem,dicitur clauis ſcientiæ, non quidem actualis, ſed habitualis, quæ eſto in Confeſſore requiratur,non tamen eſt poteſtas,ac ſubinde poteſt exiſtere in non habente claues, & è cõuerſo claues reperiri queunt abſque tali ſcientia; eſt igitur authoritas ad examinandam pœnitentis conſcientiam,& interrogandum iuridicè in illo foro, itavt pœnitens teneatur veritatem fateri. Clauis verò potentiæ dicitur facultas abſoluendi,& remittendi peccatum ferendo ſententiam. & hæc eſt communis Theologorum expoſitio *in* 4.*diſt.*18.*&* 19. vbi præſertim Scotus quæſt. vnica per quatuor articulos diffusè de hac materia diſputat.

4. Secunda concluſio. Poteſtas Ordinis, ſeu Clauis realiter diſtinguitur à poteſtate iuriſdictionis. eſt communis DD & tenent eam expreſsè DD. pro ſecunda opinione *dub. præcedenti* allegati. Et ſuadetur

Primò ex ſacris Conciliis, Florentino & Tridentino *locis ſuprà citatis*, vbi expreſsè habetur miniſtrum ſacramenti Pœnitentiæ eſſe Sacerdotem, non quemcunque, ſed illum dumtaxat, qui habet iuriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam in eum,quem abſoluit.Hinc autem Concilia manifeſtè videntur ſupponere, Sacerdotem poſſe verè habere poteſtatem omnem,quæ ad ſacrum Ordinem requiritur, & tamen non habere poteſtatem abſoluendi,quæ eſt poteſtas iuriſdictionis; igitur huiuſmodi poteſtates realiter diſtinguuntur adinuicem, conferuntur enim diuerſo modo, vt habetur ex dictis pro ſecunda ſententia,& tradit expreſsè D.Thom. 2. 2.*q.*39. *art.*4. vbi docet, per Sacramentum dari poteſtatem Ordinis, quæ ideo ab ipſo *Sacramentalis* dicitur: alteram verò poteſtatem, quam *iuriſdictionalem* vocat, ex ſimplici iniunctione hominis conferri aſſerit. Vnde infert illam eſſe immutabilem; hanc verò mutabilem permanere.

Digitized by Google

5. Secundò, quoniam illa, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, abſque illius corruptione, diſtinguuntur realiter inter ſe, vt omnes fatentur; ſed prædictæ poteſtates ſunt ad inuicem ſeparabiles, poteſt enim poteſtas Ordinis exiſtere ſine poteſtate iuriſdictionis, vt patet in Sacerdote adhuc non admiſſo à Superiore, & poteſt etiam dari poteſtas iuriſdictionis abſque poteſtate Ordinis, cuiuſmodi eſſet, ſi quis non Sacerdos eligeretur in Papam; tunc enim haberet ſupremam iuriſdictionis poteſtatem, non tamen haberet poteſtatem Ordinis, & conſequenter nec poſſet aliquem à peccatis ſacramentaliter abſoluere. ergo ſunt poteſtates realiter diſtinctæ.

6. Tertia concluſio. Poteſtas Clauis, ſeu ſacramentalis, eſt quidem verè potentia actiua, cùm tamen ex ſe ſola non poſſit exire in actum, dicitur quodammodò potentia remota in ordine ad forum pœnitentiale. Ita tenet expreſsè Scot. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 4. vbi pro huius explicatione notat ex Ariſt. 9. *Met. cap.* 4. *text.* 10. duplicem dari potentiam actiuam, quandam propinquam, & aliam remotam. Potentia propinqua eſt illa, cui ſtatim reſpondet potentia paſſiua, ſeu paſſiuum, in quod agere debeat, & non eſt impedibilis. Potentia verò remota, eſt illa, cui ſtatim non reſpondet paſſiuum, in quod agere debet, vel ſi reſpondet, per aliam potentiam impeditur ab actu, ne agere poſſit in illud paſſum. Vnde, cùm in Sacerdote duplex poteſtas actiua exiſtat, quædam ſuper Corpus Chriſti verum, quæ dicitur, poteſtas conficiendi Euchariſtiam; alia ſuper Corpus Chriſti myſticum, quæ dicitur poteſtas clauis, ſeu ſententiandi in cauſa peccatorum, illa meritò dicitur propinqua, quia ſtatim in natura ipſa habet materiam; & paſſiuum ſibi correſpondens, in quod agere poſſit, nempè omnem panem triticeum, & non eſt impedibilis; quandocunque enim quis attentet facere in materia determinata ac debita, validè facit. Hæc autem, id eſt, poteſtas clauis non ſic ſe habet, nec enim ſtatim ex vi ſuæ naturæ habet materiam ſibi correſpondentem, nempè pœnitentem ſubditum, quem abſoluat, ſed oportet, vt id fiat aliunde, id eſt, à poteſtate iuriſdictionis: immò eſto, in aliquo caſu habeat paſſum in quod agere queat, per aliam tamen potentiam actiuam poſſet ab actu impediri, ne fiat omnino; atque ideo non immeritò ab Scoto vocatur potentia actiua remota. Cæterùm non eſt ideò dicenda poteſtas diminuta, vel inchoata, ſed completa, & perfecta in ſuo genere, habet enim totum illud, quod ſibi incumbit, & nihil ei in ſuo genere deficit: dicitur tamẽ remota, quia ex ſe ſola nõ poteſt in actum exire, cùm prærequirat materiam ſuæ actioni diſpoſitam. Atque id facilè poteſt illuſtrari exemplo potentiæ auctiuæ in animali, quæ alimentum in carnem, & corpus conuertere nequit, niſi priùs debitè diſponatur per concoctionem; quæ tamen diſpoſitio fit per aliam potentiam actiuam, nempè calorem animalis. Quare, ſicut potentia actiua augendi animal, etiamſi egeat alia virtute, & potentia actiua, qua paſſum ſuum ſibi præparetur, ac proportionetur, non tamen amittit rationem potentiæ actiuæ, neque etiam eſt diminuta, ſed completa in ſuo genere; ita clauis abſoluendi peccatorem, etſi egeat alia poteſtate, ſuam ſibi materiam, & paſſum præparante, non ideo deſinit eſſe vera, & completa poteſtas actiua.

7. Sed quæres primò, cur poteſtas conſecrandi in Sacerdote, ſit poteſtas proxima, neque ab aliqua alia potentia dependeat; poteſtas autem clauis, ſeu ſententiandi peccatorem in foro pœnitentiali,

Digitized by Google

tentiali, ſit remota, & ab alia potentia dependeat?

Reſpondetur, Scot. *vbi ſuprà art.* 4. hanc fortaſſe eſſe rationem arbitratur, quia à principio nec Eccleſiæ ordinationi, nec cuiuis alteri nocuit, quòd quicunque Sacerdos hanc, vel illam materiam conſecraret: nocuiſſet autem ſi ex vi ſuæ ordinationis quilibet Sacerdos, ſicut habet claues, potuiſſet etiam exequi actum earundem clauium, ſententiando alienum ſubditum: id enim poſſet reſultare in præiudicium illius, cuius eſt ſubditus; immo reſultaret etiam inde magna confuſio, quia iudicare requirit in iudicante dominium, ac poteſtatem ſuper ſententiatum, ac propterea, ſi quilibet Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis haberet potentiam proximam, ac independentem ab alia poteſtate abſoluendi, tot eſſent paſtores, & iudices, quot Sacerdotes. Id autem abſque mutua dependentia, & ſubordinatione nemo mentis compos concedere audebit.

8. Quæres ſecundò, quomodo poteſtas clauis poſſit propriè dici poteſtas actiua completa, cùm nequeat in actum ex ſe ſola exire, egeátque poteſtate iuriſdictionis?

Reſpondeo, poteſtatem iuriſdictionis in ordine ad forum pœnitentiale, inſeruire poteſtati Ordinis tanquam inſtrumentum, ſicut conſtat exemplo potentiæ actiuæ caloris, quæ potentiæ auctiuæ eiuſdẽ animalis inſeruit etiam tanquam inſtrumentum. Vel ſecundò reſpondetur, quòd poteſtas iuriſdictionis eſt alterius generis, & partialiter concurrit cum poteſtate ſacramentali ad actum abſolutionis, ita vt vna ſine altera nequeat in huiuſmodi actum exire. Vnde, cùm poteſtates iſtæ ſint diuerſi generis, non eſt inconueniens, quòd quælibet dicatur in genere ſuo completa. Ita Fauent. *in 4. diſt. 17. diſp. 25. n. 61.*

9. Quæres tertiò, num prædicta dependentia poteſtatis clauis à poteſtate iuriſdictionis in ordine ad forum pœnitentiale ſit de iure diuino, an humano dumtaxat?

Reſpondetur eſſe de iure diuino, ídque expreſsè colligitur ex Florentino *in literis Eugenij*, vbi docet, miniſtrum huius Sacramenti eſſe Sacerdotem habentem authoritatem abſoluendi ordinariam, vel delegatam. Vnde, cùm ibi explicet ea quæ ad eſſentiam Sacramentorum de iure diuino requiruntur, apertè indicat, poteſtatem iuriſdictionis diuino iure requiri. Idem haud obſcurè docet Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. vbi inquit, abſolutionem à peccatis ex Chriſti inſtitutione, eſſe actum iudicialem, ad hunc autem neceſſariò requiri iuriſdictionem, ex ſæpè dictis ſatis conſtat. Hinc *in cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in 6.* habetur nulla conſuetudine poſſe induci, vel præſcribi, vt quis ſine licentia Superioris, poſſit ſibi Cõfeſſarium eligere, quia nimirum contra ius diuinum nulla conſuetudo, aut præſcriptio vllatenus præualere poteſt.

10. Ex dictis tria potiſſimum ſequuntur.

Primum eſt, nullum Sacerdotem eſſe virtute Bullæ Cruciatæ eligibilem in Confeſſorem, niſi iuriſdictionem habeat ordinariam, vel delegatam, vt ex decretis Conciliorum, & rationibus etiam abundè oſtenſum eſt. Atque ita ſatisfit difficultati initio tertij dubij præcedentis propoſitæ.

Secundum eſt, Sacerdotem, eſto in ſui Ordinis ſuſceptione conſtituatur iudex ſuper corpus Chriſti myſticum, & ab eodem Chriſto tunc accipiat authoritatem ligandi, atque ſoluendi; nihilominus non poſſe validè aliquem à peccatis abſoluere, niſi priùs obtineat poteſtatem iuriſdictionis, cùm hæc ex inſtitutione ipſius Chriſti etiam requiratur

Digitized by Google

ratur ad validitatem abſolutionis; non tamen vt quid ſubſtantiale, ſed tanquam conditio, ſine qua non. Vnde manet etiam ſoluta ratio dubitandi initio ſecundæ ſententiæ inſinuata.

Tertium eſt, quòd quamuis ad validitatem abſolutionis, requiratur in abſoluente iuriſdictio ordinaria, ſeu delegata, dum tamen abſoluit, his verbis præcisè vti debet: Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat; & ego authoritate ipſius te abſoluo, &c. non autem; & ego authoritate ipſius, ac Summi Pontificis, ſeu Epiſcopi te abſoluo, &c.

11. Rationem huius inſinuat Vaſq. *vbi ſuprà à num.* 25. quia Sacerdos in ſua ordinatione à Chriſto recipit non ſolùm poteſtatem ordinationis, ſed etiam iuriſdictionis, & ab Eccleſia poſtea recipit aſſignationem materiæ tantùm, à Chriſto recipit clauem ad aperiendam conſcientiam, & ab Eccleſia ſeram, quam aperire poſſit; id eſt, aſſignationem pœnitentium, quam putat non eſſe iuriſdictionem. Id autem nec verum, nec conſequenter dictum eſſe fiet manifeſtum ex dicendis *dubio ſequenti, in ſolutione ſecundi argumenti.* Quare.

Meliùs reſpondebitur ſi dicamus, rationem eſſe, quoniam, propriè loquendo, Sacerdos in ſua ordinatione recipit à Chriſto totam poteſtatem remittendi peccata quoad ſubſtantialia; iſta enim poteſtas ſupernaturalis eſt, & conſequenter non poteſt conferri niſi à Deo, qui ſolus poteſt peccata remittere: iuriſdictio autem, quam Sacerdos recipit ab Eccleſia, confert ſolùm ad actum remiſſionis, quaſi quid extrinſecum, ſeu conditio, ſine qua non. Hinc remiſſio peccati, abſolutè loquendo, non dicit actum iuriſdictionis, eum tamen dicit remiſſio illa quæ per modum iudicij exercetur, vt de facto contingit in Confeſſionis ſacramento. Vnde, niſi Chriſtus inſtituiſſet hoc Sacramentum iudicialiter conferri, potuiſſet quidem conferri non ſubditis, & abſque vlla iuriſdictione, quia tamen voluit, hanc remiſſionem iudicialiter fieri, hac de cauſa dumtaxat requiritur iuriſdictio, vt cauſa, ſine qua non. Vel

Tertiò reſpondetur vtramque poteſtatem Sacerdoti à Chriſto conferri, poteſtatem clauis immediatè, & poteſtatem iuriſdictionis mediatè, id eſt, mediante opera hominis, quo Deus ad hoc vtitur tanquam inſtrumento. Nec id abſurdum cenſeri debet, cùm etiam Deus conferat poteſtatem Ordinis miniſterio hominis ordinantis, & remittat peccata miniſterio hominis abſoluentis. Ita Coninch *diſp.* 8. *dub.* 2. *ſub num.* 3.

DVBIVM V.

Quo ſoluuntur argumenta, dubio tertio in fauorem primæ opinionis adducta.

1. SVpereſt nunc examinare, & diluere argumenta, quæ in probationem primæ ſententiæ adduximus *ſuprà*, vt veritas eorum, quæ in contrarium diximus, magis conſtet.

Ad primum igitur, negatur conſequentia; pro cuius explicatione notandum eſt, non ſatis conuenire DD. an Apoſtoli acceperint poteſtatem iuriſdictionis à Chriſto immediatè, aut ab Eccleſia: nam multi arbitrantur etiam Apoſtolos à Chriſto immediatè ſolùm recepiſſe poteſtatem Ordinis, vel in corpus Chriſti verum in nocte Cœnæ, per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; vel in corpus Chriſti myſticum poſt reſurrectionem, per illa verba, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis*, &c. iuriſdictionem autem non recepiſſet immediatè à Chriſto, quia nec per hæc verba, *accipite Spiritum ſanctum*, &c. alioquin, vt rectè probat argumentum,

Digitized by Google

tum, omnes Sacerdotes illam ſimiliter acciperent, cùm in ſuſceptione Ordinis eadem verba referuntur. Nec etiam per illa, *Paſce oues meas,* cùm hæc ſoli Petrò dicta ſint, & conſequenter virtute illorum ſolus Petrus iuriſdictionem in vniuerſa Eccleſia recepit; atque ideo iuxta hanc opinionem, argumentum nihil concludit.

2. Mihi autem probabilius videtur dicendum, omnes Apoſtolos à Chriſto Domino immediatè recepiſſe iuriſdictionis poteſtatem, non tamen quaſi iure ordinario apud ſucceſſores in Eccleſia permanſuram, cùm id fuerit proprium ſolius Petri, ſed iure potiùs quaſi delegationis, & Apoſtolatus, ad quod munus, inter alia, conueniens erat iuriſdictionis poteſtas pleniſſima haud coarctanda in hoc per Eccleſiam, itavt quicunque vellent, poſſent ſe eorum iudicio ſiſtere, nec inde poterat euenire cõfuſio inter ipſos Apoſtolos, cùm fuerint à Chriſto in gratia confirmati. Vnde probabile etiam eſt, huiuſmodi priuilegium fuiſſe Apoſtolis conceſſum, *Ioann.* 20. in illis verbis, *ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Vel ſi contendas id conceſſum fuiſſe per illa verba, *Accipite Spiritum ſanctum;* dicendum erit, illud eueniſſe non quidem ex vi talium verborum, ſed ex ſpeciali Chriſti intentione ſignificata poſtea in præcitatis verbis, *ſicut miſit me viuẽs Pater,* &c. præſertim, quia tunc nondum Chriſtus inſtituerat Petrum caput Apoſtolorum, nec ei dederat ſupremam iuriſdictionis poteſtatem, quæ, Apoſtolis exceptis, in omnes alios poſtea ab ipſo Petro emanare debebat. de qua re legendus eſt Bellarm. *lib.* 4. *de ſum. Pont. cap.* 22. & 23. & communiter Doctores *in materia de Clauibus.*

3. Ad ſecundum reſpondetur varia eſſe DD. placita: quidam enim cenſent, omnes Sacerdotes iure diuino, in ſui Ordinis ſuſceptione accipere iuriſdictionem in Sum. Pont. quoad forum pœnitentiale, non verò in alios, niſi deriuatam à Pontifice, ac ſubinde omnes Sacerdotes eſſe Summi Pontificis Confeſſarios ordinarios. Ita Decanus Louanienſ. & Canus, quos allegat Vaſq. *n.* 41. Hanc tamen opinionem meritò impugnat Sot. tum quia alioquin à quocunque Sacerdote poſſet Pontifex cogi ad confeſſionem, tum etiam, quia iuriſdictio eſt eſſentialiter ſuperioritas: nullus autem Sacerdos eſt ſuperior Papa, immo omnes Chriſtiani ſunt oues illius, & ipſe Paſtor omnium.

4. Alij opinantur Concilium Pontifici conferre facultatem eligendi Confeſſorem, quemcunque Sacerdotem, ſicut à Pontifice conceditur Epiſcopis. Hæc tamen opinio falſo nititur fundamento, quia Concilium non eſt ſupra Pontificem, ſed econtrà Pontifex ſuper Concilium.

Alij inquiunt, omnes Sacerdotes habere pro materia, iure diuino, omnes pœnitentes, qui eis ſubduntur, modò illis iure aliquo non impediatur. Ita Nauarr. cuius opinionem impugnauimus *ſuprà.*

Alij ſicut exiſtimant poteſtatem iuriſdictionis ſimul cum poteſtate clauis cuilibet Sacerdoti iure diuino conferri, & nihil aliud aliunde requiri, niſi materiæ deſignationem, ſeu applicationem: ita conſequenter ſentiunt, Pontificem poſſe cuicunque Sacerdoti confiteri, ſic enim non tribuit illi iuriſdictionem actiuam, quam à Chriſto habere ſupponunt; ſed ſicut aliorum hominum poteſt debitam materiam aſſignare, ſic ſeipſum etiam aſſignat, quia à nullo alio aſſignari poteſt. Ita Vaſq. *ſuprà num.* 39. ſecutus Cather. *in præcit. opuſc.* Hæc tamen opinio falſa eſt, tum quia ſupponit iuriſdictionem accipere Sacerdotes à Chriſto, quod falſum eſſe oſtendimus

H ſuprà;

ſuprà; tum etiam, quia ſupponit deſignationem materiæ non eſſe collationem iuriſdictionis, cuius oppoſitum habetur ex Concil. ſuprà citato, atque ex ratione, cùm ſit collatio ſubditorum.

5. Quare ad argumentum reſpondetur, negando ſequelam, & ratio poteſt aſſignari, quia actum iuriſdictionis, qui immediate nomine Dei exercetur, poteſt quis ratione ſui muneris ſubeundo diuerſam perſonam in ſeipſum exercere, præſertim cùm non agitur de iuriſdictione coërciua, ſed libera, cuiuſmodi eſt ea, qua Pontifex ſe vt priuatum hominem Confeſſario in foro pœnitentiali voluntariè ſubiicit. Itaque Pontifex tanquam Chriſti Vicarius, eiúſque perſonam immediatè ſuſtinens, habet iuriſdictionem in omnes Chriſti fideles, atque etiam quodammodo in ſeipſum, quatenus eſt ouis: ſubiicit autem ſe Confeſſario, quatenus eſt peccator, idque neceſſariò, vt communibus etiam paſcuis, & Sacramentorum vſu frui valeat. Vnde falsò docuit Panorm. relatus per Vaſq. *num.* 42. quòd Papa non teneatur confiteri, id enim hæreticum eſſe cenſet idem Vaſq. ex Almai. Hinc autem non ſequitur, Pontificem ſeipſum poſſe à peccatis abſoluere, quoniam Sacramenta omnia (Euchariſtia, & matrimonio exceptis) ita à Chriſto ſunt inſtituta, vt eſſentialiter requirant, quòd conferens ſit perſona diſtincta à ſuſcipiente; idque potiſſimum in ſacramento Pœnitentiæ requiritur, quippe indecens omnino erat, vt vnus, atque idem ſimul eſſet reus, accuſator, & iudex; quod rectè notauit Coninch *ſuprà ſub num.* 14.

6. Ad tertium argumentum conueniunt DD. quemlibet Sacerdotem in articulo mortis poſſe à quocunque peccato, immo & à quacunque cenſura, licitè ac validè abſoluere, dummodo vera Miniſtri interueniat neceſſitas. Hæc autem doctrina habetur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & ex antiqua Eccleſiæ traditione, quæ ex multis decretis 26. *q.* 6. *cap. de his*, *& ſeqq.* ſumitur, éſtque communis Theologorum *in* 4. *diſt.* 19. ſed variant in explicando, vnde tunc habeat Sacerdos iuriſdictionem, quam habere neceſſariò eſt concedendum, vt patet ex dictis de neceſſitate iuriſdictionis ad Pœnitentiæ ſacramentum validè adminiſtrandum. Nonnulli igitur aſſerunt in caſu prædicto, omnes Sacerdotes habere iuriſdictionem iure diuino. Ita Dur. *præcit. diſt.* 19. *q.* 2. *ad* 4. Capreol. *eadem diſt. q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. *contr.* 3. *concluſ.* Can. 5 *p. relect.* §. *ad* 2. *arg.* Palud. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. & Ricard. *art.* 3. contra Calui. Ducuntur, tum quia perpetua traditio, cuius initium ignoratur, æſtimatur ſignum iuris diuini, iuxta doctrinam Auguſtini *lib.* 4. *de Baptiſmo*; eiuſmodi autem eſt traditio iſta, tum quia alioquin non integrè prouidiſſet Epiſcopus de miniſtro extremè periclitantibus; poſſet enim Eccleſia facultatem hanc pro libito negare, ſicque in ea extrema neceſſitate manerent homines remedio orbati opportuno; ac proinde videtur dicendum non reliquiſſe Chriſtum id per ſuam Eccleſiam limitandum.

7. Alij (quorum ſententiam veram exiſtimo) inquiunt iuriſdictionem huiuſmodi habere tunc Sacerdotes iure eccleſiaſtico. Ita D. Thom. *d. diſt.* 19 *q.* 1. *art.* 3. D. Bonau. *ead. diſt. art.* 3. *q.* 1. Maior etiam *quæſt.* 1. §. *ſed contra*. Sot. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Medin. *C. de confeſſ. quæſt. de alien. ſine licent. propr. abſol.* Ledeſm. 2. *p.* 4. *quæſt.* 21. *art.* 6. *& quæſt.* 22. *art.* 7. Turrecrem. *lib.* 1. *de Eccleſ. cap.* 98. *ad* 2. Petr. de Sot. *lect.* 5. *de confeſſ.* & alij per Suar. relati *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 7. ac nouiſſimè Fauent. *ſuprà num.* 68. Sed ſuadetur primò ex Tridentino *loco citato circ. fin.* vbi ſic habetur: Veruntamen piè admodum,

Digitized by Google

dum, ne hac occaſione aliquis periret, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis,& cenſuris abſoluere poſſunt,&c. quibus verbis Concilium indicat hanc conſuetudinem eſſe eccleſiaſticam ex ipſius Eccleſiæ inſtitutione introductam. Et quamuis iſtius conſuetudinis ignoretur initium, inde tamen non eſt inferendum, quòd ſit iuris diuini, ſed ad ſummum eſſe traditionem Apoſtolicam,quæ non ſemper eſt de re à Chriſto Domino inſtituta.

8. Neque Auguſtinus *loco cit.* aliud intendit, & meritò,quia neque omnia, quæ tempore naſcentis Eccleſiæ in ipſa ſunt obſeruata,æſtimantur de iure diuino,vt benè obſeruat Vaſq. *vbi ſuprà dub. 3.num.*4.immò ex præcitat.verbis Concilij rectè contendit Turrecrem. idem probare. nam ſi poteſtas abſoluendi in mortis articulo à cenſuris, & conſequenter à caſibus etiam reſeruatis cenſuram habentibus,pendet ex conceſſione Eccleſiæ, vt ex verbis Concilij deducitur, & eſt communis DD. igitur dicendum etiam eſt, poteſtatem à peccatis ſimpliciter abſoluendi ex conceſſione eiuſdem Eccleſiæ ſimiliter pendere.

9. Deinde eſt optima coniectura ad id probandum; tum quia non eſt, nec poteſt excogitari aliud principium vnde oppoſitum colligatur, cùm nec ex vi ordinationis (vt ex dictis conſtat) vlla Sacerdoti conferatur iuriſdictio, nec etiam ex antiqua conſuetudine: hanc enim non eſſe ſufficiens indicium ad probandum oppoſitum, oſtenſum eſt *ſuprà.* tum etiam, quia alioquin omnes Sacerdotes eſſent pares de iure diuino in illo articulo,itavt neque vnus poſſet huiuſmodi iuriſdictione priuari, eſto eſſet copia alterius, neque expoſitus eſſet neceſſariò præferendus non expoſito, quippe ad diuini iuris iuriſdictionem non eſſet neceſſaria hominum approbatio, cuius contrarium conſtabit ex dicendis *in cap.ſequenti.*

10. Sed quæres, an iuriſdictio, qua funguntur omnes Sacerdotes in illo articulo,ſit delegata,vel ordinaria?

Reſpondetur eſſe delegatam, quoniam nec illis conuenit ex vi ſacerdotij,vt patet ex dictis, nec ex collatione alicuius muneris, ſeu paſtoralis officij, vt ſupponimus: ac ſubinde eſt delegata ex conceſſione Eccleſiæ pro illa occaſione dumtaxat. Immò non abs re videtur dicendum, delegationem iſtam ab ipſomet Petro initium ſumpſiſſe, & per tacitam Pontificum conceſſionem fuiſſe priùs continuatam, poſteà autem per expreſſam in ipſo iure, vt habetur ex *cap.de cætero,& cap.noſcitur,de ſent.excom.* & alibi ſæpè.Vnde infert Suarez *num.*8. hanc delegationem ex ſe eſſe perpetuam, quoniam cùm ſit à Summo Pontifice facta,inde fit, vt à nullo inferiore tolli,limitaríve queat,quin potiùs eſto à Summo Pontifice poſſet reuocari, nunquam tamen reuocabitur; eſſet enim intolerabilis error,quem Spiritus ſanctus in ſua Eccleſia nunquam permittet;& ſic manet ſoluta vtraque probatio in contrarium adducta.

11. Ad quartum & vltimum de peccatis venialibus, communiter reſpondent DD. poſſe quemlibet Sacerdotem ab illis abſoluere, ſed diſſident in aſſignanda ratione, ſeu iuriſdictione ad hoc miniſterium requiſita. Sot.*in 4.diſt.* 18.*art.*2.*ad* 3.ait, rationem eſſe, quia ad abſoluendum de venialibus nulla eſt neceſſaria iuriſdictio,idque videtur deduci ex eo,quòd peccata venialia, quãuis ſint ſufficiens materia confeſſionis;non tamen neceſſaria, ſed voluntaria,ac propterea Sacerdos nequit pœnitentem cogere ad confeſſionem illo-

rum,nec obligare eum ad pœnitentiam de ipſis faciendam. Vnde D. Thomas *diſt.*19.*q.*1. *art.*3. *ad* 3. in idem propendere videtur,dum ait,poteſtatem Ordinis ad hoc ſufficere. Hæc tamen opinio meritò refellitur à Suar. *diſp.* 26.*ſect.* 5. *num.*3. tum quia Concilia, præſertim Florentinum,& Tridentinum,ſtatuunt, ad hoc Sacramentum valide miniſtrandum neceſſariò requiri iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, nec vllam exceptionem, limitationémve apponunt,tum quia in eo etiam caſu perficitur Sacramẽtum per modum iudicij:ad iudicium autem neceſſariò requiritur iuriſdictio, Caiet. *tom.*1. *opuſc. tract.*7. *q.*1. *& In ſum. verb. abſolutio cap.*2. fatetur, tunc requiri iuriſdictionem, eam tamen habere Sacerdotem ab ipſo pœnitente per voluntariam ſubiectionem. At ſi id propriè,& vt verba ſonant, intelligatur, eſt quidem improbabile, vt habetur ex *ſuprà* adductis; quippè ſolus Deus eſt omnium peccatorum etiam venialium ſupremus iudex. Si autem intelligatur,quòd pœnitens iuriſdictionem dare dicitur, quatenus deſignat perſonam, cui ſtatim Deus iuriſdictionem confert, vt ſentit Nauarr. tunc oportet oſtendere, vbi à Chriſto ſit huiuſmodi facultas omnibus conceſſa, vel pactum initum de tali iuriſdictione ad nutum alterius conferenda. Paludan. *diſt.*19.*q.*2.*art.*3.*num.*25. *& ibi* Capreol. *ad* 1. *contra tertiam concluſionem,* Can.5.*p.relect.fol.mihi* 143.§.3.Ledeſm. 2.4.*q.*22.*art.*1.& alij, quos refert, ac ſequitur Vaſq. *dub.* 6. *num.* 5. inquiunt, iure diuino eſſe cuilibet Sacerdoti conceſſam hanc iuriſdictionem ſine alia commiſſione aliunde accepta. Ducuntur, tum quia peccata venialia ſunt materia voluntariæ confeſſionis, vt habet etiam prima opinio, & conſequenter ad eorum abſolutionem non requiritur iuriſdictio ab hominibus accepta, ſed ſufficit poteſtas clauis, quæ iure diuino cuilibet Sacerdoti confertur in ſuſceptione ſacerdotij, tũ etiam, quia peccata venialia non poſſunt reſeruari,vt tenet communis DD.ſententia,poſſent autem reſeruari,ſi ad eorum abſolutionem neceſſaria eſſet Eccleſiæ iuriſdictio.

12. Hæc tamen opinio non placet Suar. qui *ſect.*5. *num.*5. docet, etiam in eo caſu hanc fuiſſe Eccleſiæ conceſſionem. Ducitur; tum quia antiqui DD. ſupponunt eſſe quidem Eccleſiæ conſuetudinem vt quilibet Sacerdos, non ſpecialiter impeditus, poſſit à peccatis venialibus abſoluere, hincque infert, iuriſdictionem iſtam eſſe ab Eccleſia delegatam: tum etiam, quia *cap. omnis vtriuſque ſexus*, quo habetur, nullum poſſe Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrare, niſi Sacerdotem proprium, aut alienum de licentia proprij, communiter exponitur de confeſſione mortalium, & meritò, quia agit de præcepto annuæ confeſſionis,de cuius neceſſitate dumtaxat ſunt peccata mortalia, vt latè probat Scot.*diſt.*17.*q.*1.*art.*3.

13. Omnes igitur præcitati authores conueniunt,poſſe quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum, validè de peccatis venialibus abſoluere, eſto diſſideant ipſi in explicanda ratione. Ego autem, etiamſi tantorum Patrum authoritas me quaſi aſtringat idem ſentire, ratione tamen, ac iuſtitia cogor ab eorundem ſententia diſcedere, & oppoſitam amplecti. Atque in primis, videtur mihi voluntariè dictum ex communi illa ſententia, quòd præceptum confeſſionis annuæ obliget ſolùm ad mortalium cõfeſſionem inferri, quòd validè poſſit ſimplex Sacerdos à peccatis venialibus abſoluere; immo,ſi attendamus Concil.Tridentinum, dum ait,nullam eſſe apſolutionem,quam Sacerdos in eum profert,in quem ordinariam,

Digitized by Google

riam, ſeu delegatam non habet iuriſdictionem; contrarium potiùs ſentiendum eſt, Concilium enim non diſtinguit de mortalibus, aut venialibus. Præterea, cùm abſolutio ſacramentalis ſit actus iudicialis, vt ex vtriuſque Concil. Florentini, ac Tridentini decretis oſtenſum eſt *ſuprà*. Iudicium autem nequeat validè exerceri abſque iuriſdictione, cõſequenter nemo poteſt etiam à venialibus validè, & ſacramentaliter abſolui à non habente iuriſdictionem.

14. Nec obſtat primò, ſi dicas, quòd peccata venialia, eſto ſint ſufficiens materia confeſſionis, non tamen ſunt materia neceſſaria, ſed libera; ſunt enim leuia, & non inducunt ad damnationem æternam, atque ideo nec quis poteſt ad eorum confeſſionem cogi.

Reſpondetur enim, quòd eſto res ita ſe habeat, ſi tamen quis velit à venialibus liberari per ſacramentalem abſolutionem, cùm hæc neceſſariò fiat per modum iudicij, non poteſt validè abſolui, niſi ab habente iuriſdictionem, ſicut non poſſet index aliquis validè ſententiare non ſibi ſubditum etiam de re leuiſſima, abſque proprij iudicis facultate. Nec iuriſdictio requiritur ſemper ob coactionem, ſed potiùs ob validitatem actionis.

15. Nec obſtat ſecundò, ſi dicas, Sacerdotem quemcunque habere iure diuino ex vi ſui Ordinis ſufficientem iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, vt tenent authores tertiæ opinionis. quia

Reſpondetur id quidem dici abſque fundamento. nam ſi aliquod eſſet, maximè quia ſic deducitur ex illis verbis Chriſti, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis*, &c. inde autem inferro iuriſdictionem abſoluendi à venialibus, non à mortalibus, ſatis vanum videtur; tum quia prædicta verba non indicant aliquã limitationem, ſeu exceptionem, & quòd virtute illorum non conferatur Sacerdotibus poteſtas iuriſdictionis abſoluendi à mortalibus, immò nulla, abundè probatum eſt *ſuprà*. Tum etiam, quia Chriſtus Dominus ibi ſacramentum Pœnitentiæ in remedium contra peccata indifferenter inſtituit, vnde non eſſet rationi conſonum conſtituere ibidem Sacerdotes, paſtores, ac iudices animarum cum plena poteſtate in cauſis leuioribus, & venialibus, potius quàm in grauioribus, & mortalibus, vt rectè obſeruat Suar. *num.* 7.

16. Nec tertiò obſtat, ſi dicas, cuicumque Sacerdoti licitum eſſe à venialibus abſoluere ex conceſſione à Summis Pontificibus orta, & ex eorundem tacito conſenſu ſemper continuata, vt tenet Suar. *num.* 10. quia mihi non ſatiſfacit, ſed videtur potiùs voluntariè dictum. debuiſſet namque in medium producere textum aliquem, vel authoritatem ſaltem vnius, duorúmve Doctorum grauium ex antiquis, qui dignè poſſet atteſtari, hanc iuriſdictionem fuiſſe vnquam ab Eccleſia ſimplicibus Sacerdotibus collatam. Fatetur autem Nauarr. ſtatim citandus, ſe textum, authorémve ſimilem nullibi legiſſe, ſicut nec ego legi. Immò Suar. licèt affirmet, antiquos DD. ſupponere huiuſmodi conſuetudinem, ipſe tamen nullum talem in ſuæ opinionis fauorem adducit. Ac ſimiliter, nec agnoſco nunc eſſe in vſu hanc conſuetudinem, vt Sacerdos nondum ab Ordinario admiſſus abſoluat etiam à venialibus, quin potiùs Fauent. *vbi ſuprà num.* 76. arbitratur, quòd ſi quis id attentaret, nihil faceret, & peccaret ſaltem venialiter, quippe committeret ſacrilegium, in re tamen leui. Vnde ipſe conſtanter noſtram tuetur ſententiam. Et quaſi nobiſcum ſentit etiam Nauar. *in cap. placuit, de pœnit. diſt.* 6. *num.* 21. Nec ſimpliciter diſſentire au-

Digitized by Google

det Med. *d.q.*40.*C.de confeſſ.*non neceſſitate, ſed voluntate facta. Fatetur etiam idem Suar. *ſub num.*1. oppoſitum reddi ſatis incertum poſt Tridentinum, ſaltem quoad Sacerdotes non expoſitos, quoniam eſto, ad iudicandum de venialibus non ſit neceſſaria magna ſcientia, ad diſcernendum tamen venialia à mortalibus aliqua profectò neceſſaria eſt. atque hinc infert neceſſarium eſſe vt is, qui de venialibus iudicaturus eſt, ſine poteſtate circa mortalia, ſciat diſcernere inter lepram, & lepram, id eſt, inter venialia, & mortalia: ac proinde poſſet hac de cauſa in illo exigi approbatio.

17. Nec obſtat ratio adducta de reſeruatione venialium, quamuis enim non poſſint ſimpliciter reſeruari, ſicut nec quis poteſt ad eorum confeſſionem cogi; attamen, ſi quis vnquam habens ſola venialia, vellet ſe foro pœnitentiali ſubiicere, poſſet Superior iuriſdictionem circa venialia Confeſſario tribuere cum reſeruatione alicuius venialis. Vnde Vaſq. *num.* 8. ait, quòd quamuis talis reſeruatio eſſet æſtimata irrationalis, teneret tamen, quia delegans poteſt pro ſua voluntate facultatem limitare, & de facto Eccleſia priuat aliquando Sacerdotem hac iuriſdictione: Sacerdos enim excommunicatus, & nominatim denunciatus nunquam validè abſoluit, etiam de ſolis venialibus, vt ex communi ſententia refert Suarez *num.*5.

18. Hinc infert ipſe Suarez *num.* 6. idem eſſe ſentiendum de mortalibus iam ſemel confeſſis, ac de venialibus nondum in confeſſione expoſitis, cùm de omnibus ſit eadem ratio, & ſicut iſta, ita & illa ſunt materia non neceſſaria. & ſic videtur ſentire, quòd etiam ex conſuetudine Eccleſiæ, & tacito ipſius conſenſu poſſit quilibet Sacerdos de mortalibus iam confeſſis licitè abſoluere. Refert tamen *ibidem* Sot. ſententem, quod non cuilibet Sacerdoti id licet, cuius opinio mihi magis probatur, tum quia circa mortale ſemper eſt neceſſaria iuriſdictio, atque illa ex ſe ſunt materia neceſſaria, per accidens autem eſt, quòd ſint iam confeſſa; tum etiam, quia id conuincit communis Eccleſiæ praxis; & pro eadem ſententia apud Vaſq. referuntur Nauarr. Med. & Ledeſm. eſto ipſe Vaſq. *num.*10. cum Palud. oppoſitum ſentiat, dicens, quemlibet Sacerdotem poſſe iure diuino de mortalibus ſemel abſolutis, iterum abſoluere.

DVBIVM VI.

Vtrùm Sacerdos, quem Ordinarius iudicauit idoneum ad audiendas ſacramentales confeſſiones, non tamen illi contulit iuriſdictionem, poſſit virtute Bullæ eligi in Confeſſarium.

1. PRo intelligentia huius dubij præmittere oportet, quòd ſtat Epiſcopum approbare aliquem iudicando practicè habere ſufficientiam in doctrina, & moribus ad audiendas confeſſiones, & tamen non velle illi conferre iuriſdictionem ex aliqua cauſa iuſta, vel iniuſta; quærimus ergo, an Preſbyter, qui ab Ordinario ſuſcepit ſolam approbationem, & non iuriſdictionem, poſſit eligi in Confeſſarium virtute Bullæ?

2. Videtur enim non poſſe, primò, quia in Bulla ſolùm dicitur, virtute illius poſſe eligi in Confeſſarium approbatum; ſed ſimplex Sacerdos, nullam præhabens iuriſdictionem, non eſt Confeſſor, vt omnes fatentur. ergo talis non poteſt eligi virtute Bullæ ad confeſſiones audiendas.

3. Secundò, quia iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.*7. nemo habet facultatem abſoluendi, niſi ei fuerit data iuriſdictio;

dictio; ſed illi non eſt data iuriſdictio ab Epiſcopo, vt ſupponitur, nec etiam à Papa, quia in Bulla ſolùm conceditur pœnitenti poſſe eligere aliquem Confeſſorem ex approbatis ab Ordinario; nomine autem iſtorum ſolùm veniunt intelligendi illi, qui ab Ordinario ſunt deſtinati ad audiendas confeſſiones; tum quia iſti ſolùm ſunt qui ab illo approbantur, & non alij; tum quia verba iudicis abſolutè prolata, debent intelligi ſecundùm formam iuris: in Tridentino autem *vbi ſuprà*, ſic ſumuntur; nam præterquam quòd Sacerdos, vt ſit idoneus, requiritur ibi, quòd ſit approbatus ab Ordinario; ergo cenſet Concilium, illum dici approbatum, qui præter idoneitatem, quam habet, factus eſt Confeſſor ex approbatione Ordinarij.

4. Tertiò, quia, ſi contraria ſententia eſſet vera, ſequeretur poſſe pœnitentem obligare Epiſcopum de iuſtitia, vt talem, vel talem Sacerdotem examinet, & ſi idoneum inueniat, illum approbet, aliàs impediretur priuilegiatus vti priuilegio Bullæ eligendi Sacerdotem, quem malit ex approbatis ab Ordinario, & conſequenter impediuntur pontificia priuilegia: hoc autem eſt magnum inconueniens, quia ſic ſæpè multi audirent confeſſiones renuente Ordinario, & abſque eius licentia, quod tamen euitare intendit Concil. Tridentinum prohibens vt nemo, quantumuis doctus, confeſſiones audiat ſine Ordinarij licentia.

5. Quartò, quia aliàs omnes, qui examinantur ad obtinendum aliquod beneficium curatum, dummodò digni iudicati fuiſſent ab Ordinario ad illud munus exercendum, poſſint eligi in Confeſſores virtute Bullæ, quia reuera hoc ipſo, quòd Ordinarius iudicat illos idoneos, & dignos, approbat ad officium Parochi, atque adeò ad audiendas confeſſiones, cùm hoc eſſet proprium illius munus.

6. Pro reſolutione præmitto pro tyronibus, quòd licet quilibet Sacerdos accipiat facultatem in ſua ordinatione, remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, vt conſtat ex forma talis ordinationis, dicente: Accipe poteſtatem remittendi peccata, & ex Concil. Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 1. de doctrina fidei, & cap. 15. de reform.* non tamen illam poteſt exercere, ſaltem quoad peccata mortalia, donec ei detur iuriſdictio à Superiore; cuius ratio eſt, quia illa poteſtas Ordinis non eſt ita perfecta, & ſufficiens, quin indigeat quoad exercitium alia poteſtate iuriſdictionis ſibi ſuprà addita, vt *dub.* 3. præcedenti latè probauimus. Quare certum debet eſſe, neminem poſſe abſolui ſaltem à peccato mortali interiori, vel exteriori certo, vel dubitato, niſi à Sacerdote habente iuriſdictionem, præter eam, quam ex vi ſuæ ordinationis accepit. Dixi *à peccato mortali*, quia iuxta communem ferè opinionem quilibet ſimplex Sacerdos ex ſola facultate, quam accipit in ſua ordinatione, poteſt abſoluere à venialibus, dummodo nullum ſit dubium, an ſint mortalia. ſed de hoc dictum eſt *ſuprà* quid nobis magis probetur.

7. Præmitto deinde, quòd ſtando in ſolo iure communi, omni priuilegio ſecluſo, nemo poteſt abſolui niſi à proprio Sacerdote, vt conſtat ex *cap. omnis vtriuſque ſexus. de pœnit. d. 6. & cap. abijcimus. §. ecce.* 16. *q.* 2. Nomine autem proprij Sacerdotis, veniunt intelligendi Parochus, Epiſcopus, & Papa. Dixi, *ſecluſo priuilegio*, quia Regulares vt minimum ab Ordinario approbati habent facultatem ex ſpecialibus priuilegiis, vt poſſint fideles, etiamſi Bulla careant, ad illos accedere pro abſolutione à peccatis, vt *infrà* dicemus.

8. Quapropter probabile cenſent DD.

Digitized by Google

DD. mox citandi virtute Bullæ poſſe eligi quemcunque Sacerdotem approbatú ab Ordinario, etiamſi Ordinarius nullam ei contulerit iuriſdictionem, ita multi recentiores cum Enriq. *lib. 6. cap.6.§.varijs modis*. Guttier.*quæſt.canon. cap.27.num* 21. Can.*de pœnit p.5*. Rodr. *in addit.§.9.num.*4.& alij;&

9. Probatur primò, quia tam Bulla, quàm Concil. Tridentinum ſolùm petunt approbationem Ordinarij, vt Sacerdos eligibilis ſit per Bullam; ſed huiuſmodi approbatio ſtare poteſt, abſque eo, quòd Ordinarius conferat iuriſdictionem, per hoc ſolum, quòd explicet ſuo teſtimonio eſſe idoneum ad audiendas confeſſiones; ergo id ſufficiens erit ad hoc, vt eligibilis ſit in Confeſſàrium virtute Bullæ, aut alterius priuilegij, vel conſuetudinis, quantumuis aliàs Ordinarius dicat, ſe nolle illi dare iuriſdictionem, nec velle, vt confeſſiones audiat; non enim ipſe poteſt impedire Pontificum priuilegia.

10. Secundò, quia ideo exigitur in Bulla approbatio Ordinarij, quia in anteactis Bullis abſolutè dabatur facultas eligendi quemcunque Sacerdotem, & ſic multi eligebantur indocti in magnum detrimentum animarum. At iſtud inconueniens ſufficienter vitatur, ſi nemo poſſit eligi, niſi approbatus ab Ordinario. ergo hoc eſt, quod intendit Pontifex in Bulla, & non quòd habeat iuriſdictionem ab illo, quia hoc omnino impertinens eſt ad euitandum illud malum.

11. Tertiò, quia ille approbatus ab Ordinario habet iuriſdictionem à Papa; ergo poteſt eligi per Bullam, licèt aliàs etiam Ordinarius repugnet, nec illi aliquam iuriſdictionem tribuat. Conſequentia eſt euidens, & antecedens probatur, quia hoc ipſo, quòd Papa concedit alicui facultatem eligendi aliquem in Confeſſarium, confert electo iuriſdictionem ad abſoluendum eligentem ſe, ſicut, cùm Prælatus religionis præbet licentiam Religioſo ad eligendum quemcunque Confeſſarium ſui Conuentus pro abſolutione à reſeruatis, eo ipſo etiam præbet iuriſdictionem Preſbytero electo ab illo Religioſo, ad abſoluendum illum à reſeruatis: ergo talis verè recipit iuriſdictionem à Papa.

12. Ad primum reſpondetur, non opus eſſe, vt qui eligit Preſbyterum per Bullam approbatum, eligat eum, qui antea erat Confeſſor, ſed quòd per ſuam electionem faciat eum Confeſſorem ex indulto Apoſtolico, ſicut, cùm eligitur Epiſcopus, non eligitur qui priùs erat Epiſcopus, ſed qui Epiſcopus non erat, in Epiſcopum eligitur. quam ſolutionem ſatis indicant verba Bullæ Hiſpanæ, ibi, *que puedan eligir por confeſſor*.

13. Ad ſecundum reſpondetur, falſum eſſe, illum non habere iuriſdictionem à Papa. nam (vt *ſuprà* dicebam) Pontifex eo ipſo, quòd recipienti Bullam facultatem præbet ad confitendum alteri, confert illi alteri iuriſdictionem; approbationem autem iam dixi conſiſtere in iudicio practico, ſeu teſtimonio Prælati de idoneitate perſonæ ad audiendas confeſſiones. Ad id verò, quod ex Tridentino adducitur, reſpondeo, ſatis clarè elocutum fuiſſe, dum *in d.cap.* ait, quòd nullus habeatur idoneus, niſi habens parochiale beneficium, aut ſit approbatus ab Epiſcopis, quocunque priuilegio, aut conſuetudine, etiam immemorabili non obſtante.

14. Ad tertium quidam recentiores concedunt ſequelam, ſed malè, quia in Bulla non datur facultas niſi ad eligendum ex approbatis, non ex approbandis. Vnde qui non fuerit approbatus, eligi non poterit virtute Bullæ; nec pœnitens cogere poteſt Epiſcopum, vt eum

Digitized by Google

eum examinet, & ſi idoneum inueniat, approbet, cùm non detur ei facultas eligendi quemcunque aptum, vt approbetur, ſed iam approbatum. Secundò reſpondetur gratis admiſſa ſequela inconueniens ibi illatum eſſe nullum: nam Concilium non intendit, vt ſine licentia Epiſcopi iuriſdictionem dante, nemo virtute Bullæ confeſſiones audiat, ſed quòd ſine licentia approbante non eligatur quis in Confeſſarium; eſt enim differentia inter licentiam approbationis, & iuriſdictionis, prima enim ſtare poteſt ſine ſecunda, vt patet in principio huius dubij, non verò ſecunda ſine prima.

15. Ad quartum negatur ſequela, quia per examen literarium ſolùm fieri poteſt iudicium de literis, non verò de moribus, quod etiam requiritur de idoneitate Confeſſarij. Si tamen Epiſcopus omnes illos, qui ad examen accedunt, ſuo teſtimonio approbaret in doctrina, & moribus, fatemur omnes illos eligibiles eſſe per Bullam ad audiendas confeſſiones, etiam renuente Epiſcopo.

16. Cæterùm oppoſitum mihi magis probatur, & cenſeo abſolutè tenendum, tum ob rationes initio adductas; tum quia ſic ſentiunt communiter DD. & docet etiam vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo.

DVBIVM VII.

An Parochus relinquens Curatum per commutationem, vel aliam cauſam, ſit eligibilis in Confeſſarium virtute Bullæ.

1. HOc dubium appendix eſt præcedentis, circa quod eſt ſententia Henriq. *lib 6. cap. 6. ſub num. 3.* Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 20.* Fagund. *lib. 7. cap. 2. num. 38.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 257.* & quorundam recentiorum, qui docent partem negantem, quæ mihi etiam probatur.

2. Primò, quia, vt conſtat ex Tridentino *vbi ſupra*, ille ſolùm cenſetur idoneus ad audiendas confeſſiones, qui vel parochiale beneficium, vel approbationem ab Epiſcopis habet. ergo vult quòd Parochus, actu ſit Parochus, vt poſſit audire confeſſiones.

3. Secundò, nam Parochus eo ipſo, quo deſinit eſſe Parochus, amittit ſimplicem approbationem à Concilio, & Bulla requiſitam. ergo non poteſt eligi in Confeſſarium virtute Bullæ. Probatur antecedens, quia approbatio implicita, quæ data illi eſt per collationem parochialis beneficij, fuit illi conceſſa pro tempore, quo durat illi tale beneficium, cùm intuitu illius fuerit illi data. ergo beneficio ablato, aufertur approbatio, quæ in eius collatione implicitè ei fuerat tributa.

4. Nihilominus non videtur omnino improbabilis opinio aliquorum, etiam recentiorum, qui cum Rodr. *in addit. §. 9. num. 4.* & Ioanne à Cruce *p. 2. de pœnit. q. 9. dub. 8. concl. 4.* tenent prædictum Parochum eligi poſſe virtute Bullæ in Confeſſarium, licèt reliquerit Curatum. Ducuntur, quia ille habebat approbationem ab Ordinario, immò & ab ipſo iure, ſed per ablationem, vel amiſſionem etiam per litem beneficij parochialis, ſolùm tollitur ei iuriſdictio, non verò approbatio. ergo manet eligibilis per Bullam. Conſequentia cum maiori, & minori probatur, approbatio enim non habet neceſſariam dependentiam, & connexionem cum parochiali illo beneficio. ergò non eo ipſo, quòd aufertur beneficium, aufertur approbatio.

5. Hinc autem inferunt primò, quòd ſi Parochus beneficium amittit, vel illud relinquit per ingreſſum Religionis,

I poterit

Digitized by Google

poterit eligi virtute Iubilæi, quo pœnitenti conceditur facultas eligendi in Confeſſorem, Sacerdotem approbatum, quia non amiſit ſimplicem approbationem; ea tamen poſita, Papa per ſpeciale Iubilæi priuilegium ei confert iuriſdictionem.

6. Inferunt ſecundò, quòd Parochus poterit ei, qui antea erat Parochus, dare facultatem audiendi confeſſiones in ſua Parochia, quia hoc poterat ante Trid. concedere & ſimplici Sacerdoti; Tridentinum verò ſolum addidit approbationem quam adhuc ille retinet, vt *ſuprà* oſtenſum eſt. Vnde

7. Ad primum reſpondetur inde ſolùm colligi, id velle Concilium ſub diſiunctione, ſcilicet vel quòd habeat beneficium parochiale, vel approbationem abſque beneficio parochiali, & hanc ſecundam habet ille.

8. Ad ſecundum reſpondetur quòd licèt à principio fuerit facta approbatio illius intuitu beneficij, tamen poſtea conſeruatur, & durat talis approbatio, omiſſo beneficio, quia collatio beneficij non ſe habet vt ratio formalis talis approbationis, ſed vt occaſio illius, & ideo non ſequitur, quòd ablato beneficio auferatur approbatio, niſi aliàs id exprimeret Prælatus, dicens ſe reprobare illum, qui amiſit, vel reliquit beneficium parochiale.

9. Quare idem ſentire videtur Villalob. qui eſto *tract.9. de pœnit. diffic.55. num.5.* ſecutus Suar. *vbi ſuprà*, priorem ſententiam arbitretur tutiorem, & in praxi tenendam, poſtea tamen *tract.17. clauſ.9. num.4.* hanc ſecundam abſolutè tuetur, & contrariam ſolùm ait eſſe probabilem.

10. Ego autem abſolutè priorem tutiorem, & probabiliorem cenſeo, tum ob rationes initio adductas: tum, quia in iis, quæ pendent ex iure poſitiuo, ſtandum eſt verbis legis. Tum etiã quia potuit in priori approbatione aliquis error committi, atque ideo ſolùm quandiu Curatus ab Eccleſia ſuſtinetur, in tali officio approbatus cenſetur. Vnde ſi ſucceſſu temporis cognoſcatur inſufficiens ad id munus, vel ex defectu ſcientiæ, aut etiam morum, & hac de cauſa per Epiſcopum ſuſpendatur, vel coadiutorem accipere cogatur, tunc non eſt cenſendus expoſitus, nec idoneus, quoniam licèt non ſit beneficio priuatus, eſt tamen iuſtè impeditus: Concilium autem intelligendum eſt de habente beneficium & vſum eius abſque iuſto impedimento. Atque ex dictis patet ſolutio ad omnia, quæ in contrarium adduci poterunt.

DVBIVM VIII.

An ſæcularis Sacerdos, qui pro tempore determinato dumtaxat eſt approbatus, maneat eligibilis per Bullam tranſacto illo tempore.

1. VIdetur quòd ſic, quia qui pro vno determinato oppido eſt approbatus, eſt eligibilis per Bullã extra illud oppidum in eadem diœceſi, vt fatentur DD. ergo ſimiliter, qui pro vno tempore eſt approbatus, poterit eligi extra illud tempus virtute eiuſdem Bullæ in eadem diœceſi. Patet conſequentia, quia non eſt maior ratio, quare facta reſtrictione loci poſſit eligi in alio loco, & facta reſtrictione temporis, non poſſit eligi in alio tempore. Ita Acoſt. *ſuper Bullam quæſt.39. ad finem.*

2. Reſpondeo nihilominus, approbatum pro vno tempore determinato, non eſſe eligibilem per Bullam tranſacto illo tempore. Pro cuius intelligentia ſuppono, Epiſcopum poſſe dare approbationem limitatam ad ſpeciale tempus, immò ad ſpeciales caſus, & ad ſpecia

ſpecialem locum. Ita Guttier. *quæſt. canon. c. 27. num. 59. & ſeqq.* Nauar. *c. 4. n. 4.* Enriq. *lib. 3. c. 6. n. 4.* Rodr. *in expoſitione Bullæ. §. 9. n. 8.* & Ledeſm. *in ſumm. tom. 1. tract. 1. de Confeſſ. c. 13. dub. 10.* Et ratio huius eſt manifeſta, quia ſtat, aliquem eſſe ſufficientem ad confeſſiones ruſticorum, & non negotiatorum, virorum, & non fœminarum, ad hos caſus, & non ad illos, ad vnam partem diœceſis, & non ad aliam. Et ſimiliter ſtat, quòd Epiſcopus hos eligat, ſperans anno ſequenti ſe habiturũ Sacerdotes magis idoneos, atque ideo rationabiliter velle non approbare iſtos niſi pro tempore determinato; & deinde quia ſtat, aliquem eſſe idoneum hoc anno ad audiendas confeſſiones, & non ſequenti, propter morum mutationem. ergo poteſt Epiſcopus limitare tempus approbationis. Immò id valde vtile eſſe exiſtimo, vt ſic timore examinis, Confeſſarij cautiores, & diligentiores fiant, indíéſque magis creſcant in doctrina, & vitæ puritate. Hoc ſuppoſito probatur concluſio, quia Bulla exigit, vt qui virtute illius eligitur in Confeſſarium, ſit actu approbatus tempore electionis. ergo non eſt quis eligibilis per Bullam, dum ſuæ approbationis tempus elapſum eſt; non enim conceditur in illa poſſe pœnitentem eligere illum, qui aliquando fuerit approbatus, ſed qui ſit actu approbatus, hoc eſt, quòd exiſtat talis tempore, quo eligitur, & hæc eſt communis DD. intelligentia.

3. Et, ſi inquiras: Vnde colligo, Bullam requirere approbatum pro tempore præſenti, cùm id non explicet Bulla, ſed tãtùm dicat, eligi poſſe approbatũ?

Reſpondeo rationem huius colligi ex fine, ad quem addita fuit illa clauſula, nempè ad euitandũ, ne eligeretur à pœnitente Preſbyter non idoneus; hoc autem non vitaretur, quantum commodè fieri poteſt, ſi ſufficeret eligere eum, qui pro aliquo tempore præterito idoneus erat, modò non ſit propter negligentiam in moribus, & doctrina. Atque ex his colligo, quòd ſi talis de facto eligeretur à pœnitente virtute Bullæ, abſolutio eius nulla eſſet, niſi aliàs communis eſſet error pœnitentis, aut vulgi, concurrente titulo colorato, ſcilicet, quia habebatur vt Parochus, vel quia priùs fuerat approbatus, nec ſcitur poſtea reuocatum, aut ad tempus dumtaxat fuiſſe approbatum: nam ſi hæc concurrant, valida erit abſolutio, vt docent Caiet. *verb. abſolutio. c. 3. & verb. Confeſſio. c. 3.* Nau. *c. 9. n. 8.* cum Panorm. *1. q. 19.* & colligitur apertè ex *l. Barbarius Philippus. ff. de offic. prætor.*

4. Ad rationem verò dubij reſpondeo eſſe diſparem rationem, quia cùm quis eligitur virtute Bullæ extra oppidum diœceſis, pro quo eſt approbatus, iam ſeruatur conditio requiſita in Bulla, cùm reuera eligatur approbatus pro tunc, & ita Enriq. *lib. 6. c. 7. fol. 410.* ait, quòd ſæcularis, vel Regularis approbatus pro vno oppido, durante approbatione cenſetur in praxi ſapientum ita generaliter idoneus, vt vbique terrarum eligi poſſit ab habente Bullam; de hoc tamen dicam *dub. ſequenti*; ſecus autem eſt de eo, qui eligit approbatum extra tempus, pro quo fuit approbatus; nam tunc non implet conditionem Bullæ, cùm non eligat approbatum actu, ſed qui fuit approbatus.

DVBIVM IX.

Vtrùm Sacerdos ab Ordinario approbatus pro vno tantùm oppido, ſeu pro vno genere perſonarum, ſit abſolutè eligibilis ab omnibus virtute Cruciatæ.

1. SVppono primò aliquando Confeſſarios poſſe approbari pro lo-

Digitized by Google

co determinato, vt pro iſta, & non pro illa Parochia, ſeu pro tali oppido, & non pro alio. Aliquando etiam pro determinato genere perſonarum, id eſt, pro viris, & non pro fœminis, ſeu pro ruſticis, & non pro aliis, vt dictum eſt *dub. præcedenti*; huiuſmodi autem limitationes poſſunt aliquando prouenire ex defectu ſcientiæ in approbandis, quibus ideo conceditur facultas audiendi confeſſiones ruſticorum, ſeu in tali oppido, & non aliorum, ſeu alibi; quia regulariter non occurrunt illis, ſeu ibi caſus adeò difficiles; aliquando verò ex defectu ætatis, & hac de cauſa illis alicubi facultas audiendi confeſſiones virorum, & non mulierum, concedi ſolet.

2. Suppono ſecundò. Regulares ſemel ab Ordinario vndequaque, & abſolutè approbatos præuio examine ad confeſſiones ſæcularium audiendas, non poſſe ab eodem Ordinario iterum ad examen vocari, bene tamen à ſucceſſore; immo Regulares ſi ſemel ſint approbati pro vno determinato perſonarum genere, ſeu pro vno oppido dumtaxat, ſeu ad tempus determinatum, poſſunt ab eodem Ordinario iterum examinari, quia hi non dicuntur approbati vndequaque, & abſolutè. Similiter ſi ſint approbati abſque præuio examine, vt habetur ex conceſſione Pij V. in Motu proprio anni 1571. qui incipit, *Romani Pontificis*, &c. vbi inter alia, ſic ait: Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopis in ciuitatibus, aut diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eiſdem iterum non examinari. Atque ita etiam declarauit Sacr. Congreg. ſuper Concil. Trident. ſub his verbis: Congreg. Concilij cenſuit, Regulares ad audiendas in ciuitate, aut diœceſi ſæcularium confeſſiones ſemel ab Epiſcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Epiſcopo non eſſe examinandos. Cæterùm à ſucceſſore poſſe vtique examinari iuxta conſtitutionem Pij V. datam octauo Id. Auguſti, Pōtificatus ſui anno ſexto. quæ à fel. rec. Gregorio XIII. non eſt reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concil. Trident. ita refertur per Rodr. & Veg. apud Fagund *lib. 7. cap. 2. num. 26.* & hæc eſt communis DD. opinio, quicquid aliqui in contrarium arbitrentur; vt latè oſtendunt Fagund. *citat.* & Suar. *diſp. 28. ſect. 8. per totam.*

3. Suppono tertiò, Regulares etiam ab eodem Epiſcopo ſemel approbatos, poſſe iterum ad examen vocari, ſi iuſta, & rationabilis interueniat cauſa, immò & ſuſpendi, ac reprobari, quia ita præſcribit Pius V. in ſuo præcitato Motu proprio. Atque ita docent expreſsè Suar. *ſuprà*, & Fagund. *n.* 31. Enriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 6.* citans pro ſe Immol. Ioan. de Lignano, necnon Rodr. §. 9. *num.* 31. & Sot. *in 4. diſt.* 18. *quæſt. 4. art.* 3. ita etiam Viuald. *in candelab. de confeſſ. num.* 27. §. 2. *concluſ.* & Sylu. *verb. confeſſ. 2. num.* 11. vbi ait, approbationem, & licentiam ab Epiſcopo datam Regulari ad excipiēdas confeſſiones præcedenti examine, per eundem Epiſcopum poſſe auferri ex iuſta cauſa cognita, & probata, vt ſi ſcandaloſè viuat, errores ſeminauerit, ſurdus, vel mente captus fiat, fœminas in confeſſionibus ſollicitauerit, & eiuſmodi alia. Citat autē pro ſe Sylu. Card. & alios. Immo iam probatur ſic, quia, ſecluſo priuilegio, nullum eſt ius, quod dictam approbationem ſuſpendi, ſeu reuocari prohibeat, iuſta interueniente cauſa, neque illa approbatio habet ex ſe, vnde ſit irreuocabilis, tum quia fundamentum illius non eſt immutabile, fundatur enim in ſcientia, & moribus: Sacerdos autem quoad hæc facilè mutari poteſt, vt experientia docet, tum quia interdum

conſtare

Digitized by Google

conſtare poteſt, priorem approbationem fuiſſe ex notabili errore factam.

4. Sed quæres, an reuocatio approbationis huiuſmodi ſine iuſta cauſa, per Epiſcopum facta ſit valida?

Probabile eſt, dictam reuocationem abſolutè nec eſſe licitam, nec validam. Prior pars probatur in primis argumento *cap. accepimus, de ætat. & qualit. ordin.* in illis verbis: Niſi poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos, &c. vbi habetur, eum, qui ſemel, tanquam idoneus approbatus eſt, non eſſe tanquam indignum reiiciendum, niſi conſtiterit denuò, factum eſſe indignum. Secundò, quia dicta approbatio non eſt gratia aliqua, ſeu fauor, ſed eſt iuridica quædam declaratio, quæ ſe habet tanquam iuſta ſententia, & iuſtitiæ debita, & conſequenter nequit abſque cauſa iuſtè reuocari.

5. Poſterior autem pars probatur, quoniam dicta reuocatio facta abſque cauſa, eſt quaſi ablatio iuris iam acquiſiti, vel quaſi ſententiæ iuſtæ reuocatio ſine cauſa, ac proinde non ſolùm eſt iniuſta, ſed etiam inualida, præſertim reſpectu Mendicantium, quibus à Papa confertur iuriſdictio, ab Epiſcopo autem ſolùm approbatio; vt alibi dicemus. Confirmatur, quia per approbationem ſemel datam Sacerdos manet approbatus, nec poteſt iam non eſſe approbatus, atq; idoneus, niſi ipſe mutetur, ex tunc enim habet quicquid Concilium in illo requirit.

6. Nihilominus cenſeo in caſu ſimili, tutius eſſe voluntati, & mandato Superioris acquieſcere; tum quia rationes adductæ non ſunt adeò euidentes, & efficaces, vt tollant omnem ambiguitatem, ſaltem reſpectu Sacerdotis ſæcularis, cuius approbationem opinantur nonnulli ſemper pendere moraliter à voluntate approbantis, ſicut pendet iuriſdictio à voluntate delegantis, tum quia multi ſatis probabiliter tenent, Epiſcopum non ſolùm poſſe Sacerdoti ſæculari ſibi ſubdito concedere dictam approbationem cum limitatione temporis, ac perſonarum ad beneplacitum ſuum, ſed etiam Regulari, ſaltem ſi rationabilis interueniat cauſa, atque ita docet communis praxis; tum denique, quia nec poteſt adeò facilè conſtare reuocationem eſſe iniuſtam, & ſine legitima cauſa; niſi autem id manifeſtè conſtet, ſemper eſt pro Superiore præſumendum; maximè, quia poſſunt interdum cauſæ ſatis legitimæ mentem Superioris mouere, quas ipſi nec expedit, nec licet forſitan manifeſtare.

7. Sit iam prima concluſio. Qui ex defectu ſcientiæ ſunt approbati pro vno oppido tantùm, vel pro vno genere perſonarum, ibi, & ab illis dumtaxat, poſſunt virtute Bullæ, ſeu Iubilæi eligi ad confeſſiones audiendas: ita Rodr. *in ſum. tom. 1. cap. 60. num. 4. & in expoſitione Bullæ §. 9. num. 8. dub. 5.* Guttier. *in quæſtion. canon. cap. 27. num. 18.* Acoſt. *quæſt. 39. ad med.* Idem etiam videtur ſentire Suar. *diſput. 28. ſect. 7. num. 3.* & eſſe probabilem ait Ledeſm. *de pœnit. cap. 13. dub. 8. poſt primam concluſ.* ſicut etiam aſſerit Fagund. *lib. 7. cap. 2. n. 45.* Ducor, quia nequit virtute Bullæ quis in Confeſſarium eligi, niſi ſit ab Ordinario ſimpliciter approbatus: ſed qui ad vnum genus perſonarum, id eſt, ruſticorum, ſeu ad vnum oppidum, in quo nec contractus, nec caſus difficiles euenire ſolent, eſt tantùm approbatus, ex defectu ſcientiæ non eſt ſimpliciter approbatus, immò potiùs reprobatus ad omnem alium locum, & ad omnes alias perſonas, igitur ab illis tantùm eſt eligibilis, virtute Bullæ. Secundò approbatio non plus valet, quàm pro illo, pro quo data eſt; ergo approbatus ad vnum tantùm locum, & ad vnum dum-

taxat genus perſonarum, maximè ex defectu ſcientiæ, non valet in Confeſſorem eligi niſi ab illis perſonis, pro quibus data eſt illi talis approbatio.

8. Sed obiicies, quòd ex hac concluſione ſequitur, priuilegium Bullæ prædictis perſonis eſſe inutile, cùm abſque illo poſſint eidem Sacerdoti confiteri.

Reſpondetur negando ſequelam, tum quia virtute Bullæ ſolet amplior iuriſdictio impendi, quàm ex ſola Ordinarij approbatione; tùm etiam, quia liberum eſt dictis perſonis, virtute Bullæ eligere non ſolùm illum Sacerdotem, ſed quemcumque alium ſufficienter approbatum.

9. Secunda concluſio. Qui ex defectu ætatis approbatus eſt ab Ordinario ad excipiendas confeſſiones virorum, & non mulierum, non eſt eligibilis virtute Bullæ niſi à viris, pro quibus approbatus eſt. Hanc concluſionem amplectuntur omnes præcitati authores, atque etiam Villalob. *clauſ.* 9. §. 1. *num.* 3. & Ioan. à Cruce *in direct. conſcientiæ q.* 2. *tract. de pœnit. q.* 5. *dub.* 8. *concluſ.* 3. atque eſſe probabilem, ait Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 16. Probatur autem hæc concluſio eiſdem rationibus, quibus præcedens probata eſt. nam qui ad vnum genus perſonarum ſolùm approbatus eſt, ab illis ſolùm eligi poteſt virtute Bullæ, quia approbatio illa non eſt approbatio ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, atque ideo ſolùm valet pro illis, pro quibus data eſt.

10. Tertia concluſio. Qui non ex defectu ſcientiæ, ſeu ætatis, ſed voluntariè, vel ob aliquam iuſtam cauſam eſt approbatus ad aliquem determinatum locum, populoſum tamen, vbi mercatura exercetur, & caſus graues euenire ſolent, eligibilis eſt in tota diœceſi. Ita Rodr. *d.* §. 9. *dub.* 5. Fernand. *in medull. caſu conſc. p.* 3. *cap.* 9. §. 8. *num.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 261. Acoſt. *vbi ſuprà*, Ledeſm. *d. cap.* 13. *dub.*... *in fi.* Valer. *in diff. vtr. for. ver. abſolutio. diff.* 1. *n.* 15. Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. cap* 6. *num.* 7. & 8. inclinat Sanch *loco cit.* & Medina 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. & citat pro hac ſententia Enriq. plures DD. tam Theologos, quàm Iuriſperitos Salmanticenſes; & cenſet etiam ſatis probabilem Fagund. *d. cap.* 2. *num.* 22. Et ratio eſt, quia qui eſt approbatus ſimpliciter, ſaltem eſt eligibilis in tota diœceſi virtute Bullæ; ſed qui non eſt ad certum genus perſonarum ex defectu ſcientiæ, ſeu ætatis approbatus, eſto ad vnum tantùm locum, cum tamen mercaturis, & contractibus expoſitum, ſimpliciter approbatus dicitur. ergo. Probatur maior, quia nec Bulla, nec Concilium requirunt amplius in eligendo, niſi quòd ſit ſimpliciter ab Ordinario approbatus. Deinde Parochus vnius loci eſt eligibilis virtute Bullæ in tota diœceſi, vt omnes fatentur, & alibi oſtenſum eſt; ergo ſimiliter eſt in tota diœceſi eligibilis, qui pro vno loco ſimpliciter approbatus eſt. Patet conſequentia, quia vtrobique eadem eſt ratio. Demum vnuſquiſque de licentia ſui Parochi poteſt confiteri cuicumque approbato in eadem diœceſi, modò non ſit approbatus ad determinatum genus perſonarum, & eſt communis. ergo à fortiori idem poterit quiſpiam de ſententia Summi Pontificis, qui eſt ſupremus omnium Parochus, & Paſtor.

DVBIVM

Dvbivm X.

An, ſi Parochus deſignet Sacerdotem doctum, non approbatum ab Epiſcopo, ad audiendas confeſſiones ſuæ parochiæ, talis poſſit audire illas, & eligi per Bullam.

1. Videtur non poſſe, quia, iuxta Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. nemo poteſt audire confeſſiones, niſi approbatus ab Epiſcopo, & vt conſtat ex Bulla, nemo poteſt eligi, niſi habeat prædictam approbationem. ergo ſola approbatio Parochi inſufficiens eſt, tam ad audiendas confeſſiones ſuæ parochiæ, quàm vt per Bullam eligibilis ſit.

2. Reſpondeo, quòd quamuis vniuerſaliter verum ſit, & contra prædictum decretum Concilij illam Parochi approbationem non eſſe ſufficientem, quantumuis electus ſit ſpectatæ doctrinæ, vt rectè Suar. *tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 3. tamen cenſeo ſatis probabile, rectè poſſe Parochum in nonnullis caſibus, vt ſi nimium fatigatus ſit in hebdomada ſancta, vel tempore Iubilæi, in quo concurrunt plures confeſſiones, approbare Sacerdotem doctum, ſi non ſit facilis recurſus ad Epiſcopum longè diſtantem. Ita docent Manc. & Gall. & alij recentiores, quos refert, & ſequitur Enriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. *litt. F. & G.*

3. Probatur primò, quia, vt dicunt prædicti DD Parochus eſt de iure Ordinarius, & præbet iuriſdictionem. ergo ſicut Abbas non Epiſcopus, vt Metinenſis, & olim Pincianus approbat, ita & Parochus approbare poteſt vrgente illa neceſſitate, cùm id aliàs poſſit de iure communi, vt probant Card. *Clement. religioſi, de priuil. q.* 12. *&* 23. Sylu. *confeſſor* 1. §. 1. *&* 4. Ioan. Andr. *cap. perlectis*, vbi dicit, ita diſputatum, & concluſum fuiſſe Bononiæ, teſte Enriquez *vbi ſuprà*, & D. Anton. 1. *p. Interrog.* ait, ita declaraſſe quoſdam Pontifices, quos ibi refert.

4. Secundò probatur, quia, vt communiter omnes concedunt in materia de matrimonio, & de voto, quando difficilis eſt recurſus ad Summum Pontificem propter inopiam perſonæ, aut alio iuſto titulo, Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis, & aliis reſeruatis Summo Pontifici; ergo ſimiliter in propoſito, quando non eſt facilis recurſus ad Epiſcopum, & vrget neceſſitas ob multitudinem confeſſionum, poterit Parochus idoneum Sacerdotem approbare.

5. Tertiò (& hanc rationẽ crediderim eſſe à priori) quòd in illis caſibus talis approbatio Parochi valet propter ratihabitionẽ, & epiikeiam, quia rationabiliter credi poteſt, quòd Epiſcopus, ſi adeſſet, approbaret illum, & quòd ratam habiturus ſit talem approbationem: vnde rectè Enriq. *loc. ſuprà citat.* ait, hanc ſententiam eſſe probabilem ex ratihabitione, aitque, & benè, ex DD. citat. quòd non poteſt Parochus ſine approbatione Epiſcopi exonerare ſe, & committere alteri omnem curam delegatione generali, vt notarunt Ioann. de Imol. Abb. Sicul. & Ioann. Andr. *in cap. omnis*.

6. Cæterùm extra caſum neceſſitatis, abſolutè cenſeo, Parochum ſuam delegare authoritatem non poſſe niſi Sacerdoti per Epiſcopum approbato. tum quia verba Concilij id requirunt, vt conſtat, tum quia ex fine eiuſdem Concilij ſic colligitur; voluit enim, ad præcauenda inconuenientia, hoc iudicium Epiſcopis reſeruare; non caueret autem, ſi Parochis etiam dictam facultatem committeret; tum etiam, quia, ſi Parochus poſſet ſuam iuriſdictionem Sacerdoti non approbato delegare, poſſet

Digitized by Google

ſet etiam ſuo Parochiano cócedere facultatem eligendi in Confeſſorem Sacerdotem ſimiliter non approbatum: vtrumque enim ante Concilium ex poteſtate ordinaria poterat;& conſequenter,ſi quoad primum manet intacta,manet etiam quoad ſecundum. Conſequens autem eſt euidenter abſurdum, aliàs poſſet Parochus concedere quod non poteſt Epiſcopus. Ita Suar.*diſp*.22. *ſect*.4.*num*.12. Vaſq. *q*.95.*art*.1.*dub*.5. *ad fin*. Nugn. *in addit*. *q*.8. *art*. 5. *dub*. 6. & communíter omnes.

7. Nec inde ſequitur,Parochos priuari tunc iure ſuo,quo ante Concilium poterant cuicumque Sacerdoti idoneo iuriſdictionem ſuam delegare.Reſpondetur enim, etiam nunc poſſe eam delegare idoneis; ex parte tamen eorum, quibus iuriſdictio eſt deleganda, appoſita eſt conditio neceſſaria,vt habeantur idonei. Ex dictis igitur patet, quid ſit propoſito dubio reſpondendum : nam ſi in caſu neceſſitatis Parochus alicui deleget ſuam iuriſdictionem,vt dictum eſt *ſuprà*, tunc talis delegatus, durante neceſſitate eligibilis eſt, ſecus extra caſum neceſſitatis.

DVBIVM XI.

An Prælatus monaſterij ſit eligibilis per Bullam, ſecluſa omni Epiſcopi approbatione.

1. RAtio dubitandi eadem eſt, quæ in præcedenti dubio, quia tam in Concilio *loco ſuprà citato*, quàm in Bulla exigitur, tanquam conditio neceſſaria ad eligendum Confeſſarium, approbatione Epiſcopi.

2. Nihilominus Enriq. *lib.6.cap.6.in comment.paulo ante literam F*.tenet, Prælatum monaſterij æquari habenti parochiale beneficium, & eſſe iure Ordinarium, & per conſequens eligibilem per Bullam à ſæcularibus abſque vllæ Epiſcopi approbatione, quam opinionem aliqui recentiores etiam amplectuntur.

3. Primò,quia, ſicut Epiſcopus, aut olim Abbas Pincianus, v.g.eligi poteſt per Bullam, & tamen non habet aliam approbationem,quàm eam,quæ annexa eſt officio Ordinarij:ita etiam Prælatus Religionis,Generalis,Prouincialis, aut localis eligi poterit per Bullam ratione officij,cui annexa eſt ipſo iure prædicta approbatio.Patet conſequentia,& ſimilitudo, quia Prælatus regularis eſt ſimpliciter, & verè Ordinarius,& in vtroque foro delegatus ad cauſas monaſterij, vt docent Sylu.*ver.Prælatus,in principio* §.2. *& verb. dignitas*. §.1. Ang. *ibidem in principio*, *& ver. reſcriptum*. §.*fin*. Cord. *ſuper regul. Minor. cap*.10. *quæſ*.4. Compend.Mendic.*verb. Guardianus*; ſed eo ipſo, quo quis eſt Ordinarius, habet approbationem à iure; ergo ſine alia Epiſcopi approbatione, aut facultate, poteſt audire confeſſiones ſæcularium, & quorumcunque aliorum habentium Bullam.

4. Secundò probatur.nam eo ipſo, quo quis habet officium Parochi, cenſetur ipſo iure approbatus, ſine alia ſpeciali Epiſcopi approbatione, ſed Prælatus monaſterij eſt proprius Parochus reſpectu ſuorum ſubditorum, immò magis, quia quamuis ſit illi nunc interdictum, iuxta Clement VIII & Ordinis decreta,reſeruare caſus,potuit tamen aliquando ex conceſſione Alexandri VI. relata à Cord. *ſupra Regul. cap*.7. *quæſ*. 2. Parochus verò non; ergo ſicut eo ipſo, quo quis eſt Parochus, iure ipſo habet approbationem, & eſt eligibilis per Bullam, ita etiam eo ipſo, quo quis eſt Prælatus regularis, idem habebit.

4. Tertiò, quia Canonicus Pœnitentiarius ſine ſpeciali Epiſcopi approbatione

probatione eſt eligibilis per Bullam: nam eo ipſo, quo eligitur in Canonicum Pœnitentiarium, ipſo iure impenditur ei approbatio ad audiendas confeſſiones. nam ad hoc munus ſpecialiter eligitur. ergo ſicut iſte ſine ſpeciali approbatione Epiſcopi eſt eligibilis per Bullam, ita & Prælatus monaſterij. Immo maior ratio eſt de illo, quàm de Pœnitentiario, quia Pœnitentiarius non eſt propriè Parochus, nec Ordinarius, Prælatus verò ſic, vt *ſuprà* oſtendimus. Nec obſtat dicere (vt aiunt quidam recentiores) Pœnitentiarium recipere approbationem ab Epiſcopo eo ipſo, quo eum inſtituit in Pœnitentiarium, neque (inquam) obſtat, quia Pœnitentiarius, & maximè in Eccleſiis cathedralibus, non eligitur ab Epiſcopo, ſed à Capitulo, vbi plerunque eligitur contra Epiſcopi voluntatem.

6. Ex quibus omnibus colligunt DD. *ſuprà* citati, idem, quod dictum eſt de Prælato monaſterij, dicendum eſſe de eius Vicario, Prælato abſente, vt rectè notauit Enriq. *lib. 6. cap. 7. fol.* 400. cui etiam ſubſcribunt nonnulli recentiores.

7. Vnde ad rationem dubitandi reſpondent, quòd ſicut per verba Bullæ, aut Concilij, dum aiunt, eligendum eſſe approbatum ab Epiſcopo, vel Ordinario, non excluditur ipſe Ordinarius, vel Epiſcopus, quia ipſo iure habet ad id approbationem, ita etiam per eadem verba non excluditur Prælatus Religionis, cùm hoc ipſo, quòd ſit Prælatus, ſit Ordinarius, & conſequenter habeat ipſo iure approbationem. Ita tenet Enriq. *vbi ſuprà*, ſed ait hanc opinionem eſſe magis in praxi cogitandam.

8. Et meritò, quamuis enim hanc opinionem reddant fortaſſe ſpeculatiuè probabilem rationes adductæ; practicè tamen eam nec veram, nec in conſcientia tutam exiſtimo.

9. Primò, quia ſicut Regulares non egent Confeſſariis adeò eruditis, ac ſæculares, vt alibi ex Nauarr. dictum eſt, ita nec Prælatus monaſterij eget tanta eruditione, quanta indiget ordinariè Parochus, immò aliquando contingit, quòd Prælatus monaſterij non ſit Sacerdos, & conſequenter nec etiam capax confeſſiones excipiendi. Igitur, abſolutè loquendo, Prælatus monaſterij non eſt virtute Cruciatæ eligibilis ſaltem reſpectu ſæcularium.

10. Secundò, quia Prælati locales apud Regulares, non ſunt propriè Parochi, cùm regimen potius ſpirituale, quàm Sacramentorum adminiſtratio eis circa ſubditos incumbat. Hinc Parochi, licèt poſſint, non tamen tenentur ſuam iuriſdictionem aliis delegare; ſed, ordinariè loquendo, poſſunt velle ſuarum ouium confeſſiones per ſe audire; at Prælatis regularibus id nec licet, nec expedit. Non licet, vt conſtat ex decreto Clement. VIII. *de reſeruatio. caſ. pro regul.* vbi §. 2. ſic ait: Non licet Superioribus Regularium confeſſiones audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petierint. Nec expedit, quia ſi cogerentur ſubditi ſuis Prælatis ordinariè confiteri, paſſim exponerentur periculo non fatendi veritatem, timentes ne ex notitia fori ſacramentalis, Superiores interdum ſumerent occaſionem eos in foro exteriori deprimendi, & fortaſſe etiam puniendi. ergo, cùm Prælati huiuſmodi non ſint propriè Parochi, vt conſtat ex dictis, conſequenter nec ſunt virtute Bullæ eligibiles ſaltem reſpectu ſæcularium, niſi ab Epiſcopo approbationẽ habeãt.

Digitized by Google

11. Tertiò, quia DD. Prælati iſti habeant iuriſdictionem ordinariam, non tamen beneficium, & ſtandum eſt verbis legis; nec habent iuriſdictionem in ſæculares, & conſequenter non ſtatim cenſentur approbati reſpectu illorum.

12. Quartò, quoniã graues authores cenſent, Regulares ex vi Iubilæi, ſeu Cruciatæ. nõ poſſe indulgentias lucrari, niſi confiteantur Sacerdoti per Epiſcopum approbato. Ita Suar. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 6. *num.* 11. Regin. *tom.* 1. *lib.* 1. *num.* 175. cum aliis, quorum opinionem improbauimus *dub.* 9. Sed retenta huiuſmodi opinione, ex dictis ſic poteſt confici argumentum, Regulares quicumque, etiam ſuperiores, nequeunt ex vi Cruciatæ eligere Confeſſorem, niſi ſit ab Epiſcopo approbatus, igitur à fortiori, neque ipſi Prælati ſunt eligibiles ex vi Bullæ ſaltem ad confeſſiones ſæcularium excipiendas, niſi ſint ab Epiſcopo approbati. Immò nec authores præcitatæ opinionis id contradicunt, quin potiùs ſic ſentiunt ferè omnes, & tenet expreſsè Rodr. §. 9. *num.* 4. *dub.* 1.

Dubium XII.

An Sacerdos ſæcularis abſolutè, & ſimpliciter approbatus, poſtea tamen iniuſtè reprobatus, eligibilis ſit per Bullam.

1. PRo intelligentia huius dubij, vt certa ab incertis ſeparemus, præſuppono, Epiſcopum poſſe ex noua cauſa occurrente, vel antiqua meliùs ponderata, tollere approbationem, quam dedit tam ſæculari, quàm regulari Sacerdoti, vt docent Syluest. *verb. Confeſſor* §. *vlt.* Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *queſt.* 4. *art.* 3. Emman. *in Bulla.* §. 9. *num.* 33. cum multis Iuriſperitis, quos refert, & ſequitur Enriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *in comment. lit. S.* & conſtat ex *cap. accepimus, de ætat. & qualit. ordin.* vbi dicit ex noua cauſa poſſe approbatum reprobari ad beneficium; ergo ſimiliter ad confeſſiones. & præterea, quia noua cauſa, vel antiqua de nouo cognita dat nouum ius; ergo ex tali cauſa poterit pro bona Eccleſiæ gubernatione Epiſcopus reprobare iam approbatum à ſe, vel à prædeceſſore, aliàs non ſufficienter eſſet prouiſum bono Eccleſiæ regimine, & ita habet vſus, & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres.

2. Hoc ſuppoſito, videbitur fortaſſe alicui, ſæcularem, vel Regularem approbatum ab Epiſcopo, iniuſtè tamen poſtea reprobatum, eſſe eligibilem per Bullam, aut Iubilæum. Ita Acoſt. *q.* 40.

3. Primò, quia quando approbatio eſt iniuſtè ablata, ablatio eſt nulla, & inualida. ergo iniuſtè reprobatus adhuc manet approbatus. Cõſequẽtia eſt nota, & antecedens patet, quia approbatio eſt quaſi quædam ſententia, ſententia autem, & præſertim declaratoria, reuocari non poteſt ſine noua cauſa, vel antiqua de nouo cognita, itavt res aliter ſe habeat, quàm antea. ergo nec approbatio.

4. Secundò, quia ille, qui fuit approbatus ab Epiſcopo, & modò, cùm eligitur virtute Bullæ, habet eandem ſufficientiam, & idoneitatem, licèt iniuſtè reprobetur verbis ab Epiſcopo, in re tamen, & coram Deo eſt approbatus, quia iniquam reprobationem nefas eſt præualere contra iuſtam approbationem. ergo talis habet quicquid Bulla, & Concil. requirunt, vt ſit eligibilis virtute illius.

5. Tertiò, quia Innocentius III. *in cap. accepimus, de ætat. & qual. ord.* expreſsè ait, Epiſcopum debere diligentiam adhibere, vt idonei ordinentur, & pro

Digitized by Google

& promoueantur; poſt promotionem verò non eſſe remouendos, niſi indigni fiant. ita enim inquit: Ac ideo poſt promotionem eorum, exceptionem huiuſmodi non poteritis prætendere contra illos, niſi, poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos. quibus verbis vult apertè Pontifex Epiſcopum non habere ius iterum examinandi, vel reprobandi ad beneficium quod contulit. ergo nec ad confeſſiones, cùm eadem ſit ratio, atque ideo eadem iuris diſpoſitio. Vnde quidam referunt deciſionem 664. Cardinalium generaliter dicentium, ſemel promotum ab Epiſcopo, non poſſe iterum ad examen vocari, niſi noua cauſa orta ſit.

6. Verùm, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum Preſbyterum ſæcularem approbatum ab Epiſcopo, ſi poſtea iniuſtè reprobetur, non manere approbatum, & conſequenter nec etiam eligibilem per Bullam, niſi aliàs talis eſſet Parochus. ita communiter DD. nemine (ſaltem ex antiquis, quem viderim) contradicente, & probatur, tum quia tam Concilium, quàm Bulla exigunt, vt eligendus virtute Bullæ habeat approbationem ab Epiſcopo; ſed ille caret tali approbatione, cùm ei fuerit ablata ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. ergo non eſt eligibilis per Bullam, nec eius confeſſiones erunt validæ. Tum quia alioquin nullum eſſet diſcrimen inter Regularem, & ſæcularem Sacerdotem quantum ad hoc, quod eſt contra verba Bullæ aſſerentis quoad Regularem, ſufficere ſi ſemel ſit approbatus. ergo ſupponit non ſufficere pro ſæculari Sacerdote, quòd ſemel ſit approbatus, ſed requiri, quòd non ſit reprobatus. ergo ſi reprobetur, etiam iniuſtè, non manebit approbatus; non enim poteſt dici quòd loquatur de iuſta reprobatione, quia in hoc ſenſu, etiam Regulari non ſufficeret, eſſe ſemel approbatum, quippè, cùm iuſta de cauſa reprobatur, valet reprobatio, vt *ſuprà* oſtendimus in principio huius dubij. Dixi tamen notanter in concluſione, *niſi ſit Parochus*, quia talis, ſicut iure ordinario habet beneficium, ita & approbationem, vnde nec iuſtè, nec validè priuari poteſt ab Epiſcopo, niſi iuſta de cauſa. Verum tamen eſt, quòd quando orta fuiſſet ſuſpicio ſuæ inſufficientiæ, vel ratione doctrinæ, vel morum, poterit per Epiſcopum ſuſpendi, donec examinetur, & interim nec virtute Bullæ poterit eligi ab aliquo, quia licèt ſit Parochus, eſt tamen ſuſpenſus. Secus autem eſſet, quando conſtaret iniuſtè vexari, quia tunc talis ſuſpenſio non impediret eum audire confeſſiones, & eligi per Bullam.

7. Ad primum reſpōdetur approbationem non eſſe propriè ſententiam, & ideo ſine mutatione aliqua rerum, ſed potiùs rebus immotis manentibus, tenebit ablatio illius, itavt eius abſolutiones ſint nullæ.

8. Ad ſecundum, negamus, illum iniuſtè reprobatum manere in re approbatum, ſed potiùs in re manet ſpoliatus actuali approbatione, quam exigunt Bulla, & Concilium, vt *ſuprà*.

Ad tertium reſpondetur, olim Epiſcopum obligari ad dandum beneficium cuicumque ordinaſſet, & ordinatus acquirebat ius ad illud petendum, à qua obligatione dicit ibi Summus Pontifex non eximi Epiſcopum, niſi ordinatus reddat ſe indignum, & hoc eſt, quod in illo textu definitur; in noſtro autem caſu Sacerdos ſæcularis, qui approbatur, non acquirit ius ex tali approbatione, vt non poſſit validè reprobari ab Epiſcopo ſine cauſa, quicquid ſit de peccato Epiſcopi iniuſtè reprobantis.

Digitized by Google

9. Ad deciſionem verò Cardinaliũ, de qua licèt multi dubitent, & negent illã, ſed illa admiſſa, reſpondetur interpretandam eſſe loqui de promoto ad beneficium, in quo iam ius quæſitum habet; talis enim non poteſt ſine cauſa impediri, ne exerceat munus ſuum; ſecus autem eſt de illis, qui non habent beneficium parochiale. nam tales iniuſtè reprobati, manent ſpoliati, licèt iniuſtè, ſua approbatione. An verò iniuſta Regularis reprobatio tollat approbationem datam, videbimus *dub. ſequenti.* hanc ſententiam tuetur Ioan. à Cruce *in direct. conſcientiæ p.1. de pœnit. q.3. dub.8. concl.4.*

Dvbivm XIII.

Vtrùm Regularis ſemel approbatus, & poſtea iniuſtè reprobatus ab Epiſcopo, ſit eligibilis per Bullam, & virtute ſuorum priuilegiorum poßit audire confeßiones carentium illa.

1. GRauis eſt hæc controuerſia, in qua communis Epiſcoporum ſententia, quam nonnulli recentiores, timore potius, quàm ratione ducti ſequuntur, docet Regularem, poſt Trid. reprobatum à principio, vel. poſtea, non eſſe eligibilem per Bullam, neque poſſe virtute ſuorum priuilegiorum audire confeſſiones.

2. Probant primò, quia de hac re conſultus Cardinalis Carrafá, reſpondit nomine Congregationis pro interpretatione Tridentini factæ, poſſe Epiſcopum auferre approbationem ſemel datam Regularibus, & illa ablata non poſſe eos vti priuilegiis. Ita Salas Societatis Iesv, *in quadam lectura de expoſitione Bullæ. q.6.*

3. Secundò, quia in Concil. Trident. *ſeſſ.23. cap.15.* habetur, non debere eos reputari idoneos ad audiendas confeſſiones, qui non obtineant ab Epiſcopis approbationem. Sed Regulares iniuſtè reprobati à principio, vel poſtea, iam non obtinent approbationem, cùm eis fuerit ablata; ergo non ſunt eligibiles per Bullam, & à fortiori non poſſunt confeſſiones carentium Bulla audire, etiam virtute ſuorum priuilegiorum.

4. Tertiò, quia, cùm ius exigit ad aliquem actum licentiam obtentam, ſeu acceptam, non ſufficit tantùm petita, vt ex communi ſententia DD. docet Panorm. *cap. tua fraternitatis. de cler. excom. non reſid.* ſecus, quando ius ſolùm dicit, quòd petatur, vt conſtat ex *cap. licet, de Regul.* ſed ſic eſt, quòd Concilium *vbi ſuprà* exigit licentiam obtentam; ergo non ſufficit petita, quamuis iniuſtè negata.

5. Quartò, quia praxis, & conſuetudo, (quæ eſt optima iuris interpres,) habet, vt nullus Religioſus reprobatus ab Epiſcopis, audeat confeſſiones audire, nec id (licèt ipſe vellet) Prælati patiuntur. ergo id non eſt licitum, aliàs fieret contra conſuetudinem, quæ vim legis habet.

6. Verùm his nõ obſtantibus, reſpondetur, Regulares legitimè præſẽtatos, de quorum moribus, & doctrina conſtat ſuo Prælato eſſe idoneos ad confeſſiones audiendas, ſi ſemel approbati vndequaque, iniuſtè reprobentur poſtea ab Epiſcopo, eſſe eligibiles per Bullam, immò & rectè poſſe audire confeſſiones carentium illa, virtute ſuorum priuilegiorum. Ita docent Sylu. *Confeſſor 1. §.14. & Confeſſor 2. §.1. ver.4. & §.5.* Roſel. *confeſſio 3. §.20.* Ang. *ibi §.25.* Alex. *lib.1. tit.3. cap.11.* Compend. Mend. *verb. abſolutio quoad fratres §. 9. & 10.* Enriq. *lib. 6. de pœnit. cap.6. lit. L.* Rodr. *in Bull. §.9. num.32. & 33.* vbi ait, id defenſatum fuiſſe in Academia Pariſienſi,

Digitized by Google

riſienſi, idque tenere multos à ſe conſultos Salmanticæ,& Compluti.

7. Probatur primò ex ſpeciali Motu Pij V. edito anno 1567. in fauorem Mendicantium, vbi concedit, Mendicantem ſemel approbatum non poſſe ſine cauſa reprobari ab eodem Epiſcopo. ſic refert Enriq. *eod. cap.6. num. 6.* quòd ſi id habent Mendicantes, etiam alij Regulares, qui eorum priuilegiis communicant.

8. Secundò,quia tunc licentia legitimè petita, ſi tamen iniuſtè negetur, cenſetur ipſo iure conceſſa ipſis Regularibus, vt cõſtat ex *Clement. Dudum.§.ſi verò,de ſepult.* & docent Palac. *4.diſt.17. q.7.* Nauar.*cap.27.num.266.*& multi Salmanticẽſes Theologi,ac Iuriſtæ de hoc conſulti, & nos fuſiùs dicemus *dub.19.* ergo à fortiori,cum licentia ſemel obtenta,& poſtea iniuſtè ablata, poterunt Regulares confeſſiones ſacramentales audire,& per Bullam Cruciatæ in Confeſſarios eligi.

9. Nec obſtat, ſi dicas, iam per Tridentinum *vbi ſuprà* abrogatam fuiſſe illam Clement. quantum ad hoc, quòd ſufficiat petita,& non obtenta licentia; nam contrà inſurgit Enriquez citatus, quia Concilium non intendit antiquo Regularium priuilegio,quod iuri communi inſertum habetur, derogare; lex enim generalis poſterior ſæpè limitatur per ſpeciale ius antiquum, quod illæſum manet,vt quoad fieri poteſt,vitetur correctio iuris, vt docet Nauar. *in cap. placet, de pœnit. diſt.6.num.197. & de oratione notab.22.num.83.& 95.* pro quo adducit text. *in l.ſed hæ poſteriores.ff.de leg.* & gloſſ.receptam *in cap. offeratur, C. de lit.conteſt.* quæ tamen authentica limitatur per priorem *in l. ſciendum. ff. qui ſat. dar.cog.* Dec.*reg.1.ff.de reg. iur.* Anchar. *cap.1.de conſtit.q.21.*

10. Tertiò, (& fortè hoc eſt potiſſimum fundamentum) cui inniti debet hæc ſententia,quia,cùm Summi Pontifices valde patrocinentur Religionibus, prudenter credi poteſt, non eſſe voluntatem eorum,vt iniuſta reprobatio Epiſcoporũ reſpectu Regularium vim aliquam habeat contra Apoſtolica indulta ipſis conceſſa. ergo ſicut ante Concilium Tridentinum iniuſtè reprobati poterant audire confeſſiones, ex *prædicta Clement. Dudum, de ſepult.* ita & modò poſt Tridentinum. Patet conſequentia, quia ſi Epiſcopus iniuſtè, & potiùs in fraudem priuilegij Mendicantium in prædicta Clementina contenti, reſeruaſſet Confeſſariis religioſis plurimos caſus, reſeruatio eſſet nulla, iuxta doctrinam Sot. *4.diſt.18. q.4. art.3.* Palac. *diſt.17.q.7.* Ang. *ver. confeſſio 3. num.29.* Armill.*verb.abſolutio.n.24.* Tab.*eod.verb. abſolutio 1.num.34.*& aliorum. Et rationem reddunt, quia dolus, & fraus non debent patrocinari Epiſcopis,vt contra iura Religioſorum ſibi iniuſtè caſus reſeruent. ergo ſimiliter, ſi in fraudem priuilegiorum Mendicantium illos reprobent, ſiue à principio, ſiue poſtea, reprobatio erit nulla, vt rectè tradit Sylu. *ver.confeſſor.2.* quia eſt in fraudem legis, & citat pro ſe Paul. Lardin. & alios. At de reſeruatione caſuum extant nunc tria decreta ſacræ Congregationis Regul. quibus ſtandum eſt, & referuntur *cap.3.dub.2.*

11. Quartò, & vltimò probatur ex Rodr. *vbi ſuprà*, quia iuriſdictio Regularium manat à Pontifice, & ſolùm approbatio eſt ab Epiſcopo; ergo collata illa iuriſdictione, non eſt in poteſtate Epiſcopi,illius vſum à Confeſſario tollere.Sed hanc rationem,inquiunt nonnulli moderni eſſe infirmã, quia ſi vim haberet, probaret etiã, quòd Epiſcopus non poſſet ex iuſta cauſa reprobare Regularem ſemel approbatum, quod tamen eſt falſum. Quapropter eſt neganda ſequela,quia non eſt intelligendum,

Digitized by Google

miniſterium Epiſcopi finiri in prima approbatione, ſicut munus delegati finitur, & terminatur ſua delegatione finita, ſed durat reſpectu Sacerdotum ſæcularium, itavt iuſtè, vel iniuſtè, cum cauſa, vel ſine illa de facto auferre poſſit ab eis approbationem: reſpectu verò Regularium nonniſi cum cauſa. Et huius ratio eſt, quia ex proprio officio Paſtoris ſibi incumbit poſſe repellere, quod illi nociuum eſt.

12. Ad primum igitur in contrarium reſpondet Enriquez *lib.6. cap.6. litt.F. in comment.* falsò citari talem Congregationem ſub Cardinali Carrafa, ſed licèt ita fuerit, (vt quidam grauiſſimi DD. aiunt,) reſpondet interpretandam eſſe, ſolùm velle, poſſe Epiſcopos approbationem Regularibus ſemel datam auferre, hoc tamen non ſine cauſa, quòd nos libenter concedimus.

13. Ad ſecundum reſpondetur ex dictis, tunc Regularem iniuſtè reprobatum obtinere licentiam à iure, & hoc ſufficit ſine alia Epiſcopi approbatione. Atque eodem modo reſpondetur

Ad tertium. At verò ad quartum patebit ſolutio ex dicendis dub...

14. Cæterùm, in caſu ſimili, tutius eſſe exiſtimo voluntati, & mandato Superioris acquieſcere. tum quia rationes adductæ non ſunt adeò euidentes, & efficaces, vt tollant omnem ambiguitatem, tum quia multi ſatis probabiliter tenent, approbationem Confeſſoris etiam regularis, poſſe ab Epiſcopo dari cum limitatione temporis, ac perſonarum ad eiuſdem Epiſcopi beneplacitum. tum denique, quia nec adeò facilè conſtare poteſt, reuocationem eſſe iniuſtam, & ſine cauſa legitima; niſi autem id manifeſtè conſtet, ſemper eſt pro Superiore præſumendum; maximè quia poſſunt interdum cauſæ ſatis legitimæ Superioris mentem mouere, quas ipſi nec expedit, nec decet forſitan manifeſtare.

Dubium XIV.

An Doctor, vel Licentiatus in ſacra Theologia, aut iure Canonico, ſit eligibilis per Bullam ad audiendas confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione.

1. Partem affirmatiuam amplexati ſunt grauiſſimi DD. Ordinis Prędicatorum, Gallus, Med. Bañes, quos ſecuti ſunt Sebaſt. Perez Epiſcopus Oxomenſis, & Doctor Petr. Martinez Compluten. vt refert Enriquez *lib. 6. cap.6. litt.E.* quorum ſententia probari poteſt.

2. Primò, quia Academia, ſeu Vniuerſitas per facultates, & indulta ſibi conceſſa à Sede Apoſtolica, examinat, & approbat prædictos Licentiatos, nomine ipſius Papæ. ergo tales iam obtinent à iure approbationem, mediante publico teſtimonio ſuæ idoneitatis ab Academia nomine Papæ ſibi expedito atque exhibito, & ſic eligi poterunt virtute Bullæ.

3. Secundò, quia Magiſter Gallus, qui interfuit Concilio Tridentino, declarans Salmanticæ decretum Concilij ſuprà citatum, dùm legeret materiam de Clauibus anno 1566. dixit, intentum Concilij ſolùm fuiſſe, duos abuſus excludere, alterum ne prætextu Bullarum eligeretur quilibet Sacerdos, alterum ne quicunque Sacerdotes alterutrum confiterentur. Dixit præterea quòd per tale decretum nulla ex parte detractum eſt iuri communi, quod colligit ex eo, quòd in vltimis verbis ſolùm derogantur priuilegia, & conſuetudines, quæ contra ius commune ſuccreuerant: quando autem (inquit) ius commune derogatur, fit expreſſa illius mentio. Ex quibus

Digitized by Google

quibus fundamentis colligit inter alia multa, quæ ibi infert, quòd Licentiatus in ſacra Theologia, aut iure Canonico eſt eligibilis per Bullam ſine alia Epiſcopi approbatione. quam doctrinam dixit eſſe iuxta intentum Concilij, immo & iuxta eius verba: nam poſtquam in illo dicitur, quòd nullus Sacerdos audire poteſt confeſſiones ſæcularium, niſi ſit approbatus ab Epiſcopo, additur: aut aliàs idoneus iudicetur. ergo non ſolùm eſt eligibilis in Confeſſarium virtute Bullæ approbatus ab Epiſcopo, ſed quilibet alius, qui idoneus iudicatus fuerit, maximè publico alicuius Academiæ teſtimonio; per hoc enim ſufficienter occurritur inconuenientibus, quæ per illud decretum vitare intendit Concilium: ne ſcilicet indocti, & inſufficientes eligantur in Confeſſarios.

4. Verùm, his non obſtantibus, reſpondetur, nullum Licentiatum, ſeu Doctorem, nec alium quantumcunque doctum; eligibilem eſſe per Bullam ad audiendum confeſſiones abſque Epiſcopi approbatione. Ita docent Cord. *in ſum. q.* 10. *&* *q.* 16. Enriq. *vbi ſuprà*, Rodr. *in bull.* §. 9. *num.* 4. *in fin.* Guttier. *in quæſt. canon.* Menoch. *lib.* 2. *centur.* 5. *caſ.* 465. Palac. 4. *d.* 17. *q.* 7. *pag.* 256.

5. Probatur primò ex verbis Concilij Tridentini ſuprà citatis *ſeſſ.* 23. *c.* 15. nam, cùm ibi dicitur, vel aliàs idoneus iudicetur, non ſignificatur, quòd quando publicè conſtat de ſufficientia, & idoneitate alicuius, non ſit neceſſaria Epiſcopi approbatio, vt falsò prædicti DD. interpretantur, ſed ſolùm ſignificatur, quòd ad hoc, vt Epiſcopus approbet aliquem in Confeſſarium, non eſt neceſſarium præmittere examen, ſi aliàs ſciat illum eſſe idoneum, & ſufficientem; quam intelligentiam eſſe apertam mentem Concilij & verba ipſa, niſi extorqueantur, ſatis indicant, & vſus ipſe confirmat, cùm nullus, quantumcunque graduatus, audeat ſine Epiſcopi approbatione, confeſſiones audire.

6. Secundò probatur, quia Pius V. conceſſit aliquando pro magno priuilegio Fratribus Mendicãtibus, vt Lectores illorum graduati in Theologia poſſent ſine alia approbatione Epiſcopi, audire confeſſiones ſæcularium, vt refertur in Motu proprio Gregor. XIII. qui inſeritur communiter edicto ſanctæ Inquiſitionis, quam conceſſionem poſtea ipſe Pius V. reuocauit anno 1571. teſte Enriquez *vbi ſuprà*, declarans, Regulares etiam graduatos, & Lectores præſentandos eſſe Epiſcopo, licèt vetet eos examinare. ergo manifeſtum eſt gradum Doctoratus non eſſe ſufficientem ſine Epiſcopi approbatione ad audiendas confeſſiones virtute Bullæ.

7. Tertiò probatur, quia per hoc, quòd quis laurea Doctoratus inſigniatur, non accipit approbationem ſufficientiæ, & idoneitatis ad audiendas confeſſiones requiſitæ. ergo talis non eſt eligibilis ad id virtute Bullæ. Conſequentia eſt nota, & antecedens patet, quia idoneitas, & ſufficientia requiſita ad audiendas confeſſiones non attenditur ſolùm penes doctrinam, aut ſcientiam (vt omnes fatentur,) ſed adæquatè penes doctrinam, & bonos mores. At per gradum Doctoratus ſolùm accipit quis teſtimonium doctrinæ, non morum; ergo licèt gratis daremus, illum non indigere Epiſcopi approbatione pro doctrina, benè tamen pro moribus, & vita, quæ non minorem locum obtinet in ſufficientia requiſita ad audiendum confeſſiones.

8. Quartò, quia in ipſa Bulla non conceditur facultas eligendi aliquem in Confeſſarium, niſi ſub hac limitatione, vt eligatur approbatus ab Ordinario, & in literis etiam Apoſtolicis, in

in quibus frequenter ſolent committi diſpenſationes in foro conſcientiæ, DD. aut Licentiatis in Theologia, vel iure canonico, ſemper apponitur prædicta limitatio, vt talis Doctor ſit approbatus ab Ordinario. ergo ſupponit Summus Pontifex non ſatis eſſe gradum Doctoratus ad exercendum officium Confeſſoris virtute priuilegij, niſi accedat approbatio Epiſcopi.

9. Ad primum reſpondeo, quòd licèt inſignitus laurea Doctoratus accipiat approbationem ab Academia nomine Papæ; illa approbatio eſt ſecundùm quid reſpectu officij Confeſſarij, quia ſolùm eſt in doctrina; atque adeò reſtat, vt accipiat ab Epiſcopo approbationem ſimpliciter, quæ ex doctrina, & moribus pariter conſurgit.

10. Ad ſecundum reſpondeo, primum illud fundamentum Magiſtri Galli infirmum eſſe. nam, etſi illa fuerit intentio Concilij, tamen lex eſt vniuerſalis in ordine ad omnes, & ſic ab omnibus debet obſeruari, quamuis in hoc, vel illo particulari deficiat ratio legis, vt communiter fatentur DD. in materia de legibus.

11. Secundum etiam fundamentum non eſt vndequaque verum, quia *in cap. 1. de conſtit. in 6.* dicitur, quòd quia Pontifex omnia habet iura in ſcrinio pectoris, ideo poſt poſteriorem legem cenſetur abrogare priorem illi contrariam, quæ in iure continebatur. ergo cùm decretum illud Tridentini ſit decretis prioribus iuris communis contrarium, dicendum eſt illud derogare iuri communi. Et præterea, quia de iure communi competebat Religioſis Mendicantibus (vt multi Doctores dicunt) quòd præſentati Epiſcopis, licèt ab eis non approbati, poſſent audire confeſſiones, tamen id abrogauit Concilium Tridentinum, vt *ſuprà*.

12. Ad argumentum ergo in forma negatur ſequela, & ad probationem iam patet ex prima probatione noſtræ ſententiæ, qua ratione intelligenda ſint verba illa Concilij Tridentini. Vnde falſum etiam eſt id, quod ex prædictis fundamentis colligit Gallus, vt refert Enriq. *vbi ſuprà*, ſcilicet quòd egregius concionator, aut alius, qui communi populi opinione, aut teſtimonio alicuius Academiæ iudicatur idoneus, poteſt eligi in Confeſſarium per Bullam ſine alia approbatione Epiſcopi, hoc (inquam) falſum eſt; tum quia ſæpè, qui tanquam egregius concionator habetur, eſt etiam egregius idiota in Theologia non ſolùm ſcholaſtica, ſed & morali, quæ ad audiēdas confeſſiones apprimè neceſſaria eſt; & ſimiliter, qui à populo iudicatur, tanquam homo ſpectatæ doctrinæ, corruptis moribus eſt deprauatus, & omnino indignus officio Confeſſarij, & ſic rediret abuſus antiquus, quem euertere intendit Tridentinum; tum etiam, quia ſic periret auctoritas Epiſcoporum, dum quilibet, quem aliàs populus iudicaret doctum, poſſet eligi in Confeſſarium abſque eorum præuia probatione.

DVBIVM XV.

Vtrùm Sacerdos etiam ſæcularis approbatus ab vno dumtaxat Epiſcopo, ſit vbique terrarum eligibilis in Confeſſarium à quocumque habente Bullam.

1. PArtem affirmatiuam exiſtimant ſatis probabilem, & ſecuram in praxi Enriq. *lib. 6. cap. 6. initio, & num. 8. fin.* vbi pro eadem opinione refert Blãchum Archiepiſcopum Compoſtellanum, qui interfuit Tridentino, Gallum, Mantium, Bañes ex familia Prædicatorum,

Digitized by Google

dicatorum, Gueuara, & Ludouicum de Leone ex Auguſtiniana. Idem ſentiunt Cord. *ſum. q.* 10. *& ſuper compend. verb. abſolutio quoad ſeculares* 1. §. 16. Suar. *de pœnit. diſput.* 28. *ſect.* 7. *num.* 7. *&* 10. Coninch *de pœnit. diſput.* 8. *dub.* 7. *num.* 53. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 16. *q.* 4. *num.* 188. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 261. Nugn. *in addit. q.* 8. *art.* 5. *dub.* 9. Ledeſm. *ſum. tom.* 1. *de pœnitent. cap.* 13. *dub.* 8. & Fernand. *in medull. p.* 3. *cap.* 9. §. 8. *num.* 4. & tandem Ioan. à Cruce *in direct. conſc. p.* 2. *tract. de pœnit. q.* 5. *dub.* 9. *concl.* 2. & alij. Sed probatur,

2. Primò, quia in dubiis opinio benignior eſt eligenda; ſed huiuſmodi opinio eſt benignior, vtpote magis fauens libertati ſacramenti Pœnitentiæ, & eius frequentationi, in quo ſita eſt benignitas opinionis, teſte Sylueſt. *verb. opinio q.* 2. & patet ex *cap. fin. de cognat. ſpirit.* ex *l. ſunt perſonæ. ff. de relig. & ſumptib. funer.* immò videtur conformius rationi hanc opinionem eligere, quia vbi eſt diuerſitas opinionum probabilium, in benigniorem, & æquiorem partem eſt inclinandum, vt colligitur ex *cap. fin. de tranſact. & l. benignus. ff. de leg. & l. placuit. C. de iudicib. & cap.* 1. *de rer. permut. in* 6. & docet Oſtienſ. *d. c. fin. de cognat. ſpirituali.*

3. Secundò, quia Summus Pontifex in Bulla, cùm concedit priuilegium eligendi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, non limitauit ad approbatos ab Ordinario huius, vel illius diœceſis. ergo fruſtrà dicitur limitandum fore ad approbatos ab Ordinario loci, vel pœnitentis. Patet conſequentia, quia vbi lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus, vt conſtat ex *cap. ſolitæ.* §. *nobis autem, de maior. & obed. & cap. ſi Euangelica d.* 55. quod præcipuè habet verum in fauorabilibus, vt habetur *cap. odia reſtringi, de reg. iur. in* 6. Satis autem conſtat hoc priuilegium eſſe fauorabile; igitur non eſt reſtringendum, &c.

4. Tertiò, quia ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 25. altera ex duabus conditionibus poſtulatur ad hoc, vt Sacerdos poſſit ſæcularium confeſſiones audire, nempe vel quòd ſit approbatus, vel quòd parochiale obtineat beneficium. Sed non eſt neceſſe ad eligendum aliquẽ Parochum in Confeſſarium virtute Bullæ, quòd obtineat beneficium parochiale in eo Epiſcopatu, vbi ſit confeſſio; igitur nec etiam opus eſt id, ad eligendum quemcumque alium Sacerdotem approbatum, ſed ſufficiet eſſe ſimpliciter approbatum ab aliquo Epiſcopo, quamuis non ſit Diœceſanus illius loci, in quo ſit confeſſio. Conſequentia cum maiori eſt nota, licèt illam neget Rod. *in Bull.* §. 9. *num.* 7. eſt tamen communis inter DD. Salmanticenſes, vt dictum eſt *ſuprà*, immò vſu id ſatis, & manifeſtè approbatur.

5. Quartò probatur ex verbis ipſius Bullæ Latinæ, vbi apertè conceduntur accipienti illam duo priuilegia, alterum quòd poſſit eligere quemcumque approbatum ab Ordinario in Confeſſorem: alterum, quòd ab illo poſſit abſolui à reſeruatis. Sed in ſecundo continetur aliquid vltra ius commune. ergo etiam in primo, aliàs non eſſet priuilegium, quia priuilegium eſt quid priuans legem, ſeu priuata lex, vt habetur ex *cap. priuil. d.* 3. *& cap. in his, de priuil. & ex l. vnica, C. de theſaur. lib.* 10. vbi dicitur, fruſtrà quis precibus nititur impetrare, quod iure communi conceditur.

6. Sed reſpondent aliqui, id quod ibi conceditur vltra ius commune, eſſe, quòd poſſit quis eligere quemcumque Parochum illius, vel alterius diœceſis, cùm tamen de iure communi

L non

non poſſit niſi proprio Sacerdoti confiteri. Hæc tamen ſolutio nihil obſtat, quia iuxta hanc interpretationem in penè infinitis oppidis Hiſpaniæ, vbi tantùm eſt vnus Parochus, & in innumeris Conuentibus Religioſorum, vbi tantùm eſt vnus Confeſſarius, non haberet locum tale priuilegium. nam cùm electio non cadat, niſi vbi ſunt plura eligibilia, ex *l. vnum ex familia ff. de legat.* 2. non poſſet pœnitens gaudere priuilegio eligendi Confeſſarium approbatum.

7. Reſpondent iterum aduerſarij id eſſe per accidens, quia ſatis eſt, quòd vbi ſunt plures Parochi, ſeu approbati, poſſit quis eligere quem maluerit, nec amplius requiritur, &c. Hæc etiam ſolutio parum obſtat, quia ſi facultas dicta extenditur ad alienum Parochum diuerſæ diœceſis, etiam extendi poterit ad approbatum ab alieno Ordinario, cùm Tridentinum eodem modo loquatur de Parocho, & de quouis alio Sacerdote approbato.

8. Quintò tandem, quia priuilegium, ſeu beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum, cùm non præiudicet aliis, vt conſtat ex *l. beneficium. ff. de conſtit. princ.* & tradunt latè Anton. Gabr. *tom.* 1. *com. opinio. col.* 2. *pag.* 32. *& pag.* 803. *col.* 2. *& pag.* 845. *col.* 1. *gloſſ. cap. in his, de priuileg. verb. nimis ſtrictè.* Cord. *lib.* 5. *q.* 9. *propoſ.* 4. Tab. *verb. priuilegium num.* 3. Ang. Syl-ueſt. *verb. indulgentia,* Ioan. Andr. *Clem. vnic. de reliq. & vener. Sanct.* Sed prædicta facultas eligendi in Confeſſarium eſt priuilegium Principis Eccleſiæ, & non præiudicat aliis. nam ſi alicui præiudicaret, maximè Epiſcopis; his tamen non præiudicat, cùm Papa ſit Paſtor vniuerſalis omnium fidelium, & poſſit ſuis ouibus prouidere, ſicut expediens iudicauerit. Sed de hoc latiùs dicendum eſt alibi.

9. Oppoſitam ſententiam cenſeo probabiliorem, & abſolutè tenendam, & eam ſequuntur Guttier. *in quæſtio. canon. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 6. Vaſq. *de pœnit. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 3. Rodr. *in Bull.* §. 9. *num.* 5. Acoſt. *q.* 38. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 56. *num.* 3. Sal. *in expoſ. Bull.* Quaranta *verb. Confeſſor,* Beja 4. *parte caſ.* 20. Zerol. *in praxi de ſacram. pœnit. cap.* 16. *quæſ.* 18. Bonacin. *de pœnit. diſput.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 21. & quidem hæc opinio videtur communis, quam, vltra prædictos, tenuerunt multi DD. Complutenſis, & Toletanæ Academiæ, & Guerrer. Archiepiſcopus Granatenſ. Delegad. Epiſcopus Canarienſ. & Ægid. Gonzal. olim Prouincialis, & Viſitator Societatis IESV Romanæ Curiæ peritiſſimus, aſſeruit priorem ſententiam Romæ non iudicari probabilem, ſicut mihi etiam conſtat, atque idem cenſent multi peritiſſimi ex Dominicana familia, &c. Sed probatur,

10. Primò, ex verbis ipſius Concilij Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. dum ait: Ad audiendas ſæcularium confeſſiones, neminem deinceps idoneum reputari debere, niſi parochiale beneficium, vel approbationem ab Epiſcopis obtineat. Vnde, cùm non dicat in ſingulari, quòd ab Epiſcopo obtineat approbationem, ſed in plurali, ab Epiſcopis, ſequitur manifeſtè, quòd in quolibet Epiſcopatu eſt neceſſaria Epiſcopi illius approbatio. ergo ſimiliter in Bulla, quando dicitur, quòd virtute illius poteſt eligi ex approbatis ab Ordinario, debet intelligi, iuxta Concil. Tridentin. ex approbatis in Epiſcopatu, vbi fit confeſſio. Patet conſequentia, quia, vt rectè notat Anton. Gom. *q.* 7. *d.* 7. *in vltima impreſſione Bullæ*, debet intelligi de idoneitate, & approbatione requiſita à Tridentino; nec enim cenſendum eſt,

Ponti

Digitized by Google

Pontificem velle tam facilè derogare decretum Tridentini,cum tam maturo conſilio editum, aliàs cùm vſus Bullæ adeò frequens ſit, rueret omnino tale decretum.

11. Dices,illam particulam,*ab Epiſcopis*, non eſſe intelligendam copulatiuè, itavt ſenſus ſit, neceſſarium eſſe à pluribus Epiſcopis approbari,ſed exponi debet diſiunctiuè,id eſt, quòd debeat approbari ab aliquo Epiſcoporum, ſiue ab hoc,ſiue ab illo.

12. Sed contra hanc ſolutionem obſtat reſponſio Cardinalium, qui ex mandato Gregorij XIII. congregati fuere ad interpretationem Tridentini, quam ſe vidiſſe, & promulgatam fuiſſe teſtatur Rodr.*ſupra*,ad inſtantiam enim Archiepiſcopi Valentini reſpōdit Congregatio approbatum ab alio, quàm ab Archiepiſcopo Valentino, non cenſeri in diœceſi Valentina approbatum ab Ordinario.

13. Secundò, quia proprius Paſtor, qui ouium neceſſitates cognoſcit,debet illis pouidere.ergo approbatio Confeſſarij ad proprium Epiſcopum pœnitentis ſpectat,non ad alienum,niſi id exprimatur aliquando in priuilegio.

14. Dices. In omnibus diœceſibus plus, minúſve eaſdem ouium neceſſitates eſſe, atq; adeò rectè intelligi poſſe, Bullam concedere, vt approbatus in vna diœceſi, pro omnibus approbatus cenſeatur.

15. Sed contrà,quia potiùs,qui idoneus eſt in vno loco ad audiendas confeſſiones, ſæpè contingit, quòd non ſit idoneus in aliis locis,propter difficiliores negotiatorum caſus,qui illic occurrunt,vt probat Nauar.*ſum.cap.4.num.4.* ergo non eo ipſo,quòd quis eſt approbatus pro vno Epiſcopatu,debet cenſeri talis pro omnibus.

16. Tertiò,quia conſtitutio,ſeu clauſula, quæ fit conformiter ad alteram, debet iuxta illam intelligi,vel limitari, vt docet Nauarr. *in Extrauag. de dat. & promiſſ.not.3.num.6.* ex auth.conſtit. *quæ innouat.§.vnde.verb.in illis.col.3.*& gloſſ. *Clem. ſtatutum,verb.conſuetudine, de elect.* quam ibi putat ſingularem Card. *ap-poſ.3.* Sed clauſula illa Bullæ facta eſt conformiter ad Concilij Tridentini decretum ſuprà citatum. ergo debet iuxta illud intelligi, & conſequenter ſicut ibi requiritur ad audiendas confeſſiones habere beneficium parochiale, vel eſſe approbatum ab Ordinario illius loci,ita in caſu noſtro.

17. Dices, id requiri ibi ad audiendas confeſſiones non habentium priuilegium Bullæ, reſpectu verò habentium ſufficere ſi ſit approbatus ab Ordinario, quamuis non ſit à proprio illius loci, in quo auditur confeſſio.

18. Sed contrà, quia in Concilio Tridētino dicitur illud eſſe ſeruandum, non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis & conſuetudinibus.ergo etiam per priuilegium Bullæ non poterit eligi niſi Parochus, vel approbatus ab Ordinario proprij loci.

19. Quartò, quia tam Bulla, quàm alia quæcunque reſcripta in materia odioſa debent limitari iuxta ius commune,niſi oppoſitum clarè contineatur in illis,vt docent Card.*ſum. q.*10. Sylu. *excomm.2.not.3.caſ.12.& ver.pœna.q.*18. Nauarr.*cap.17.num.*114.*&* 116.*& c.*18. *num.*45. Sed clauſula illa Bullæ concedens pœnitentibus poſſe eligere quemcunque approbatum ab Ordinario, eſt odioſa Paſtoribus, & Epiſcopis, ſi contra voluntatem eorum poſſit eligi approbatus ab alieno Epiſcopo: tunc enim apertè derogatur eorum authoritati,& poteſtati, dum in foro pœnitentiæ eximunt ſe tales ab eorum iuriſdictione. ergo verba illa ſunt ad Ordinarium proprium loci, vel pœnitentis, &

Digitized by Google

non amplianda ad quemcunque alium Ordinarium.

20. Nec ſuffragatur dicere, quòd licèt illa clauſula ſit odioſa Prælatis, eſt tamen fauorabilis ſubditis, atque adeò debet ampliari, quia fauores ſunt ampliandi, ex *reg. iur. in 6.* hoc (inquam) non iuuat, ſed magis debet præponderari, quòd cedat illa clauſula in odium Prælati, vt ſic ſit reſtringenda, quàm quòd cedat in fauorem ſubditi, vt ratione huius ſit amplianda; cùm cæteris paribus ſemper curandum ſit, vt maneat illæſum ius commune, maximè Prælatorum. atque ideo potius interpretanda erit illa clauſula in fauorem Prælati, quàm ſubditi, & conſequenter eſt reſtringenda, & non amplianda.

21. Quintò, quia qui ſe in confeſſione ſciẽter exponit periculo efficiendi Sacramentum nullum, peccat mortaliter propter grauem irreuerentiam quam irrogat illi impediendo effectum, quem cauſaret ex opere operato; ſed qui per Bullam eligit approbatum ab alieno Ordinario, exponit ſe huiuſmodi periculo, quia forsã ita eſt in re quòd illa opinio non eſt vera, & ſic non recipiat abſolutionem; abſoluens enim in eo caſu non habet iuriſdictionem.

22. Sed dices tunc illum excuſari, quia conformat ſe opinioni probabili.

Contrà, quia quamuis excuſetur à nouo peccato, ſatis magnum inconueniens eſt, quòd ſe exponat periculo non recipiendi gratiam in illa confeſſione, & conſequenter manendi in peccato mortali, ſi accedat cum ſola attritione, vt frequenter contingit, ſaltem in ſæcularibus. ergo oppoſita ſententia non eſt practicè probabilis, cùm tam grauia incommoda poſſint in eius praxi concurrere. atque adeò cùm in dubiis tutior opinio ſit ſequenda, vt docent Nauarr. *cap.* 27. *num.* 183. Conrad. *de contract q. vlt.* & Cord. *lib.* 2. *q.* 3. conſequens eſt hanc noſtram ſententiam eſſe ſequendam, quam praxis, & conſuetudo communis ſatis confirmat. Quapropter

23. Ad primum in contrarium reſpondetur iuxta doctrinam Cord. *in ſuo quæſtion lib.* 2. *de ignor. q.* 3. ſententiam Oſtienſ. procedere in forọ exteriori, in quo iudex opinionem benigniorem ſequi debet, non autem procedere in foro conſcientiæ ſaltem reſpectu pœnitentis; tunc enim tutior potius, quàm benignior eſt ſequenda. Et quamuis aliquando probabilem opinionem ſequi quis poſſit, cùm tutior non ſit ſemper neceſſariò ſequenda, eſt tamen ſemper conſulenda, vt tradit Rodr. §. 9. *num.* 5. *ad fin.* quæ ſolutio in ſimilibus ſatis ſuffragatur.

24. Ad ſecundum reſpondetur, clauſulam Bullæ, nempe approbatum ab Ordinario, interpretandam fore iuxta ſimilem clauſulam Concil. Tridentini ſæpiùs repetitam, ob rationem in tertia probatione noſtræ ſententiæ inſinuatam.

25. Ad tertium, quicquid ſit de opinione Rodr. reſpondetur negando conſequentiam; aliud enim eſt ſentiendum de Parocho, & aliud de Confeſſore approbato ſimpliciter: nam Parochus habet approbationem à iure communi, & vniuerſali conſuetudine, Confeſſor autem habet approbationem ab homine, id eſt, ab Ordinario, atque ideo approbatio Parochi reddit illum vbique capacem iuriſdictionis, ſi aliunde conferatur per Bullam, ſeu aliud priuilegium, non ſic approbatio Confeſſoris ſimpliciter approbati, &c.

26. Ad quartum benè reſponſum eſt ibi; & ad vltimam replicam in contrarium factam patet ex proximè dictis in ſolutione ad tertium, &c.

27. Ad quintum autem reſpondetur id intelligi de priuilegiis fauorabilibus; non

Digitized by Google

non autem odioſis, & quæ concernunt præiudicium tertij, cuiuſmodi eſt id, de quo agimus in præſenti, &c.

Ad hoc idem dubium appendix, an ſaltem Religioſus ex Mendicantibus ſemel approbatus ab vno Ordinario poſſit vbique confeſſiones ſæcularium virtute Bullæ, ſeu alterius priuilegij audire; & an idem ſit de aliis Religioſis, qui Mendicantium priuilegiis gaudent.

1. Ratio dubitandi eſt, quia Bonifacius Octauus *in Extrauaganti ſuper Cathed. de ſepult.* & Clemens V. *Clem. dudum, eo. tit.* conceſſerunt Mendicantibus, vt omnium confeſſiones audire poſſent cum vnius Epiſcopi approbatione, ſeu præſentatione dumtaxat. Atque hinc fit argumentum quòd à fortiori poſſint Confeſſores Mendicantes ab vno Epiſcopo approbati, ſæcularium Bullam habentinm vbique confeſſiones audire.

2. Deinde Gregor. XIII. conceſſit Societati IESV, vt Confeſſores illius Religionis ab vno Epiſcopo ſemel approbati, poſſint vbique terrarum, dum iter faciunt, confeſſiones audire, Parocho non repugnante, & Ordinario abſente, vt habetur in Bullario dictæ Societatis. Igitur idem eſt ſentiendum de aliis Religioſis communicationem priuilegiorum habentibus. Demum Sixtus IV. conceſſit Religioſis Ordinis Minorum, vt Confeſſores ab vno Ordinario approbati poſſint confeſſiones omnium ad ſua loca confluentium confitendi cauſa, audire, eſto non ſint diœceſis, in qua ſunt approbati. Sequitur igitur Confeſſores Regulares ab vno Ordinario ſemel approbatos poſſe vbique terrarum confeſſiones ſæcularium, maximè habentium Bullam, audire. ita à fortiori ſentiunt authores pro prima opinione ſuperiùs allegati.

3. Nihilominus reſpondetur partem negatiuã eſſe omninò tenendam, ſicut etiam ſentiunt authores pro ſecunda opinione adducti. Et

Primò, id probatur ex Card. Roſel. & Angel. quos refert, & ſequitur Sylueſt. *verb. Confeſſor 2. q. 1.* vbi ſic ait: Requiritur, quòd Fratres non audiant confeſſiones extra diœceſim illius, cui ſunt præſentati. & *ibidem* ait ipſe Syluest. oppoſitam ſententiam eſſe contra omnes DD. & contra text. *in Clem. Dudum, de ſepul.*

4. Secundò, quia Gregorius XIII. tanquam ſpeciale priuilegium conceſſit anno 1573. Preſbyteris Societatis IESV, vt habetur in eius Bullis, quòd ſemel approbati poſſint audire confeſſiones fidelium in locis à Sede Apoſtolica remotis. Et anno 1575. conceſſit eiſdem, vt ſemel approbati ab vno Epiſcopo, poſſint vbique terrarum, dum iter faciunt, confeſſiones audire, vt iam dictum eſt, Parocho non repugnante, & Ordinario abſente. Igitur ſupponebat Summus Pontifex, id non poſſe fieri per priuilegia Mendicantium, aliàs nil ibi concederet quod alioquin non poſſent.

5. Tertiò, quia conſuetudo vim legis habet, & eſt optima legum interpres, vt conſtat ex *cap. cùm dilectus, de conſuetud.* & ex iis, quæ tradit Ioan. Andr. *cap. quòd dilexi, de conſang. & affinit.* & ex aliis multis iuribus relatis à Cord. *lib. 5. q. 9. ad 1.* Sed conſtat ex conſuetudine omnium Regularium non audire eos confeſſiones carentium Bulla in diœceſi, in qua non ſunt approbati, niſi vt plurimum quando iter faciunt, iuxta diſpoſitionem pri-

uilegij conceſſi à Gregor. XIII. vt *ſupra*. ergo id non eſt illis licitum ſecluſo tali priuilegio, nec alio modo, quàm ibi conceditur.

6. Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd nec in Extrauaganti Bonifacij, nec in Clem. præcit. aliud conceditur, vt latiùs explicabitur *dub.* 19. Nec conceſſio Gregor. XIII. noſtræ concluſioni aduerſatur, vt patet ex dictis. Denique conſtitutio Sixti IV. nihil in contrarium concedit, ibi enim ſolùm habetur, quòd Confeſſores Ordinis Minorum ſemel approbati ab Ordinario poſſint confeſſiones omnium ad ſua loca confluentium audire, eſto pœnitentes non ſint diœceſis, in qua Confeſſores ſunt approbati; non tamen id poſſunt extra loca, pro quibus ſunt præſentati, & approbati. Ita Nau. *ſum.c.*27.*n.*268.

7. Sed obiiciunt nobis primò *Extrauag. inter cunctas, de priuileg.* vbi Benedictus XI. concedit Mendicantibus, vt poſſint vbique terrarum confeſſiones audire, etiamſi non ſint ab Ordinariis approbati, immò nec illis perſonaliter præſentati.

8. Secundò obiiciunt Pauli III. in fauorem Societ. IESV, conceſſam anno 1546. & habetur inter eius Bullas, vbi Presbyteris illius conceditur, vt etiam à nullo Epiſcopo approbati poſſint vbique terrarum confeſſiones audire, quo priuilegio gaudent omnes Mendicantes; immò vtroque prædicto gaudent omnes Regulares communicationem priuilegiorum habentes. Igitur Confeſſores regulares poſſunt vbique confeſſiones audire, etiam abſque vlla approbatione, & à fortiori ij, qui ab aliquo Ordinario ſolùm ſunt approbati.

9. Neque obſtat, ſi dicas, per Concil. Tridentin. reuocari ſimilia priuilegia, prohiberique, vt nemo confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire poſſit, niſi priùs ab Ordinario approbationē obtineat; & Greg. XIII. per ſuum Motum proprium reuocaſſe quicquid in contrarium Pius V. conceſſerat Mendicantibus, vt apparet ex tenore eiuſdem Motus proprij, quem in fine Manual. adducit Nauarr. Non (inquam) obſtat, quia nec in Tridentino, nec in Motu proprio Greg. XIII. reuocantur expreſſè viuæ vocis oracula, ſicut requiritur, vt intelligantur reuocata. At Pius V. anno 1567. ſub die 13. menſ. Martij in fauorem Ordinis Minorum ad inſtantiam Reuer. P. Fr. Aloyſij à Puteo eiuſdem Ordinis Miniſtri generalis, conceſſit, & confirmauit per ſuum viuæ vocis oraculum in foro conſcientiæ omnia, & quæcunque priuilegia per ſuos prædeceſſores eiſdem antea conceſſa, etiam contra Concilium Tridentin. & conſequenter priuilegium Benedicti XI. manet in ſuo vigore. Prædicti viuæ vocis oraculi facit mentionem Enriquez *lib. 6. lit. P.* aſſeritque conſeruari authenticum Romæ in Conuentu Aræcœli; de eodem agunt Veracruz *in ſuo ſpeculo coniugat. ad fin.* & Rodr. *in Bull.* §. 9. *n.* 32. & vterque illud refert per extenſum, vt de eo omnibus conſtet.

10. Miror ſanè, viros aliàs eruditiſſimos, ſub huiuſmodi oraculi prætextu hallucinati, atque doleo, eorundem authoritate plures fuiſſe factas, & forſitan adhuc fieri confeſſiones parum tutas, ne dicam omnino inualidas. Atque

In primis falſum eſt, per clauſulam Tridentini, *non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, & conſuetudinibus*, non reuocari viuæ vocis oraculum Pij V. tum quia ſi per dictam clauſulam reuocantur literæ Apoſtolicæ quæcunque, à fortiori reuocantur oracula;

clauſula

clauſula enim, quæ ſufficit ad reuocandum quod magis eſt, ſufficit ad reuocandum id, quod minus. Literas autem Apoſtolicas eſſe maioris æſtimationis, quàm oraculum, omnes fatentur, tum quia viuæ vocis oracula ſub appellatione priuilegiorum comprehendi manifeſtum eſt.

Deinde per Motum proprium Gregor. XIII. abrogantur omnia,& quæcumque eiuſdem Pontificis ſtatuto, ordinationi,& reductioni aduerſantia, ac ſubinde reuocatur etiam dictum oraculum.

Tertiò, ex vi præcitati oraculi ſolùm confirmantur præcedentia priuilegia in foro interiori, & meritò, ne ex oppoſito præberetur occaſio turbationum, & litium; nemo autem poteſt ambigere, originem fore plurium diſſenſionum, & litium inter Epiſcopos, & Regulares, ſi abſque eorum approbatione, confeſſiones ſæcularium audire attentaſſent, cùm id nequeat fieri abſque ſcandalo, & externa oſtentatione.

11. Tandem idem Pius V. per ſuum Motum proprium ſub anno 1571. ſtatuit, Regulares ſemel ab Epiſcopo præuio examine approbatos, ab eodem non eſſe iterum examinandos; poſſe autem à ſucceſſore examinari declarauit S. Concil. Tridentini Congregatio, iuxta eiuſdem Pij V. conſtitutionem, vt habetur ex dictis *dub. 5.* præcedenti. igitur, cùm idem Pontifex declarauerit mentem ſuam, temerarium videtur eiuſdem conceſſionem viuæ vocis oraculo factam in contrarium ſenſum extorquere.

DVBIVM XVI.

Vtrùm Sacerdos Religioſus approbatus ab Ordinario, prohibitus tamen à ſuo Superiore audire confeſſiones, poſſit validè illas audire.

1. PArtem negantem tuetur expreſſè Enriq. *lib. 6. cap. 6. ſub num. 6. in text.* ſecutus Sylueſt. *confeſſor* 2. *q.* 1. Angel. *verb. confeſſor* 3. §. 4. Palud. 4. *diſtinct.* 17. *q.* 4. & probatur 1. ex *Clem. Dudum.* §. *ſtatuimus*, quæ eſt plena intentio Papæ, vt ait Enriq. *vbi ſuprà*, ne aliàs præiudicetur Prælato, à quo pendet ſubditorum voluntas ratione voti obedientiæ.

2. Secundò, quia Epiſcopus, approbando Religioſos, non dat illis iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones, ſed ſolùm declarat, illos eſſe ſufficientes & idoneos ad vtendum iuriſdictione, quam habent à Papa virtute ſuorum priuilegiorum: priuilegia autem Religionum non conferunt iuriſdictionem Religioſis particularibus, niſi dependenter à Prælatis, nec iuriſdictio deriuatur in illos, niſi per Prælatum, vt conſtat ex prædicta Clementina. ergo non poſſunt audire confeſſiones repugnante Prælato, quantumcunque ſint approbati ab Epiſcopo.

3. Tertiò, quia Sacerdos impeditus ab executione Ordinum per ſuſpenſionem, excommunicationem, aut alio modo, non eſt idoneus ad audiendas confeſſiones, & ſi tentet abſoluere, nihil efficiet; ſed Religioſus non habet executionem Ordinum abſque conſenſu ſui Prælati, vt habetur ex *cap. audiuimus.* §. *ecce*, & colligitur ex *Clem. Religioſi, de priuil.* ergo,&c.

4. Quartò probatur ex *cap. ſi Religioſus, de elect. in* 6. vbi dicitur, quòd electio

electio Religioſi ad quamcumque dignitatem, vel prælaturam eſt irrita, ſi fiat abſque conſenſu Abbatis, quia Religioſus non habet velle, & nolle, ſed totum id tranſtulit in ſuum Prælatum; atque adeò, ſi conſentiat tali electioni de ſe factæ abſque licentia Prælati, irritus, & nullus eſt talis conſenſus. ergo ſimiliter, ſi eligatur in Confeſſarium ſine licentia ſui Prælati, irrita erit talis electio, nec poteſt virtute illius validam abſolutionem impendere.

5. Verùm his non obſtantibus, reſpondetur, dicendum, quòd licèt peccet Sacerdos regularis approbatus ab Epiſcopo, prohibitus tamen à ſuo Superiore, audiens confeſſiones contra præceptum Prælati, tamen abſolutiones ab eo impenſæ ſunt validæ, per ſe loquendo. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *cap.*7. *&* 8. Adria. *de confeſſ. q.*5. *dub.* 1. Sot.4.*d.*18.*q.*4.*art.*3. Angel. *verb.confeſſio* 3.§.2. Sylueſt. *confeſſor* 1.*q.*5. Armil. *verb. abſolutio num.* 24. Nauarr. *cap.* 4. *num.*2.*& cap.* 27. *num.* 266. Tab. *verb. abſolutio* 1.*num.*34. Palac.4. *diſp.*17.*q.*7. Angl. *q. de confeſſ. art.* 8. *diff.* 8. Rodr. *in Bull.* §. 9. *num.*10. Aret. *in* 4.*diſt.* 17. *q.vnic. art.*4. *dub.* 1. Miran. *in Manua. Prælat. tom.* 2. *q.* 45. *art.* 11. Villalob. *tom.*1.*tract.*9. *dub.* 50. *num.* 4. Sal. *de legib. diſput.* 16. *ſect.* 10. *num.* 43. & alij cum Ioan. de Cruc. *de ſtat. relig. lib.* 2. *cap.*6. *dub.* 2. *concl.* 2. & Nugn. *in addit.ad* 3.*p.tom.*2.*q.*8.*art.*5. *dub.*8.

6. Et probatur primò, quia Epiſcopus poteſt committere ſuam iuriſdictionem pro foro pœnitentiæ cuicumque non incapaci illius; ſed Religioſus non fit incapax talis iuriſdictionis per præceptum Prælati prohibentis illi, ne eam accipiat, ſed ſolùm efficitur per illud præceptum, quòd malè faciat Religioſus illam accipiendo, & peiùs illa vtendo, quia peccat mortaliter, vel venialiter, iuxta qualitatem præcepti; nam ſi præceptum ſit ſub pœna grauis cenſuræ, aut in virtute ſanctæ obedientiæ, erit mortale, ſin minus, veniale.

7. Secundò, quia licèt *in Clem. Dudum, de ſepult.* dicatur, quòd Epiſcopus debet admittere ad audiendas cõfeſſiones, Religioſos præſentandos à ſuis Prælatis, tamen nec ibi, nec alibi dicitur, quòd non poſſit ipſe conferre iuriſdictionem Religioſis abſque tali præuia præſentatione, immò oppoſitum colligitur ex *Clem. prædicta* §. *per huiuſmodi*, vbi dicitur, quòd Epiſcopi poſſunt, ſi voluerint, ampliorẽ iuriſdictionem conferre, quàm habeant Parochi. Vnde DD. citati cum Innoc. Hoſtien. Immol. & aliis, dicunt, quòd non obſtante forma illius Clement. qua dicitur, Religioſos præſentandos à ſuis Prælatis, poſſe Epiſcopos conferre illis iuriſdictionem ſine præſentatione, vel conſenſu ſuorum Prælatorum, immò & ipſis repugnantibus.

8. Dixi tamen notanter in concluſione, *per ſe loquendo*, quia per accidens contingere poterit, vt abſolutio impenſa à Religioſo, cui prohibitum eſt à ſuo Prælato confeſſiones excipere, ſit inualida, vt ſi eſſet nominatim ſuſpenſus, aut excommunicatus, aut ſi pœnitens ſciens illi Religioſo eſſe prohibitum à ſuo Prælato, ſub mortali audire confeſſiones, nihilominus illi confiteretur; tunc enim cùm talis peccet mortaliter in ipſo actu confeſſionis concurrens ad peccatum Confeſſoris, certè confeſſio non eſt doloroſa, & conſequenter abſolutio eſt nulla. Si tamen contingat, quòd Religioſus non prohibitus à ſuis Prælatis audire confeſſiones approbetur ab Epiſcopo, rectè poterit audire confeſſiones, etiamſi non habuerit licentiam à ſuo Superiore, quia tale opus eſt bonum

num, & ſtudioſum ſine licentia Superioris, dummodo non ſit prohibitum per regulam, aut aliud præceptum.

9. Sed quæres, quid ſit dicendum, ſi Prælatus ſuo ſubdito prohiberet audire confeſſiones ſub pœna ſuſpenſionis, aut excommunicationis ipſo facto incurrendæ?

Reſpondeo cum Adrian. Med. & aliis *vbi ſuprà*, quòd, ſuppoſita Epiſcopi approbatione valeret abſolutio, non obſtante illo præcepto, quia cenſura ſuſpenſionis, aut excommunicationis non incurritur in illo caſu ante abſolutionem ſacramentalem datam à prædicto Religioſo; & quāuis antea incurratur, non impeditur per illam quominus abſolutio ab illo data ſit valida, quouſque declaretur nominatim incurriſſe talem cenſuram iuxta conſtitutionem Concil. Conſt. & Baſil. quæ incipit, *Ad euitanda ſcandala*, de quo in Bulla Cœnæ latiùs. An autem talis Religioſus ab Epiſcopo approbatus, non tamen à ſuo Superiore præſentatus, poſſit abſoluere ſolùm à caſibus, quos illi commiſerit Epiſcopus, non autem ab illis, quos concedunt Bulla, aut priuilegia ſuæ Religionis, dubio ſequenti dicemus.

10. Ad primum itaque patet ex ratione ſecunda, quo pacto ſit intelligenda illa Clement. Ad id verò, quod de præiudicio dicitur, reſpondeo, quòd quantumcunque Epiſcopus præbeat iuriſdictionem Religioſo prohibito à ſuo Prælato audire confeſſiones, adhuc Prælatus poſſet Religioſum ipſum in aliis rebus occupare, ita vt omnino impediatur ab audiendis confeſſionibus, atque adeò ſemper manet illæſum ius, quod Prælatus habebat in ſubditum Religioſum.

11. Ad ſecundum reſpondeo, Epiſcopum dupliciter poſſe approbare Religioſum, primò declarando illum eſſe idoneum, & ſufficientem, nullam tamen conferendo illi iuriſdictionem. Secundò conferendo illi iuriſdictionem & licentiam ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum. Si primo modo approbet, non poterit talis Religioſus audire confeſſiones, niſi aliunde ei communicetur iuriſdictio virtute Bullæ præſentis, aut ſuorum priuilegiorum. Si verò ſecundo modo approbet, prout approbant de facto omnes, quos approbant Epiſcopi, verè confert iuriſdictionem quoad omnes caſus non reſeruatos Epiſcopo. Vnde Religioſi, communiter loquendo, poſſunt, & ſolent habere iuriſdictionem ex triplici capite. Primò ex authoritate Epiſcopi approbantis illos, ſed tunc tantùm extenditur ad caſus non reſeruatos Epiſcopo. Secundò ex priuilegiis propriæ Religionis, & iuriſdictio inde proueniens extenditur ad omnes caſus contentos in talibus priuilegiis, non obſtante, quòd aliqui eorum ſint reſeruati Epiſcopo. Immo Mendicantes per communicationem ſpecialis priuilegij conceſſi Societati IESV poſſunt abſoluere ab omnibus reſeruatis Papæ, exceptis his, qui ſunt in Bulla Cœnæ Domini, vt patet ex compendio priuilegiorum eiuſdem Societatis *verbo abſolutio*. §. 1. Sed quoad hoc ſtandum eſt nunc decretis ſacræ Congregationis, de quibus *cap. ſequenti* erit ſermo. Tertiò ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, ſi fortè illam habeat pœnitens, & iuriſdictio inde dimanans ſimiliter extenditur ad omnes caſus conceſſos in prædicta Bulla, non obſtante, quòd Epiſcopus reſeruauerit ſibi aliquos eorum; ipſe autem Confeſſor, dum abſoluit, intendat vti iuriſdictione, qua poteſt, nec debet reſtringere ſuam intentionem ad iuriſdictionem hanc, vel illam determinatam.

12. Ad tertium reſpondeo ex Sot. *vbi ſuprà*, quòd Religioſi, per ſe loquendo, non habent executionem Ordinum

Digitized by Google

ſine conſenſu Abbatis præſentantis illos Epiſcopis; per accidens tamen poſſunt habere executionem Ordinum, ſi conferatur ſibi iuriſdictio ab Epiſcopo, ſine tali præſentatione.

13. Ad quartum reſpondeo, ibi eſſe ſermonem de dignitate, per quam extrahitur Religioſus à poteſtate ſui Prælati, non autem de electione ad faciendum aliquod opus ſtudioſum, quale eſt audire confeſſiones. Nec obſtat quod ibi dicitur Religioſum non habere velle, & nolle, hoc enim intelligi debet de iure, non de facto.

Dubium XVII.

An prædictus Religioſus approbatus ab Epiſcopo, non tamen expoſitus, ſed prohibitus à ſuo Superiore audire confeſſiones, poſſit abſoluere à reſeruatis virtute Bullæ, aut priuilegiorum ſuæ Religionis.

1. In hac difficultate eſt ſententia Rodr. *in Bull.* §.*9.num.*10. aſſerentis, Religioſum prohibitum audire confeſſiones, non poſſe abſoluere virtute Bullæ, aut priuilegiorum ſui Ordinis, quantumcunque ſit approbatus ab Epiſcopo, pro quo adducit Bullam Pij Quarti anno 1563. editam, vbi Summus Pontifex declarat non eſſe idoneum ad audiendas confeſſiones excommunicatum, aut impeditum à ſuo Superiore. ergo nec virtute Bullæ, nec priuilegiorum ſui Ordinis poterit talis abſoluere, cùm tam Bulla, quàm priuilegia petant Confeſſarium eſſe idoneum; quia Iulius III. in quodam Motu proprio, quem refert Ludou. Lop. *in 1.p.ſum.cap.76.* irritat abſolutiones à reſeruatis factas à Dominicanis, qui adepti ſunt facultatem audiendi confeſſiones contra voluntatem ſuorum Prælatorum, niſi talis facultas ſit ſubſcripta manu Summi Pontificis, vel de conſenſu Cardinalis Protectoris, aut V. Protectoris. ergo Mendicantes non poſſunt à reſeruatis abſoluere virtute Bullæ, aut ſuorum priuilegiorum, niſi expoſiti ſint à ſuis Prælatis, licèt aliàs approbationem obtineant ab Epiſcopis.

2. Verùm, his non obſtantibus, reſpondeo, dicendum, quòd talis Religioſus prohibitus à ſuo Superiore audire confeſſiones, approbatus tamen ab Epiſcopo, poteſt validè abſoluere à reſeruatis virtute Bullæ, non tamen ſuorum priuilegiorum. Hanc concluſionem quoad vtramque partem tenet Acoſt. *q.41.*

3. Prima pars huius aſſertionis probatur ex multis recentioribus, quia Bulla tantùm petit, vt qui eligitur in Confeſſarium, ſit approbatus ab Epiſcopo. Sed qui eſt prohibitus à ſuo Prælato audire confeſſiones, poteſt eſſe ad id approbatus ab Epiſcopo; ergo virtute Bullæ rectè poteſt abſoluere à reſeruatis, quæ in illa conceduntur, ita vt valida ſit eius abſolutio, quicquid ſit de peccato, quod committit contra præceptum ſui Superioris: nec Pij Quarti Bulla, quam adducit Rodr. intendit oppoſitum, aliàs nec à non reſeruatis poteſt ille abſoluere, quia etiam ad hoc requiritur idoneitas; & ibi dicit Pius IV. prohibitum à Prælato non eſſe idoneum ad audiendas confeſſiones virtute illius Bullæ dumtaxat, vel certè per prohibitum, aut impeditum intelligit eum, qui irregularitate, vel alia ſententia Superioris fuerit prohibitus in pœnam alicuius criminis; ſic enim Concil. Baſil. & Lateran. explicant Extrauagantem *Ad euitanda*, dum dicit, vitandos eſſe in Sacramentorum ſuſceptione nominatim prohibitos. Nec etiam obſtat Motus proprius Iulij III. ſuprà citatus, quia in illo ſimiliter ſolùm irritat abſolutiones

ſolutiones reſeruatorum, quæ fierent virtute Bullæ à ſe conceſſæ.

4. Secundam verò partem prædictæ aſſertionis docent Enriq. Pal. Sylueſt. & Ang. *dub. præcedenti* citati, quibus accedunt Armilla *verb. confeſſio.* §. 4. Ludou. Lop. 1. *p. inſtruct. cap.* 26. Sylu. *excommunicatio.* 7. *caſ.* 14. *verſ.* 12. Adrian. *de confeſſ. fol.* 166. Compend. Mendic. *ver. abſolutio quoad ſæculares* 1. §. 12. Nauarr. *in man. cap.* 9. *num.* 9. *&* 27. *& num.* 260. Ledeſm. 2. *p. quæſt.* 8. *cap.* 2. *dub.* 3. Fel. *ſuper tit. de priuileg. cap.* 6. *pag.* 690. Arch. *cap. placuit. d.* 26. *quæſt.* 1. *& cap. perlectus.* 15. *d.* Et probatur,

5. Primò, quia quando Papa concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſolet exigere, quòd Sacerdos ſit à ſuo Prælato deputatus, vt patet ex quadam conceſſione Sixti IV. quæ habetur *in compendio priuilegiorum Mendicantium tit. abſolutio quoad ſæculares* 1. §. 12. & ex alia Eugenij IV. quam adducit Armil. *ver. abſolutio.* §. 26. & ex Bulla Pauli III. conceſſa Societati IESV anno 1545. in quibus omnibus apertis verbis exigunt Pontifices, vt Religioſi ſint deputati à ſuis Superioribus, vt ſic poſſint abſoluere à reſeruatis virtute illorum priuilegiorum. Vnde non poſſum non mirari, ita in hac parte quoſdam recentiores deceptos fuiſſe, vt nonnullas ex prædictis Bullis in fauorem ſuæ ſententiæ adducant, cùm oppoſitum prorſus illius in eis apertè reperiatur.

6. Secundò, quia Epiſcopus ex iuſta cauſa poteſt negare licentiam Sacerdoti Religioſi ad audiendas confeſſiones, vt docent Enriq. *vbi ſuprà*, Sylu. *confeſſor* 2. §. 9 Frater Alex. *cap.* 11. & colligitur ex *Clem. Dudum.* ergo etiam Prælatus proprius poterit idem, atque adeò negata tali licentia non poterit abſoluere niſi à caſibus per Epiſcopum conceſſis. Patet conſequentia, quia voluntas Religioſi magis pendet à voluntate Prælati, quàm Epiſcopi. ergo ſi Epiſcopus ex iuſta cauſa poteſt illi negare licentiam, ita & Prælatus, atque adeò abſoluere non poteſt à reſeruatis virtute priuilegiorum ſuæ Religionis, quia hæc non communicantur, nec deriuantur ad Religioſos, niſi medio Prælato, vt docet Enriq. *vbi ſuprà*, non enim veriſimile eſt fuiſſe voluntatem Pontificum concedentium prædicta priuilegia pro foro pœnitentiæ, vt Religioſi illis gauderent contra voluntatem ſuorum Prælatorum, ſed potiùs dependenter ab illis, ne debitæ ſubiectioni præiudicetur.

7. Et, ſi quis inquirat, an Religioſus approbatus ab Epiſcopo, & deputatus à Prælato ſuę Religionis, poſſit abſoluere virtute priuilegiorum, quamuis poſtea talis deputatio à Superiore reuocetur?

Reſpondeo, non poſſe, quia talis deputatio in fieri, & conſeruari pendet à voluntate Superiorum, non minus, quàm approbatio ſæcularis Sacerdotis ab Epiſcopo: par enim eſt vtriuſque ratio, vt facilè patebit diſcurrenti. Vnde ſicut Epiſcopus poteſt tollere approbationem à Sacerdote ſæculari non Parocho, ita etiam Prælatus poteſt auferre deputationem à ſuo Religioſo.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm virtute Bullæ ſit eligibilis Sacerdos ab Epiſcopo approbatus, licèt ſit excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, aut degradatus, ita vt validæ ſint eius abſolutiones.

1. RESpondeo certum omnino eſſe, degradatum, quamuis fuerit approbatus, non eſſe eligibilem per Bullam. tum quia per degradationem ipſo facto tollitur approbatio; tum quia non eſt Pontificis voluntas conferre indigno aliquam iuriſdictionem, ſed homini

ni probato; & ideo Concil. Tridentinum petit approbationem, quæ debet intelligi in doctrina, & moribus. tum quia per degradationem fit incapax iuriſdictionis, quandiu non fuerit reuocatus ad priſtinum ſtatum. Vnde ſi de facto attentet abſoluere, abſolutio erit nulla. Irregularis item non eſt eligibilis per Bullam, quia eſt incapax accipiendi nouam iuriſdictionem.

2. Dixi notanter, *nouam*; quia ab illo, qui habebat antea iuriſdictionem, hoc eſt, antequam irregularitatem contraheret, rectè poteſt accipi abſolutio, dummodo non ſit nominatim, & publicè denuntiatus.

3. Probatur, tum quia in Concil. Baſil. dicitur, prohibitos non nominatim non eſſe vitandos. ergo quamuis irregularis ſit prohibitus, ſi tamen non ſit nominatim, & publicè denunciatus, non erit vitandus. tum quia *in extrauaganti ad vitanda*, dicitur, prætextu nullius cenſuræ, aut ſententiæ eſſe vitandum aliquem, niſi nominatim, & publicè denunciatum. ergo cùm irregularitas ex delicto contracta ſit quædam cenſura, vt quidam dicunt, vel ſaltem (vt aliis placet) quædam ſententia iuris, vel hominis, non debet irregularis vitari, niſi ſit publicè, & nominatim denunciatus. Vnde falſa eſt ſententia Sot. *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 6. contrarium dicentis.

4. Excommunicatus deinde nominatim denunciatus, aut manifeſtus percuſſor clerici, itavt nulla tergiuerſatione celari poſſit, non eſt eligibilis virtute Bullæ extra articulum mortis; vt rectè Rodr. *ſuprà* §. 9. *num.* 29. & huius ratio eſt, quia talis non eſt toleratus ab Eccleſia, ac proinde non habetur tanquam idoneus: immò approbatio, quam habet ab Epiſcopo, eſt nulla quandiu durat talis excommunicatio nominatim, & publicè, quia hæc aufert ab illo omnem vſum iuriſdictionis antiquæ, & receptionem nouæ.

5. Inter nominatim autem excommunicatos enumerat Sot. 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 9. *lit. F.* & *d.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. & *d.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *concluſ.* 3. Hæreticos, Schiſmaticos, & Apoſtatas; ſed meliùs dicitur, quòd ſi iſti non ſint nominatim, & publicè denunciati, poſſumus illis communicare, vt docet Nauarr. *cap.* 9. *num.* 6. & *cap.* 15. *num.* 24. Petr. de Sot. *lect.* 6. *de excommun.* immo & ipſe Dominic. de Sot. 9. *de iuſt. q.* 8. *art.* 1.

6. An verò, ſi quis ignorans, aliquem eſſe nominatim excommunicatum, illi confiteretur, eſſet valida abſolutio.

Enriq. reſpondet affirmatiuè, pro quo adducit plures DD. *lib* 6. *cap* 13. *num.* 12. *lit. C.* ex interpretatione virtualis intentionis Eccleſiæ, ſicut valent acta ſententiæ iudicis, qui communi errore habetur legitimus, & toleratus. Excommunicatus prętereà, non nominatim denunciatus, licèt aliàs ab eo poſſimus recipere Sacramenta, vt *ſuprà* oſtenſum eſt, non tamen eſt eligibilis virtute Bullæ, tum quia excommunicatus eſt incapax recipiendi nouam iuriſdictionem; electo autem per Bullam confertur noua iuriſdictio à Papa. ergo non poteſt virtute Bullæ aliquem abſoluere. ita apertè colligitur ex Bulla Pij IV. *dub. præcedenti* citata, & docet Sot. 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 3. & alij ab eo citati.

7. De ſuſpenſo denique idem proportionaliter dicendum eſſe puto, ac de excommunicato. vnde falſa eſt ſententia Sot. 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 5. *concl.* 2. & *d.* 18. *q.* 3. *art.* 3. dicentis abſolutionem datam à ſuſpenſo eſſe nullam. hoc (inquam) falſum eſt, vt docent Vict. *in materia de Clauib. q.* 227. Nauar. *cap.* 9. *num.* 7.

Digitized by Google

num. 7. Caiet. 3.*p.q.*82. *art.*9. Rodr. *ſuprà.* nam ſi talis ſuſpenſus antea habebat iuriſdictionem, valida eſt eius abſolutio, vt apertè colligitur ex prædicta extrauaganti *ad vitanda.*

Dvbivm XIX.

Vtrùm ſufficiat, quòd prædicta approbatio ſit petita, quamuis non obtenta.

1. SVppono duo eſſe certiſſima.

Primum eſt, quòd ſi approbatio iuſta ex cauſa denegetur, nihil refert, quòd petita ſit, alioquin decretum Concilij nullius eſſet momenti; quilibet namque poſſet hanc facultatem petere, & ridiculum ſanè eſſet, talem petitionem (ſi iniuſta, vel impertinens ſit) aliquid iuris, ſeu commodi afferre.

Secundum eſt, quòd quando non conſtat euidenter approbationem iniuſtè negari, nihil etiam refert, quòd petita ſit, quia ius Superioris ſemper integrum manet, iuſtéque feciſſe præſumitur; quandò oppoſitum non eſt manifeſtum.

2. Difficultas igitur nunc eſt, an ſufficiat petita, licèt reipſa non obtenta, quando conſtat euidenter de idoneitate petentis, & ſine cauſa, vel ex mala intentione eum repelli, id eſt, ex odio, & maleuolentia. His præmiſſis, ſit

3. Prima concluſio. Saltem loquendo de Sacerdote ſæculari neceſſaria eſt hæc approbatio reipſa exhibita, nec ſufficit petita, quamuis iniuſtè denegetur. Hanc eſſe communem doctrinam aſſerit Suar. *tom.*4. *diſput.*28.*ſect.*5. *num.* 6. eámque ſic nos colligere poſſumus ex Concilio, quia ex illo hæc conditionalis elicitur: niſi quis ſit approbatus ab Epiſcopo, non poteſt confeſſiones ſæcularium audire. Sed huiuſmodi conditionalis habet hanc vim, vt niſi mandetur executioni requiſita conditio, effectus ſequi non poſſit; ergo neceſſaria eſt reipſa exhibita approbatio, &c. Probo minorem, tum ex illo Ioan. 5. *niſi quis renatus fuerit*, &c. vbi ob dictam conditionalem, etiamſi ex iniquitate alterius, paruulus priuetur Baptiſmo, non aſſequitur illius effectum, tum ex illa conditionali inter DD. recepta, niſi quis per ſententiam fuerit declaratus hæreticus, non priuatur bonis ſuis. nam illa ſtante etiamſi iudex iniuſtè illum non declaret, tamen quandiu non declaratur, non priuatur bonis ſuis. ergo ſimiliter, &c. Confirmatur à contrario, quoniam ſi Epiſcopus reipſa approbet, etiamſi fortaſſe iniuſtè, vel malè faciat, tamen quod ad Sacramenti valorem pertinet, hoc ſufficiet quantum eſt ex parte approbationis. ergo idem erit è conuerſo, vt ſeruetur æqualitas.

4. Sed contrà. Actio iniuſta nemini nocere debet. Sed Epiſcopus, cùm ſine cauſa, & contra petentis perſonæ merita denegat approbationem, ei facit iniuriam. ergo, ea non obſtante, ille manebit expoſitus, ſeu approbatus. Probo minorem; quia huiuſmodi approbatio (vt alibi oſtenſum eſt,) non gratiæ, ſed iuſtitiæ opus eſt. eſt namque veluti iudicium, ſeu ſententia iuſta. ergo Epiſcopus eam denegans alicui ſine cauſa, immò contra ipſius perſonæ merita, ei facit iniuriam.

5. Confirmatur, quia conſenſus debitus, & iniuſtè negatus in re eandem vim habet, quam conſenſus datus, vt patet ex *cap. licet, de Regular.* vbi propter hanc cauſam Regulari petenti à ſuo Superiore licentiam tranſeundi ad perfectiorem Ordinem, ſufficit petita, quamuis non obtenta. Similiter

Digitized by Google

in cap. 1. de ſuppl. negl. Prælat. vbi habetur pro Abbate tertiò ab Epiſcopo petente benedictionem, ſi abſque iuſta cauſa denegetur, à iure ſibi conceditur, & pro benedicto habetur.

6. Reſpondetur prædictæ obiectioni, negando maiorē. actio namque, ſeu potiùs ꝑmiſſio iniurioſa ſæpè nocere poteſt, vt aliquis careat aliquo bono, ſicut patet in exemplis adductis pro noſtræ concluſionis comprobatione. Ad confirmationem verò, iam ſuprà in ſimili diximus, conſenſum debitum ex ſe, non tantum operari, quantum exhibitum, vt conſtat manifeſtè in cuiuſuis Sacramēti adminiſtratione; tamen quoad aliquas actiones, nulla eſt neceſſaria conceſſio, ſeu licentia exhibita, vbi iura id declarant, vt *in d. cap. licet, & cap. 1. de ſupp. negl. Præl.* hîc autem oppoſitum potiùs in iure declaratur, vt iam oſtendimus.

7. Secunda concluſio. In Sacerdote etiam regulari, cuiuſcunque ſit Ordinis, vel inſtituti, neceſſaria eſt licentia exhibita, nec ſufficit poſtulata. Hanc concluſionem defendit Suar. *vbi ſuprà num.* 11. & Fagund. cum aliis per eum allegatis *lib. 7. cap. 2. num.* 13. Vt autem illius veritas conſtare poſſit, & ſatisfieri etiam iis, quæ in contrarium allegantur, prælibare ſaltem oportet ea, quæ Religioſis circa hanc materiam à diuerſis Summis Pontificibus ſunt conceſſa. In primis Alexand. IV. Religioſis Mendicantibus conceſſit facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium, prout refertur *in comp. priuileg. verb. abſolutio 1. quoad ſæculares.* §. 1. quam facultatem poſtea confirmauit Vrbanus IV. & Clemens IV. vt tradit Sot. *in 4 ſent. diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 3. non tamen reſpectu omnium, ſed eorum tantùm, qui ad audiendas ipſorum conciones conueniebant, vt refert Alenſ. 4. *p. q.* 78. *num.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Poſtea verò Bonifac. VIII. *in Extrauaganti ſuper Cathed. de ſepult.* eandem ampliauit facultatem ſimpliciter reſpectu omnium. præcepit tamen, vt Superiores Generales, vel Prouinciales tenerentur priùs facultatem ab Epiſcopis poſtulare ad eligendos Cōfeſſores, electóſque, deinde eiſdem præſentare, vt eos admitterent; quòd ſi facere renuerent, præſentatio ipſa ſatis erat, & Pontifex ex tunc ſua ſuprema auctoritate illos admittebat. Præfatum Bonifacium ſubſecutus eſt Benedict. XI. qui in alia ſua Extrauaganti, *Inter cunctas, de priuil.* eadem confirmauit priuilegia, abſtulítque prædictam modificationem, ſeu illius ſolennitatis, aut præſentationis neceſſitatem, ſed ſolū impoſuit Superioribus, vt verbo, vel ſcripto ſignificarent ſupradictis Epiſcopis, ſe Religioſos aliquos deſignaſſe ad confeſſiones audiendas, non explicando eorum numerum, nec nomina, immò nec expectato Epiſcoporum conſenſu. Demum Clemens V. *in Clement. Dudum, de ſepult.* ſimiliter cum Concil. Viennen. prædicti Benedicti decretum reuocauit, & quod Bonifacius priùs ſtatuerat, renouauit, ſtrictéque obſeruari præcepit. cuius quidem conſtitutio fuit ſemper vſque ad tempora Concil. Tridentini obſeruata. At quoniam grauis eſt controuerſia in decidendo, an dicta conſtitutio Bonifacij per Clem. V. confirmata ſit etiam obſeruanda poſt Concil. Tridentinum in omnibus, quæ per ipſum Concil. non ſunt innouata.

8. Idcirco, rurſus notandum eſt, duo fuiſſe à Bonifacio requiſita. Primum petitio licentiæ ad eligendos Cōfeſſores. Secundum præſentatio eorum, quæ propriè, & in rigore ſignificat perſonalem præſentiam coram Epiſcopis, vt aduertit Suar. *cit. num.* 12. Rodr. *in quæſt. Regul. tom.* 1. *q.* 59. *art.* 1. *not.* 3.

Digitized by Google

not. 3. & Mirand. *in Manu. Prælat. tom.* 1. *q.* 45. *art.* 5. non enim ſufficit nominare iuxta gloſſ. communiter receptam *in d. Clem. Dudum, verb. præſentare*, & Nauar. *in Manu. cap.* 27. *num.* 264. ex his duobus Syluest. *Confeſſ.* 2. *q.* 1. ait, primum non fuiſſe neceſſarium ſimpliciter, ſed ex quadam vrbanitate. Secundum verò fuiſſe ita neceſſarium, vt ſine illo non poſſint iſti Religioſi Pontificiis priuilegiis gaudere. Nauar. autem *vbi ſuprà*, vtrumque eſſe neceſſarium aſſerit; fortaſſe, quia Pontifex eodem tenore vtrumque requirit. His præmiſſis,

9. Probatur iam noſtra concluſio. Primò, quia decretum Concilij Tridētini abſolutè ordinat, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, niſi ab Epiſcopis approbationem obtineat. Vel igitur hæc verba ſunt ſuperflua, vel per illa reuocatur prædicta Clementina, aut aliquid additur iis, quæ antea ſtatuta erant. Primum non eſt dicendum, quia tunc nullius eſſent virtutis, aut momenti. Si ſecundum, habemus intentum; ac ſimiliter ſi tertium, quia de nouo ſtatuitur, quòd approbatio obtenta requiratur, vt in primæ concluſionis probatione fuit oſtenſum.

10. Secundò, quia hoc decretum conciliale eſt, & pontificale, fuit ſiquidem per Pontificem confirmatum. Sed lex pontificia addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiam ſi in iure contineatur, & nulla fiat illius expreſſa mētio, quando verba poſterioris legis hoc requirunt, vt apertè colligitur ex *cap.* 1. & 2. *de conſtit. in* 6. ergo.

11. Tertiò Pius V. ſuo Motu proprio 38. anni 1567. qui incipit, *& ſi Mendicantes*, conceſſit his Religioſis, præcipuè Theologiæ Magiſtris, tanquam priuilegium ſpeciale, vt ſine Epiſcopi approbatione poſſent confeſſiones audire, non reuocando Clement. *Dudum*, ſed ſolùm Concil. Tridentinum. ergo ſignum eſt, intellexiſſe d. Pontificem, quòd ex vi illius decreti Concilij neceſſaria erat Regularibus hæc approbatio. Vnde anno 1571. in 44. Motu proprio, qui incip. *Romani Pontificis prouidentia circumſpecta*, reuocauit priorem Motū, ſtatuens manifeſtè etiam Magiſtros Theologiæ regulares hac approbatione indigere. quod poſtea Gregor. XIII. anno 1572. ſuo Motu proprio 15. qui incip. *In tanta rerum & negotiorum mole*, reduxit ad formam Concilij. ergo hi Pontifices euidenter ſupponunt, omnes Regulares in dicto decreto comprehendi.

12. Quartò, quia ex oppoſito ſequeretur non obſtare, etiam ſi Epiſcopi iniſtè non admitterent huiuſmodi Religioſos, immo ſi vellent illos examinare, non haberent ius. Conſequens eſt falſum. ergo, &c. Prob. min. quia ex vi Extrauagantis *ſupra Cathedram*, & Clement. *Dudum*, examen, ac iudicium horum Regularium ſuis Superioribus erat conceſſum, & ſolùm requirebatur exterior præſentatio. Nec Epiſcopi poterant prætendere aliquam cauſam illos non admittendi. ergo ſi Concilium in nulla re derogauit illa priuilegia, euidenter ſequuntur ea omnia, quæ nunc inſinuauimus; quæ tamen ſunt ſatis abſurda, & nemo ſanæ mentis concedet, nec etiam Nauarr. qui *vbi ſuprà*, oppoſitam tuetur opinionem.

13. Tertia concluſio. Probabile eſt, d. Clementinam in Concil. Viennen. priùs, & poſtea in Lateranen. ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. confirmatam nullatenus derogari per decretum Concilij Tridentini. Hanc concluſionem defendunt inprimis Nauarr. *in ſum. Latina. cap.* 27. *num.* 264. Manuel *art.* 2. & Miranda *art.* 6. vterque *vbi ſuprà*, Graff. *lib.* 1. *decis.*

cap. 13.

Digitized by Google

*cap.*13.*num.*49. Gloſ. *d. Clem.dudum*, *de ſepultur.*Enriq.*lib.*3.*de pœnit.cap.*6.*num.*4. Veg.*lib.*1.*caſuum conſcientiæ*, *caſ.*58. Angel.*ver.confeſſio.*4.*num.*25. Sot.*in* 4.*d.*18. *q.*4.*art.*3. Petr. Cened. *de quæſtio. canon. q.*38.*num.*20.Palac.*diſt.*17.*q.*7. Sylu.*ver. confeſſor.*2.§.9.& alij, quos refert, & ſequitur Fagund. *lib.*7. *de quinque Eccleſiæ præcept.cap.*2.*num.*15. expreſsè inquiens, ex vi dictæ Clemẽtinæ *Dudum*, ipſo iure approbari Mendicantes à Clem. V. ad ſæcularium confeſſiones audiendas, ſi Epiſcopi ex odio, & maleuolentia huiuſmodi Religioſos à ſuis Superioribus præſentatos, ad examen non admiſerint, aut iam admiſſos, & dignos inuentos,ex eodem odio,non approbauerint, quia in iſto caſu licentia petita & iniuſtè negata,cenſetur ipſo facto conceſſa.

14. Sed concluſionem ſic primò oſtendo, ſi dicta Clementina eſſet in aliquo ſaltem derogata per decretum Concilij Tridentini, id præſertim dignoſceretur, quia in eo apponitur illa clauſula, *Non obſtantibus priuilegijs*, &c. Sed ex huius clauſulæ appoſitione minimè concluditur d. Clement. eſſe reuocatam. ergo. Prob. minor, quia dicta Clementina eſt inſerta in corpore iuris, ſicut ſunt inſertæ aliæ leges communes eccleſiaſticæ, atque ideo ſub nomine priuilegij non venit intelligenda,quod probatur. in rebus namque moralibus morali eſt modo loquendum, ac verba ſunt exponenda iuxta loquendi modum à Iuriſperitis obſeruatum,vt conſtat *in cap.ex literis.de ſponſal.& ex l.liberorum.§.quod tamen ff.de legat.*3.Certum eſt autem,nullum Iuriſperitum ſub nomine priuilegij ſimpliciter prolato intellexiſſe vnquam illud,quod in corpore iuris communis eſt poſitũ, atque inſertum: hoc enim, merum ius commune,& non priuilegium dicitur.

15. Nec dictis obſtat, quòd prædicta Clementina videatur continere non tam rem communem, & toti vniuerſali Eccleſiæ concernentem,quàm gratiam, ac fauorem concernentem dumtaxat Religionibus in ea expreſſis, Minorum ſcilicet, ac Prædicatorum, cum quibus ſolùm dicta Clementina loquitur, ac per conſequens non eſſe ius commune, aut legem communem eccleſiaſticam, ſed potiùs dicendum, fore priuilegium quòd idem poſſet, ac lex priuata, ſeu particularis. Non(inquam)obſtat, quia Summus Pontifex Clemens V. quinimmo Concilium ipſum Viennenſe vniuerſalem repræſentans Eccleſiam, ſtatuentes, vt dicti Religioſi confeſſiones audirent ſæcularium, non tam fauorem, aut gratiam eiſdem Religioſis factam iudicarunt, quàm rem pertinentem ad totius Eccleſiæ vtilitatem, ac Chriſtiani populi, cunctarúmque animarum ſalutem. Tum etiam, quia ſi ex hoc, quòd conſtitutiones aliquæ reſpiciunt particulares perſonas, ſeu Religiones, dicendæ eſſent priuilegia, & non ius commune, multæ reperirentur in corpore iuris inſertæ, quæ tamen pura priuilegia eſſent dicenda, cùm ad particulares Eccleſias dirigantur, vt patet ex tit. *de reſcript.* & tit. *de off. iud. deleg.* quod nequaquam eſt admittendum, immò potiùs aſſerendum ad hoc, vt conceſſio aliqua canonis, ſeu legis eccleſiaſticæ nomen obtineat, ſufficere, quòd ſit in corpore iuris, & ex eius definitione aliquod bonum commune reſultet, vt eleganter oſtendit noſter Alphonſ. de Caſtro *lib.*1.*de leg.pœnal.c.*1.

16. Secundò probatur concluſio ex Archidiacono *in cap.* 1. *de conſtit. lib.*6. vbi ait, quòd ius commune requirit derogationem expreſſam ad hoc vt illi cenſeatur derogatum, de quo latè Felin. *in cap. nonnulli*, *de reſcript. num.* 12. & Bart.*in l.*1. *verſ. vel diuerſius, in auth.*

qua

quæ in prou. mouet hanc quæſtionem, vtrùm lex de nouo inſtituta à Principe deroget priuilegia poſita in corpore iuris communis? dicendo, non obſtantibus priuilegiis; & reſpondet, quòd non, niſi ſpecialiter de illis faciat mentionẽ, etiam ſi apponat quaſcunque non obſtantias generales, quia (inquam) talia priuilegia in corpore iuris inſerta iam aliud nomen ſibi vindicant nobilius. Eandem ſententiam tenet Paul. de Caſtro *in l. 1. ff. de leg. num. 2.* & communiter DD. *in l. hæres abſens ff. de iudic.* Cùm igitur in decreto Concilij Tridentini non apponatur aliqua ſpecialis derogatio dictæ Clementinæ, ſequitur, nequaquam eſſe dicendum quòd per illud derogetur, maximè cùm d. Clementina fuerit facta, & approbata in Concil. Viennen. ac poſtea in Lateranen. confirmata,& Clem. V. *in Proœmio ſuarũ Clementinarum* expreſsè præceperit, quòd omnes(nulla excepta) admittantur, atque ad vnguem obſeruentur, & quòd DD. in ſcholis, ac iudices in iudicio per eaſdem gubernentur.

17. Tertiò probatur; quia in dicto Concilij Tridentini decreto, vbi agitur de Confeſſorum regularium præſentatione, non ſolùm de dictæ Clementinæ reuocatione nulla fit mentio, ſed ipſa affertur, atque apponitur ad marginem, tanquam ipſius appendix, itavt Concilij Additionator Horatius Lucius Calienſis Iuriſconſultus peritiſſimus *in d. ſeſſ. 23. cap. 25.* ponens pro concordata ad marginem *d. c. 25. Clem. Dudum §. ac deinde, de ſepult.* innuere, ac inſinuare videatur in eo decreto nullatenus derogari d. Clement. immò id fuiſſe ad inſtar, & imitationem, necnon ad maiorem, melioremque ipſius Clementinæ obſeruantiam confectum. quam opinionem conſtanter propugnat doctiſſimus Nauar. *vbi ſuprà num. 263.* aſſerens, quòd expedit iura iuribus concordare, iuxta ea, quæ notantur *in cap. cùm expediat, de elect. lib. 6.* Vnde concordat ipſe Concilium Tridentinum cum dicta Clementina, quòd ſcilicet Concilium limitetur per eam ob rationem ſpecialitatis, quæ in dicta Clementina colligitur ad refrænandam quorundam Epiſcoporum duritiam, iuxta *cap. de ſuppl. negl. Prælat.* qui rem grandem feciſſe arbitrantur, cùm aliquid præſtant ingratum his, quos alioquin deberent ſummopere diligere. quod confirmat ipſe Nauar. inquiens, non eſſe nouum, aut à iure alienum, vt poſteriores leges limitentur, atque explicentur per priores, iuxta *l. ſed & poſteriores. ff. de legib.*

8. Quartò probatur. Lex generica nunquam derogat ſpecificam, niſi de huiuſmodi derogatione fiat ſpecialis mentio, immo remanet in ſuo vigore, quia generi per ſpeciem detrahitur, vt habetur *de reg. iur. lib. 6.* Sed decretum Concilij Tridentini, eſt lex generica, Clementina autem ſupradicta eſt lex ſpecifica, de cuius tamen derogatione nulla fit mentio ſpecialis in decreto Concilij Tridentini. ergo nequaquam per decretum iſtud Clementina illa derogatur, immo potiùs remanet in viridi obſeruantia. Pro cuius maiori explicatione, aduertere oportet, quòd leges tam ciuiles, quàm eccleſiaſticæ dupliciter conſiderantur; quædam enim ſunt generales comprehendentes omnes, vt quando præcipiunt aliquid ab omnibus faciendum; vel interdicunt omnibus, ne hoc, aut illud efficiant, & has leges appellant Iuriſconſulti genus. Aliæ ſunt leges, quæ non cum omnibus, ſed cum particularibus loquuntur, vt leges agentes de Prætoribus, de viduis, de pupillis, &c. quas ipſi Iuriſconſulti appellant ſpecies. Quo præmiſſo, regula

Digitized by Google

iuris eſt, has leges ſic fore accipiendas, vt publicata lege generica non proinde intelligatur derogata lex ſpecifica, niſi de hac fiat mentio ſpecialis in illa, alioquin ſpecifica remanet in ſua vi, curritque ſcilicet cum generica, iuxta regulam dicentem, Generi per ſpeciem detrahitur, vbi gloſſ. hanc doctrinam illuſtrat ſequenti exemplo. Statuit Rex legem quòd tranſgreſſor ſuarum legum ſit arbitrio iudicis puniendus, ſed eſt alia lex antiquior, qua diſponitur quòd eius tranſgreſſor certam ſoluat nummi quantitatem, in hoc caſu tranſgrediens hanc legem particularem, non tenetur ad luendam pœnam arbitrio iudicis relictam, ſed ad pœnam legis ſpecialis, quia generi per ſpeciem detrahitur; ita in propoſito, Canon Concilij eſt lex generalis mandans, quòd nullus Regularis audiat ſæcularium confeſſiones, niſi approbationem ab Ordinario obtineat: Clementina autem *Dudum*, eſt lex ſpecialis cum duabus ſolùm Religionibus, Prædicatorum ſcilicet, & Minorum loquens. vnde Concilij generalis lex non derogat ſpecialem Clementinæ, quia generi detrahitur per ſpeciem; ſicut per generalem diſpoſitionem non tollitur priuilegium aliquibus in alia diſpoſitione conceſſum. Sic tradunt Iacob. Simonet. *de reſeruat, benef. q.*99. *num.*17. Ant. Gabr. *lib.*6.*com. opin. tit. de legib. concl.*1. Rodr. *de Maieſt. Princ.* §. *non armis ſolùm decoratam* 2.*p. n.*187. & Caſſan. *conſ.*32.*n.*15.

19. Argumenta igitur in probationem ſecundæ concluſionis adducta ſoluere oportet. Vnde

Ad primum reſpondetur, negando antecedens. Regulares enim ſunt in multiplici differentia iuxta varietatem Religionum, quarum ſunt alumni: quidam ſunt Auguſtiniani, alij Carmelitani, alij Mercenarij; de quibus omnibus verificatur vniuerſalis negatiua canonis Concilij Tridentini, exceptis Dominicanis, & Franciſcanis, de quibus ſolùm loquitur dicta Clementina. Vnde, ſi inſtes, quòd illa negatiua *nullum*, nullius Religionis Regularem excipiat. Reſpōdetur, quòd illa negatiua eſt lex generalis poſterior, cuius generalitati detrahitur per deciſionem dictæ Clementinæ, quæ eſt lex quædam ſpecialis, quia generi per ſpeciem detrahitur.

20. Ad ſecundum reſpondetur d. Decretalem de conſtit. in 6. intelligendam fore, quando lex poſterior à Principe, ſeu Pontifice condita, eſt priori contraria, & cum ea nullatenus compatibilis, & non aliter. Pro cuius explicatione notandum eſt quòd ſecundùm iuris diſpoſitionem non dicuntur duæ leges contrariæ eo ſolùm, quòd vna ſit affirmatiua, & alia negatiua circa eandem materiam, ſicut aliquibus in huiuſmodi doctrina parum verſatis perperàm viſum eſt. Sed quando ſunt incompatibiles. v. g. Compatres poſſunt contrahere matrimonium; compatres non poſſunt contrahere, & de his loquitur Decretalis ſuprà allegata in argumento, non verò de iis, quæ ſunt compatibiles, cuiuſmodi ſunt, vniuerſalis negatiua, & ſpecialis affirmatiua. & ſic accidit in propoſito: nam cùm hac generali lege Concilij Tridentini nullus Regularis confeſſiones audiat ſæcularium, niſi per examen ſit ab Ordinario approbatus, ſatis benè compatitur hæc lex ſpecialis dictæ Clementinæ, quòd Regulares Ordinum Prædicatorum & Minorum ſint in aliquo caſu ab vniuerſali illa regula exempti, maximè cùm generi per ſpeciem detrahatur.

21. Ad tertium reſpondetur nos non negare, quòd neceſſariò requiratur iuxta Concilium Tridentinum, approbatio

Digitized by Google

probatio Epiſcopi, vt quis poſſit ſæcularium confeſſiones audire. Vnde cùm Pius V. in ſuo primo Motu proprio, propter aliquorum Epiſcoporum inurbanitatem, diſpenſaſſet cum Lectoribus publicis, & graduatis in Academia approbata, ne cogerentur examinari; conſiderans poſtea inconuenientia inde reſultantia, & quòd vltra ſcientiæ idoneitatem, requiritur etiam bonitas morum, eandem reuocauit in alio ſecundo ſuo Motu proprio, quem confirmauit Greg. XIII. reducens illum ad terminos iuris communis; cui non opponitur, vt Fratres Ordinis Prædicatorum, aut Minorum Epiſcopis præſentati, iuxta formam dictæ Clementinæ, & ab eiſdem Epiſcopis ſine cauſa reiecti, poſſint à Summo Pontifice admiſſi eo ipſo confeſſiones audire.

22. Ad quartum reſpondetur negando minorem, & ad probationem dico in præfata Clementina nihil omnino reperiri, vnde huiuſmodi abſurda inferendi ſumatur occaſio. Pro cuius maiori elucidatione

23. Dico primò, quòd iuxta dictam Clementinam Prælati generales, aut Prouinciales Religionum Prædicatorum, ac Minorum per ſe, vel per alios Fratres idoneos, tenentur accedere ad Epiſcoporum præſentiam, & ab eiſdem poſtulare humiliter, vt Fratres electi à ſuis Prælatis poſſint in ſuis diœceſibus ſæcularium audire confeſſiones, eóſque à peccatis abſoluere, vbi notat Sylu. *confeſſor* 2. *q.* 1. quòd ſi dicta licentia aſperè petatur, ſecundùm Panor. non ſatisfit conſtitutioni, ſed eſt iterum petenda, propter omiſſionem formæ. Vnde elicit, quòd ſi Epiſcopi negent licentiam aſperè petitam, Fratres prædicti eam non habent à Papa.

24. Dico ſecundò, quòd dd. Prælati regulares tot debent eligere Fratres, quot poſſint ſufficere pro huiuſmodi munere exercendo, reſpectu illius vrbis, aut terræ, vbi ſunt deſtinandi; ſi tamen ſuboriretur diſſidium circa numerum eligendorum, dicentibus fortaſſe Epiſcopis, numerum minorem ſufficere; Prælatis verò Religionum aſſerentibus maiorem requiri, huic dubitationi occurrit gloſſ. *in d.* §. *ac deinde, verſ. exig.* edocens, Epiſcopum poſſe eum eligere numerum, qui populo ſit ſufficiens, & ſi adhuc duret contentio, tunc Superioris, ſeu compromiſſi iudicis, aut boni viri arbitrio ſtandum erit, vt communiter tradunt DD. præſertim Sylu. *cit. q.* 10.

25. Dico tertiò, quòd Fratres per ſuos Prælatos electi tenentur perſonaliter præſentari Epiſcopis, vt iam ſuprà inſinuauimus *concluſ.* 2. *notab.* 1. quicquid aſſerat Sum. Ang. cuius oppoſitum tenendum eſt, & meritò, quoniam (vt patet in text.) Epiſcopi poſſunt aliquos ex electis refutare, niſi fuerint idonei, & conſequenter debent ſubiici eorum examini, quod ſine præſentia eſſe non poteſt, vt notat Sylu. *vbi ſuprà* §. 3. *requiritur,* qui inſuper *q.* 2. §. *nec obſtat,* addit poſſe Epiſcopos huiuſmodi præſentationes renunciare, examénque prædictum ipſis Prælatis regularibus committere, quia hoc eſt ſtatutum tantùm in fauorem Epiſcoporum vt eis deferatur, cui renunciare poſſunt. Vnde in hoc caſu (ait Sylu.) ſatis eſſet, quòd præſentatio fieret verbaliter, vel qualitercumque. Idem ſentire videntur Armil. *ver. abſolutio. n.* 24. & Manu. *vbi ſuprà notandum* 1.

26. Dico quartò, quòd Epiſcopi poſſunt ex rationabili cauſa reprobare aliquem ex electis, vt patet ex dicta Clementina; & hoc intra triduum à die præſentationis (ait Sylu. *q.* 9.) ſecundùm conſtitutionem, *Inter cunctas*, quæ, quia ſublata eſt, ſecundùm laudũ; hoc

Digitized by Google

eſt, arbitrarium, etſi loco repulſi alius ſubrogetur, etiam ille, ſecundùm gloſſ. *ibi*, ex cauſa poterit repelli, non autem ſine cauſa. Si verò Epiſcopi abſolutè nolint dare licentiam dicto modo petentibus, nihil refert, quia eis Apoſtolica authoritate conceditur: vnde, expectato congruo tempore, audire poſſunt confeſſiones, vt benè aduertit Cardin. Congruum autem tempus erit, quando viderint dd. Epiſcoporum in hoc firmam ſententiam. Si autem Epiſcopi, non expectata præſentatione præmonentes dicant: Non præſentetis aliquos, quia non admittimus, poterunt ſecundùm Cardin. confeſſiones audire abſque alia præſentatione. & tenet noſter Villalob. *tractat. 9. de pœnitent. difficult.* 55. *n.* 3. cum aliis per eum citat. Si tamen expreſsè non recuſent admittere, ſed non impendunt licentiam, vel negligunt; tunc ſecundùm gloſſ. locum hîc habet priuilegium poſt trinam monitionem, vel requiſitionem. Et meritò ſanè, quia huiuſmodi præſentatus, & ſine cauſa reiectus, habetur pro approbato; ſicut de Regulari ad ſtrictiorem Ordinem tranſeundi licentiam petente, necnon de Abbate perpetuam benedictionem exigente ab Epiſcopo, ſuprà inſinuauimus, *in confirmatione argum. contra* 1. *concl.* idque *vbi ſuprà art.* 1. exemplis valde opportunis illuſtrat.

27. Ex dictis colligitur quid ſit dicendum ad argumentum, cùm euidenter conſtet, Fratres deſtinandos iuxta formam dictæ Clementinæ, neceſſariò eſſe præſentandos Epiſcopis, qui poſſunt eos non ſolùm examinare, ſed etiam reprobare. Formam autem præſentationis inuenies apud Nauarr. *in ſum. Hiſpanica*, necnon *in Manua. Prælat. Mirandæ vbi ſuprà*, ſatis ordinatè diſpoſitam.

DVBIVM XX.

An ad prædictam delegationem, ſeu approbationem ſufficiat futura ratihabitio in præſenti probabiliter præſumpta.

1. PArtem affirmatiuam aſſeruit Raymund. in *ſumm. titul. de pœnitent. & remiſſ.* §. 15. quem videtur ſequi Paludan. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 2. *num.* 25. & *ibi* Capreol. *ad* 1. *contra* 3. *concluſionem*, immò in hanc ſententiam ſolent citari Hoſtienſ. & alij Canoniſtæ, quæ opinio fundatur

2. Primò *in regul.* 10. *iuris in* 6. dicente, Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. quæ regula, ſi generalis eſt, etiam in præſenti locum habet. ergo abſolutio ſic data non minus erit valida, quàm ſi ex mandato proprij Sacerdotis data eſſet, ac per conſequens, talis ratihabitio ſufficiens fuit.

3. Secundò, quia nullus poteſt Euchariſtiam, ſeu extremam Vnctionem miniſtrare alieno Parochiano, abſque proprij Parochi licentia. *Clem. Dudum, de ſepult.* & Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de reform.* Poteſt autem alienus Parochus miniſtrare ex ratihabitione de futuro, cùm nimirum inſpectis circumſtantiis temporis, perſonæ, & loci probabiliter creditur, ratum id habiturum Parochum.

4. Tertiò ex *cap. aqua, de conſecr. Eccleſ.* vbi ait Pontifex reconciliationem Eccleſiæ non potuiſſe ex commiſſione Epiſcopi fieri per ſimplicem Sacerdotem, & ſubdit ſic: quod autem per reconciliationem factum eſt, miſericorditer toleramus, vbi gloſſ. *ver. toleramus*, inquit, licèt prima non valuerit, at incipit valere ex nunc. ergo idem eſt dicendum in caſu, de quo agimus.

5. Alij diſtinguunt duplicem ratihabitionem

habitionem, vnam de futuro, alteram de præſenti. Primam negant ſufficere, quia, quod non eſt, quamuis futurum ſit, non poteſt in præſenti operari. Secundam verò dicunt ſatis eſſe, quia quacumque ratione poteſtati adiungatur voluntas in præſenti tempore, ſufficit ad delegandam iuriſdictionem. Ita Sylu. *confeſſor*. 1. *q*. 6. Nauarr. *in ſum. cap*. 9. *num*. 6. *& in cap. placuit, de pœnit. d*. 6. *num*. 105. Sot. *in* 4. *d*. 18. *q*. 4. *art*. 3. & plures alij infrà citandi.

6. Alij demum ſimpliciter negant, ratihabitionem ſufficere ad delegandam iuriſdictionem. Ita Palud. *in* 4. *d*. 17. *q*. 3. *num*. 28. Maior. *d*. 19. *q*. 1. Gabr. *d*. 17. *q*. 2. *art*. 3. *dub*. 2. Anton. 3. *p. tit*. 17. *cap*. 4. *caſ*. 8. Adrian. *q*. 5. *de confeſſ*. Med. *q. de multiplici licent. confitendi alieno*, quos omnes citat, & ſequitur Suar. *tom*. 4. *diſp*. 26. *ſect*. 1. *num*. 14.

7. Ex ſuprà allegatis opinionibus, primam exiſtimo eſſe omnino falſam, quod ſic oſtendo. Nam demus in primis, Superiorem poſtea non habuiſſe ratum præteritum factum, inquiro, an Sacramentum præteritum tunc ſit validum, néne? ſi inualidum; ergo ſic etiam fuit à principio, ac per conſequens, neque per ratihabitionem validum fieri.

8. Prima conſequentia probatur ſic, quia ſi validum aliquando fuiſſet, ſic ſemper permanſiſſet. irritari enim non poteſt abſolutio ſacramentalis, quæ ſemel valida fuit.

9. Secunda conſequentia autem ſic oſtenditur, quia Sacramentum, quod in principio non habuit valorem, nequit per ſolum conſenſum alterius validum fieri. Et ratio eſt, quoniam abſolutio priùs data ſi inualida fuit, ideo eſt, quia fuit data à non habente iuriſdictionem, quoniam nec datur à delegante, ſeu ratum habente, ille enim non abſoluit, nec datur a delegato: hic namque ſolùm incipit habere iuriſdictionem, cùm Superior conſentit, tunc autem ipſe non repetit abſolutionem. ergo, &c.

10. Sed dices, abſolutionem à principio fuiſſe validam, ideóque validam permanere, etiam ſi ratihabitio poſtea non ſuccedat, vt ſperabatur. Vnde ſi quis in oppoſitum arguat, quod inde ſequitur ſubditum ritè confiteri alieno, non ſolùm abſque licentia proprij, immo etiam contra voluntatem illius, quod eſt contra cap. *omnis vtriuſque ſexus*, reſpondent aliqui confeſſionem illam eſſe validam quoad valorem Sacramenti, non verò quoad tollendam obligationem iterum confitendi eadem peccata proprio Sacerdoti, ſi priorem confeſſionem ipſe ratam habere nolit. Hinc inferunt, ſubditũ qui ſub hac ſpe confitetur, teneri ad habendum propoſitum confitendi eadem peccata proprio Sacerdoti, ſi priorem abſolutionem nolit ratam habere; atque ideo aſſerunt, in eo caſu dari iuriſdictionem delegatam non abſolutè, ſed ſub ea conditione.

11. Cæterùm hæc omnia abſque vllo rationis fundamento proferuntur, quoniam nullum eſt ibi indicium talis pacti, nec ſufficiens collatæ iuriſdictionis ſignum, etiam hoc modo. Spes enim ſeu præſumptio futuri conſenſus in ſubdito non ponit in Superiore conſenſum, ſeu voluntatem, ſed ſolùm ponit in aliis opinionem, ſeu fiduciam de tali voluntate futura. Mea autem opinio, vel fiducia non tribuit mihi iuriſdictionem, etiam ſub illa conditione, vt optimè obſeruat Suarez *vbi ſuprà num*. 15.

12. Ad regulam igitur pro prima opinione allegatam breuiter poſſumus reſpondere.

Primò illam habere locum in iis, quæ à principio valida ſunt ſubſtantia-

liter, poſſunt tamen irritari ob defe-ctum alicuius ſolennitatis accidentalis; illa enim poſſunt per ſubſequentem ratihabitionem omnino firmari, quod in caſu noſtro non habet locum, cùm à principio Sacramentum fuerit nullum, vt ſuprà oſtendimus.

13. Secundò in his, quæ à principio nulla ſunt, poterit etiam verificari illa regula quando illa ſunt talia, vt poſſint eſſe dependentia, & quaſi expectantia futurum euentum, vt ſunt ferè omnes contractus humani, quæ enim ſunt huiuſmodi, poſſunt per ſubſequentem ratihabitionem ita firmari, vt ex eo tempore, quo ſub ea ſpe facta ſunt, valeant & operentur; & hoc eſt ratihabitionem retrotrahi, quod, inter alios, notauit Bald. *in l. obſeruare. §. poſthac. ff. de offic. proconſul. num.* 8. vbi etiam Bart. & Felin. cum aliis *in c. prudentiam. de offic. delegat.*

14. Tertiò denique præteritus actus, quamuis validus non fuerit, neque pendeat ex futuro, poteſt per voluntatem alterius poſtea declarari, & quaſi de nouo fieri, & tunc poteſt etiam dici ratihabitio, confirmare quod factum erat, quamuis potiùs de nouo faciat, nec tunc retrotrahitur niſi voluntas ad hoc ſit efficax, & hoc exprimat, ac declaret. Vnde, cùm in caſu noſtro nihil iſtorum locum habeat, vt inſinuauimus, ſequitur, quòd regula illa ineptè præſenti materiæ applicatur.

15. Ad ſecundum reſpondetur, longè diuerſam eſſe rationem inter ſacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis: nam ad ſacramentum Pœnitentiæ requiritur iuriſdictio, vt valeat; ratihabitio autem non tribuit iuriſdictionem, vt habetur ex dictis. Sed ad alia duo Sacramenta non requiritur iuriſdictio, vt validè conferantur; bene tamen vt debitus ſeruetur ordo in Hierarchia eccleſiaſtica: ad id autem ſatis eſt probabilis ſpes, & præſumptio conſenſus poſtea præſtandi, ſeu voluntatis Paſtoris.

16. Ad tertium ſimiliter reſpondetur longè diuerſam eſſe rationem, quia, cùm in Sacramentalibus (cuiuſmodi ſunt conſecratio, & reconciliatio Eccleſiæ,) ſolemnitas ſit de iure eccleſiaſtico, poteſt illam Pontifex mutare, & ſic ſupplere defectum omiſſum, vt ex tunc incipiat valere; ſecus in ſacramento Confeſſionis, vbi ſi ſemel non valuit ex defectu iuriſdictionis, non poteſt Pontifex ſua ratihabitione ſupplere defectum illius, niſi pœnitens denuo confiteatur.

17. Secunda opinio, ſi abſolutè conſideretur, videtur in primis repugnantiam includere, quia ratihabitio propriè reſpicit præteritum, atque ideo in præcitata regula dicitur retrotrahi. Vnde quando ſit factum, quod poſtea ratum habetur, non poteſt eſſe in re ipſa ratihabitio, ſed tantùm in ſpe. Repugnat igitur dicere, ratihabitionem eſſe de præſenti. Quapropter, vt repugnantiam euitemus, dicendum eſt, ratihabitionem de præſenti hîc accipi pro tacito conſenſu delegantis externè, ac ſufficienter manifeſtato. Dixi *externè*, quia certum eſt, interiorem voluntatem non ſufficere ad conferendam iſtam iuriſdictionem, debet enim conferri humano modo: homines autem non agnoſcunt interiores voluntates, niſi per ſigna externa. Dixi etiam *ſufficienter manifeſtato*; quoniam niſi ſit tale, vt per illud voluntas delegantis innoteſcat delegato, non ſatis erit. Vnde infert Suar. *vbi ſuprà, num.* 16. quòd ſi tale ſit ſignum, vt rem dubiam relinquat, adhuc non ſufficit, quia non ſatis manifeſtat voluntatem delegantis.

18. Itaque ſecunda opinio ſic explicata ſatis probabilis eſt; vt ſi quis confeſſiones audiat, vidente, ſciente, ac

tacente

tacente Ordinario, potentíque impedire. Ita, præter allegatos in ſecunda opinione, tenent expreſsè Vaſquez *tom.* 4. *diſp.*93. *art.*2. *dub.* 2. Coninch. *diſp.* 10. *dub.* 5. Angel. *confeſſ.* 3. *num.* 30. Caiet. *ſum. verb. abſolutio. ex parte abſoluentis. ver. licentia.* Met. *tract.* 2. *de confeſſ. q. de multip. licen. alieno confitendi, verſ. corollariè ſequitur ex dictis.* Mart. Ledeſm. *d. p.* 4. *q.*7. *art.*5. *dub.* 3. Barthol. à Ledeſm. *de pœnit. dub.*28. Enriq. *lib.*6. *de pœnit. d.*13. *cap.*13. & alij, quos ſequitur Sanch. 3. *de matrim. diſp.*35. *num.*20. Probatur autem hæc ſententia.

19. Primò, quia iure receptum eſt, quòd vbi requiritur licentia in actu, ſufficiat tacita, & præſumpta ex ratihabitione de præſenti, vt multis oſtendit Ioann. Lup. *rubr. de donat.* §. 68. *num.*27.

20. Secundò, ex *cap. fin. de offic. vicar. in* 6. vbi habetur, Vicarium non poſſe beneficia conferre, niſi hoc ei ſpecialiter committatur, & tamen ſi Vicarius, poſt reuocationem licentiæ ſibi intimatam conferat vidente, & patiente Epiſcopo, valet collatio, iuxta communem ſententiam, quam tuetur Anaſt. Germon. *de Indult.* §. *tibi quoad vixeris, num.* 63. ergo ſimiliter dicendum eſt in caſu noſtro.

21. Tertiò, quia Procurator reuocatus gerens negotia ſciente, & patiente domino, validè agit, vt habetur ex gloſ. celebri *l. qui mutuam. ver. inſtaurauerit. ff. mandati.* & ſimiliter Procurator excedens fines mandati, ſciente, & patiente domino, ipſi nocet, & notat Felinus *cap.* 1. *num.*12. *vt lit. non conteſt.* Horum autem non poteſt alia ratio aſſignari, niſi quòd ſcientia, & patientia operantur tacitum conſenſum, iuxta regul. iur. *Qui tacet conſentire videtur. de reg. iur. in* 6. ergo in caſu, de quo agimus, ſatis erit ea tacita licentia, vt iuriſdictionem præbeat.

22. Hìc tamen duo ſunt obſeruanda.

Primum eſt, tunc præſumi tacitam licentiam ex præſentia, & ſilentio Ordinarij, dum alieno Sacerdoti conſtat, Ordinarium ſcire, vel ſaltem credere, alienum Sacerdotem omni iuriſdictione carere; poſſet enim exiſtimare, quòd audiret confeſſiones ex priuilegio; & in tali euentu præſentia, & taciturnitas Ordinarij non reputaretur tacita licentia.

23. Secundum eſt, prædictam Ordinarij præſentiam, & taciturnitatem adhuc in caſu, quo Ordinarius ſciret, alienum Sacerdotem omni iuriſdictione carere, non eſſe approbationem, & licentiam ſimpliciter ad confeſſiones audiendas, ſed pro eo actu dumtaxat. Ita Sanch. *ibid. num.*22.

24. Nihilominus tertiam opinionem libentiùs amplector. tum quia in dubiis, & maximè ſi Sacramenti validitatem concernant, tutior pars eſt eligenda; tum etiam, quia ſecunda opinio grauibus eſt expoſita periculis; cùm enim tacitus conſenſus non reputetur ſufficiens, niſi externè adeò manifeſtetur, vt delegato innoteſcat voluntas delegantis, iuxta ea, quæ ſuprà inſinuauimus; nec iſta manifeſtatio habeat vnum definitum ſignum, quo neceſſariò facienda ſit, ſed varia poſſint occurrere iuxta temporis, & loci exigentiam, profectò non facilè quiſpiam poterit ſe immunem ab errore conſeruare, ſi dictæ adhæreat opinioni, quam ego ſpeculatiuè probabilem dixi ob authoritatem eorum, qui eam tuetur; tertiam tamen probabiliorem practicè, & in conſcientia tutiorem cenſeo. Præterea, vel huiuſmodi conſenſus tacitus eſt ita manifeſtus, vt manifeſtè ſignificet, voluntatem delegantis eſſe delegare, & tunc non eſt propriè ratihabitio, ſed potiùs licentia certa, immò expreſſa,

vel

Digitized by Google

vel illam non explicat certis ſignis, itavt certè conſtet de voluntate delegantis,& tunc quidem non ſufficit,quia ad validitatẽ ſacramenti Confeſſionis prærequiritur iuriſdictio, quæ abſque certa delegantis voluntate ſtare non poteſt, immo eſto faciat probabilem exiſtimationem de voluntate delegantis, adhuc non eſt tali iuriſdictione vtendum, niſi vbi non eſt opportunitas alterius Confeſſoris, & expreſſiùs cognoſcendi voluntatem Superioris, & aliunde occurrit ſufficiens cauſa adminiſtrandi Sacramentum, vt rectè obſeruant Sot. & Suar. & conſtabit ex infrà dicendis, nempè non eſſe probabili iuriſdictione vtendum,omiſſa certa, cùm commodè poteſt. & hac ratione ductus Fauentinus nobiſcum ſentit *in 4.diſt.*17. *q.vnica,diſp.*25.*num.*96.

Dubium XXI.

Quo breuiter explicantur quatuor difficultates, prædictam licentiæ conceſſionem concernentes.

1. PRima igitur difficultas eſt, an ſi quis petat licentiam per alium vt confeſſiones audire poſſit, validè eas audiat, antequam ſciat licentiam eſſe conceſſam,eſto confeſſiones audiat poſt huiuſmodi conceſſionem? Nonnulli arbitrantur huius difficultatis reſolutionem pendere ex ea quæſtione an priuilegium,vt effectum ſortiatur, debeat priùs innoteſcere priuilegiato, de qua quæſtione latè agit Sanch. *libr.* 3. *de matr.diſp.*36. & latiſſimè Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 25. & Salas etiam *de leg. diſput.* 17. *ſect.* 19. cum aliis, quos ipſi referunt. Mihi tamen probabilius videtur non inde pendere reſolutionem, atque adeò quicquid ſit de dicta quæſtione, circa propoſitam difficultatem ſententia, quam ſequendam exiſtimo, duabus clauſulis comprehenditur. Prima eſt, quòd talis licentia debet eſſe nota Confeſſori, vt validè miniſtret. Secunda eſt, quòd eſto dicta licentia petatur, & obtineatur per internuncium, ſeu Procuratorem; non ſufficit, quòd ſit nota internuncio, ſeu Procuratori, ſed requiritur, vt ſit etiam nota ipſi Confeſſori. Quoad primam clauſulam conueniunt omnes, quotquot aſſerunt, priuilegium non ſortiri effectum ante notitiam priuilegiati, necnon præcitati authores, præſertim Suar. *loc.cit.num.*17. & probatur ſpeciali ratione, quæ militat in hoc caſu. Nam effectus huius priuilegij talis eſt, vt acceptationem priuilegiati requirat,ídque conſtat,quia, vt eſt receptum apud iuris interpretes, quando quis ignorat ſe habere iuriſdictionem, non valet quod agit, vſus enim iuriſdictionis non acquiritur ignoranti, vt multis citatis probat Sanch. *d. diſput.* 36. *num.*8. & ſumitur ex *l. hac autem.* §. *non defendi.* ibi,*debet conſtare Pratori.ff. quib. ex cauſ.in poſſeſſ.*& trad.Bart.*in l.multum. ff de condit. & demonſtr. num.* 2. *& in l. Barbarius. ff. de off. Prator. in repet.* 18. quæ potiùs eſt Bald. *ibi. de lect.* 2. *n.*27. *&* 28. Igitur, dum Confeſſor ignorat collatam ſibi eſſe licentiam, non gaudet iuriſdictione, & quamuis hanc doctrinam Iuriſperiti intelligant de iuriſdictione in foro externo, locum etiam habet in foro interiori, vbi iuriſdictio adeò neceſſaria eſt,vt defectus illius ſuppleri non poſſit.

2. Et confirmatur, quia iuriſdictio nequit actu interno conferri, vt rectè tradunt Victor. *in materia de confeſſ. num.* 153. Ledeſm. 2.*p.*4. *art.* 5. *dub.* 3. Henriq. *lib.*6. *de pœnit. cap.* 13. *num.* 13. & Veg. *lib.*4.*ſum. caſ.*129. quod ex eo ſolùm procedit, quia eſt conceſſio homini facta ad actum externum, & ita externam oportet eſſe, vt ipſi innoteſcat,

Digitized by Google

ſcat, ſed quandiu eſt externa in abſentia, & is, cui conceditur, nondum habet notitiam illius, perinde reputatur, ac ſi eſſet interna; igitur non ſufficit.

3. Quoad ſecundam clauſulam opinio, quam ſequor, eſt contra Sanchez *vbi ſuprà*, & Regin. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 104. ſed tenent illam, qui aiunt non valere diſpenſationem à Pontifice obtentam ſuper aliqua inhabilitate, donec innoteſcat poſtulanti, eſto ſit à nuncio, ſeu Procuratore acceptata. ſic cenſent Vaſq. 1.2. *tom.*2. *diſp.*156.*n.*30. *&* 31. Suar. *d. lib.*8. *de leg. cap.*25. atque eorum ratio mihi videtur efficax, quia priuilegiatus non poteſt vti ea diſpenſatione, tuta conſcientia, donec illius notitiam habeat: diſpenſatio autem eſt propter vſum; igitur non eſt credibile, nec veriſimile, ita concedi, vt habeat ſuum effectum antequam perueniat ad notitiam illius, cui conceditur. Maior patet, quia honeſtas talis actus aliàs prohibiti, pendet ex diſpenſatione valida, & iam conceſſa; igitur qui non ſcit diſpenſationem validam, & cum effectu eſſe iam conceſſam, ſaltem non poteſt prudenter, & ſine peccato exercere talem actum; quo enim pacto poteſt quis licitè, ac prudenter operari id, quod nondum ſcit ſibi licere; nec valet dicere, quòd ſufficit moralis præſumptio, & ſpes diſpenſationis; cùm talis præſumptio, ac ſpes ſit infinitis expoſita periculis, & ſæpe fallere poſſit.

4. Dices, vſum illum eſſe prauum per accidens, & ratione periculi ex ignorantia prouenientis, cùm tamen diſpenſatio realiter iam conceſſa eſt, videtur, quòd caſus inde ſequutus de ſe iam non ſit malus, nec contra legem.

Reſpondetur quòd priuilegium, & inordinatio ſunt moraliter inſeparabilia à tali vſu, & conſequenter non eſt veriſimile voluiſſe Principem concedere cum effectu diſpenſationem ante eius notitiam, tum quia non videtur veriſimile, velle præbere occaſionem eiuſmodi praui vſus, tum etiam, quia diſpenſatio non datur, niſi propter vſum honeſtum, ſeu qui moraliter, ac regulariter poſſit eſſe honeſtus, ac licitus.

5. Sed quæres, an talis licentia, ſeu priuilegium aliquid operetur ſtatim à tempore conceſſionis, antequam ad priuilegiati notitiam perueniat.

Reſpondetur ex doctrina Couar. 3. *var. cap.* 16. *num.* 1. & aliorum, quos ipſe refert, priuilegia nonnulla eſſe, quæ ex mera concedentis liberalitate proficiſcuntur, cuiuſmodi eſt donatio rei propriæ; & hæc ſicut poſſunt reuocari à concedente ante priuilegiati acceptionem, ita nec aliquid operantur donec eidem innoteſcant; alia verò ſunt, quæ quamuis merè liberalia ſint ex parte eorum, quibus conceduntur, non tamen ſunt talia ex parte concedentis, ſed cuiuſdam neceſſitatis, cuiuſmodi eſt, collatio beneficij; tenetur enim Prælatus ex officio conferre; & hæc ſtatim à tempore conceſſionis operantur, vt ille, qui priuilegium conceſſit, id ampliùs nequeat reuocare. & de his loquitur *cap. ſi tibi abſenti*, *de prab. in* 6. vbi apertè deciditur ius in beneficium abſenti collatum non acquiri, donec abſens acceptet, interim tamen collationem reuocari non poſſe.

6. Secunda difficultas eſt, an ſi huiuſmodi licentia extorqueatur, ſit valida, ita vt virtute illius poſſit quis confeſſiones audire?

Sanch. *d. lib.* 3. *de matrim. diſp.* 39. *n.* 13. tuetur partem affirmatiuam; exiſtimat enim iuriſdictionem metu etiam cadente in virum conſtantem extortam transferri, cùm huiuſmodi tranſlatio

O nullo

nullo iure impediatur. nam id, quod habetur *in l. 2. ff. de iudic.* opinatur idem Sanch. intelligi in ſpeciali caſu, nempè cùm litigatores compelluntur conſentire in iudicem non ſuum, atque ita iuriſdictionem prorogare; prorogatio autem fieri non poteſt, niſi ex libera voluntate: vnde infert, eam doctrinam ad alium caſum non debere extendi. Mihi tamen probabilius videtur, eam licentiam cum metu graui extortam nullius eſſe momenti, vt quis virtute illius confeſſiones audiat. Et probatur; quia conceſſio huiuſmodi licentiæ eſt actus ad liberalitatem & donationem pertinens, vt docet communis Iuriſtarum ſententia, atque hinc prouenit, vt non quæratur abſenti ante acceptionem, & vt reuocari etiam poſſit pro libito, ſicut ipſe Sanch. cum multis per eum allegatis tenet *diſp. 36. in 4.* igitur conceſſio eiuſmodi licentiæ iure naturali valere non poteſt. Conſequentia probatur, tum quia quæuis donatio metu graui facta, iure naturali non ſubſiſtit ex defectu tituli ſufficientis; nec etiam valet iure poſitiuo, quia non eſt aliquod ius, vnde valere colligatur, & ex conſequenti relinquitur diſpoſitioni iuris naturalis. tum etiam, quia *in præcit. l. 2.* hæc habentur: Ac ſi cùm reſtitiſſet quiuis ex litigatoribus viribus præturæ compulſus eſt, nulla eſt iuriſdictio. Et quamuis ibi ſermo ſit de propagatione iuriſdictionis, idem à fortiori ſentiendum eſt de tranſlatione, ſeu conceſſione illius, cùm maior militet ratio, vt conſtat ex eo, quia ſi is, qui ex priuilegio poteſt Confeſſorem eligere, cogatur aliquem determinatè eligere, nulla erit talis electio, cùm hîc non ſit, qui iuriſdictionem confert, ſed quaſi prorogat per facultatem eligendi. ergo magis inualida erit ipſa iuriſdictionis conceſſio, atque iuxta hunc ſenſum intelligit præcitatum text. Bald. *l. ſi quis ex conſenſu n. 7. C. de Epiſc. aud.*

7. Nec obſtat, ſi dicas, quòd regulariter metu geſta, reputantur valida.

Reſpondetur namque ſemper excipi iuriſdictionem, quæ nunquam metu graui interueniente transfertur, vt docent gloſſ. *cap. 1. verb. coactus, ad fin. de his, quæ vi.* vbi Anchar. *num. 3.* Abb. *num. 12. & 17. fin.* Bart. *tract. de tyranno, num. 14.* & Bald. *l. decernimus n. 5. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

8. Tertia difficultas, an ſit valida licentia ab Ordinario impetrata dolo, & mendaciis, vt ſi falſo nomine alicuius Magnatis petatur ab Ordinario, vt licentiam audiendi confeſſiones certo Sacerdoti concedat. Videtur quidem negatiuè reſpondendum, & conſequenter confeſſionem virtute talis licentiæ factam eſſe nullam.

Primò, quia diſpenſatio falſa cauſa obtenta, eſt ſubreptitia, & nulla, vt habetur ex *cap. quia circa, de conſang.* & notant *ibi* DD. ſed prædicta licentia, eſt quædam diſpenſatio, & conceditur ex falſa cauſa; igitur eſt nulla.

Secundò, quia falſitas circa cauſam finalem diſpoſitionis, ipſam vitiat, vt multis citatis tradit Tiraq. *tract. ceſſante cauſa, limit. 1. à num. 1. & ſeqq.* Sed in caſu noſtro falſitas cótingit circa cauſam finalé, cùm Epiſcopus, ea ratione ceſſante, nullo modo eſſet eam licentiam conceſſurus; finalis autem cauſa dicitur, quæ ita mouet diſponentem, vt alioquin non eſſet ſic diſpoſiturus, per ea, quæ docent Anton. *cap. poſt tranſlat. num. 35. de renunc.* atque *ibi* Abb. *in 2. illius tituli lectura n. 18.* & videtur ſentire Bart. *l. 2. § fin. n. 1. fin. ff. de donat.*

9. Nihilominus exiſtimo, validam eſſe d. licentiam, ac etiam valere confeſſiones virtute illius factas. Ducor, quoniam ratio illa Ordinarium inducens nihil prorſus confert, ſed impertinens

tinens potiùs eſt ad licentię conceſſionem. quod ex eo conſtat, quia non videtur mens concedentis licentiam, vt velit illam eſſe irritam ea petitione falſa exiſtente, ne confeſſiones paſſim irritentur, ac potiſſimùm cùm licentiam concedentes non lateat, ſæpe mendaces eſſe, & fictitias ſimiles Magnatum petitiones. Vnde deducitur, quòd error ille non ſit circa cauſam finalem, ſed impulſiuam, qua ceſſante, non ideo ceſſat diſpoſitio, vt idem Tiraq. *vbi ſuprà*, latè oſtendit.

10. Neque obſtant probationes in contrarium adductæ; ad vtramq; enim reſpondetur ſolùm id verificari, cùm error, & falſitas contingit circa cauſam finalem. In caſu autem noſtro ſolùm contingit circa cauſam impulſiuam. Nec verùm etiam eſt, ſemper eam eſſe cauſam finalem, ſine qua actus non fieret, vt conſtat in naturalibus, vbi remouens prohibens eſt cauſa, ſine qua non deſcenſus lapidis, & tamen non eſt cauſa principalis, ſed occaſio dumtaxat, atque ita docent Couar. 1. *var. cap.* 20. *num.* 2. Nauarr. *ſum. lat. cap.* 23. *num.* 101. *& cap. inter verba* 2. *edit. concl.* 5. *num.* 33. cum aliis, quos citat, ac ſequitur Sanch. *d. diſp.* 39. *n.* 14.

11. Quarta difficultas, an qui licentiam Epiſcopi obtinuit confeſſiones audiendi, poſſit ea licentia, ac iuriſdictione vti extra territorium delegantis?

Omnes fatentur Confeſſores ordinarios, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, & Parochi, poſſe ſuorum ſubditorum etiam extra proprium territorium confeſſiones excipere; at de delegatis, ſeu extraordinariis non ſic, immò oppoſitum opinantur nonnulli negatiuam partem amplectentes. ita expreſsè ſentire videtur Hoſtienſ. *ſum. tit. de pœnit. & remiſſ.* §. *cui confitendum num.* 14. *verſ. & nunquid extra territorium*. atque id ſentiunt alij, præcipuè de Religioſis. ſic aliis relat. Imol. *Clem. Dudum num.* 32. *de ſepult.* vbi Card. §. *extra ciuitatem q.* 5. Anchar. *ibi.* §. *ſtatuimus q.* 5. *dub.* 3. *verſ. ſed de illis*. Roſel. *ver. confeſſio ſacramentalis* 3. *num.* 3. Sylueſt. *verb. confeſſor.* 1. *q.* 14. §. 12. Nauar. *ſum. C.* 17. *Hiſp. n.* 265. *Lat. num.* 266. & ex Theol. Adria. *q.* 5. *de confeſſ. ante* 1. *dub* §. *ideo pro ſolutione. verſ. ex dictis infertur*. D. Ant. 3. *p. tit.* 17. *c.* 10. *fin.* & alij, quos refert Sanch. *libr.* 3. *de matrim. diſp.* 34. *num.* 1. Ducuntur circa Religioſos ex text. *in Clem. Dudum, de ſepult.* §. *ſtatuimus*, vbi Religioſis Epiſcopo præſentatis conceditur facultas excipiendi confeſſiones quorumcumque ſibi confiteri volentium, ita tamen, vt eas extra diœceſes, in quibus ſunt approbati, nullatenus excipiant. Deinde, circa eoſdem & omnes alios Confeſſores delegatos, ducuntur, quia nemini licet ius dicere extra proprium territorium, vt tenent communiter omnes iuriſprudentiæ Profeſſores.

12. Verùm mihi magis probatur iuriſdictionem voluntariam, etiam delegatam extra proprium territorium poſſe licitè exerceri, & conſequenter Confeſſores delegatos poſſe vbique confeſſiones excipere eorum, qui ſunt illius diœceſis, in qua ipſi ſunt approbati. Atque pro huius explicatione

13. Primò notandum eſt, duplicem dari iuriſdictionem: altera eſt contentioſa, & neceſſaria, quæ vltimum habet contradictorem, & inter contendentes exercetur, redditúrque in inuitos. *l. inter ſtipulantes.* §. 1. *ff. de verb. oblig.* Dicitur autem contentioſa, quia actor contendit contra reum, & dicitur neceſſaria, quia reus in iudicium vocatus tenetur ibi reſpondere. Altera eſt voluntaria, quæ in ſolos ſubditos volentes exercetur, cuiuſmodi ſunt adoptatio, manumiſſio, confeſſio, & alij ſimiles actus, qui dicuntur voluntariæ iuriſ-

Digitized by Google

dictionis, quia non fiunt inuitis ſubditis, nec petunt iudicem pro tribunali ſedentem; ſic gloſſ. *l.1.initio, ff. de off. proconſ.* & Marant. *de ord. iudic. 4.p.tit. an ſimplex, vel duplex, diſtinct.* 18. *num.* 1. *&* 2.

14. Secundò nota, hoc inter vtramque iuriſdictionem differre, quòd contentioſa nequit extra proprium territorium exerceri, ne iudici illius iniuriam inferat; voluntaria autem poteſt vbique exerceri, quia cùm nec cauſæ cognitionem, nec iudicem pro tribunali ſedentem petat, non eſt cur iudex alieni territorij meritò conqueri poſſit, ſi in ſuo per alienum iudicem erga ipſius alieni ſubditos exerceatur, conſtat expreſsè *ead. l. 2. ff. de off. proconſul. & cap. nouit. de off. legat.* atque *ibi* id notant communiter DD.

15. His ſic prænotatis, facilè dignoſcitur veritas noſtræ opinionis, tum quia præallegata iura indiſtinctè docent poſſe iuriſdictionem voluntariam extra proprium territorium exerceri, nec diſtinguunt de iuriſdictione ordinaria, ſeu delegata: vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. tum etiam, quia nec prædicta iura fundantur in eo, quòd iuriſdictio exercentis ſit ordinaria, ſed quia nulla irrogatur iniuria iudici alieni territorij, cùm abſque ſtrepitu, & figura iudicij exercetur. quæ ratio æquè militat, tam in iudice, ſeu Confeſſore ordinario, quàm delegato. Hanc noſtram ſententiam amplectuntur quotquot aiunt Vicarium, ex delegatione Epiſcopi beneficia conferentem, poſſe ea extra diœceſim conferre. Ita Domin. *cap. fin. de off. vicar. in 6. fin.* Rebuff. Menoch. Corſet. & alij permulti, quos refert Sanch. *diſp.* 34 *num.* 2. Atque in propriis terminis nobiſcum ſentiunt Victor. *ſum. de confeſſ. num.* 151. Sot. 4. *diſt.* 18. *q.* 483. *verſ. aliud verò.* Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 7. *num.* 1. Angel. *in florib. ſuper* 4. 1. *p. q.* 3. *de confeſſ. art.* 8. *dub.* 4. *fol. mihi* 295. Ledeſm. 2. *p.* 4. *q.* 7. *art.* 5. *dub.* 9. & alij, quo ſequitur ipſe Sanch. *ibidem.* Immò D. Anton. Roſell. & Sylu. pro contraria opinione allegati, noſtræ etiam adhærent ſententiæ, dum inquiunt, Religioſos non virtute *Clement. Dudum*, facultatem reſtringentis, ſed ex Epiſcopi delegatione confeſſiones excipiendi poſſe extra diœceſim eas audire.

16. Vnde, dum d. Clem. ait, quòd poſſint Religioſi confeſſiones audire intra diœceſim, dupliciter id poteſt exponi.

Primò, quòd non poſſint extra diœceſim audire illos, qui non ſunt eius diœceſis, in qua ipſi ſunt præſentati, vt forſitan exiſtimarent ſe totius Orbis Confeſſores exiſtere cùm primùm ſemel ſunt præſentati; neque enim credibile eſt, quòd animus Pontificis ibi ſit reſtringere locum, ſed perſonas tantùm, id eſt, ſubditos illius diœceſis. atque hæc expoſitio magis conſtat ex Concil. Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *de Reformat.* vbi volens facultatem Epiſcopo ibi conceſſam limitare, cautè ait, *quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua*, vti apertè indicaret, limitari perſonas, & locum.

Secundò poteſt exponi, quia reſtrictio applicanda ſit Religioſis, dum ſunt delegati virtute Clementinæ dũtaxat, non autem quatenus gaudent delegatione Epiſcopi, vt inſinuauimus ex doctrina D. Anton. Roſellæ, & Sylu.

DVBIVM

DVBIVM XXII.

Quo agitur de facultate Confeſſorem eligendi, qua gaudent Cardinales, & Epiſcopi.

1. SVpereſt nunc diſputare de iis, qui abſque priuilegio Bullæ poſſunt eligere Confeſſorem, & præſertim de Cardinalibus, & Epiſcopis. Vt igitur in præſenti quæſtione diſtinctiùs procedamus, præſuppono tripliciter poſſe hanc facultatem eligendi Confeſſorem concedi, de iure diuino, de iure poſitiuo,ſeu eccleſiaſtico; & ex conſuetudine de iure diuino, ſeu à Chriſto Domino datur Summo Pontifici: nam cùm ipſe etiam poſſit, immo debeat confiteri, ſi conſcientiam peccati habeat,quia vtilitas reſpectu venialium,ac neceſſitas medij, & conſequenter præcepti reſpectu mortalium eadem eſt in illo, quæ in cæteris omnibus. ergo neceſſe eſt, vt habeat Confeſſorem. non eſt autem aliquis deſignatus iure diuino,cui confiteri teneatur, vt per ſe conſtat; neque etiam iure humano, quia ipſe eſt Summus Paſtor. ergo neceſſe eſt, vt ab ipſo eligatur. ergo habet ab hoc poteſtatem, & non ab homine; quia non habet Superiorem in terris, igitur immediatè à Chriſto. Vnde reiiciendi ſunt nonnulli aſſerentes eſſe ſpeciale in hoc caſu, quòd Confeſſor habeat iuriſdictionem ſuper Pontificem Summum immediatè ab ipſo Chriſto. Ita Palud. *in 4. diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. Capreol. *d.* 19. *ad argumentum contra ſecundam concluſionem.* Canus *in relect. p.* 5. & Ricard. *art.* 3. Sed verius dicitur, quòd licèt poteſtas ex parte Pontificis ſit à iure diuino;iuriſdictio tamen in eo etiam caſu transferatur in Confeſſorem medio Pontifice. ita D.Thom. *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 4. *& q.* 2. vbi ait, Pontificem vt peccatorem ſubiici, vt Vicarium autem Chriſti dare iuriſdictionem ſupra ſeipſum in illo foro. Ita etiam D.Bonau. *ibid. art.* 3. *q.* 2. Gabr. *art.* 3. *dub.* 3. Sot. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Ledeſm. 2. *p. q.* 22. *art.* 1. Med. *q. de ſacer. alien. abſol. ſin licen. propr. ad ſecundum.* Turrecrem. *lib. de Eccleſ. cap.* 8. & alij.

2. Sed quæres primò,an huiuſmodi priuilegium ſit etiam aliis de iure diuino conceſſum?

Reſpondetur negatiuè,quicquid aliqui, ſed falsò, dicant. Et ratio eſt, quia nullus,prçter Pontificem,caret in terris proprio paſtore,ſeu iudice in hoc foro, vt conſtat. Vnde ſequitur, quòd ſtando in iure diuino,in omnibus aliis à Summo Pontifice, verum habet, quod *in cap. omnis vtriuſque ſexus,* dicitur, neminem poſſe confiteri niſi proprio Sacerdoti,vel de licentia eius.

3. Quæres ſecundò, vnde conſtat de hoc ſpeciali priuilegio, aut de diuino iure, aut vbi eſt illi datum ſi aliis non eſt conceſſum?

Reſpondetur, hanc non eſſe diſtinctam conceſſionem factam Summo Pontifici, ſed in ipſamet ſuprema iuriſdictione diuino iure ipſi data contineri; nam ſicut ex vi ſupremæ illius iuriſdictionis poteſt dare ipſe iuriſdictionem pro aliis, ita & pro ſe; & ſicut poteſt dare aliis facultatem eligendi Confeſſorem, ita & ſibi poteſt accipere. Sicut ergo ſingulare in illo eſt, habere iuriſdictionem ex iure diuino, ita etiam habere facultatem eligendi Confeſſorem.

4. De iure poſitiuo,ſeu eccleſiaſtico conceditur Epiſcopis, & eorum Superioribus, necnon inferioribus Prælatis exemptis facultas eligendi ſibi Confeſſorem. Ita habetur *in cap. vlt. de pœnit. & remiſſ. incip. ne pro dilatione*, &c. Hinc Nauarr. *cap.* 27. *num.* 260. aſſerens hoc etiam eſſe diuinum ius, non eſt audiendus,quia repugnat verbis textus,

quibus Pontifex ait, ſe id concedere, ſeu permittere, ne pœnitentia differatur. Sot. ſimiliter, qui *d.* 18. *q* 4. *art.* 2. ait, Epiſcopum dare poteſtatem, ac iuriſdictionem ſuo Confeſſori, cùm illum eligit, reiiciendus eſt, quia Epiſcopus habet Superiorem, & Paſtorem proprium, qui ſicut dat Epiſcopo facultatem eligendi, ita Confeſſori electo dat iuriſdictionem, vnde poſſet Pontifex ſi vellet, præſcribere Epiſcopis alium modum habendi Confeſſores. & hęc eſt communis ſententia, quam tenet Turrecrem. *in cap. quem pœnitet, de pœnit. d.* 1. & Palud. *d.* 17. *q.* 3. & *ibi* Gabr. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. S. Ant. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 9. Sylu. *confeſſ.* 1. §. 2. & 8. Angel. *confeſſio.* 3. Caiet. *ver. abſolutio. c.* 2. & Suar. *d. tom.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 4.

5. De conſuetudine conceditur Parochis facultas Confeſſorem ſibi eligendi. Probatur, quia communi praxi teſtificante, ipſi hac facultate vtuntur ſine ſpeciali Epiſcoporum licentia. Sed eam non habent à iure. ergo videntur habere ex conſuetudine. Confirmatur, quia conſuetudo poteſt dare iuriſdictionem, iuxta *cap. cùm contingat, de for. compet.* & ſumitur ex *cap. dilecti, de arbitr.* ſicut econtrario conſuetudo aufert iuriſdictionem. Vnde aliqua peccata dicuntur eſſe conſuetudine reſeruata. ita tenet Hoſt. Raym. Aſten. Gerſon. Guillel. de Mont. Lugd. quos refert Gabr. *lect.* 3. *in Cano.* ſic etiam tenet Nauarr. *num.* 30. *& ſeqq. in cap. placuit. q.* 2. *de pœnit. in* 6. Caiet. *verb. abſolutio.* 2. Sot. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Suar. *vbi ſuprà ſect.* 3. & Vaſq. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 2.

6. Cæterùm huic determinationi obſtare videtur *cap.* 2. *de pœnit. & remiſſ. in* 6. vbi dicitur, nulla conſuetudine introduci poſſe, vt aliquis valeat ſibi eligere Confeſſorem ſine licentia proprij Sacerdotis. Et probatur, quia hoc eſt contra ius diuinum, quod nulla poteſt conſuetudine reuocari. quapropter Nauarr. *loc. cit. num.* 36. *& ſeqq.* ſatis enititur pro ſuo ingenio textum illum exponere. Vera tamen expoſitio eſt, quam tangit Gabr. *vbi ſuprà*, nimirum conſuetudinem non poſſe vi ſua dare hanc facultatem; inde verò haud ſequitur, non poſſe ſufficiens eſſe ſignum facultatis conceſſæ à Paſtoribus, & nunquam reuocatæ, ſed quaſi per tacitum conſenſum perpetuò durantis. Vnde concedimus per talem conſuetudinem non introduci, vt quis, præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat, ſed introducitur, vt aliquis cenſeatur habere à ſuo Superiore talem facultatem modo explicato. Et ad probationem dicimus, quòd quamuis iuriſdictio dicatur conſuetudine acquiri, id tamen non fit ſine adminiculo iuris communis, vel taciti conſenſus, & voluntatis Superiorum, præſertim in iuriſdictione ſpirituali, quæ non poteſt à populo emanare, ſed à Summo Pontifice: atque ideo non poteſt ſola populi conſuetudo contra illam præſcribere, niſi Pontifices hoc ad maiorem Eccleſiæ pacem declaraſſent. In caſu igitur noſtro, conſuetudo non dat huiuſmodi facultatem adminiculo iuris communis: nullum eſt enim quod hoc declaret, immo potiùs reſiſtere videtur; ſed adminiculo tacito Superiorum conſenſus, qui cùm non ſit in iure expreſſus, neceſſe eſt, quòd ipſamet conſuetudine ſignificetur.

7. At poterit iterum meritò dubitari circa *d. cap.* 2. *de pœnit.* quid ſpeciale declaret ibi Pontifex de hac facultate, cùm cuilibet legi commune ſit, quòd non derogetur conſuetudine, niſi quatenus Superior videns, & tacens conſentire videtur? Quocirca reſpondemus, eligere Confeſſorem ſine licentia proprij, repugnare diuino iuri, vt diximus, atque ideo ſignificaſſe Pontificem

in

Digitized by Google

in illo textu non poſſe conſuetudinem præſcribere contra hoc ius, in quo ſatis differt à quauis lege merè humana: poteſt enim contra iſtam conſuetudo præſcribere. Vnde infero, facultatem huiuſmodi conſuetudine obtentam pendere ſemper à proprij Sacerdotis voluntate, itavt, non obſtante conſuetudine, ſemper ſit in eius poteſtate illam reuocare ſi velit: talis ſiquidem conſuetudo nunquam præualere poteſt, aut ius aliquod conferre. *cap. 1. & cap. cùm venerabilis, de conſuetudine. & cap. cùm non liceat, de præſcript.* poſita autem hac veluti continua dependentia huius conſuetudinis à voluntate Paſtoris, optimè verificatur deciſio illius cap. 2. *de pœnit.* nam ſi Paſtor videt, & tacet, ſatis ſignificat ex ſuo conſenſu habere ſubditos illam facultatem; ſi verò reuocet, conſuetudo minimè ſufficiet, iuxta illius textus deciſionem. Verùm conſiderare oportet, ex cuius Paſtoris voluntate manauerit cònſuetudo, quoniam ex illius, vel Superioris arbitio reuocari poterit, non tamen ab inferiori. Vnde, quia conſuetudo, vt Parochi eligant Confeſſorem, ſolùm ex conſenſu Epiſcoporum creditur emanaſſe, ideo Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu poterit hoc mutare, vel generatim pro omnibus Parochis, vel ſpecialiter pro aliquo, provt expediens iudicauerit.

8. His præhabitis, in hac quæſtione ſunt varij modi dicendi.

Hoſt. *in ſum. de pœnit. & remiſſ. §. cui confitendum, verſ. cui Cardinalis.* poſtquam varias retulit ſententias, tandem concludit, Epiſcopos Cardinales ſibi idoneum Confeſſorem eligere poſſe, iuxta id, quod habetur *in cap. de pœnit. ne pro dilatione*, quia Epiſcopi ſunt. Cardinales itidem, cauſa legationis abſentes poſſunt etiam eligere Confeſſarium idoneum, iuxta *d. cap.* quia Prælati ſunt, & exempti. Cardinales non Epiſcopi, dum videlicet Romæ commorantur, alicui ex Pœnitentiariis Papæ confiteri debent; quia ſunt Papæ proximè ſubiecti: tutius tamen arbitratur, ſi à Papa eligendi Confeſſarium facultatem impetrarent, eo quòd Cardinales Papæ ſunt immediatè ſubiecti. Sic etiam cum Hoſt. tenent Sylu. *ver. confeſſ. 1. q. 2.* Armil. *ver. abſolutio. num. 14.* Tabien. *abſolutio 1. num. 37.* Card. Alban. *q. 49.* Azor *tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 16.* hæc locum habere ante Concilium Tridentinum; nunc verò Cardinales, qui nec ſunt Epiſcopi, nec Legati, confiteri debent vni ex approbatis ab Epiſcopo proprio Confeſſarij, quia ſi approbatus non eſt, non reputatur idoneus ad confeſſiones audiendas. hæc ille.

9. Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. verſ. Cardinales verò*, ſic ait: Cardinales non Epiſcopi, præter Legatum non eo fruuntur priuilegio, quo Epiſcopi, vt Confeſſarium ſcilicet eligere ſibi queant, quia non ſunt Prælati; ſed iam de conſuetudine non ſubduntur Epiſcopis in foro pœnitentiali, ſed immediatè Papæ, & ſunt tanquam Ordinarij ſuorum commenſalium. ſic ille.

10. Angles Valentinus *in ſuis floribus ſuper 4. art. de miniſtro Sacramenti confeſſionis diff. 3. concl. 2.* ſic ait: Cardinales iure communi Confeſſores eligere ſibi non poſſunt, ſed poteſtate Papæ, ſiue Pœnitentiarij confiteri debent. quod intelligit iſte author de Cardinalibus, qui Epiſcopi non ſunt; quia in tertia concluſione ſubdit ſtatim: Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæteríque Prælati exempti habent, facultatem eligendi ſibi in Confeſſorem, quemlibet ſimplicem Sacerdotem, definita eſt expreſsè *in cap. de pœnit. & remiſſ.* Nihilominus ſit

11. Prima concluſio, Cardinales, etiamſi Epiſcopi non ſint, nec Legati, iam de conſuetudine poſſunt Confeſ-

forem ſibi eligere. Hanc concluſionem tenent expreſsè Caiet. *ſum. verb. abſolutio à peccatis* 2. *fin.* Tolet. *ſum. lib.* 3. *c.* 13. Suar. *tom.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 6. Vaſq. *tom. etiam* 4. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. & Regin. *in prax. pœnit. tom* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 32. Immò vſus, & praxis Romanæ Curiæ communiter recepta id euidenter oſtendunt. Sed probatur ſic. Cardinalis quicunque iam ex conſuetudine eſt quaſi familiæ ſuæ proprius paſtor, ita vt ſi Sacerdos ſit, poſſit ſibi ſubditis ſacramentum Pœnitentiæ legitimè adminiſtrare; vel ſi Sacerdos non ſit, poſſit hanc poteſtatem alteri delegare: ſic teſtantur Caietanus, Sylu. Tab. & Tolet. atque etiam Regin. *vbi ſuprà*, & Suar. *d. tom.* 4. *diſp.* 25. *ſect.* 2. *num.* 12. ac plerumque omnes. ergo poſſunt ſimiliter ex conſuetudine Cõfeſſorem ſibi eligere quem maluerint, ſaltem ex ſibi ſubditis, vt infrà latiùs patebit. Probo conſequentiam, quia quod poteſt aliis ritè concedere, poteſt etiam ſibi aſſumere.

12. Secunda concluſio. Cardinales præfati poſſunt de iure communi, & eccleſiaſtico eligere ſibi Confeſſorem. Ita tenent Sylu. *vbi ſuprà q.* 8. & Angel. *num.* 5. *ver. confeſſ.* 3. Suar. *d. tom.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 6. & Reginald. *vbi ſuprà*, & probatur ex *cap. vlt. de pœnit. & remiſſ. cap. ne pro dilatione.* vbi Epiſcopis, & eorum ſuperioribus, nec non inferioribus Prælatis exemptis huiuſmodi facultas conceditur; ſed Cardinales, inter eos, qui Epiſcopis ſunt ſuperiores, ac inter Prælatos exemptos enumerantur, iuxta ea quæ à dd. authoribus aſſeruntur. ergo de iure communi competit illis huiuſmodi facultas.

13. Sed obiicies ex Palud. & Sot. aſſerentibus, Cardinales ſimplices non eſſe Prælatos, propriè loquendo, quia ex vi ſuæ dignitatis iuriſdictionem in hoc foro non habent. ergo nec illis competit diſpoſitio, & facultas prædicti *cap. fin. de pœnit. & remiſſ.*

Reſpondetur primò, ſatis eſſe vt quis Prælatus etiam ſtrictè dicatur, habere iuriſdictionem in foro externo, ſeu contentioſo, vt docet Sylu. allegans gloſſ. *in cap.* 2. *de iud. & in Clem. Dudum, de ſepu't. in ver. Prælati.* Sed Cardinales non Epiſcopi iuriſdictionem habent Epiſcopalem forenſem in Eccleſiis, quibus præſunt, vt habetur *cap. his, quæ, de maior. & obed.* ergo, propriè loquendo, ſunt dicendi Prælati. Minorem oſtendunt Abb. Felin. & Butr. *d. cap. his quæ*, &c. Imol. *in Clem. ne Romani, de elect.* Ioan. Monach *cap. vnic. de maior. & obedient. in* 6. Ludou. Roman. *conſ.* 498. & Mandoſ. *in reg.* 7. *Cancellar. q.* 2. ex quo fit vt beneficia omnia, canonicatus, præbendas, ſiue quælibet alia officia curam animarum habentia, vel non habentia, conferre valeant. Nam Sixt. IV. teſte Felin. *d. cap. his, quæ, de maior. & obedient.* ampliſſimum illis conceſſit priuilegium. Poſſunt item excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti pœnas irrogare. Abb. *in eod. cap. his, quæ*, & *ibi* Panor. *num.* 1.

Reſpondetur ſecundò, quòd quamuis non ſint Prælati, poteſtatem, ſeu iuriſdictionem in foro pœnitentiali habentes, tamen iuxta communem vſum Eccleſiæ tales cenſentur ob eorum dignitatem, & Pontifices, ac Romana Eccleſia ita de illis loquitur: priuilegia autem non ſunt reſtringenda, niſi ſatis conſtet; vnde cùm illis communicat tum nomen Prælati exempti iuxta cõmunem Eccleſiæ vſum, tum etiam ratio priuilegij, ſcilicet, ne periculum immineat animarum, non ſunt excludendi à diſpoſitione *d. cap. final. de pœnit. & remiſſ.*

14. Obiicies ſecundò, ſi Cardinales præfati comprehenduntur *in d. cap. fin.* maximè eò quòd ſint Epiſcopis ſuperiores

periores:hoc autem non eſt dicendum; ergo,&c. Probo minor. ex Ioan. Andr. & Geminia. *in cap. cum aliquibus, de reſcript.in* 6. vbi teſtificantur ante Bonifacij VIII. ſæculum multos Epiſcopos non fuiſſe in Cardinalium numerum adſcriptos, ne pontificiam dignitatem minuere viderentur.Refert item Onuphrius *in opuſc. de Cardinalibus,* ante id tempus non conſueuiſſe Romanum Pontificem ex Epiſcopis Cardinales creare, quia Epiſcopi erant Cardinalibus ſuperiores.Apud S. Bernard. extant etiam epiſtolæ, quarum inſcriptio ſic habet: Epiſcopis, & Cardinalibus in Vrbe, aut Romana Curia commorantibus.

15. Reſpondetur quòd ſi de poteſtate Ordinis loquatur, certum eſt Epiſcopum eſſe Cardinale non Epiſcopo maiorem, immò Presbyterum ſimplicem eadem poteſtate eſſe Diacono Cardinale ſuperiorem; quoniam Epiſcopus in Sacramentorum adminiſtratione multa poteſt,quæ Cardinalis non valet; immo Presbyter poteſt etiam ſacroſanctum Chriſti corpus conſecrare,& alia etiam miniſtrare Sacramenta, quæ nequit Diaconus Cardinalis. Si autem loquamur de adminiſtrationis authoritate, & honoris dignitate, certum ſimiliter eſt Cardinales lōgè præſtare Epiſcopis. Cardinalium namque eſt, Romanum eligere Pontificem, ei à conſiliis eſſe, arduaque totius Eccleſiæ negotia ſimul cum eo tractare.Hinc Cardinales Romanus Pontifex Fratres appellat, quorum conſilio ait, ſe hoc, aut illud decernere; eos vocat ſui corporis partem: cùm enim è Curia Romana Cardinalis mittitur, dicitur Legatus è latere Apoſtolico deſtinari, ideóque in Prouincia, ad quam eſt miſſus, cæteris antecellit. Hinc in publicis Comitiis, ſupplicationibus, & aliis rebus huiuſmodi, primi à Romano Pontifice,Cardinales ſedent,primi ſuffragium, ac ſententiam ferunt,ſubſcribunt,ſtant, & incedunt.

16. Hinc denique cæteri Eccleſiæ Prælati certis præſunt Eccleſiis,Cardinales verò communi totius Eccleſiæ ſaluti conſulunt, & ſtudent. Reliqui certas Eccleſias regunt: Cardinales autem ſimiliter cum Papa totius Reipublicæ-Chriſtianæ negotia pertractant. Ex quibus, & aliis concludit Eugenius IV. *in epiſtola ad Epiſcopum Cantuarienſem*, quam refert Iacobatius *lib.de Concil.1.num.*252.*q.*3.Cardinalem honoris dignitate eſſe Epiſcopo, Archiepiſcopo, & Patriarcha ſuperiorem, & in hoc ſenſu exponenda ſunt quæ dicimus in noſtra concluſione. Quæ verò à Ioan. Andr. Geminian. & D. Bernardo referuntur, intelligenda ſunt de poteſtate Ordinis. Vnde infero,ex quo ius eligendi Romanum Pontificem ad ſola Cardinalium ſuffragia redactum eſt, cœpiſſe Cardinales paulatim honoris dignitate Epiſcopis, immò Archiepiſcopis, & Patriarchis anteponi; *paulatim* (inquam) quia non ſtatim ſummum gradum obtinuerunt, ſed præcipuè poſt præfati Eugenij IV. ſæculum.nam ante illud,& ipſius etiam Pontificis vita durante verificantur, quæ de Ioan.Andr.Gemin.& Bernardo inſinuauimus.

17. Tertia concluſio. Quæ ſunt de Cardinalium familia poſſunt, de eorum licentia,Confeſſarium ſibi eligere. ita tenent ferè omnes DD. pro vtraque præcedenti concluſione allegati, & plures alij. Probatur, quoniam Commenſales Cardinalium, vbicúmque Cardinales reperiantur,ſunt (vt omnes fatentur) de conſuetudine ſubiecti eiſdem Cardinalibus, tanquam Ordinariis ſuæ familiæ curam habentibus. ergo de ipſorum licentia poſſunt ſibi eligere Confeſſorem. Confirmatur,

Digitized by Google

quia ex communi Curiæ Romanæ praxi in Paſchate, cùm cuncti fideles ſub præcepto in propriis parochiis tenentur Euchariſtiam ſumere, tunc in priuatis, ac domeſticis Oratoriis Cardinalium eorum familiæ, ac commenſales, ab ipſis, vel ab aliis, de eorum mandato, ſacra reficiuntur communione, quod profectò haud eis liceret, niſi Cardinalium commenſales, ſeu familiares eiſdem eſſent, tanquam propriis, ac legitimis Ordinariis ſubiecti. ergò de ipſorum licentia poſſunt ſibi ſimiliter eligere quem maluerint in Confeſſorem.

18. Sed obiicies. Qui de familia ſunt Epiſcoporum, non poſſunt extra propriam diœceſim confiteri, niſi Epiſcopo diœceſis, vbi commorantur, vel Parocho, ad cuius parochiam venerint, vel alteri de ipſorum licentia; ergo ſimiliter illi, qui de familia Cardinalium ſunt.

Reſpondetur, negando conſequentiam, quia Epiſcopi non gaudent Cardinalium priuilegio, vt benè inſinuat Reginald. *vbi ſuprà num.* 35. qui enim ſunt de familia laica Epiſcoporum, exiſtentes in aliena diœceſi, ſubduntur in foro pœnitentiali Epiſcopo eiuſdem diœceſis, vt manifeſtè docet Paludan. *in 4.diſt.* 17.*q.*3. *art.*3. *concl.*4. & de familiis Epiſcoporum indifferenter agens Suar. *vbi ſuprà*, *diſp.* 25. *ſect.*2.*num.*12.inquit, quòd habent proprium Sacerdotem ordinarium iuxta ius commune. At de familiis Cardinalium omnes aſſerunt, eiſdem (vbicumque degunt) tanquam ſuis Ordinariis ſubiici.

An autem hoc illis de iure, ſeu ex conſuetudine cõpetat, quod ad praxim attinet, non multum refert: certum tamen eſt, illos hoc priuilegio gaudere, ſeu vti, quod ſufficit, quia pendet ex facto.

Dvbivm XXIII.

An in Confeſſore eligendo prærequiratur Ordinarij approbatio.

1. IN hac quæſtione ſuppono primò, ante Concilium Tridentinum, ſtando in iure antiquo, per generalem facultatem alicui conceſſam ad eligendum Confeſſorem, eligi poſſe quemlibet Sacerdotem iure naturali, ſeu diuino idoneum abſque alia conditione, ſeu approbatione iure humano requiſita. Hæc eſt communis ſententia, quam tenet Palud. *in 4.diſt.* 17. *q.*4.*num.*17.*&* 18.& *ibi* Gabr. *q.*2. *art.*3. *dub.*5. Adrian. poſt *q.*5. *de confeſſ.dub.* 1. Caiet. *in ſum. ver. abſolutio.* Sylu. *ver. confeſſor* 1.*q.*5.Ang.*confeſſ.*3. *num.*4. Anton.3.*p.tit.*17.*c.*9 .Sot.*diſt.*18.*q.*4. *art.*3. *circa fin.* Med. *C. de confeſſ. q. de Sacerd. alien.per Paroch. eligen.* Victor. *in ſum.n.* 150. & Nau.*in cap.placuit, de pœnit. d.6. num.* 9. *& ſequentib.* vbi in eandem ſententiam refert Panorm.*in Clem. de priuileg.* cum aliis, quam ſententiam ſic probo, quia nullum ius poteſt in contrarium allegari; etenim in delegante erat poteſtas, quæ competit illi ex vi ordinariæ iuriſdictionis, & non erat ligata, aut impedita (vt ſupponimus,) quia nec ex parte Pontificis, aut Epiſcopi, ſeu etiam Parochi nullum erat ius poſitiuum prohibens illi delegationem, immò neque nunc eſt, vt ſtatim dicemus. Rurſus ex parte alterius extremi, in Sacerdote erat capacitas, & nullum erat etiam ius ſpecialiter requirens in eo alterutram ex duabus conditionibus, videlicet, vel quòd haberet in Eccleſia aliquam iuriſdictionem ordinariam in hoc foro circa aliquem populum, qualem habet Parochus, vel quòd eſſet ab Epiſcopo approbatus

Digitized by Google

probatus tanquam idoneus. ergo manifeſtè ſequitur, prædictam facultatem datam etiam per hæc generalia verba, *Sacerdotem idoneum*, non fuiſſe limitandam, aut neceſſariò interpretandam de Sacerdote declarato idoneo publica authoritate alterutro ex dictis modis, præſertim, quia ſufficienter poſſet aliis modis conſtare de idoneitate Confeſſoris, ſcilicet per experientiam, aut publicam famam, ſeu notitiam, aut per aliorum fide dignorum teſtimonium. Et quamuis verum ſit, ex conceſſione generali ſic intellecta potuiſſe ſequi aliquot non parui facienda incommoda, hinc tamen ſolùm infertur pertinuiſſe ad curam Paſtorum Eccleſiæ illum non concedere ſine maiori declaratione, aut circumſpectione. Vnde ad hæc euitanda pericula, ſeu inconuenientia condidit Concilium Tridentinum ius ſtatim explicandum.

2. Suppono ſecundò certum eſſe, poſt decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.23.cap.15. de reformat.* non ſufficere, vt perſona Sacerdotis, cui deleganda eſt iuriſdictio, in hoc foro, habeat omnia requiſita ex diuino, ſeu naturali iure ad hoc miniſterium peragendum, niſi de hoc etiam habeat ſpecialem Eccleſiæ approbationem nouo illo iure decretam. Sunt igitur verba Concilij, quæ ſequuntur. Quamuis Preſbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, ſcilicet poteſtatem Ordinis in corpus Chriſti myſticum (vt ſuperiùs declaratum eſt;) decernit tamen ſancta Synodus nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneū reputari; niſi, aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili, non obſtantibus. In quo decreto duo inſinuantur modi Sacerdotem idoneum deſignandi, ſcilicet per beneficium parochiale, vel Epiſcopi approbationem, quorum quilibet per ſe ſufficit; aliquis tamen ex illis omnino neceſſarius eſt. Quòd autem quilibet illorum ſit ſatis, non tam fuit à Concilio introductum, quàm retentum, quia ſemper illi duo modi approbationis habuerunt in Eccleſia magnam authoritatem. At, quòd aliquis eorum ſit omnino neceſſarius, nouum eſt, & à Concilio introductum, vt patet ex primo notando, & indicatur in illis verbis Concilij, *decernit ſancta Synodus.* Vnde colligitur, omnes Sacerdotes, qui non habent parochiale beneficium, cuiuſcunque Ordinis, ſtatus, aut dignitatis exiſtant, indigere Epiſcopi approbatione, vt poſſint hoc munus exercere. Concilium enim vniuerſaliter loquitur, & nullum excipit, ſed ampliat potiùs etiam ad Regulares, quamuis non loquatur reſpectu omnium pœnitentium, ſed ſæcularium tantùm, vt conſtat.

3. Suppono tertiò Concilium generaliter, & indifferenter poſtulare hoc genus approbationis ad exercendum munus Confeſſoris, quacumque ratione ei iuriſdictio ſit deleganda: non enim dicit, vt eligi nequeat in Confeſſorem qui non fuerit ſic approbatus, ſed ſimpliciter ait, non poſſe audire ſæcularium confeſſiones, neque ad id idoneum reputari. Igitur ſiue ſit à pœnitente eligendus, ſiue à proprio Sacerdote accepturus iuriſdictionem, ſemper ſupponenda eſt hæc approbatio. Vnde, quamuis aliqui aſſeruerint excipiendos eſſe eos, qui publicum habent ſcientiæ teſtimonium per gradum Doctoratus in Theologia, ſeu iure canonico, aut per publicam facti, ſeu do-

Digitized by Google

ctrinæ euidentiam; hoc tamen eſt improbabile, quia hoc eſt ius poſitiuum, cui ſtandum eſt,& Concilium expreſsè excludit omnem alium modum, dicens: neque ad id idoneum reputari, niſi, &c. voluit enim eſſe hanc approbationem aliquo modo iuridicam, ſeu ex poteſtate iuriſdictionis. atque adeò illam non conceſſit Academiis, nec publicæ opinioni, aut exiſtimationi, ſed Epiſcopis, ad quos etiam pertinet Parochorum approbatio, & meritò, quia Epiſcopi ſunt animarum paſtores, & multa profectò requiruntur ad hoc munus,quæ tam Doctoribus, quàm iis, qui publicè exiſtimantur docti, facilè deeſſe poſſunt. Sed maius poſſet oriri dubium de quibuſdam perſonis eccleſiaſticis in altiori dignitate conſtitutis, vt ſunt Cardinales, & Epiſcopi conſecrati, nullum verum habentes Epiſcopatum, & ſi qui ſunt alij ſimiles. Attamen cùm Concilium nihil excipiat, ſed ſimpliciter, & ſine vlla additione dicat, *nullum*, neminem cenſeo excipiendum ratione conſecrationis, aut dignitatis, niſi quatenus habet annexam aliquam animarum curam. His ſuppoſitis, ſit

4. Prima concluſio. Epiſcopi extra propriam diœceſim non poſſunt aliquem non ſubditum eligere in Confeſſorem, qui à proprio Diœceſano nõ fuerit adhuc ad formam huius decreti Concilij admiſſus, & approbatus ad audiendas confeſſiones. Hanc concluſionem in primis defendunt Azor *ſuprà* citatus, Suar. *tom.4. diſput.*28. *ſect.*4. *num.* 7. *&* 8.& Vaſq. *tom.*4. *q.*93. *art.*2. *dub.*5. *num.*5. Sed probatur manifeſtè ex declaratione Cardinalium Congregationis eiuſdem Concilij, quam refert Stephan. Quarant. *in ſum. Bullar. verb. Archiepiſcopi poteſtas, in addit. lit. A.* cuius etiam declarationis mentionem faciunt Azor. & Suar. *vbi ſuprà*, & eſt huiuſmodi: S.D.N. audita relatione Congregationis Cardinalium declarauit Epiſcopum vigore priuilegij, de quo *in cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Diœceſano non fuerit adhuc ad formam huius decreti admiſſus, ſeu approbatus ad audiendas confeſſiones. in qua declaratione expreſsè noſtra definitur concluſio.

5. Immò, ſtando ſolùm in verbis prædicti decreti Concilij probatur ſecundò, quia verba Concilij vniuerſalia, & generalia ſunt: ergo neminem excludit Concilium, exceptis Regularibus ſolùm, cùm de pœnitentibus loquatur, vt conſtat. Vnde, vt referunt Azor.& Suar. *vbi ſuprà*, dicentes, ſic inter declarationes Cardinalium Congregationis ſuper Concilium Tridentinum editas haberi, cùm Romæ dubitatum fuiſſet, an Prælati habentes à iure facultatem eligendi Confeſſorem, Sacerdotum nomine comprehendantur? & huiuſmodi dubium fuiſſet in Congregatione diſcuſſum, cui decem Cardinales aderant, & quinque eorum in partem negatiuam, quinque verò in affirmatiuam inclinaſſent, conſultus tandem de hac re Summus Pontifex Gregorius XIII. reſpondit, in re dubia, potius, ac tutius eſſe decreto Concilij Tridentini, quàm Epiſcopis adhærere.

6. Sed obiicies primò, Priuilegium in iure contentum non intelligitur derogari per generalem clauſulam: non obſtantibus priuilegiis, &c. qua vtitur Concilium, vt eſt communis regula Canoniſtarum, & videre licet in Deci. *conſ.*165. ſed Epiſcopis (vt diximus *quæſtione præcedenti*) competit facultas eligendi Confeſſorem per priuilegium in iure contentum. ergo non eſt derogatum à Concil. Tridentino, & confirmatur,

matur, quia nomine Sacerdotis ſimpliciter dicti non comprehenditur Epiſcopus, præſertim in materia odioſa, & reſtringente, qualis eſt hæc. Sed non poteſt ſub alio nomine comprehendi, vt *infrà* inſinuabitur. ergo nullatenus.

7. Reſpondetur Decretum Concilij non derogare illi priuilegio Prælatorum, priuilegium enim expreſsè dicit, vt poſſint illi eligere Sacerdotem idoneum, & hoc integrum manet. Neque Concilium id in totum, vel in partem abſtulit, vt infrà magis elucidabitur: ſed ſolùm ex parte Confeſſoris poſuit conditionem neceſſariam, vt idoneus ſit, & capax. & hæc conditio vniuerſaliter poſita eſt reſpectu omnium ſæcularium, inter quos hi Prælati continentur, quamuis ſint Sacerdotes. Et ad confirmationem

Dico primò, quòd Sacerdos nomen eſt honoris, ac dignitatis. *21. diſt. cap. cleros.* & Epiſcopi olim Sacerdotes appellabantur. *95. diſt. cap. olim.*

Dico ſecundò, non poſſe hanc materiam propriè dici odioſam, ſed fauorabilem, ſiquidem in fauorem eſt Sacramenti, & conſcientiæ, nullúmque ius propriè aufert Epiſcopum.

8. Obiicies ſecundò, Epiſcoporum eſt approbare Confeſſarios. ergo non eſt credibile, Concilium Tridentinum ſuſtuliſſe Epiſcopis priuilegium eligendi Confeſſorem arbitratu ſuo; maius enim quid eſt, Cóſeſſarios approbare, quàm liberam habere facultatem eligendi Confeſſorem; & confirmatur, quia in decreto Concilij videntur abrogari ſolùm Confeſſariorum facultates, non Prælatorum.

Reſpondetur concedendo, quòd ſicut ad Epiſcopos pertinet, vt ſibi ſubditos tantùm poſſint approbare in Confeſſores, ita Epiſcopis etiam licet ex eiſdem eligere quos maluerint, vt illis confiteantur, ſed non ex aliis, abſque diœceſani approbatione.

Ad confirmationem autem ex ſolutione primæ obiectioni data patet quid ſit dicendum.

9. Obiicies tertiò, Si prædicta approbatio eſſet ſimpliciter neceſſaria, non ſolùm eſſet neceſſaria neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramenti: at in caſu noſtro hoc non eſt dicendum. ergo ſaltem non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed per accidens. Probo maiorem, quia ſi ſolùm eſſet neceſſaria neceſſitate præcepti, tunc ſaltem ceſſante in diſpoſitione, ſeu mala conſcientia pœnitentis, ſi cum bona fide accedat pœnitens ipſe ad confeſſiones, valida erit confeſſio. ergo iam non eſſet ſimpliciter neceſſaria prædicta approbatio. Minorem etiam probo, quia de neceſſitate Sacramenti, duplex tantùm poteſtas requiritur in Miniſtro, ordinis, & iuriſdictionis. Sed prædicta approbatio in caſu noſtræ concluſionis ad neutram iſtarum pertinet, vt iam ex dictis conſtat. ergo non eſt dicendum quòd ſit de neceſſitate Sacramenti. Probo conſequentiam, quia Eccleſia nihil poteſt addere Sacramentorum inſtitutioni, quod ſit ſimpliciter neceſſarium.

10. Reſpondetur concedendo maiorem, & eius probationem. Sed negatur minor, & ad probationem dicimus, in Miniſtro requiri prædictam duplicem poteſtatem, ad quarum nullam ex natura rei pertinet approbatio ſupradicta. Sed negatur conſequentia, quia iuriſdictio (vt iam ſuperiùs inſinuauimus) homini per hominem communicatur. Poteſt ergo Eccleſia præſcribere modum communicandi hanc iuriſdictionem, & ſtatuere conditionem aliquam, ſine qua talis perſona ſit inhabilis ad iuriſdictionem ſuſcipiendam, ſeu (quod perinde eſt) ſine qua collatio iu-

P 3 riſdictio

Digitized by Google

riſdictionis irrita ſit, & nullius valoris. Denique, cùm hæc iuriſdictio à poteſtate Pontificis præcipuè manet, poteſt ipſe non delegare iuriſdictionem, niſi perſonæ habenti talem conditionem, omnéſque Paſtores inferiores priuare poteſtate illam aliter delegandi.

Ac demum, ad probationem conſequentiæ reſpondetur hinc non ſequi, Eccleſiam addere aliquid Sacramentorum inſtitutioni, ſed præſcribere modum, quo miniſter ſit capax.

11. Secunda concluſio, Cardinalis non poteſt aliquem, qui ſuæ non ſit familiæ, eligere ſibi, vel ſuis commenſalibus in Confeſſorem, ſine præuia Ordinarij approbatione, iuxta formam Concilij Tridentini. Poſſemus in primis, in huius conceſſionis probationem adducere quorundam opiniones DD. qui ſtando adhuc in iure antiquo, & indifferenter loquentes de quocunque habente facultatem eligendi Confeſſorem aſſeruerunt, in Sacerdote eligendo fuiſſe neceſſariam alterutram ex duabus conditionibus, ſcilicet, quòd haberet beneficium parochiale, vel quòd eſſet ab Epiſcopo approbatus tanquam idoneus. ita tenuit gloſſa *in cap ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in 6.* & gloſ. *in cap. omnis vtriuſque ſexus. verb. alieno.* ac etiam gloſ. *in Clem. 1. de priuil. verb. ſpeciali*, quam omnes Interpretes ibi eſſe ſecutos vſque ad Panor. excluſiuè, ait Nauarr. *in cap. placuit, de pœnit. ſuprà in principio huius quæſtionis* citatus, qui etiam refert Capell. Tholoſ. *deciſ.* 221. idem ſecutus eſt Canu. *relect. de pœnit. p. quinta. §. quoque*, & indicat Ricard. quatenus cum Henric. *quolib.* 10. *q* 4. inquit eſſe contra rationem, & bonum Eccleſiæ, iudicium Confeſſoris idonei committere pœnitentibus. Et quamuis oppoſitam ſententiam, vt communem, & probabiliorem ſecuti ſimus in primo notando, poſſet tamen ex illa ſic confici argumentum: Si in iure antiquo, in quo de huiuſmodi approbatione nihil præſcribitur, adhuc tot authores, tantæque exiſtimationis omnino, & ſine vlla limitatione eam tunc requiri ſibi perſuaſerunt. ergo à fortiori dicendum eſt, eandem profectò requiri poſt Concil. Tridentinum, in quo prædicta approbatio expreſsè præſcribitur.

12. Poſſemus etiam in eiuſdem concluſionis approbationem adducere Domin. de Sot. & Ioſ. Angel. Valent. *vbi ſupra in quæſt. præced.* citatos, necnon alios quamplures; quibus breuitatis cauſa omiſſis, præſertim, cùm de hac materia non ſatis diſtinctè egerint, noſtram concluſionem expreſsè, & abſque vlla limitatione potiſſimum defendunt Suar. & Azor. *in locis ſuprà allegatis.* qui quidem in hac parte magni ſunt faciendi, tum ob eorum acutiſſimum ingenium, & nimiam in ſcribendo ſolertiam, ſumma cum pietate, & diſtinctione coniunctam, vt eorum opera (quæ apud omnes vbique terrarum maximæ ſunt authoritatis) apertè teſtificantur; tum etiam, quia primus *in ſuo 4. tomo* materiã iſtam ſatis diffusè tractauit, & nouiſſimè poſt longam diſcuſſionem typis illam mandauit; ſecundus verò, quia cùm Romæ per multos annos vitam traduxerit, ſua inſtitutionum moralium Commentaria ibidem in lucem edidit, & cùm nonnulla, quæ correctione videbantur digna, ex eiſdem fuerint ipſo viuente, & de ordine Summi Pontificis Clementis Octaui (antequam typis eſſent mandata) dempta, vel etiam mutata: prædicta tamen ſua opinio intacta, Summo Pontifice ſciente, & nullatenus contradicente, ſimul cum aliis ſuis inſtitutionibus moralibus; in lucem prodiit. Quid dicam? nullus, quem ego legerim, ex priſcis, moderníſve authoribus, contrarium hucuſque circa præſentem

Digitized by Google

ſentem materiam diſtinctè ſaltem auſus eſt in ſuis ſcriptis propugnare.

13. Sed probatur iam concluſio ex verbis eiuſdem Concilij,& reſponſione Gregor.XIII.quibus ſupradicta prima concluſio probata eſt; vtriuſque enim (quantum ad hoc) eadem eſt ratio, atque vt veritas illius firmiùs conſtet, nonnullas adducam, & ſoluam obiectiones.

14. Obiicies primò. Ceſſante ratione motiua legis, lex quoque ceſſat, vt habetur *l. adigere. §. quamuis. ff. de iure-patronatus,& cap. cùm ceſſante, de appellat.* Sed reſpectu Cardinalium ceſſat ratio motiua prædicti decreti Concilij Tridentini. ergo illos non comprehendit. Probo minorem. Ratio motiua dicti decreti potiſſimùm fuit, prouidere fidelibus de Confeſſore idoneo, & ad plura præcauenda incommoda hoc iudicium reſeruauit Epiſcopis, quorum prudenti ſollicitudini animarum ſalus præcipuè committitur. Sed hæc ratio nequit adaptari Cardinalibus: tum quia nec Cardinales,nec eorum familiæ ſubſunt Epiſcopis, vt conſtat; vnde fortaſſe Concilium (vt notat Suar.) ideo noluit ſubiicere Regulares Epiſcopis quoad confeſſiones, quas ipſi inter ſe faciunt de peccatis ſuis, quia habent proprios Paſtores, à quibus gubernantur; tum etiam ob eorundem eminentem dignitatem, & aſſiſtentiam etiam apud Summum Pontificem pro totius Chriſtiani orbis gubernio, vt inſinuauimus *quæſtione præcedenti*; dedecens enim ſatis videtur vt illis, quorum conſilio Summus Pontifex vtitur pro totius Eccleſiæ regimine, non committatur approbatio Confeſſoris ſibi, ac ſuæ familiæ eligendi; ſed egeant iudicio, & approbatione aliorum, qui ſibi ſunt dignitate inferiores. ergo non comprehendit illos ratio motiua, ac conſequenter nec ipſum decretum.

15. Reſpondetur negando minorem, &

Ad primum probationis membrum dico, quòd approbatio diœceſani requiritur in Confeſſore, non ſolùm quando pœnitens ſubeſt iuriſdictioni illius,ſed etiam quando Confeſſor eiuſdem eſt ſubditus:atque ideò, licèt Cardinalis, & eius commenſales non ſubſint Epiſcopis diœceſanis, ſat eſt, quòd ſubſit Confeſſor eligendus; quod non verificatur de Confeſſore regulari reſpectu Regularis pœnitentis.

Ad ſecundum membrum reſpondetur nullam in hoc fieri iniuriam ſublimi Cardinalium dignitati, & eminentiæ, ſicut nec Epiſcopis,aut Archiepiſcopis, quando extra proprias diœceſes commorantur, quoniam eorundem priuilegium ſemper integrum manet;ex parte tamen Sacerdotis requiritur, vt de eius idoneitate conſtet per approbationem quaſi iuridicam, quam ſoli Prælati ordinarij in ſibi ſubditos poſſunt exercere.

16. Obiicies ſecundò, quia iuxta doctrinam Nauarr. *in ſum. cap. 4. num. 7.* & Suar. *diſp. 28. ſect. 4. num. 5.* & aliorum, Regulares cùm peregrinantur, poſſunt quidem,ſicut antea poterant,ex vi ſuorum priuilegiorum, ſaltem de licentia ſuorum Prælatorum eligere ſibi in Confeſſorem Sacerdotem etiam alterius Ordinis, eſto Epiſcopi non habeat approbationem; igitur à fortiori idem eſt dicendum in caſu noſtro quoad Cardinales.

Reſpondetur negando conſequentiam, quoniam,vt ex contextu Concilij apparet, nihil mutatur quoad illos, & à iure antiquo non eſt recedendum,niſi quatenus inuenitur expreſſum. *l. præcipimus. C. de appell. & cap. 2. de tranſlat. Prælat.* Congruentiam autem indicat ipſe Nauarr. ex eo,quòd Religioſis facile eſt inuenire Confeſſorem idoneum, tum

quia,

Digitized by Google

quia, regulariter loquendo, conſcientias minus oneratas peccatis habere debent. tum etiam, quia Concilium præſumpſit illos fore cautiores, ac prudentiores, diligentioréſque in Confeſſoribus eligendis, atque ideo ceſſant verba legis, & ratio etiam motiua, qua ſola ceſſante, lex quoque ceſſat, vt iam ſuprà inſinuauimus.

17. Obiicies tertiò. Nulla lex, quantumuis generalis, præcipuè in materia odioſa, ſe extendit ad alios caſus, quàm eos, ad quos ſe extendunt verba eius, ſecundùm propriam ſignificationem; ſed prædicti decreti verba non ſe extendunt ad Cardinales. ergo nec diſpoſitio eius. Maior patet ex *l. cum lege*, adiecta gloſſa, & doctrina Franc. Aret. *ibi col. 3. ff. de teſtam.* quam Dec. *in l. factum. §. in pœnal.* Alciat. *in rubr. de verb. ſignif. in princ.* & alij ſequuntur. Minorem probo, quia ſi verba decreti extenderentur ad Cardinales, profectò alia non eſſent, niſi verbum *ſecularium*, & verbum *Sacerdotum*; ſed hæc non ſe extendunt ad illos. ergo nulla. Et probo ſic de vtroque non primum, quia, vt notauit Rebuff. *in com. l. mulieris appellatione 13. in ordine, de verb ſignif.* iuxta regul. Cancellariæ, appellatione ſæcularium Principes laici non comprehenduntur, niſi exprimantur. ergo à fortiori nec Principes eccleſiaſtici, vt ſunt Cardinales. Nec ſecundum, quia, iuxta communem Iuriſtarum doctrinam, dictio illa, *etiam Sacerdotum*, ſicut eſt oſtenſiua extenſionis, & ampliationis gradus ſæcularium vſque ad Sacerdotes; ita pariter eſt demonſtratiua limitationis, & reſtrictionis, ne videlicet intelligatur diſpoſitio de ſæcularibus ſuperioris gradus, quàm Sacerdotes. ergo non comprehendit eos, qui ſunt ſuperiores Sacerdotibus, nimirum Cardinales, & Epiſcopos. Antecedens patet ex notatis per Rebuff. *loc. citat.* Conſequentiam probo, quia per dictam extenſionem, ſicut caſus magis dubitabilis exprimitur, ita minus dubitabilis includitur, ſiue implicatur, facit *l. ſol. matr.* & explicuit Laud. Goſand. *conſ. 73. circ. dub. num. 31.* Sed Concilium interdicens Confeſſoribus non habentibus parochiale beneficium, ne abſque Diœceſani approbatione poſſint confeſſiones ſæcularium audire, expreſſit caſum magis dubitabilem, dicens, *etiam Sacerdotum*, vt explicaret, ad quem vſque ſæcularium gradum decretum illud extendatur. ergo iuxta mentem Concilij non ſunt in dicto decreto incluſi, niſi caſus minus dubitabiles; quales ſunt ſæculares quicunque, etiam eccleſiaſtici Ordinis, dummodo ſint Sacerdote inferiores; & probo, quoniam certius ſemper fuit, Cardinales, cæteróſque Prælatos exemptos poſſe ſibi eligere Confeſſorem (ſiue hoc illis competat de iure, ſiue ex conſuetudine) quàm id poſſe Sacerdotes ſimplices, quibus nulla ſcripta, aut oretenus conceſſa Pontificum opitulabatur facultas. ergo magis dubium erat de facultate Cardinalium, cæterorúmque Præſulum, quàm ſimplicium Sacerdotum; & per conſequens, ſi Concilium vellet comprehendere Cardinales, ac Epiſcopos, addidiſſet, *etiam Cardinalium*, &c.

18. Reſpondetur negando minorem, &

Ad primum memb. probationis reſpondeo, illud à Rebuff. annotatum intelligendum fore in materia odioſa; hæc autem non eſt huiuſmodi, ſed fauorabilis, quia eſt in fauorem Sacramenti, & conſcientiæ, vt diximus *ſuprà.*

Ad ſecundum membr. dico primò, quòd ſtante præfata Cardinalium declaratione, & Gregor. XIII. reſponſione, non licet iam in dubium reuocare, an ſub appellatione Sacerdotum

compre

Digitized by Google

comprehendantur Prælati exempti, vt Epiſcopi,& Cardinales etiam,ſi tamen ſint Sacerdotes, alioquin ſub appellatione ſæcularium intelligentur: & reuera (vt ſuperiùs diximus) cùm hoc ſit ius poſitiuum, eiuſdem verbis eſt ſimpliciter ſtandum.

Dico ſecundò, quòd omnia hîc adducta in contrarium noſtræ concluſionis, exponenda ſunt de lege exorbitante, ac odioſa, & quando verba legis ſecundùm propriam ſignificationem non extenduntur ad alios caſus etiam magis dubitabiles. Vnde nihil concluditur contra noſtram concluſionem, quia diſpoſitio prædicti decreti non eſt exorbitans, aut odioſa, ſed fauorabilis (vt ſæpè dictum eſt.) Verba etiam ipſius decreti ſecundùm propriam ſignificationem extenduntur ad alios caſus magis dubitabiles, vt ſimiliter oſtendimus, ita in ſimili aduertit Nauar. *lib. 5. de priuil conſ.* 13.

19. Quartò obiicies, quia ſi (vt DD. tam Theologi, quàm Canoniſtæ communiter aſſerunt) fideles quicumque poſſunt (vbique locorum inueniantur) confiteri Sacerdoti approbato à diœceſano, quid (obſecro) priuilegij ſupereſt Cardinalibus, ac cæteris Prælatis exemptis, ſi adhuc pro ipſorum audiendis confeſſionibus neceſſe eſt, vt Confeſſarius eligendus habeat diœceſani approbationem?

Reſpondetur, poſt Concilium Tridentinum, facultatem, qua Cardinales, ac Epiſcopi funguntur in Confeſſore eligendo, reſeruari in hoc, quòd quicumque actualiter habens beneficium parochiale, poteſt ab illis eligi in Confeſſorem, non ſolùm intra ſuam diœceſim, ſed etiam extra. Poteſt ſimiliter ab eiſdem eligi in Confeſſorem quicumque approbatus à ſuo Ordinario, etiam in aliena diœceſi: quoniam, ſicut Curatus, ratione beneficij, cenſetur legitimè approbatus, & ratione talis approbationis eſt capax, vt vbique ab habente facultatem eligatur in Confeſſorem; ita etiam dicendum eſt de eo, qui ab Ordinario ſuo eſt approbatus, quamuis eligatur in aliena diœceſi, vt *in ſequenti quæſtione* latiùs oſtendemus, iuxta probabilem aliquorum doctrinam.

20. Tertia concluſio. Cardinales ex ſibi ſubditis, ſeu Commenſalibus, adhuc poſt Concilium Tridentinum poſſunt ſibi, & ſuis familiis eligere quem maluerint Sacerdotem idoneum in Confeſſorem, abſque vlla præuia diœceſani approbatione. Hæc concluſio valde probabilis eſt, & mihi ſanè videtur ſatis rationi conſona, & in eius fauorem poſſunt adduci Caiet. *in ſum. ver. abſolutio* 2. *num.* 9. & Regin. *lib.* 1. *ſuæ prax. pœnit. cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 32. & alij, quos ſilentio prætermitto, quia nec ex allegatis, nec ex aliis inueni aliquem qui d. noſtram concluſionem poſt Concil. Tridentinum diſtinctè defendat, neque etiam impugnet. Eam tamen non improbatus vſus oſtendit, quoniam praxis Romanæ Curiæ communiter recepta, Summo Pontifice vidente, vel ſciente, & non contradicente, ſatis ſufficiens ſignum eſſe videtur eiuſdem ſupremi Paſtoris taciti ſaltem cõſenſus, cuius adminiculo ſuffulta conſuetudo iam multis ab hinc annis introducta, & obſeruata noſtram comprobat concluſionem. Sed illam inſuper ſic probo, quia, ſi Epiſcopis licet ex ſibi ſubditis eligere quem maluerint in Confeſſorem, nulla alterius diœceſani requiſita approbatione, quãuis extra propriam diœceſim inueniãtur (vt omnes plerumque fatentur) & colligitur ex ſupradicta Cardinalium declaratione. ergo & Cardinalibus idem ſimiliter licet ex ſuis Commenſalibus; vtrorumque enim par ratio

Q eſt.

Digitized by Google

eſt. Probo conſequentiam, quoniam Commenſales Cardinalium ſunt eiſdem ſubditi in ſpiritualibus, vt ſæpe diximus, & ferè omnes communiter affirmant. Hinc etiam ſequitur, poſſe eoſdem Commenſales de Cardinalium licentia alicui ex ipſiſmet confiteri, abſque vlla alterius Ordinarij præuia approbatione. Probo conſequentiam, quia Commenſales Cardinalium ſunt ipſis (vbicumque commorentur) tanquam propriis Ordinariis immediatè ſubiecti.

21. Sed quæres, an ſi Cardinalis habeat Commenſalem Sacerdotem regularem aliàs exemptum, poſſit eundem, tanquam ſibi quodammodo ſubditum, eligere ſibi in Confeſſorem, necnon, cæteris ſuæ familiæ; ſimiliter deputare, abſque alterius Ordinarij approbatione?

Reſpondetur affirmatiuè, quoniam ſicut (teſte Suar. *tom.*4. *diſput.*28. *ſect.*6. *num.*14.) Epiſcopus poteſt ſibi in Confeſſorem eligere Sacerdotem regularem ſuæ diœceſis, vtique ratione domicilij, ſeu habitationis ſibi aliquo modo ſubiectum: ita pariter poterit Cardinalis ſibi, ſuæque familiæ in Cōfeſſarium eligere Sacerdotem regularem, quamuis exemptum, ſi ſuæ ſit familiæ licito modo adſcriptus. Probatur, quoniam vtriuſque par ratio videtur; ſiquidem non minus aliquis ratione huius commenſalitatis Cardinali quodammodo ſubiacet, quàm alius ſubeſt Epiſcopo ratione domicilij, ſeu habitationis. Non eſt igitur Cardinali denegandum, quod Epiſcopo conceditur, præſertim cùm potior ſit ſuperioritas illius in ſuos Commenſales, quàm iſtius in propriam familiam, vt *in quæſtione præcedenti concl.* 3. *prope finem* oſtendimus.

Dvbivm XXIV.

Cuius Ordinarij approbatio neceſſaria ſit, & ſufficiat, vt Confeſſor eligendus, ſimpliciter reputetur idoneus.

1. Svppono primò, eum, qui parochiale habuerit beneficium, iuxta intentionem Concilij, ſimpliciter reputari idoneum in tota Eccleſia, quidquid in cōtrarium opinetur Guttier. *lib.*1. *can. quæſt. cap.*27. *num.*1. Quāuis enim confeſſiones alienarū ouium non poſſit quis audire, abſque ſuorum Paſtorum licentia, ob defectum iuriſdictionis, ſi aliunde ei conferatur, nempè per Bullam, vel alio modo; hanc fuiſſe ſententiam quorundam Prælatorum non minus perſonæ qualitate, quàm doctrinæ præſtantia inſignium qui interfuère Concilio, immò omnium Theologorum, & Iuriſperitorum Salmanticenſium, refert Henriq. *lib.*7. *de Indulg. cap.*12. teſtatur etiam Suarez *tom.*4. *diſp.*28. *ſect.*4. *num.*18. Probatur autem ſic, quia ſi extra diœceſim non poſſet eligi, extra ſuam parochiam ſimiliter non poterit eligi, quod ſanè incredibile eſt, & contra communem DD. ſententiam. Confirmatur, quia quoad hanc partem Concilium non tam conſtituit ius nouum, quàm retinuit antiquum, cùm eſſet ſufficienti ratione fundatum, vt ſuprà oſtendimus. Igitur idem ius nunc perſeuerat; non enim ab antiquo iure eſt recedendum, niſi quatenus id in nouo exprimitur, vel inter ſe pugnant; hîc autem nihil huiuſmodi intercedit, immò verba Concilij hanc requirunt declarationem.

2. Suppono ſecundò nomine Epiſcopi in Concilio, intelligendum fore quemcumque Prælatum exemptum iuriſdictionem Epiſcopalem habentem in

Digitized by Google

in populum fidelium. Vnde nec Epiſcopus tantùm electus, nec etiam conſecratus, ſi Epiſcopatum non habeat, nec demum Prouinciales, aut Generales Religionum approbationem huiuſmodi dare poſſunt, quia neuter iſtorum habet iuriſdictionem Epiſcopalem, & ordinariam in populum fidelium; poteſt tamen eam impendere Epiſcopus electus, & confirmatus, licèt nondum ſit conſecratus, modò habeat Epiſcopatum, quia iam iuriſdictionis actus exercere valet. Idem eſt ſimiliter dicendum de Vicario Epiſcopi, quia vnus cum ipſo cenſetur, illius ſiquidem iuriſdictione vtitur. Immò de Capitulo, Sede vacante, nõ eſt dubium, quin poſſit Confeſſores approbare, atque exponere; tum quia vſus communiter receptus hoc ſatis indicat, id enim efficit per Vicarium ſuum; tum quia hic actus approbandi non eſt actus Ordinis Epiſcopalis, ſed iuriſdictionis, non ſibi ſpecialiter à Pontifice delegatæ, ſed ordinariæ: hoc enim Epiſcopis tribuit Concilium ratione ſui muneris. Idem ergo poteſt exercere Capitulum, quod Epiſcopo ſuccedit in iuriſdictione non tanquam inferior, ſed æqualis, vt tradunt Canoniſtæ *in cap. olim, de maior. & obed.* vbi Felin. *verſ. 6.* videri etiam poteſt.

3. Suppono tertiò, quòd de Abbatibus, qui exercent Epiſcopalem iuriſdictionem, itavt, quoad ordinariæ iuriſdictionis actus, ſint ab Epiſcopis exempti, idem etiam eſt ſentiendum. Tum quia id vſus per tot ſæcula, abſque vlla contradictione continuatus manifeſtè confirmat, qua facultate non eſt veriſimile vſos fuiſſe, niſi eſſent in hoc decreto comprehenſi. Tum, quia in huiuſmodi Abbatiis nullus Epiſcopus poteſt exponere Confeſſores: non eſt autem veriſimile hoc eſſe Papæ reſeruatum. ergo eſt commiſſum Abbati. Confirmatur, quia, vt rectè notauit Nau. *ſum. cap. 12. num. 75.* huiuſmodi Prælati poſſunt in votis, quæ Epiſcopis reſeruantur, diſpenſare; igitur idem erit dicendum in caſu, de quo agitur, ac ſubinde conſtat, verum eſſe quod hìc ſupponimus, nimirum nomen Epiſcopi in hoc decreto iuriſdictionem potius reſpicere, quàm conſecrationem.

4. In hac igitur quæſtione ſunt varij modi dicendi.

Primus eſt Henriq. *lib. 7. de Indulg. cap. 11.* §. 4. & Ledeſm. *ſum. p. 1. tract. de pœnit. cap. 13 concl. 1. dub. 7. in reſponſione ad* 4. aſſerentium nullius Epiſcopi determinatè requiri approbationem, ſed confuſè alicuius, & cuiuſlibet ſufficere. Itaque, ſi Sacerdos ſit ab aliquo Epiſcopo approbatus, id ſatis eſt, ſiue ille ſit Epiſcopus loci, ſiue Confeſſoris ſiue pœnitentis, qui aliquando coincidunt, & aliquando omnino diſtinguuntur. Henriq. eandem opinionem tribuit Metinæ 1. 2. *q. 19. n. 6. circa finem.* Palat. *in 4. diſt. 17. q. 7.* & Cordub. *ſum. caſ.* 10. Met. tamen ſolùm ait opinionem iſtam eſſe probabilem; Palat. verò ibi ſolùm inquit, Sacerdotem per Bullam eligendum debere eſſe approbatum ab Ordinario, iuxta tenorem Tridentini. Poſſet autem opinio iſta probari; tum quia non ſunt multiplicanda onera ſine lege, vel ratione cogente: eſſet autem nimis oneroſum exigere approbationem vtriuſque Ordinarij, Confeſſoris nimirum, & pœnitentis, quando illi ſunt diuerſi; cùm id neque Concilium requirat, neque ratio conuincat: tum quia vbi lex non addit determinationẽ, nec nos addere debemus. Sed Concilium nil aliud requirit, niſi vt Sacerdos eligendus ſit ab Ordinario approbatus. igitur cuiuſcumque Ordinarij approbatio ſufficit abſque vlla determinatione huius, vel illius, præſertim cùm

Digitized by Google

Concilium quoad hanc partem reſtringat quodammodò priuilegia, & antiquam libertatem; atque ideo ex hac parte lex illa ſtricti iuris eſſe videatur. & reuera quoad Confeſſores regulares idem videtur ſentire Cordub. *in addit. ad comp. ver. abſolutio quoad ſaculares.* §. 16.

5. Verùm, quicquid ſit de Regularibus, de quibus poſtea dicemus, hæc opinio ſic vniuerſaliter intellecta videtur mihi regulariter falſa,& ſatis periculoſa:falſa quidem, quia obſtant illi expreſsè tres declarationes, duæ videlicet pontificiæ, & altera Cardinalium ſacræ Congregationis Concilij.

Prima fuit iam à nobis referta *dubio præcedenti*,cùm oſtendimus, Epiſcopum non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum in Confeſſorem, niſi à proprio Ordinario fuerit admiſſus.

Secundam in fauorem Regularium editam refert Suar. *tom. 4. diſput.* 28. *ſect.6.num.6.*quæ eſt huiuſmodi.S.D.N. declarauit, tempore Iubilæi, poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua ſęcularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones; in Bulla enim non fit mentio niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones; non autem de Ordinario pœnitentium.

Tertiam adducit Rodriq. *in expoſ. Bull Crucia.* §. *9.dub.1.num.5.* referens, Patriarcham Archiepiſcopum Valentinum conſuluiſſe de hac re præfatos Eminentiſſimos DD. Cardinales, eóſque ita reſpondiſſe: Congregatio Concilij reſpondet approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Valentina diœceſi, non cenſeri approbatum ab Ordinario. Hanc verò reſponſionem teſtatur idem Rodr. ſe vidiſſe, & legiſſe in ſuo originali. Ex his igitur ſatis apertè deducitur falſitas præcitatæ opinionis: quomodo autem ſint inter ſe conciliandæ dictæ declarationes, dicemus *infrà*. Videtur etiam eadem opinio ſatis periculoſa ob multa, quæ inde inſurgunt inconuenientia, & abſurda; ſequeretur enim poſſe aliquem pœnitentem eligere Confeſſorem, qui nec ab Ordinario ipſius pœnitentis, nec Confeſſoris,nec loci eſſet approbatus,ſed ab alio Epiſcopo extraneo, quod magnum eſſet abſurdum. Quomodo enim credibile eſt, poſſe Epiſcopum aliquem exponere Sacerdotem ſibi non ſubditum vt in vniuerſa Eccleſia habendus ſit idoneus ad confeſſiones audiendas? aut quo iure data eſt talis poteſtas Epiſcopo alieno? Sequeretur inſuper Confeſſores regulares, etiam non Mendicantes ab vno Epiſcopo approbatos poſſe vbique terrarum confeſſiones ſæcularium audire virtute ſuorum priuilegiorum. quod eſſe contra Pij V. & Gregor. XIII. pontificias determinationes oſtendimus *ſuprà*, & plura alia ſequerentur abſurda.

6. Hinc Suarez *vbi ſuprà ſect.7. n.3.* vt hæc opinio probabilitatem habeat, cenſet reſtringendam eſſe ad probationem ſimpliciter, quam putat ſolùm ab Ordinario Sacerdotis dari poſſe, quia ſolus ille habet in ipſum propriam, & directam iuriſdictionem, quæ ad talem actum neceſſaria videtur. Pro cuius explicatione notat dictus author, dupliciter poſſe aliquem Sacerdotem ad audiendas confeſſiones approbari.

Vno modo ſecundùm quid tantùm, id eſt, ad certum tempus, vel pro talibus perſonis, & tunc approbatio illa non ſufficit vltra terminos conceſſionis, vt docet ipſe author,& communiter omnes. Ratio eſt, quia approbatio commiſſa eſt Epiſcopo, atque ideo non plus valet, quàm ab illo data eſt, itavt ſi ad determinatum locum ſit data, extra illum non valeat; & talem arbitratur

tur

tur hic author approbationem datam ab Epiſcopo pœnitentis, qui non eſt Ordinarius ipſius Confeſſoris; ille enim reſpectiuè ſolùm poteſt eum pro ſuis ſubditis approbare. Idem ſimiliter dicendum exiſtimat, ſi approbatio data etiam ab Epiſcopo proprio ipſius Sacerdotis, limitatè daretur pro ſua ſola diœceſi: tunc enim eſſet ſimiliter approbatio ſecundùm quid, & conſequenter etiam virtute Cruciatæ poſſet talis Sacerdos eligi ſolùm ab iis, pro quibus approbatus eſt à ſuo Ordinario.

Alio modo poſſet approbari ſimpliciter, id eſt, ſine vlla temporis, perſonæ, aut loci reſtrictione, quia ſi proprius Ordinarius velit, abſolutam poſſet dare approbationem, declarando hanc perſonam eſſe ſimpliciter idoneam ad hoc miniſterium; id enim non excedit eius iuriſdictionem, cùm declaratio iſta ſit per modum cuiuſdam iudicij, vel ſententiæ, quæ abſolutè dari poteſt de perſona ab habente in illam directam iuriſdictionem, abſtrahendo ab omni reſpectu ad loca, vel perſonas. Vnde poſſet dici talis Epiſcopus tunc dicere ius extra territorium ſuum: ſententia namque in vno loco data quatenus ſuo modo adhæret tali perſonæ, vbique locorum habet effectum, qui cum illo quodammodo incedit. Sic excommunicatus ab vno Epiſcopo, eſt vbique excommunicatus, & Doctoratus in vna Academia, vbique habet publicum ſcientiæ teſtimonium, & ſic de aliis. Quibus præhabitis reſpondet dictus author prædictam opinionem eſſe veram, ſi loquamur de approbatione ſimpliciter facta ab Ordinario Confeſſoris, & non aliter.

7. Hæc expoſitio, ſeu limitatio mihi nec vera, nec probabilis videtur; & miror equidem Suar. virum aliàs oculatiſſimum, rem adeò grauem ita inani innixam fundamento aſſerere. Nam in primis valde dubium, & incertum eſt, ac præter communem tam Theologorum, quàm iuris canonici Profeſſorum doctrinam Ordinariũ Sacerdotis poſſe illi approbationem abſolutam, & ſimpliciter pro tota Eccleſia ſufficientem dare; quod ſi concederemus, difficilè poſſet idem denegari Epiſcopo pœnitentis, ſeu loci ſaltem reſpectu Sacerdotis ſibi ad tempus ſubditi. Deinde, ſi concedamus, Ordinarium Sacerdotis poſſe ei abſolutam concedere approbationem pro tota Eccleſia; vnde, quæſo, poſſet conſtare de limitatione, cùm id (teſte ipſo authore *vbi ſuprà, num. 7.*) non pendeat ſolùm ex poteſtate, ſed voluntate. Profectò (vt eiuſdem verbis vtar) non video ſanè, vnde ſatis conſtare valeat; conſtat autem, quòd nullus Epiſcopus vult, vt Sacerdos à ſe non approbatus in ſua diœceſi, vel ouium ſuarum confeſſiones audiat. Hinc conſequens eſſe debet, neminem velle aliter ſuos ſubditos approbare, quàm pro ſuis ouibus, ſeu diœceſi ſuæ. hæc ille. Atque idem confirmat declaratio Cardinalium ad Archiepiſcopum Valentinum miſſa, de qua *ſuprà*. ex quibus euidenter inferre licet, nullam approbationem dicendam fore abſolutam, & pro tota Eccleſia ſufficientem.

8. Quapropter, vt dicta opinio Henriq. probabilis quodammodo æſtimetur, reſtringenda potiùs eſt, vt exponatur reſpectu eorum, qui de iure poſſunt Confeſſorem eligere, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, & alij, de quibus præcedenti dubio egimus. Nec obſtat declaratio Gregor XIII. aſſerentis Epiſcopum non poſſe ſibi eligere Sacerdotem eidem non ſubditum qui à proprio Ordinario non fuerit admiſſus; id enim poteſt abſque vlla violentia

Digitized by Google

explicari de Ordinario proprio, ſeu ratione originis, ſeu ratione domicilij, ſiue actuali, ſiue pro tempore, quo fuit approbatus. Atque ita dicendum ſuadent etiam congruentiæ, quas in fauorem Prælatorum *dub.* 22. inſinuauimus: at reſpectu eorum, quibus electio Confeſſoris non competit de iure, ſed ex priuilegio dumtaxat, verbis priuilegij ſtandum eſt. Hinc notanter dixi in refutatione huius opinionis, eſſe regulariter falſam, non abſolutè, cùm in caſu prædicto probabilis æſtimari queat.

9. Secundus modus dicendi, eſt, approbationem neceſſariam & ſufficientem eſſe dandam ab Ordinario actuali eius, qui confeſſiones auditurus eſt. Hanc ſententiam defendit Suar. *d. diſp.* 28. *ſect.* 6. *num.* 6. *&* 10. *& ſect.* 7. *num. etiam* 6. *&* 10. Idem etiam ſentiunt Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 261. & Fagund. *lib.* 7. *de duob. præcept. Eccleſ. cap.* 2. *num.* 92. cum aliis per eum citatis. Ille autem dicitur actualis Ordinarius Confeſſarij, qui eſt Epiſcopus loci, ſeu diœceſis, in qua dictus Confeſſor habitat, ſeu domicilium, vel quaſi domicilium habet. Vnde, ſi huiuſmodi Sacerdos domicilium mutet, & in aliam diœceſim ſe transferat ibi commoraturus, tunc certum eſt, noua indigere approbatione Epiſcopi illius diœceſis, vt ibi per Bullam eligi queat; quia ſicut non ſatis eſt, habuiſſe beneficium curatum vt ſit eligibilis, ita nec ſufficit, quòd fuerit, ſed requiritur, quòd actu ſit à proprio Epiſcopo approbatus: is enim, qui fuerat proprius, deſinit eſſe talis, & fit extraneus per dictam loci, aut domicilij mutationem. At ſi d. Sacerdos iam ab Ordinario diœceſis, in qua ipſe habitat, abſolutè approbatus contingat, vt per diuerſas poſtea peregrinetur diœceſes, tunc, ſicut non ideo mutat domicilium, ita nec Ordinarium, & conſequenter ſemper manet à ſuo Ordinario approbatus; ac propterea eſſe vbique eligibilem per Bullam infert Suar. *d. ſect.* 7. *num* 10. atque id in primis apertè ſuadent duæ præcitatæ declarationes pontificiæ, in quibus de ſolo Ordinario Confeſſoris fit mentio.

10. Deinde, idem probatur ſic. Huiuſmodi approbatio, eſt actus iuriſdictionis; ergo pertinet ad Superiorem qui iuriſdictionem habet in eum, qui approbatur, & conſequenter danda eſt ab Ordinario eius. Probatur cõſequentia, quia dicta approbatio non reſpicit, per ſe loquendo, hunc, vel illum pœnitentem, ſed eſt abſolutum iudicium de idoneitate Sacerdotis; igitur per ſe ſpectat ad eum, qui eſt ordinarius iudex, & Epiſcopus illius, qui confeſſiones eſt auditurus. Confirmatur, quia veriſimile eſt, vnumquemque meliùs poſſe ferre iudicium de ſibi ſubditis, quàm de alienis Sacerdotibus. ergo rationi conſonum eſt, vt huiuſmodi approbatio incumbat Ordinario Sacerdotis approbandi.

11. Nec videtur obſtare primò, ſi quis dicat, quòd ſi Confeſſor ſit neceſſariò à ſuo Ordinario approbandus, ſequitur inde, nullum Epiſcopum poſſe in ſuo Epiſcopatu alienum Sacerdotem ſibi non ſubditum (niſi ſui Ordinarij præcedat approbatio) aſſumere in partem ſuæ ſollicitudinis, vel dando illi iuriſdictionem, vt ſuorum ſubditorum audiat confeſſiones, vel approbando illum, vt per Bullam à ſubditis eligi valeat. Conſequens eſt contra praxim, & communem Epiſcoporum vſum; ergo & antecedens eſt falſum, ex Suar. *ſect.* 6. *num.* 13.

Reſpondetur namque dupliciter poſſe intelligi, quòd Epiſcopus approbet non ſubditum. Primò in ſenſu compoſito (vt ita dicam) id eſt, manentem non ſubditum; vel ſecundò in ſenſu diuiſo, id eſt, illum, qui non erat ſubditus:

Digitized by Google

ditus: in hoc poſteriori ſenſu certum eſt, poſſe Epiſcopum in ſua diœceſi approbare Clericum alienæ diœceſis, ſi ei ſubdatur, tum ad examen, tum etiam ad miniſterium, vel Eccleſiæ alicuius ſeruitium, vel, ſi mutet domicilium, aut habitationem pro aliquo tempore; quod locum habet tam in Sacerdote regulari, quàm ſæculari: Regulares enim eſto ſint exempti, ſubduntur tamen Epiſcopis quoad aliqua, &c, ratione domicilij, fiunt quodammodo ſubditi Epiſcoporum, atque id praxis, & ratio ipſa ſuadent. At verò in priori ſenſu rectè, & abſolutè dici poteſt, Epiſcopum non poſſe approbare aliquem Sacerdotem, qui ei modo aliquo non ſubiiciatur, & hoc ſuadet obiectio facta.

12. Nec videtur obſtare ſecundò, ſi dicas, interpretationem priuilegij ſemper eſſe faciendam, abſque præiudicio iuris acquiſiti alterius. Sed de iure incumbit Epiſcopis approbatio eorum, qui in ſuis diœceſibus ſunt fidelium confeſſiones audituri; ergo, abſque eorum approbatione nemini licet ſub prætextu cuiuſcunque priuilegij, ſeu conſuetudinis confeſſiones ſæcularium in ſuis diœceſibus audire.

Reſpondet tamen Suar. *ſect*. 7. *n*. 7 quòd quando Confeſſor per pontificium priuilegium eligitur, in eo caſu non ſe gerit vt ſubditus Epiſcopi pœnitentis, ſeu loci, in quo confeſſiones audit, ſed vt delegatus Pontificis, & conſequenter non indiget niſi ſui Ordinarij approbatione. Adde ex eod. Suar. *ibid. num*. 4. quòd in hoc nulla ſit iniuria aliis Epiſcopis, qui poſſunt non delegare ſuam iuriſdictionem Sacerdotibus à ſe non approbatis; & poſſunt etiam prohibere ſuis Parochis, ne illam delegent niſi à ſe approbatis, & annullare delegationem aliter factam, & hoc ſatis eſt, vt ſuis ouibus conſulant. Si autem Papa, delegando iuriſdictionem ſuam, voluerit eſſe contentus illa abſoluta Ordinarij Sacerdotis approbatione, nullam iniuriam facit Epiſcopis; ipſe enim eſt vniuerſalis Paſtor, & poteſt ſuis ouibus prouidere, ſicut iudicauerit expedire.

13. Nec obſtat tertiò declaratio Cardinalium ad Archiepiſcopum Valentinum miſſa, vbi habetur, quòd approbatus ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina, non cenſetur approbatus ab Ordinario, & conſequenter videtur dicendum, quòd approbatio collata Sacerdoti à ſuo Ordinario, non ſufficit extra eius diœceſim.

Reſpondetur ex Suar. *d. ſect*. 7. *num*. 7. præcitatam declarationem poſſe exponi de iure ordinario, ita vt ratione approbationis nemo poſſit confeſſiones in aliqua diœceſi audire, niſi ab Ordinario eiuſdem diœceſis approbatus ſit; ſecus verò eſſe in ordine ad delegationem, & priuilegium pontificium. Et ratio poteſt aſſignari, quia approbatio, vt ſic, non dat iuriſdictionem, ſed eſt quaſi vltima diſpoſitio ad illam: atque ideo Sacerdos à ſuo Ordinario approbatus poteſt per Bullam eligi etiam in aliena diœceſi; non tamen poteſt abſque huiuſmodi priuilegio confeſſiones audire, niſi ſit ab Ordinario loci, ſeu pœnitentis approbatus, & hoc ſolùm videtur deduci ex præcitata Cardinalium declaratione.

14. Cæterùm hæc opinio mihi non ſatis probatur.

Primò, quia ſuppoſito, quòd iuxta doctrinam Suar. per Ordinariū Sacerdotis intelligatur Epiſcopus loci, ſeu diœceſis, in qua Confeſſor habitat, profectò, ſi huiuſmodi Ordinarij approbatio ſufficiat, vt talis Sacerdos, dum per diuerſas diœceſes, & exteras nationes vagatur, ſit per Bullam eligibilis, dicta

opinio

opinio videtur non maiorem habere probabilitatem, quàm habet opinio aſſerentium ſemel approbatum ab vno Ordinario, eſſe vbique per Bullam, & ſimilia priuilegia eligibilem, quod hiſce temporibus apud doctiores, & prudentiores durum ſatis æſtimatur, & nos ſuprà impugnauimus.

15. Secundò, quia ſi Religioſus ſemel in vno Epiſcopatu approbatus mutet illum, & poſtea ad eundem reuertatur, non indiget noua approbatione, quandiu prior non fuerit reuocata, vt fatetur ipſe Suarez *ſect.* 7. *num.* 9. atque hanc eſſe Epiſcoporum intentionem communis vſus confirmat; & ratio eſt, quia licèt prior approbatio ex parte Sacerdotis ſit quaſi ſuſpenſa, ex parte tamen Epiſcopi non fuit vnquam mutata, vt ſupponimus; ac propterea, cùm primùm Religioſus, (atque eadem eſt ratio de Sacerdote ſæculari) reuertitur ad eūdem Epiſcopatum, cenſetur prior approbatio ad eundem ſtatum redire; ſed Suar. *ibid. num.* 8. tenet expreſsè Religioſum à ſuo Ordinario approbatum, ſi domicilium mutet, indigere noua approbatione Epiſcopi illius loci, ad quē transfertur, vt per Bullam ſit eligibilis; igitur idem tenetur fateri de prædicto Sacerdote peregrinante.

16. Tertiò, quia Sacerdos iuxta formam Concilij approbatus, poteſt vbi eſt ſic approbatus confeſſiones ſæcularium audire, etiam abſque Bulla. ergo ſi Sacerdos à ſuo Ordinario approbatus cenſeatur talis, iuxtà formam Concilij, vt paſſim fatetur Suarez; ſimiliter poterit vbique ſine Bulla confeſſiones ſæcularium audire. Hoc tamen nec Suarez, nec quicumque alius vnquam conceſſit, nec concedere poteſt, & conſequenter approbatio iuxta formam Cōcilij requiſita non eſt interpretanda de approbatione ordinarij confeſſoris, provt diſtinguitur ab Ordinario loci, niſi in caſu ſpeciali, nempe reſpectu Epiſcoporum, aut Regularium dumtaxat.

17. Dices id ſolum concludere de approbatione requiſita, vt quis virtute eius poſſit confeſſiones audire; non verò de approbatione requiſita, vt Sacerdos ſit ad huiuſmodi miniſterium ex priuilegio pontificio eligibilis, quia ad primum requiritur approbatio Ordinarij loci, ſeu pœnitentis; ſecus quoad ſecundum. Sed contrà, quia iuxta doctrinam Suarez *ſect* 6. *num.* 6. aliter videtur dicendum: nam expendens ibi præcitatam declarationem pontificiam pro Regularibus factam ait, quòd licèt videatur directè dari de verbis Bullæ, tamen conſequenter datur de Concilio; & rationem aſſignat, quia intentio Pontificis in Bulla non fuit immutare Concilium, ſed potiùs illi ſatisfacere, vt forma ab illo præſcripta ſeruetur. ergo ſicut Concilium loquitur de Ordinario non Confeſſoris, ſed loci, ita & Bulla, niſi dum Ordinarius loci, & Confeſſoris coincidunt inter ſe; tunc enim vterque confusè comprehenditur.

18. Tertius modus dicēdi eſt Ioan. Guttier. *lib.* 1. *Cano. quæſt. cap.* 27. *num.* 6. *&* 7. *cum ſeqq.* vbi inquit, neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi loci, in quo ſit confeſſio. Idem expreſsè cenſet Rodriq. *in Bull.* §. 9. *num.* 5. tametſi pro ſecunda opinione fortaſsè per errorem à Fagund. *vbi ſuprà num.* 88. allegetur. Atque idem opinatur Manuel Sà, *ver. confeſſor num.* 5. immò, & author Compend. Priuileg. vulgariter dictus Collector, *verb. abſolutio quoad ſæculares* 1. §. 16. vbi etiam ante Concilium aſſerit non ſufficere, quòd Regulares in vno ſint Epiſcopatu approbati, ſed quòd vbicumque confeſſiones ſæcularium audire voluerint, egent ipſius diœceſani approbatione.

Sed

Digitized by Google

Sed iam probatur primò. Epiſcopo loco principaliter incumbit cura animarum ſui Epiſcopatus, iuxta quandam decretalem *cap. vt animarum periculo, de conſtit. lib. 6.* ergo eidem ſolùm incumbit cognoſcere, & approbare ſuos coadiutores, & cooperarios.

Secundò, quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur. *l. fin. ff. de iuriſd. omn. iud.* ſed abſolutio eſt actus iuriſdictionis. ergo nemo poteſt huiuſmodi actum exercere, abſque approbatione diœceſani Epiſcopi.

Tertiò, id probatur manifeſtè ex declaratione Cardinalium ad Valentinum Archiepiſcopum miſſa.

19. Hæc opinio, ſi materialiter intelligatur de loco, in quo fit confeſſio, nec Suarez *ſect. 6. num.* 4. videtur ſatis probabilis, nec mihi etiam placet; nam valde extrinſecum, & accidentarium eſt huic Sacramento, quòd in hoc, vel illo loco fiat, dummodo Confeſſoris iuriſdictio in pœnitentem retineatur, atque ideo axioma illud, *extra territorium ius dicenti*, &c. non rectè hîc applicatur, quippe lex illa habet locum dumtaxat in iuriſdictione forenſi, & in actibus iuriſdictionis, qui fiunt cum ſtrepitu, & figura iudicij. In his enim terminatur circa territorium locale ipſius iudicis, & extra illud non extenditur. Secus eſt de iuriſdictione, quæ poteſt abſque figura iudicij adminiſtrari, & conſequenter extra territorium exerceri; vt patet de abſolutione ab excommunicatione data ſubdito extra territorium exiſtenti, vel è conuerſo, data ab Epiſcopo extra ſuum territorium exiſtente, tamen reſpectu ſui ſubditi. Atque idem eſt de abſolutione ſacramentali: nam ſi Parochus diſcedat à ſua diœceſi, ibique inueniat aliquos ſibi ſubditos, poterit quidem ibi eorum confeſſiones audire. eſt communis, & rationem reddit Victor. *ſum. de Sacram. concl.* 152 quia fit ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & abſque vllius iniuria, ſeu præiudicio.

20. Quartus modus dicendi eſt aliorum, aſſerentium approbationem a Concilio requiſitam eſſe approbationem Ordinarij ipſius pœnitentis, & conſequenter, hanc eſſe omninò neceſſariam & ſufficientem. ita Lop. *inſtruct. 2. p. cap.* 8. &, vbi de Bulla, *col. mihi* 81c. Villalob. *tom. 1. tract. 9. dub.* 56. *num.* 3. qui multos pro hac ſententia refert Academiæ Salmanticenſis, & Complutenſis DD. tam Iuriſprudentiæ, quam ſacræ Theologiæ publicos Profeſſores: atque huic magis videtur aſſentiri Gutrier. citat. in quarta enim ratione exponens clauſulam illam Bullæ, *ab Ordinario*, apponit, ſcilicet pœnitentis. & deinde ſubdit: hoc eſt illius loci, vbi exerceri debet adminiſtratio Sacramenti. vbi pro eodem videtur ſumere Epiſcopum loci, & pœnitentis, vt not. Suarez *ſect. 6. num.* 5. Immò Rodriq. *vbi ſuprà* (ſi verba eius attentè expendantur) idem videtur etiam intendere, eundem Epiſcopum aliquando loci, aliquando ouium, indiſtinctè appellans; forſitan, quia ſupponunt, vel pœnitentes in ſuis propriis locis ordinariè confiteri, vel, ſi alibi vt peregrini confitentur, debere more incolarum eiuſdem loci confiteri: proindéque Epiſcopum loci, ac pœnitentis tunc pro eodem reputari. & quidem in hoc ſenſu maiorem vim habent rationes pro tertia opinione adductæ; præſertim illa, quæ ſumitur ex cura ſingulis Epiſcopis demandata circa oues ſibi concreditas ſub quibus comprehendi poſſunt, non ſolùm domicilium firmum in ſua diœceſi habentes, ſed illi etiam, qui ad tempus ibi commorantur; ſaltem pro eo tempore, quo ibidem ſunt Sacramenta ſuſcepturi. Sed inſuper probatur

R Primò,

Digitized by Google

Primò, quia in vna diœceſi poteſt requiri maior ſcientia, quàm in alia, atque vnus Epiſcopus poteſt eſſe exactior, quàm alius, circa examen Confeſſorum.

Secundò, quia ex oppoſito non ſolùm turbationes, rixæ, ac diſſenſiones ſequerentur, ſed multa etiam incommoda circa fidem,& mores,ſi pœnitentes poſſint quærere Confeſſores fortaſſe ſuis Epiſcopis minùs gratos, aut eis non probatos.

Tertiò, quia approbatio Confeſſoris eſt actus iuriſdictionis, quam Epiſcopus in Confeſſarium ſibi ſubditum exercet, dum illum approbat. Sed huiuſmodi actus, licèt verſetur proximè circa Sacerdotem, terminatur tamen ad pœnitentem, propter quem Sacerdos approbatur. ergo non excedit terminos iuriſdictionis Epiſcopi approbantis, qui termini (teſte Suar. *ſect.* 7. *num.* 1.) in hoc negotio magis comparatione perſonarum,quàm locorum attendendi ſunt.

21. Hæc opinio videtur rationi, & æquitati ſatis conſona, & mihi ex parte procul dubio placet,ſicut etiam Suarez *ſect.6. num.6.* ſibi placuiſſe fatetur; ſed aduerſantur illi præcitatæ tres declarationes,quarum

Prima pro Epiſcopis ſtatuit expreſsè requiri approbationem ordinarij Confeſſoris.

Secunda pro Regularibus non ſolùm eandem requirit approbationem, ſed addit etiam, quòd in Bulla non ſit mentio de Ordinario pœnitentium.

Tertia autem ad Archiepiſcopum Valentinum miſſa ſolùm requirit approbationẽ Ordinarij loci: vnde Suar. circa declarationem pro Regularibus factam obſeruat, quòd etiamſi declaratio illa præcipuè de Regularibus loquatur, eadem tamen ratio eſt de omnibus pœnitentibus: tum quia Concilium, & Bulla indifferenter loquuntur de omnibus, tum etiam,quia hoc ſatis expreſsè continetur in dicta declaratione, cùm dicit: In Bulla enim non ſit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones. quæ verba generalia ſunt, & generaliter exponenda.

Dubium XXV.

Quo opinio authoris proponitur.

1. Superest nunc, vt quid ſit in hac materia ſentiendum, explicemus.Quapropter ſit concluſio tenenda: Approbatio à Concilio requiſita,& neceſſaria, ac ſufficiens,vt quis ſit vbique per Bullam eligibilis, eſt approbatio Ordinarij loci, vel ſaltem pœnitentis. Hanc concluſionem tenent in primis Guttier.& Rodr.qui *loc.citat.* de huiuſmodi approbatione agentes, eam aliquando Epiſcopi loci, aliquando Epiſcopi pœnitentis indiſtinctè appellant; & pro eadem poſſunt allegari authores, quos pro 3. & 4. opinione adduximus. Notanter dixi in concluſione, *approbatio Ordinarij loci*, quia de confeſſione facta Sacerdoti per Ordinarium loci approbatò, nemo poteſt in dubium reuocare, quin ſit legitima, & valida; & huic ſuffragatur expreſsè declaratio Cardinalium ad Archiepiſcopum Valentinum miſſa. Addidi autem, *vel ſaltem pœnitentis*, ob rationem factam in refutatione tertiæ opinionis, vbi exemplo Parochi, qui in aliena diœceſi inuenit aliquem ſibi ſubditum, oſtenſum fuit, poſſe ibi illius confeſſionem audire, & tenet communis opinio.

2. Ducor primò, quia verba priuilegiorum interpretanda ſunt iuxta iuris diſpoſitionem, niſi oppoſitum conſtet manifeſtè, vt trad. Sylu. *ver. excom.* 2.*not.*1.*caſ.*12.& Cord. *ſum. q.*10. igitur verba

Digitized by Google

verba Bullæ interpretanda ſunt iuxta decretum Concilij, quod de Ordinario loci, ſeu pœnitentis intelligi tenent communiter DD. & quamuis præcitata Cardinalium declaratio ſolùm de Ordinario loci loquatur, at Ordinario pœnitentis eſt etiam adaptanda, quia Ordinarius loci, & pœnitentis plerumque coincidunt inter ſe: declarationes autem iuridicæ dantur præcipuè de iis, quæ regulariter contingunt; immo idem ſibi fuiſſe à Pontifice reſponſum, teſtati ſunt Illuſtriſſimi Domini D. Aloyſius à Corduba Epiſcopus Salmanticẽſis, & D. Andreas etiam à Corduba Epiſcopus Pacenſis, vt refert Rodr. *in addit. ad Bull* §.9. *num*.5. & Villalob. *ſum. tom.*1. *tract.*9. *dub.*56. *n.*3.

3. Secundò, quia dato, & nõ cõceſſo, quòd opinio aliqua ſit (ſaltem ſpeculatiuè) probabilior, quàm noſtra, adhuc noſtra eſt potius, quàm quæuis alia practicè amplectenda; quando enim probabilior opinio aſſerit, & iuſtificat quod in ſe non eſt ita ſecurum, ſicut oppoſitum, eſto liceat eam aliquando ſequi, tutius tamen eſt ab ea cauere, vt docet Cord. *in quæſt. lib.*2. *q.*3. *propoſ.*2. Sed opinio 1. & 2. aſſerunt, & iuſtificant quod non eſt ita ſecurum, ſicut oppoſitum; igitur neutra earum, ſed noſtra potiùs amplectenda eſt. Probo minorem, quia ſi quis confiteatur Sacerdoti approbato per Ordinarium loci, vbi pro tunc commoratur; certiſſimum quidem eſt, talem confeſſionem eſſe licitam, & validam. Atque idem ſentiendum tenent communiter omnes de eo, qui intra, vel extra diœceſim ſuam confitetur Sacerdoti approbato per Ordinarium ipſius pœnitentis: conſtat autem manifeſtè, ſecus ſentiendum de confeſſione facta Sacerdoti approbato, iuxta primam, aut ſecundam opinionem, ſicut fatetur ipſe Suar. Nam, de 1. opinione ait *ſect.*6. *num.*2. quòd fundamenta eius non ſunt firma; & de ſecunda, quam ille tuetur, inquit *ead. ſect. n.*6. ſe eam amplecti, non ob efficacitatem rationum, cùm ſolùm fulciatur congruentiis moralibus, quibus facilè poſſit ſatisfieri, ſed ob duas priores præcitatas declarationes, in quibus expreſsè aſſeritur, eſſe datas à Summo Pontifice. has autem noſtræ potiùs fauere concluſioni, ex infrà dicendis conſtabit.

4. Tertiò, quia, cùm opiniones ſunt, & creduntur æquè probabiles, ſemper quod tutius, aut minus malum videtur, tenendum eſt, præſertim ſi ſit dubium de peccato mortali. Cord. *ead. q.*3. *propoſ.*3. ſed tutius eſt, quod noſtra ſtatuit concluſio, vt omnes fatentur: igitur illa eſt præ omnibus amplectenda. Minor, & conſequentia patent: maior autem probatur, quia in dubiis non ſolùm facti, ſed iuris tutior, & certior pars eſt eligenda, arg. *cap. iuuenis, de ſponſ. cap. ad audientiam, de homic. & cap. illud, de cler. excom. miniſt.* & deducitur ex illo Eccleſ. 3. *qui amat periculum, peribit in illo.* & meritò; qui enim opiniones æquè probabiles ſcit, vel arbitratur, neceſſe eſt, vt maneat dubius, quæ earum ſit vera, & conſequenter, an ſibi liceat agere quod altera condemnat: igitur peccat qui, abſque ſufficientiſſima ratione, relinquens partem tutam, & certam, eligit minus tutam, præſertim in caſu noſtro, vbi res eſt adeò grauis, vt ex ea pendere queat valor Sacramẽti, teſte Suarez; qui ideo *ſect.*7. *num.*7. ait: Conſulerem ſemper in praxi, ſequi opinionem ſecuriorem. Et quidem ita tenet communis vſus Romanæ Curiæ, vbi plures viri ſatis experti à me conſulti, mirati ſunt, quòd quis doctus de hac re aliter velit, vel audeat opinari.

5. Sed obiicies nobis præcitatas duas declarationes, ſeu reſponſiones à Pontifice datas, in quibus de Ordinario

Digitized by Google

Confeſſoris dumtaxat, non loci, ſit mentio.

Reſpondetur primò, concluſionem noſtram intelligendam fore de iis,quæ regulariter contingunt.Vnde nil refert, quòd in vno, vel altero caſu ſpeciali aliter diſponatur.Nam prior illa declaratio ſolùm pro Epſcopis, ſecunda pro Regularibus data eſt.

Reſpondetur ſecundò, quòd Ordinarius Confeſſarij, & loci plerumque inter ſe coincidunt: ille enim dicitur Ordinarius Confeſſoris, qui eſt Epiſcopus loci,vbi ipſe Confeſſor habitat, & confeſſiones audit; atque idem eſt Ordinarius loci, vt conſtat, & conſequenter coincidunt inter ſe: id autem videtur ſufficere, vt declarationes datæ de vno,intelligantur de vtroque.

6. Dices.Immò hoc eneruare, & futiles reddere Pontificum, & Cardinalium declarationes,ſeu reſponſiones,ſic enim vanum fuiſſet diſtinguere inter Ordinarium Confeſſoris, loci, & pœnitentis,cùm ſemper eſſet idem diuerſis reſpectibus.

Reſpondetur negando ſequelam: non enim futiles redduntur ideo dd. declarationes, quin potiùs poſterior magis explicat præcedentes: nam declaratio Cardinalium ſacræ Congregationis Concilij ad Valentinum Archiepiſcopum miſſa tanquam poſterior magis explicat duas illas præcedentes datas à Summo Pontifice;quis enim auſerit affirmare, quòd declaratio Cardinalium aduerſetur Pontificiis reſpóſionibus? abſit. Vnde,eſtò in declaratione pontificia pro Regularibus facta,videatur quodammodo excludi approbatio Ordinarij pœnitentis, nuſquam tamen loci,quod haud leuis coniectura eſt,pro eodem reputari Ordinarium Confeſſoris,& loci. Immò, nec etiam excluditur approbatio Ordinarij pœnitentis,vt ex mox dicendis conſtabit, quicquid in contrarium prætendat Suar. ſed abſque vllo valido fundamento.

7. Obiicies iterum hinc ſequi, nullum per Bullam concedi priuilegium quoad electionem Confeſſoris, cùm vnicuique liceat, Confeſſorem ab Ordinario loci, ſeu pœnitentis approbatum eligere,etiam abſque Bulla.

Reſpondetur, adhuc concedi per Bullam magnum priuilegium,tum quia Confeſſor per illam electus poteſt pœnitentem abſoluere à reſeruatis,& multa eiuſdem vota commutare, tum quia per habentem beneficium parochiale poteſt quis virtute Bullæ vbique abſolui;ſecus ſine Bulla, cùm quis à Parocho alieno nequeat etiam in propria diœceſi abſolui, niſi ab Ordinario loci, ſeu pœnitentis pro tota diœceſi ſit approbatus.

8. Sed quæres, vtrùm Regulares,vt ex vi Iubilæi, ſeu Cruciatæ poſſint ſaltem indulgentias lucrari, teneantur confiteri Sacerdoti per Epiſcopum approbato? Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte Regulares non comprehenduntur decreto Concilij, quoad confitendum Sacerdoti per Ordinarium approbato. Ex altera parte in Bulla Iubilæi, ſeu Cruciatæ prærequiritur, tanquam conditio neceſſaria, vt confeſſio fiat Sacerdoti per Ordinarium approbato.

Huic difficultati reſpondet Suar. *d. diſp.28.ſect.6.num.*11. quòd ſi conſideretur ius proprium Regularium, ipſi non comprehenduntur in decreto Concilij; noluit enim Concilium ius Regularium immutare, vt alibi dictum eſt: ſi autem ſpeciale priuilegium eiſdem conceſſum per Iubilæum pontificium, ſeu Cruciatam ad eligendum Confeſſorem conſideretur,exiſtimat,non eſſe eis conceſſum niſi iuxta formam Concilij, ac ſubinde, virtute d. priuilegij non poſſe Confeſſorem eligere, niſi ab Ordinario

dinario approbatum. Ita etiam ſentit Henriq. *de pœnit.lib.6.cap. 6.in comment. lit.K.* Regin. *tom.1.lib.1.num.*175. Nald. *verb.indulg.num.9.fin.* & fortaſſe alij. Ducuntur; tum quia in Bullis expreſsè requiritur electio Sacerdotis ab Ordinario approbati: loquuntur autem indifferenter, ac generaliter; igitur certum eſt, nemini illud priuilegium concedi, niſi ſub illa conditione, & conſequenter non poſſunt excipi Regulares; tum quia Pontifex apponens in Bullis illud verbum, *Ordinario*, apertè indicat, ſe velle, quòd ſeruetur Concilium Tridentinum, & approbatio in illo requiſita, in qua nihil poſſunt Prælati Religionum, ad quos, licèt in aliis reſcriptis poſſit forſitan nomen Ordinarij extendi cum proportione, & diſtributione accommoda, non tamen in præſenti, vbi eſt ſermo de actione propria Epiſcoporum, cuiuſmodi eſt Confeſſoris approbatio. Tum denique, quia Bullæ, dum requirunt electionem Sacerdotis approbati ab Ordinario, loquuntur generaliter, & indiſtinctè: locutio autem generalis, & indefinita eandem ſignificationem habet reſpectu omnium. ergo cùm reſpectu reliquorum fidelium approbationē Epiſcopi requirat, idem reſpectu Regularium videtur ſentiendum.

9. Oppoſitum cenſeo quidem probabilius; itavt, cùm in Bullis diſponitur, quòd fiat electio Sacerdotis per Ordinarium approbati, id exponendum ſit non priuatiuè, quaſi Pontifex velit Religioſum priuare iure ſuo, quo poteſt Sacerdoti per ſuum Superiorem approbato confiteri; ſed potiùs accumulatiuè, & ampliatiuè in fauorē pœnitentis, adeò, vt non ſolùm queat ſuo Superiori, ſeu alteri, de eiuſdem licentia, intra Religionem confiteri, ſicut poterat ſecluſo Iubilæo, aut Cruciata, ſed poſſit etiam quemcumque alium ab Epiſcopo approbatum eligere; eſto abſque Iubilæo, aut Cruciata, non poſſet illi confiteri. Ita ſentiunt Bonac. *de pœnit.diſp.5.q.7.punct.4.n.*25. Graff. *lib. 2. Append.c.1.n.*18. Rodr. *in Bull.§.9.n.9. dub.6.* Santarel. *de Iubil.c.7. dub.*1. Homobon. *de caſ.reſeru. p.1. c.5.* & Filliuc. *tom.1.tract.8.c.10.de Iubil.num.*275. qui omnes hanc opinionem cenſent non ſolùm ſatis piam, ſed æquitati etiam valde conſonam. Probatur autem, tum quia, alioquin multi Religioſi, vel defraudarentur fructu Iubilæi, ſeu Cruciatæ, cùm non rarò eueniat in aliquibus monaſteriis, nullum reperiri Sacerdotem à Diœceſano Epiſcopo approbatum ad confeſſiones audiendas, vel ſaltem cogerentur extra clauſtra exire ad emendicandum ſibi Confeſſarium, quod non videtur iuxta paternam, & benignam Pōtificis intentionem. Tum quia nomen *Ordinarij* aliquando, etiam ad regulares Prælatos extenditur, vt fatetur ipſe Suar. citatus: habent enim in ſibi ſubditos authoritatem quaſi Epiſcopalem, & poſſunt pro eiſdem Confeſſores ex ſibi ſubditis approbare. Immò, quoad electionem Confeſſoris extra religionem tenent DD. magnæ æſtimationis, non poſſe Regulares, tam Fratres, quàm Moniales gaudere priuilegio Cruciatæ, ſed quoad ſacramentum Pœnitentiæ, & confeſſionis adminiſtrationē ſubdi omnino ſuorum Prælatorum diſpoſitioni, iuxta Clem. VIII. & Vrban. VIII. conſtitutiones, de quibus *cap.* 1. diffusè actum eſt, & conſequenter huiuſmodi Prælatis poteſt nomen Ordinarij quodammodo adaptari. tum denique quia Bulla Cruciatæ non ſuſpendit indulta Superioribus Ordinum Mendicantium conceſſa in ordine ad ſibi ſubditos. Non poteſt autem in dubium reuocari, quin Prælatis regularibus ſit per Sedem Apoſtolicam conceſſum, poſſe ſibi ſubditos diſpen-

R 3 ſare,

Digitized by Google

ſare, & abſoluere etiam à cenſuris, & peccatis per ſe, vel per alios, atque ita vltra prædictos ſentire videntur Zerol. Sorb. & alij apud Bonacin. *ibidem*.

10. Ex dictis igitur facilè ſolui poſſunt probationes in contrarium adductæ, & conſtat etiam, quomodo ſit interpretanda clauſula illa declarationis pro Regularibus factæ, nempe, in Bullario ſit mentio niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, nô autem de Ordinario pœnitentium: ibi enim non excluditur Ordinarius pœnitentis, ſed indicatur, quòd ſi contingat, Ordinarium Confeſſoris, & pœnitentis diſtingui, nihil refert ad valorem confeſſionis, virtute Bullæ faciendæ, quòd Confeſſor ſit approbatus ab Ordinario pœnitentis, dummodò ſit approbatus ab Ordinario ipſius Confeſſoris. Hinc itaque deducitur, Religioſum poſſe virtute Iubilæi confiteri Sacerdoti etiam ſæculari, approbato tamen per Ordinarium ipſius, non autem priuari iure ſuo, nimirum quòd poſſit confiteri Sacerdoti per ſuum Superiorem regularem approbato.

Dubium XXVI.

Vtrùm Superiores regulares gaudeant eodem priuilegio eligendi Confeſſorem.

1. HÆc difficultas eſt veluti appendix præcedentium, pro cuius explicatione ſunt in primis notanda verba textus *cap. ne pro dilatione*, quæ ſic habent. Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis conceditur, vt etiam, præter ſui Superioris licentiam, prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem idoneum. Vnde conſtat hîc agi non ſolùm de Epiſcopis, ſed etiam de aliis Prælatis ſuperioribus, cuiuſmodi ſunt Cardinales, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, de quibus dictum eſt *ſuprà*; immò & de aliis Prælatis minoribus, exemptis tamen, ac de his nunc agere intendimus.

2. Duplicem igitur conditionem requirit textus, vt aliquis poſſit Confeſſorem eligere.

Prima eſt, quòd ſit Prælatus: illi autem cenſentur propriè Prælati (prout ad rem noſtram ſpectat) qui iuriſdictionem ordinariam in eccleſiaſtico foro externo habent, ſicut habere cenſentur illi, qui de iure, aut de conſuetudine legitimè præſcripta, poteſtatem habent citandi ſuos ſubditos, ac eiſdem in foro externo ius dicendi. Nec oportet, vt ſimiliter habeant iuriſdictionem in foro interno, vt contra Palud. tenet Suar. *tom. 4. diſp. 27. ſect. 2. n. 8.* cum Syluest. & aliis, quibus etiam adhæret Regin. *in prax. pœnit. lib. 1. cap. 5. ſeſſ. 2. n. 37.* & quidem id videtur ſatis conſonum diſpoſitioni ipſius *cap. ne pro dilatione.* quod abſolutè loquitur de Prælatis, & conſequenter eius priuilegium non eſt interpretatione reſtringendum, ſed potiùs ampliandum, iuxta 15. *reg. iur. in 6.* Ex dictis tamen

3. Infertur primò, quòd licèt huiuſmodi Prælati eo gaudeant priuilegio, quantumcumque à ſuo territorio longè abſint, quippe, ſicut abſentia non obſtat, quominus Prælati maneant, ita nec obeſt, quominus Prælatorum priuilegio vti poſſint, vt tradit Sylu. *verb. confeſſor. 1. q. 8. verſ. 3.* nihilominus tandiu poſſunt eo priuilegio vti, quandiu officium prælationis retinent, & non amplius: ea enim facultas ſolùm Prælatis conceditur.

4. Infertur ſecundò, eum, qui non habet iuriſdictionem propriam, id eſt, proprio

Digitized by Google

proprio iure, ſeu titulo, non comprehendi hîc nomine Prælatorum, cuiuſmodi ſunt Vicarij Epiſcoporum qui ex commiſſione, ſeu vice aliorum dumtaxat iuriſdictione vtuntur, vt notant Suar. & Reginald. *ibidem*.

5. Secunda conditio eſt, quòd ſit exemptus. Quis autem cenſeatur Prælatus exemptus, non omnes conueniunt. Nonnulli opinantur illos eſſe Prælatos exemptos, qui in foro conſcientiæ immediatè ſubiiciuntur ſolo Summo Pontifici, vt Abbas Metinenſis, & alij ſimiles; nec non omnes Generales Ordinum. Ita Angel. *confeſſor*. 3. §. 5. poſt Panorm. & Hoſtienſ. quos etiam ſequitur Angl. *in flor. ſuper* 4. *de miniſtro Sacramenti confeſſ. art*. 1. *diff*. 4. *concl*. 4. Alij verò eos cenſent eſſe Prælatos exemptos, qui in eodem foro non ſubduntur Epiſcopis, etiamſi alios habeant Superiores, præter Papam. huiuſmodi ſunt omnes Prouinciales Religionum, & cęteri etiam Prælati regulares. Ita Sylu. *confeſſ*. 1. §. 8. poſt Palud. quos ſequitur Sot. *in* 4. *diſt*. 18. *q*. 41. *art*. 2. & Suar. *ſuprà num*. 9. His ſuppoſitis, ſit

6. Prima concluſio. Certum mihi eſt, omnes Prælatos regulares, etiam Conuentuum, ſeu monaſteriorum gaudere priuilegio eligendi Confeſſorem, iuxta diſpoſitionem *cap. ne pro dilatione*, &c. Ita Palud. Sylu. & Sot. *ibid*. necnon D. Anton. 3 *p. ſum. tit*. 17. *art*... §. 3. Roſell. *cõfeſſ*. 3. §. 37. Vaſq *tom*. 4. *q*. 93. *art*. 1. *dub*. 4. *n*. 2. & plures alij. Sed probatur

7. Primò ex ipſo contextu. nam omnes prædicti ſunt verè Prælati, vt conſtat, & propriè exempti, ſaltem iuxta poſteriorem expoſitionem, quæ mihi ſatis probatur, ob rationem ſtatim aſſignandam. ergo competit illis diſpoſitio ipſius capituli, nec immeritò. Dixi, mihi ſatis probari ſecundam expoſitionem, ob illa verba, Poſſint eligere confeſſorem, præter ſui Superioris licentiam. quæ indicant inter exemptos Prælatos, quibus illic conceditur facultas eligendi Confeſſorem, numerandos eſſe illos, qui habent Superiores, quorum licentia eſſet neceſſaria, niſi hoc priuilegium eiſdem ſuffragaretur.

8. Secundò, quia ita docet ferè communis DD. opinio, & conſuetudo Religionum; conſuetudo autem ſortitur vim legis. *l. de quibus. ff. de legib. & cap. Eccleſiam*, 12. *diſt*. immo in rebus incertis, non ſolùm eſt optima legum interpres, ſed omnium Interpretum certiſſimus quidem interpres eſt ipſa conſuetudo. *cap. cùm dicitur, de conſuet. l. minimè. ff. de legib*.

9. Facit ad hoc, quod Panor. *ibidem* aſſerit, videlicet, Prælatum *in d. cap. fin*. ſumi in lata ſignificatione, vnde concludit ipſe, quòd etiam Rectores Eccleſiarum ibi comprehenduntur. ergo à fortiori idem dicendum eſt de omnibus Pręlatis Regularibus, non ſolùm Generalibus, aut Prouincialibus, ſed etiam localibus, cuiuſmodi ſunt monaſteriorum Abbates, Priores, ſeu Guardiani, cùm huiuſmodi omnes ſint verè Prælati, atque exempti.

10. Hanc concluſionem admittunt Suar. & Regin. cum limitatione, quæ mihi etiam placet, nempe, niſi iuxta ſpecialia priuilegia, vel regularia ſtatuta per Sedem Apoſtolicam approbata, Pręlatus inferior Religionis habeat Confeſſorem deſignatum à ſuo Prælato ſuperiore, quoniam tunc nec ratio huius textus locum habet, nec eſt veriſimile, Pontificem eo generali iure voluiſſe derogare ſpecialia iura ad conuenientem Religionis Ordinem ſpectãtia, arg. *cap*. 2. *de pœnit. & remiſſ. in* 6. quod adhuc certius æſtimandum erit, ſi Religionis priuilegia ſint poſt illud commune ius conceſſa, vel confirmata.

11. Secunda concluſio. Prælati Regulares, Generales, ſeu Prouinciales poſſunt

ſunt ex ſibi ſubditis reſpectiuè eligere in Confeſſorem,quemcunque Sacerdotem idoneum, etiam ſimplicem. at ex ſibi non ſubditis non poſſunt eligere Confeſſorem, niſi ex iam deputatis per eos, ad quos de iure ſpectat, cùm extra proprios Conuentus exiſtunt. Hæc concluſio quoad primam partem eſt communis omnium, & videtur conſtare ex illis verbis, Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum. Nam Generales, qui immediatè ſubduntur Summo Pontifici, non poſſunt facilè illum adire; Prouinciales etiam nec facilè poſſunt ad Generalem recurrere, vel ab eo Confeſſorem poſtulare. Deinde Generales, & Prouinciales Religionum habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſibi ſubditos; & conſequenter ſicut Epiſcopi ex ſibi ſubditis poſſunt quemcunque ſimplicem Sacerdotem idoneum deputare Confeſſorem ſibi, vel aliis, ita reſpectiuè dicendum eſt de Generalibus, ac Prouincialibus.

12. Quoad poſteriorem partem maior eſt difficultas, ſed ſatis deducitur ex dictis *dub.* 23. circa facultatem, quâ Cardinales,& Epiſcopi gaudent quoad Cófeſſorem eligendum: nam ibi oſtenſum eſt, non poſſe Epiſcopos extra propriam diœceſim eligere in Confeſſorem Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio Diœceſano non fuerit approbatus; nec ſimiliter Cardinales poſſe ſibi, vel ſuis Commenſalibus eligere in Confeſſorem Sacerdotem, qui ſuæ non ſit familiæ, abſque præuia Ordinarij approbatione. ergo idem ſimiliter ſentiendum eſt de Generalibus, ac Prouincialibus, ſi ex non ſubditis eligant aliquando Confeſſorem, dum extra Conuentus ſuos exiſtunt.

13. Dices, eſſe diſparem rationem, quoniam eſto poſt Concilium Tridentinum *cap.*23. *ſeſſ.*15. nullus, etiam Sacerdos, poſſit alicui non approbato per Ordinarium confiteri; id tamen intelligitur de ſæcularibus tantùm, non verò de Religioſis, vt patet ex verbis ipſius Concilij, & omnes fatentur.

Reſpondetur concedendo aſſumptum, negatur tamen inde inferri, quòd poſſint confiteri Sacerdoti nullatenus approbato. Concilium namque non cogit Religioſos confiteri Religioſis approbatis per Epiſcopum, ſicut cogit ſæculares, non tamen illos ita eximit, vt poſſint confiteri ſimplici Sacerdoti, ſed approbato, vel per ſuum Superiorem ſaltem ad audiendas Religioſorũ confeſſiones, ſi ſit Regularis, vel per Epiſcopum, ſi ſit ſæcularis, quod *dub. ſequenti* latiùs erit diſcutiendum.

14. Tertia concluſio. Prælati locales, cuiuſmodi ſunt Abbates, Priores, Guardiani, & ſimiles, nequaquam poſſunt ſimplici Sacerdoti confiteri. Hanc concluſionem tenet expreſsè Rodr. *in addit. ad* §.9. *num.* 119. *ad fin.* & Angl. *vbi ſuprà diffic.*5. ſecutus Panor. *ſuper cap. fin. citat.* & Angel. *ibidem.* atque eam probat ex eo, quia alioquin huiuſmdi Prælati non haberent caſum aliquem Prouinciali, ſeu Generali reſeruatum, præter excommunicationem in foro exteriori poſitam; opinatur enim, quòd dum aliquis de licentia Papæ confitetur, non poteſt Superior pœnitentis aliquem ſibi caſum reſeruare. Et quidem, hac ratione ducti DD. non pœnitendi aſſerunt, Epiſcopum non poſſe reſeruare caſus Confeſſoribus regularibus, etiam in ordine ad ſæculares, niſi de expreſſo ordine Summi Pontificis; & rationem reddunt, quia Religioſi, eſto egeant Ordinarij approbatione ad audiendas ſæcularium confeſſiones, non tamen inſtituuntur Confeſſores ab Ordinario, ſed immediatè à Summo Pontifice. Vnde à tempore Clemẽtis Octaui, de ordine ipſius ſancitum eſt, vt Confeſſores regulares abſtineant ab

huiuſ

huiuſmodi caſuum abſolutione, iuxta declarationes de hoc adducendas *cap.* 3.

15. Deinde abſurdum videtur, dicere, quòd Prælatus localis habeat facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti ſimplici, etiam ſui Conuentus, alioquin nulla eſſet differentia inter ipſos, & Prouinciales, niſi quòd illi in ſuo Conuentu, iſti verò in tota Prouincia id poſſent efficere, quod nullatenus eſt dicendum: inſtitutio enim Confeſſorum non ad Prælatos locales, ſed Prouinciales, & Generales ſpectat, ſaltem apud Religionem Franciſcanam ita in vſu poſitum eſt, & paſſim in ſtatutis generalibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, determinatur. Si autem in aliis Religionibus aliter ſuæ conſtitutiones diſponant, earum vtique diſpoſitioni ſtandum erit, maximè ſi authoritate Apoſtolica munitæ exiſtant.

16. Sed obiicies primò, quia ad abſolutionem duplex poteſtas requiritur, Ordinis nimirum, & iuriſdictionis; illa confertur Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis, hæc verò à Superiore Confeſſoris, vt dictum eſt *ſuprà*. ſed cùm Prælatus localis ſimplicem Sacerdotem eligit in Confeſſorem, ex conceſſione *d. cap. fin.* vtraque poteſtas reperitur in huiuſmodi Sacerdote, prima ex vi Ordinis, & ſecunda ex cõceſſione Pontificis, qui Superior eſt omnium Chriſti fidelium: igitur valida erit talis abſolutio.

Reſpondetur primò, Prælatos, ex conceſſione præcitati capituli non poſſe eligere quemcunque Sacerdotem, ſed idoneum; idoneus autem iuxta ſententiam grauium DD. cenſetur, qui vt talis ab Ordinario ſuo eſt approbatus.

Reſpondetur ſecundò, conceſſionem *d. cap. final.* interpretandam eſſe iuxta diſpoſitionem Conc. Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. vbi habetur, nullius eſſe momenti abſolutionem illam, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, aut delegatam iuriſdictionem. Vnde, cùm Prælatus localis non poſſit Sacerdoti ſimplici talem iuriſdictionem delegare (vt ſupponimus,) nec eſt veriſimile eam ſibi concedi per Summum Pontificem; tum, quia id non exprimit, vt neceſſariò exprimere debuiſſet, tum quia aliàs dictus Prælatus non haberet caſum aliquem ſuo Superiori reſeruatum, præter excommunicationem ab illo latam, vt iam dictum eſt. Vnde Metropolitanus, eſto poſſit Epiſcopum excõmunicare, non tamen eidem caſus reſeruare. Et ratio eſt, quia Epiſcopus non habet iuriſdictionem in foro pœnitentiæ à Metropolitano, ſed à Summo Pontifice, inferior autem nequit Superioris authoritatem limitare.

17. Obiicies ſecundò, ex vi *d. cap. fin.* conceditur Prælatis exemptis, vt Sacerdotem prouidũ, & diſcretũ poſſint eligere in Cõfeſſorem: eligere autem Confeſſorem, non eſt eligere eũ, qui eſt Confeſſàrius, ſed per electioné facere Confeſſarium; ſicut cùm eligitur Epiſcopus, non eligitur ille, qui erat Epiſcopus, ſed ille, qui non erat, eligitur in Epiſcopum.

Reſpondetur, negando minorem; quamuis enim, dum de Prælatorũ creatione agitur, verbum *eligere*, eam vim habeat, non tamen cùm agitur de Confeſſorum deputatione, quæ proprius inſtitutio, quàm electio dicitur. Vnde, dum virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi, conceditur facultas Confeſſorem eligendi, non quidem conceditur priuilegiato, vt Confeſſorem inſtituat, ſed vt ex inſtitutis, & approbatis per Ordinarium eligat quem maluerit, quod praxis communis in ſimilibus reddit manifeſtum.

18. Obiicies tertiò, quia ex hac concluſione ſequitur, nullam eſſe differentiam inter Prælatos, & ſubditos; nam etiam ſubditis de iure licet, vt poſſint eligere quem maluerint, dummodo eligendus ſit à ſuo Superiore approbatus.

Digitized by Google

Igitur videtur dicendum, quòd ex conceſſione *d.cap. final.* poſſunt Prælati locales, ſaltem ex ſibi ſubditis, eligere Sacerdotem ſimplicem in Confeſſorem.

Reſpondetur negando antecedens. Nam Religioſi ſubditi nequeunt abſque ſuorum Superiorum licentia petita, & obtenta confiteri Sacerdotibus alterius Ordinis, etiamſi Cõfeſſores ſæcularium inſtituti ſint. ita habetur expreſsè *in Extrauag. Inter cunctas*. Prælati autem etiam locales poſſunt extra Cõuentus ſui Ordinis Sacerdotibus alterius Religionis confiteri, modò ſint ſaltem Confeſſores Religioſorum per ſuos Superiores inſtituti; & hoc Prælatis localibus concedit *d.cap.fin.* nulla prærequiſita ſuorum Superiorum licentia, non autem ſubditis.

19. Sed quæres, an Abbatiſſæ gaudeant d. priuilegio, ſicut ſaltem Prælati conuentuales?

Reſpondetur negatiuè. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia eſto aliquæ ſint exemptæ, ſub nomine tamẽ *Prælatorum* propriè nõ comprehenduntur, cùm nec iuriſdictionem eccleſiaſticam habeant, nec illius (prout ad Eccleſiæ claues ſpectat,) ſint capaces. Ita Suar. Vaſq. Regin. Palud. & Sylu. cũ aliis *vbi ſuprà*. Itaque Abbatiſſæ nõ gaudent priuilegio eligẽdi Confeſſorẽ ſibi, & ſuis ſubditis, niſi id ſpecialiter per Sedem Apoſtolicam concedatur, vt aliqui ex præcitatis authoribus indicant, & tunc ſolum haberent nudum miniſterium nominandi Confeſſorem, vt poſt alios oſtendit Henriq. *lib.6. de Sacram. c.1. §.3. lit. M.*

Dvbivm XXVII.

Vtrùm Religioſi omnes, ſaltem itinerantes, poſſint quibuſcumque Sacerdotibus, ſiue regularibus, ſiue ſæcularibus, confiteri.

1. SVppono primò, Religioſos vnius Religionis non poſſe, de iure communi, abſque ſuorum Prælatorum licentia confiteri Religioſis alterius Religionis, etiam ſi Confeſſores ſæcularium inſtituti ſint. definita eſt expreſsè à Benedicto XI. *in extrauag. Inter cunctas, de priuil.* Ratio autem huius poteſt aſſignari, tum quia Prælatis Religionum commiſſa eſt propria cura ſpiritualis ſuorũ Religioſorum, atque ideo eiſdem data eſt plena iuriſdictio ordinaria in hoc foro; & conſequenter eo ipſo eſt illis conceſſum vt ſubditi abſque eorundem facultate nequeant aliis Religioſis, aut ſæcularibus confiteri; tum etiam, quia, qui poteſt ligare, poteſt abſoluere. *cap. ſi inferior 21. d. & cap. ſi Petrus 24. q.1.* quod potiſſimum habet verum in habente poteſtatem ordinariam: Prælatis autem Religionum data eſt poteſtas ſuos Religioſos abſoluendi, & ex conſequenti poſſunt illos ita ligare, vt ab aliis abſolui non poſſint. Vnde Papa delegans aliquando ſuam iuriſdictionem Religioſis alicuius Religionis, vt confeſſiones generaliter audiant, eam limitat reſpectu aliorum Regularium, ne eorum confeſſiones audiant abſque ſuorum Prælatorum expreſſa licentia. ſic habetur ex priuil. Innoc. IV. conceſſo Ordini Prædicatorum, quod refertur *in ſupplem. Minorũ, & in lib. Monument. Ordin.* Idem priuilegium fuiſſe etiã à Clemente IV. conceſſum Minoribus, & Carmelitis, refert Rodr. *tom.1. quæſt. regul. q.62. art.4.* Immò idem cõceſſum fuit ab Innocentio VIII. & Iulio II. Ordini S. Auguſtini, & refertur *in compend. Mendicant. verb. confeſſio, & confeſſor, §.6. & 7.* Atque idem ſimiliter conceſſerunt Clem. VII. & Gregor. XI. Ordini Ciſtercienſium, vt habetur *in eius comp. verb. confeſſor, §.3.*

2. Suppono ſecundò, circa Religioſos peregrinantes, de quibus eſt præſens dubium, quòd, regulariter loquendo, ſi Religioſus peregrinus ſecum defert

fert ſocium eiuſdem Religionis Sacerdoté,qui ad confeſſiones audiendas per ſuum Superiorem deputatus ſit,tunc ei poſſet,vel etiã debuiſſet confiteri. Tum quia talis eſſe ſolet communis, & laudabilis Regularium obſeruantia; tum quia hæc etiam ſolet eſſe Prælatorum voluntas; quæ eſto aliquando non ſit expreſſa,ſufficit tacita,& incluſa in ipſa ſic peregrinandi licentia; quam recta ratio ſatis indicat ſic interpretandam.Si autem Religioſus peregrinus, hoſpitij cauſa ad domũ aliam, ſeu Conuentum eiuſdem Ordinis diuertere contingat, tunc liberum ei erit confiteri vel ſocio ſuo, vel Prælato Conuentus, vel aliis Religioſis ibi commorantibus, modò ſint per ſuos Prælatos expoſiti ad audiendas confeſſiones Religioſorũ;quod limitat Suar. *tom.4.de Relig.lib.2 cap.17. num.*4.niſi alicubi vel Superior, vel regula, vel ſpecialia ſtatuta aliter diſponant; illud enim ſemper obſeruandum eſſet.Tota igitur difficultas conſiſtit,an Religioſus peregrinus, cùm extra ſuæ Religionis Conuentus ad loca alia diuertit, poſſit cuicumque Sacerdoti regulari,vel ſæculari confiteri?

3. Suppono tertiò,quòd à caſibus in Religione reſeruatis,certum eſt de iure ordinario, neminem extra Religionem poſſe abſolui,etiãſi pœnitens aliquando licentiam habeat alieno confitendi de communibus Ratio eſt,quia,vt colligitur ex *cap.fin.de procurat.* in conceſſione generali non veniunt ea, quæ ſi ſpecialiter peterentur, non eſſent concedenda.atque idem habetur ex *cap ſi Epiſcopus, de pœnit, & remiſſ.* fauet Nauarr. *in manu.cap.27 num.*261. vbi aſſerit, quòd Epiſcopus concedendo caſus ſuos, id eſt,ſibi reſeruatos, non videtur concedere authoritatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis; & rationem reddit, quia à diuerſis non fit illatio. *l. Papinianus. ff.de minor.& cap.ad audientiam,de decim.* atque ideo,quamuis Religioſi itinerantes poſſint de licentia ſuorum Prælatorum abſolui ab externis Confeſſoribus, (vt ſtatim dicemus;) in hac tamen facultate generali non comprehenduntur caſus reſeruati, vt ex præallegatis iuribus habetur. Neque huiuſmodi facultas cenſetur etiam conceſſa à Prælatis,niſi expreſsè,& in ſpecie declaretur, ob inſinuatam rationem, nempe, quia ſpecialis caſus ſub generali conceſſione non comprehenditur. Sed de his concluſione tertia. Sit igitur

4. Prima concluſio. Religioſi itinerantes, vel dum extra ſuos Conuentus extiterint, poſſunt de ſuorum Prælatorum licentia, cuicunque Sacerdoti regulari, vel ſæculari confiteri. eſt communis,& habetur expreſsè *in cap ſi quis, de pœnit.& remiſſ.*atque eam ſatis oſtendunt plures Pontificum conceſſiones ipſis Religioſis factæ. Nam Ordo Prædicatorum habet ſpeciale priuilegium à Sixto IV. conceſſum, quod refertur *in compend. verb. abſolutio ordinaria, quoad Fratres.* §.39. vbi habetur,quòd Prælati poſſint concedere Fratribus ſuis,vt dum itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus ſuos, valeant confiteri quibuſcunque Sacerdotibus regularibus, vel ſæcularibus. Idem conceſſit Leo X. & refertur *ibidem.* §.13. nempè quòd Fratres Prædicatores,& alij Fratres, quando ſunt extra Conuentum, & non habent copiam proprij Confeſſoris, poſſint cõfiteri peccata ſua alicui Religioſo alterius Religionis, ſeu Preſbytero ſæculari, dummodo id fiat ſine fraude, & dicant Prælato ſuo.Similiter *in comp. Ordinis Ciſtercienſium* id ipſum refertur fuiſſe illis conceſſum ab Innocentio VIII. Immo idem etiam conceſſit Gregorius XIII. Societati IESV. de quo indulto agendum erit *concl.ſequenti.* Nunc autem omnes Religioſi,ſicut habent priuilegiorum cõmunicationem,

Digitized by Google

ita eiſdem frui poſſunt, & de facto fruuntur. Et meritò quidem, quoniam Religioſi peregrinantes non debent confeſſionis ſubſidio priuari, nec quoad hoc reputandi ſunt peioris conditionis, quàm peregrini ſæculares, qui liberè poſſunt more incolarum confiteri cuicumque Sacerdoti ordinariam, ſeu delegatam iuriſdictionem habenti, vbicumque inueniantur.

5. Secunda concluſio. Religioſi itinerantes, ſeu dum extra Conuentus ſuos commorantur, non debent, nec poſſunt confiteri Sacerdoti ſimplici regulari, ſeu ſæculari, ſed illi dumtaxat, qui per ſuos Superiores fuerit ad audiendas confeſſiones expoſitus. Ita vt nimirum, ſi Sacerdos ſit regularis, per Prælatum regularem ſit ad audiendas ſaltem Religioſorum confeſſiones expoſitus: ſi autem ſæcularis, ſit ſimiliter per ſuum diœceſanum ad id muneris approbatus. Hæc concluſio non placet aliquibus, ſed eam tenent expreſsè Rodr. *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſt.* 62. *art.* 4. & Mir. *in manu. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 35. *art.* 6. &

6. Suadetur primò, quia eſto ante Concilium Tridentinum Sacerdotes ſæculares poſſent in Confeſſorem eligere quemcumque Sacerdotem ſimplicem, quod tamen nunc illis per idem Concilium *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. interdicitur: at Regularibus nec ante Concil. nec poſtea licitum vnquam fuit Sacerdotem ſimplicem, etiam Religioſum eiuſdem Ordinis eligere in Confeſſorem, ſed eum dumtaxat, qui ad confeſſiones excipiendas fuerit à ſuis Prælatis deputatus. Igitur, ſicut hæc conſuetudo, tanquam laudabilis, ſemper fuit æſtimata, & in cunctis Religionibus benè ordinatis ab earumdem infantia ſemper viguit, vt teſtantur præcitati authores, ſic in futurum eſt obſeruanda, nec ab illa vllatenus recedendum.

7. Suadetur ſecundò. Abſolutio, quæ confertur à non habẽte iuriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam, nullius eſt momenti, vt definit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ſed abſolutio, quæ confertur à Sacerdote ſimplici regulari, ſeu ſæculari, eſt huiuſmodi; ergo Religioſi itinerantes non poſſunt Sacerdoti ſimplici cuicumque validè confiteri. Maior, & conſequentia patent. Minor probatur, quia non poteſt dici, quòd habeat illam ex vi ſuæ ordinationis, vt prætendit Armachan. nec à pœnitente per voluntariam ſubiectionem, vt opinatur Caietanus, vtrumque enim falſum eſſe oſtendimus *dub.* 2. præcedenti: nec habet illam à Prælato pœnitentis, quoniam ſicut nemo poteſt ius dicere in non ſibi ſubditum, ita nec ibi iuriſdictionem ſuam delegare, quod in Prælato locali locum etiam habet ex alia cauſa, nempe quia, regulariter loquendo, Prælati locales non habent authoritatem conſtituendi Confeſſores etiam ſubditos, vt dictum eſt ſuprà. Denique nec eam habet à Pontifice, quia nullibi conſtat expreſsè de huiuſmodi conceſſione, debuiſſet autem conſtare, cùm ſit contra ius ſpeciale. Ergo neceſſariò fatendum eſt non poſſe Religioſos itinerantes, aut extra ſuum Conuentum commorantes validè confiteri cuicumque Sacerdoti ſimplici, niſi per ſuum Superiorem ſit ad confeſſiones ſaltem Religioſorum excipiendas deputatus.

8. Tertiò, quia magnum videtur abſurdum dicere, quòd Religioſis ſubditis maius concedatur priuilegium, quàm eorumdem Prælatis, immò quàm Epiſcopis, & Cardinalibus; ſed *dub. præced.* oſtendimus, Prælatos regulares quoſcumq; etiã Generales, non poſſe confiteri Sacerdoti ſimplici non ſibi ſubdito, atque idem etiam oſtenſum fuit de Epiſcopis, & Cardinalibus. Igitur à fortiori idem ſimiliter eſt ſentiendum de

Digitized by Google

de Religioſis ſubditis, dum itinerare, ſeu extra ſuos Conuentus commorari contingat.

9. Quartò, quia ex oppoſito plura poſſent ſequi inconuenientia in præiudiciũ regularis diſciplinæ; nam in primis poſſet euenire, quòd Sacerdos ſimplex ſit notabiliter ignarus, & omnino inexpertus, & forſitan incapax retinendi ſecretum. Secundò, quòd ſit prauis moribus affectus. Tertiò, quòd ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus; hinc autem quot poſſint incommoda prouenire, facile quis poterit iudicare. Ad hæc poſſet quis ſuo Prælato renitente, immò & contradicente itinerantium confeſſiones aliquando excipere: quæ omnia, & alia eiuſmodi ceſſant dum confeſſiones excipiunt illi, qui per ſuos Superiores reſpectiuè ſunt ad id muneris expoſiti. Nec eſt veriſimile, quòd Pontifex intendat priuilegium Religioſis concedere eorumdem regulari obſeruantiæ adeò repugnans.

10. Confirmatur ex cõceſſione Gregorij XIII. facta Societati Ieſu, vbi inter alia habetur, quòd nulli prædictæ Societatis liceat extra illam eligere Confeſſorem, niſi ratione itineris, aut alia de cauſa ab eiuſdem Superioribus, aliis Confeſſariis intra, aut extra Societatem, confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur; ſecus facta irrita, & inanis decernitur. Hæc ibi, & refertur in compendio Societat. *titulo Abſolutio fol.* 11. Ecce quomodo non ſimplici Sacerdoti, ſed Confeſſario iam inſtituto confitendi conceditur facultas itinerantibus.

11. Neque obſtat primò ſi dicas, in priuilegio per Sixtum IV. conceſſo Ordinis Prædicatorũ, ſimpliciter haberi, quòd itinerantes de licentia ſuorum Prælatorum poſſint confiteri quibuſcumque Sacerdotibus regularibus, ſeu ſæcularibus; & in priuilegio per Leonem X. conceſſo habetur, quòd Prædicatores, & alij Fratres quando ſunt extra Conuentũ, & non habent propriũ Confeſſorem, poſſint confiteri alicui Religioſo alterius Ordinis, vel Presbytero ſæculari, vt *ſuprà* indicauimus. Reſpondetur enim has, & ſimiles conceſſiones interpretandas fore iuxta regulas iuris communis. Vnde, cùm Tridentinum diſponat, non eſſe validam abſolutionem quæ confertur à non habente iuriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam; idcircò neceſſariò ſunt præcitatæ conceſſiones interpretandæ de Sacerdotibus aliàs expoſitis.

12. Neque obſtat ſecundò, ſi dicas nonnullos DD. magnæ æſtimationis contrarium opinari, præſertim Nauarr. *in ſumm. cap.* 4. *num.* 7. & Suar. *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 5. Reſpondetur tamen, nec Nauarr. nec Suar. ibi ſimpliciter aſſerere, quòd poſſit Religioſus Sacerdotem ſimplicem eligere in Confeſſorem; Suarez namque *loco citato* ait, Superiorem regularem poſſe ſuis ſubditis exponere Confeſſorem non approbatum ab vllo Epiſcopo, quod eſt veriſſimum, & nos libenter concedimus. Vnde ſi *tom* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. aliud prætendit, putans ſufficere licentiam itineranti conceſſam à ſuo Superiore, vt ex verbis illius videtur deduci. Reſpondetur id falſo fundamento dixiſſe, vt conſtat ex dictis in ſecunda probatione, atque idem reſpondetur ad Regin. qui eidem opinioni adhæret *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15 *num.* 175. Nauar. autem inquit, Religioſos, adhuc poſt Concilium Tridentinum, poſſe virtute ſuarum Bullarum, cõfiteri Clericis ſæcularibus idoneis, quod poteſt, ac debet exponi de idoneis, iuxta formam Tridentini. Hæc enim conditio adeò eſt neceſſariò ſemper ſubintelligenda, vt quamuis Pontifex ſuam iuriſ-

Digitized by Google

dictionem delegando, poſſit de potentia abſoluta eam communicare cui licet Sacerdoti, non ſeruata tali forma: at, quoties ſimpliciter, & ſine tali declaratione illam committit, interpretandus eſt iuxta Concilij formam id præſtare.

13. Hinc, ſi vnquam Pontifex alicui abſolutè concedat facultatem eligendi Confeſſorem, ſemper intelligitur de Confeſſore idoneo, iuxta d. formam, eſtò id non exprimat, vt rectè docet Suar. *ibidem num.9.&* 10. Immo opinio Nauar. in nonnullis exemplaribus ſatis mutata reperitur. Adde, quòd in re adeò graui, & ex qua pédet valor Sacraméti, non eſt ſtandũ opinioni, ſed rationi, & iurium diſpoſitioni; contraria autem opinio nec valida ratione, nec iure aliquo ſaltem expreſſo fulcitur.

14. Tertia concluſio. Circa abſolutionem à caſibus reſeruatis, vnuſquiſque debet ſuæ Religionis conſuetudinem, vel regulæ, prælatiuè directionem ſeruare. Ratio eſt, quoniam etiam in hoc Religioſi ſpeciali iure regi conſueſcunt, ac propterea vnuſquiſque illud ſeruare tenetur.

15. Neque obſtat priuilegium ab Innocétio Octauo Prædicatoribus Monachis conceſſum, vt dum extra monaſterium Ordinis exiſtunt, de licentia Superiorũ, cuicunque Regulari, ſeu ſæculari Sacerdoti cõfiteri poſſint, & à quocumque caſu quomodocumque reſeruato abſolui, ſicut à Confeſſariis ordinariis. Ita habetur *in compend. Ciſtercien. ver. confeſſor* §.5. & refertur à Rodr. *tom.*1. *quaſt. regul.q.* 62. *art*... & à Suar. *tom.*4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 3.

Reſpondetur tamen, quòd nec conſtat, nec neceſſarium eſt indultum illud eſſe vſu receptum in aliis Religionibus, tum quia non eſt omnibus directè factum, nec aliæ coguntur eius communicationem admittere; tum etiam, quia non continet præceptum, ſed datur per modum priuilegij, cui renunciare potuit ipſa etiam Religio, cui directè conceſſum eſt. Immò veriſimiliter credendum eſt, Pontificis mentem fuiſſe, non regularem diſciplinam relaxare, ſed neceſſitati ſolùm Religioſorum paterno affectu prouidere.

16. Hinc Suarez ibidem, quamuis *n.*2. aſſerat, quòd, moraliter loquendo, neceſſarium eſt, de opportuno remedio Religioſis peregrinantibus prouidere, ne cogantur, vel cum peccato aliquando (quod abſit) celebrare, ſeu communicare, vel cum ſcandalo, & propriæ conſcientiæ detrimento diu à celebratione, ſeu communione abſtinere: attamen *num.*4. meritò cenſet, magis eſſe in his attendendam regulam, ſeu conſuetudinem Religionis, aut Prælatorum ordinationem, quàm priuilegia. Etenim circa facultatem Religioſis itinerantibus pro abſolutione à reſeruatis concedendam in diuerſis Religionibus diuerſa eſt praxis. Nam in aliquibus fortaſsè vel ex regula, vel ex conſuetudine conſtat, talem licentiam ſimpliciter, & abſolutè cenſeri conceſſam eo ipſo, quòd Prælatus non prohibet, nec limitat illam. Vnde in huiuſmodi Religionibus, eo ipſo quòd de licentia ſui Prælati quis peregrinatur, conſequenter deſinunt eſſe reſeruata, cùm proinde abſolui poſſint à quolibet Confeſſore. Sic refert Suarez, cui non placet talis vſus, nec mihi etiam. Probatur, tum ob notabile diſpendium quod inde Religioni ipſi proueniret; tum, quia ſi reſeruatio vt frænum adhibetur, ne quis ita facilè prolabatur, nemo mentis compos ignorare poteſt, multò magis agere tali fræno Religioſum dum extra monaſterium vagatur, cùm tunc ſit pluribus periculis expoſitus.

17. Hac de cauſa in aliis Religionibus conceditur peregrinantibus dicta facultas,

Digitized by Google

facultas, cum onere tamen poſtea comparendi coram Prælatis, ad quos caſuum reſeruatio ſpectat. Hic modus laudabilis ſane videtur; ſic enim nec Religioſus cogitur à celebratione, ſeu communione diu abſtinere, nec eidem omninò tollitur reſeruationis frænũ. Vnde non immeritò id obſeruari dicitur in Religione Carthuſiæ, Sancti Hieronymi, & Societat. Ieſu, ſic referente Suar. *ibidem.* Cæterùm de huiuſmodi ritu latiùs infrà *cap.* 3. vbi circa hanc materiam nonnulla dubia ſcitu digna diſcutienda erunt.

18. Corduba ſuper Regul. S. Franciſci *cap.* 7. *q.* 3. docet, Fratres Minores de Obſeruantia (non poſſe abſque ſpeciali priuilegio, extra Religionem de reſeruatis confiteri, idque illis eſſe interdictum ex vi regulæ, & ex conſtitutionibus tam Apoſtolicis, quàm Religionis, nec non ex conſuetudine. Atque in primis, ad probandum, id eſſe ex vi regulæ prohibitum, refert Hug. Bart. Piſ. & alios, qui ea potiſſimum ratione ducuntur, quoniam regula ſolùm concedit, quòd Miniſtri poſſint Fratres peccantes remittere ad alios eiuſdem Ordinis Sacerdotes pro imponenda pœnitentia de reſeruatis. Hæc tamen ratio non placet Cordubæ, tum quia ibi agitur dumtaxat de reſeruatis publicis, vt omnes expoſitores fatentur, tum quia id non iniungitur obligatoriè Miniſtris, ſed ſimpliciter inſinuatur modus obſeruãdus in euentu, quòd Miniſter nõ ſit Sacerdos. Vnde nec ſimiliter Clemens Quintus id inter obligatoria computauit. Probat igitur Cordub. ſuam doctrinam ex quadam Bonifacij Octaui conſtitutione, quæ habetur *in cap.* 6. *ſtatutorum generalium Barchinonenſium*, vbi inter alia ſic ait: Inhibemus vniuerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliquis eorum, niſi in neceſſitatis articulo, aliis, quàm Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumat, vel aliis Sacerdotibus eiuſdem Ordinis ſecundùm regulam & ipſius Ordinis ſtatuta. Hæc *ibidem.*

19. Atque idem, & eiſdem ferè verbis prohibuiſſe Clementem IV. refert Rodr. *vbi ſuprà art.* 5. ex quibus apertè deduci videtur confeſſionem extra Ordinem de reſeruatis interdictã eſſe Fratribus Minoribus de Obſeruantia directè ex conſtitutionibus tum Pontificiis, tum Religionis; indirectè verò ex vi regulæ.

20. Deinde idem probare intendũt *loco citato* Cord. Rodr. & Mirand. ex conſuetudine, quæ habet vim legis, cùm illam approbat Prælatus tacitè, vel expreſsè, vt tradunt Sot. *lib.* 1. *de iuſt. q.* 7. *art.* 2. & Med. 1. 2. *q.* 97. *art.* 7. talis autem eſt conſuetudo, de qua agimus, cùm ſit ab omnibus recepta, & de rebus honeſtis, ac neceſſariis ad decorem Religionis conſeruandum, cuius oppoſitum probabiter timendum eſſet, ſi exceſſus ſaltem graues extra Religionem propalarentur. Sed forſitan dices, hinc ſaltem præberi anſam vel celebrandi, aut communicandi aliquando abſque præuia confeſſione, contra præſcriptum Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. vel diu abſtinendi à celebratione, ſeu communione fortaſsè non abſque periculo ſcandali.

Reſpondent Rodr. & Miran. negando aſſumptum. nam, ſi dum Religioſus vagatur extra Conuentum, in caſum incidat reſeruatum, & non habeat expreſſam, ac ſpecialem ſui Prælati licentiam, vt ab alieno de reſeruatis abſoluatur, nec à celebratione, ſeu cõmunione poteſt abſque ſcandalo abſtinere, tunc ad celebrationem, ſeu communionem accedere valet ſine confeſſione, ſola contritione, prout præcitati authores expreſsè tradunt; qui etiam aſſerunt de huiuſmodi Religioſo ſentiendum eſſe, ac ſi non haberet copiam Confeſſoris, nec

Digitized by Google

nec id putant repugnare Cōcilio, immò eſſe illi conſentaneum, cùm ita definiat in caſu neceſſitatis faciendum; ſubdit tamen, quòd ſi vnquam Sacerdos, neceſſitate vrgente coactus, abſque præuia confeſſione celebret, teneatur poſt celebrationem quamprimum confiteri. Sed

21. Quæres primò, quid ſit faciendum, vbi nec per regulam, nec per ſtatuta ſatis extet declarata huiuſmodi facultas, vel modus illius, nec de conſuetudine ſimiliter ſatis conſtet, quia nonnulli ſolent eam petere, alij minimè, præſertim ſi contingat ex obliuione naturali aliquem diſcedere, non obtenta, nec poſtulata dicta licentia.

Suar. *num.* 5. reſpondet, credendum eſſe, quòd implicitè ſit conceſſa à Superiore in ipſa peregrinandi facultate, ſaluo tamen rigore reſeruationis, quoad fieri poteſt. Priorem partem probat, tum quia, qui vnum concedit, virtute videtur concedere aliud, quod moraliter neceſſarium eſt ad id conuenienter exercendum. tum quia vniuerſalis conſuetudo ita videtur voluntatem Prælatorum interpretari; poſteriorem verò partem probat, quoniam dicta facultas non conceditur, niſi ob neceſſitatem, & conſequenter explicanda eſt iuxta ea iura, quæ in ſimili euentu facultatem concedunt. Et quotieſcumque eiuſmodi facultas in iure conceditur, ratione occurrentis neceſſitatis ſolet concedi ſaluo onere reſeruationis, & conſequenter ſub obligatione comparēdi: igitur iuxta eundem ſenſum eſt etiam interpretandum, quoties Superior id expreſsè non declarat.

22. Ego autem in caſu, de quo agimus, cenſeo potiùs non concedi vllam facultatem, vt ſatis habetur ex dictis in tertio notando. Nihilominus, ob inopiam Confeſſoris, qui à reſeruatis abſoluat, poſſet tunc Religioſus directè abſolui ab aliis peccatis: reſeruata autem per accidens ſolùm remitterentur ſicut oblita; atque adeò integra maneret obligatio confitendi ſuo Superiori, vel alteri de eius licentia, quod nec vllatenus repugnat, nec diſplicet ipſi Suario, immo eſt ferè communis opinio.

23. Quæres ſecundò, an ſi contingat Religioſum peregrinantem ad locum aliquem accedere, vbi ſuæ, & alterius Religionis Sacerdotes, necnon Preſbyteri ſæculares exiſtunt, liberum ſit eidem Religioſo itineranti eligere quemcunque iſtorum?

24. Reſpondetur, & dico primò, quòd ſi adſit Sacerdos ſuæ Religionis Confeſſor idoneus, eidem potius, quàm alteri confiteri debet, ſaltem cæteris paribus; tum quia ſatis probabiliter præſumendum eſt, Prælati voluntatem eſſe, vt ipſius ſubditus non confiteatur extraneo, cùm ſuæ Religionis Confeſſorem poſſit habere; tum etiam, quia id magis commendat vnitatem & fidelitatem erga Religionē. Vnde meritò Suar. *d.c.* 17. *n.* 8. docet id eſſe magis ordinatum, & conſequenter omnino conſulendum.

25. Dico ſecundò, quòd ſi non adſit Sacerdos Confeſſor ſuæ Religionis, adſit tamen Confeſſor alterius Religionis idoneus, cenſeo adhuc eſſe conſulendū vt illi potius confiteatur, quàm Preſbytero ſæculari, ſaltem quia, cæteris paribus, Religioſus quicunque eſt regularis diſciplinę magis capax, & conſequenter Regularis, pœnitentis defectus faciliùs comprehendet.

26. Dico tertiò, quòd niſi de huiuſmodi limitatione conſtet, vel ex regulæ præſcripto, vel ex aliqua Ordinis conſtitutione, vel ex Superioris præcepto, videtur nihilominus, quòd nō ſit neceſſariò obſeruāda, maximè, quia non ſolùm eſt oneroſa, ſed pluribus etiam ſcrupulis expoſita, atque ita ſentit idem Suar.

27. Quæres tertiò, an Nouitij poſſint abſque Prælati facultate confiteri cuicum

Digitized by Google

cuicumque Sacerdoti aliàs idoneo, & iuriſdictionem habenti?

Reſpondetur, quòd in hac re eſt duplex opinio: quidam enim DD. tenent partem negatiuam. ita Cord. *in ſuo Quæſtion. lib. 1. q. 30.* vbi aliis citat. eam potiſſimum probat, quia qui transfert domicilium, ſubditur omnino ſpirituali iuriſdictioni illius loci, ad quem tranſit; argum. eorum quæ tradunt DD. *cap. fin. de paroch. cap. propoſuiſti, & cap. vlt. de foro compet.* & Sylu. atque alij Summiſtæ *ver. domicilium.* Sed Nouitij transferunt domicilium, quamuis reuocabiliter, ad Religionem, in qua induuntur; ergo omnino ſubſunt iuriſdictioni Prælatorum illius, dum ibi manere volunt, non aliter, ac profeſſi, vt abſolui, ac ligari poſſint ab eis, & non ab aliis, niſi de eorum licentia.

28. Alij partem affirmatiuam tuentur. ita Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 16. §. 3. lit. X. & lib. 7. de Indulg. cap. 22. §. 7. lit. I. & V.* vbi pro eadem opinione citat Angel. *verb. Nouitius.* §. 18. & Armill. *ibidem.* Ducuntur autem, quia Nouitij ante profeſſionem non ſunt, nec dicuntur propriè Religioſi. Igitur nec poſſunt ligari per Prælatos, vel Regulam, ſeu ſtatuta quoad hoc, ſicut ligantur profeſſi. Conſequentia patet, & antecedens probatur per *cap. religioſo, de ſent. excom. in 6.* & Ioann. Andr. & Gloſ. *cap. beneficium, eod. tit.* Vnde Nouitius nec poteſt ordinari etiam ad primam tonſuram, nec eligi in Prælatum; gaudent tamen Nouitij aliquibus fauoribus ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ priuilegio, nempè immunitate canonis *ſi quis ſuadente.* vt habetur *in d. c. religioſo,* & quòd nequeant puniri per iudicem ſæcularem, vt ait Bald. *in Auth. ingreſſi. C. de ſacr. ſanct. Eccleſ.* & aliis huiuſmodi, quibus gaudent etiam Conuerſi, ſeu donati, & familiares eiuſdem Religionis, qui nihilominus non ſunt Religioſi.

29. Mihi autem videtur dicendum quòd Nouitij intra Religionē nequeunt confiteri, niſi Prælatis, ſeu aliis de eorū licentia. Sed extra Religionem non poſſunt, inuito Prælato, confiteri alicui iuriſdictionem Epiſcopalem dumtaxat habenti. Hæc ſententia, quoad priorem partem probatur, quia Prælati regulares poſſunt ex officio iuriſdictionem ad audiendas Religioſorum confeſſiones impēdere, vel abſolutè, itavt cuiuſcumque Religioſi ſibi ſubditi confeſſionem excipere valeant, vel limitatè, itavt confeſſiones Sacerdotum, & non aliorum excipiant. Ergo ſimiliter poſſunt prædicti Superiores iuriſdictionem limitatam communicare eiſdem, ne confeſſiones Nouitiorum poſſit aliquis abſque eorum expreſſa licentia excipere, & in eo caſu nequeunt Nouitij confiteri huiuſmodi Confeſſoribus, non quia ex parte ſua ſunt impediti, ſed quia dicti Confeſſores iuriſdictione carent.

Quoad poſteriorem partem probatur eadem ſententia, quia eſto Nouitij poſſint confiteri cuicumque Confeſſori priuilegiato habenti iuriſdictionem immediatè à Papa, vt omnium fidelium poſſit confeſſiones excipere, aut aliis virtute Cruciatæ, vel ſimilis priuilegij electis, non tamen iis, qui ſolùm iuriſdictionem Epiſcopalem habent, & in hoc ſenſu videtur interpretanda opinio Cordubæ. Sed inſuper probatur, tum quia tota Religio ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ priuilegio eſt exempta à iuriſdictione Epiſcopi in vtroque foro: in hac antem exemptione Religio accipienda eſt non vt ex profeſſis ſolùm conſtat, ſed vt Nouitios etiā complectitur; nam beneficium Principis ampliſſimè eſt interpretandum quantum verba ipſius iuxta communē vſum patiuntur. Nouitij autem eſto non ſint propriè Religioſi, propriè tamen ſunt in Religione, & dum ſub eius obedien-

tia, & habitu vitam traducunt, Religioſi appellātur, tum etiam, quia ex oppoſito ſequeretur, Nouitios ſimili, & eodem tempore duos ordinarios Paſtores non ſubordinatos inter ſe habere in hoc foro, quod videtur debito ordini repugnare, & confuſionis anſam præbere. Nec enim quis duplici iure cenſeri debet, 12. *q.* 2. *cap. cognouimus*, *& de decim. cap. cùm in tua*, *& de priuileg. cap. quia circa.* Vnde gloſ. *in cap. recolentes*, *de ſtat. monach. & in cap. & temporis qualitas.* 16. *q.* 1. aſſerit, id, quod alteri aggregatur, ipſius naturam imitari debere; nec ibi diſtinguitur, ſi reuocabiliter, ſeu irreuocabiliter; ad tempus, ſeu in perpetuum quis ad ſimilem eorum vitam, aut ſocietatem aggregetur. ergo idem eſt de Nouitiis, ac profeſſis, quoad ſupradicta, ſentiendum.

CAPVT III.

De peccatis reſeruatis, à quibus virtute Bullæ poteſt quis abſolui.

DVBIVM I.

Vtrùm in Eccleſia Dei ſit poteſtas reſeruandi peccata.

PRo pleniori intelligentia eorum, quæ in hoc capite dicenda ſunt,

1. Suppono primò, vocem *caſus*, à cadendo deriuari; inde enim & Angelorum, & hominum caſus nuncupatur, cùm primùm à Dei gratia in peccatum lapſi, veluti è ſublimi gradu ad ima infeliciter ceciderunt. Caſus igitur reſeruatus dicitur ille, cuius abſolutio iure humano, & poſitiuo interdicta eſt. Vnde, nomine *caſus reſeruati*, propriè loquendo, in præſenti ſolùm veniunt intelligenda peccata, non Angelorum, ſed hominum; immò nec cenſuræ, irregularitates, vota, & iuramenta, vt tradunt Sylu. *ver. caſus, in princip.* Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 261. & plures alij, quos refert, ac ſequitur Henriq. *lib.* 6. *c.* 14. *lit. M.* Ratio eſt, quia hîc non agimus de quocūque actu iuriſdictionis, præſertim exterioris, ſed ſolùm de reſeruatione culpæ in ordine ad ſacramentalem abſolutionem. Fateor, quòd, largè & generaliter loquendo, etiam illa dicuntur caſus reſeruati, maximè excommunicatio, vt docent iidem DD. impropriiſſimè tamen, vt rectè notauit Nauarr. *ibidem.* Vnde fit, quòd ſi Epiſcopus concedat abſolutionem à ſuis caſibus, non cenſetur concedere diſpenſationem votorum, iuramentorum, & irregularitatum. Et ſimiliter, ſi concedat facultatem eligendi Confeſſarium idoneum, non ideo concedit, vt poſſit à caſibus reſeruatis abſoluere, niſi id exprimatur, vel conſtet euidenter per ſigna. Ita habetur *cap. ſi Epiſcopus*, *de pœnit. & remiſſ.* & docent Sylu. *ver. Confeſſ.* 3. *q.* 2. Caiet. *ver. Abſolutio cap.* 2. & Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *q* 4. *art.* 2. Armill. *ver. caſus* §. 1. *& ver. Abbas* §. 5. Tab. *ibid.* §. 8. Angel. *Confeſſ.* 3. §. 18.

2. Suppono ſecundò quòd, regulariter loquendo, nullum eſt peccatum Summo Pōtifici reſeruatum, quod non habeat excommunicationem annexam. Ita Henriq. & Nauar. *loc. citat.* Graff. *lib.* 1. *deciſ. cap.* 13. *num.* 40. Caiet. *ver. caſus*, Tolet. *ſum. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. & Suar. *tom.* 4. *diſp.* 39. *ſect.* 2. *num.* 2. Dixi notanter, *regulariter loquendo*, quia nonnulli opinantur, aliquot crimina Summo Pontifici reſeruari, quibus nulla eſt annexa cenſura. Ducuntur, quia in Extrauaganti *inter cunctas*, *de priuil.* præcipitur Parochis, vt admittant cōfeſſiones ſuorum Parochianorū, Mendicantibus factas, nec poſſint cōtra illos excipere,

niſi

niſi dum Parochianus eſt excommunicatus, aut notorius peccator. Et ſubditur ſtatim, ſed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem, quia ſi hoc egerit, à delicto tali, niſi plene ſatisfecerit, præterquam in morte, abſolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur. Vbi, ob huiuſmodi mendacium, abundè conſtat, nullam imponi cenſuram, & tamen illa videtur propria ipſius reſeruatio.

3. Deinde idem expreſſiùs deducitur ex Motu proprio Sixti V. con. Clericos malè promotos edito: eos namque ob illam culpam ſuſpendit, non tamen excommunicat. Et tandem ſubdit, perſonæ, vt ſic præfertur, delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promouentes, quam Clerici malè inſigniti, ſeu ordinati à reatibus, & exceſſibus præfatis abſolui, præterquam in mortis articulo, non poſſint. Vtriuſque auté præcitatæ conſtitutionis, ſicut auctor eſt Summus Pontifex, ita etiam reſeruationem eidem ſimiliter fieri, abſolutè dicendum eſt. Nec obſtat, ſi dicas, dictam Extrauagantem fuiſſe annullatam per Clement. *Dudum, de ſepult.* & conſtitutionem Sixti V. fuiſſe à ſucceſſoribus reſeruatam; de his tamen alibi ſaltem ex vtraque deducitur, illum reſeruationis modum non eſſe omnino ab vſu Pontificum alienum; fatetur tamen Suar. *art. 5.* quòd, his exceptis, nullam aliam inuenerit reſeruationem pontificiam, cui non ſit annexa excommunicatio, atque ideo infert, regulariter eſſe verum, Pontifices nullum ſibi reſeruare peccatum; cui aliqua excommunicatio, vel ſaltem irregularitas, non adiungatur.

4. Suppono tertiò, hanc pontificiam reſeruationem, vt de facto ſit, reſpicere vtrumque, nempe cenſuram, & culpam, ſolet tamen dubitari, num reſeruatio cadat immediatè in culpam, an ſolùm in cenſuram? Et quamuis hæc duo coniuncta exiſtant, diſtincta tamen manere omnes fatentur. Et quidem de cenſura certiſſimum eſt, proximè, & immediatè reſeruari, nec eſſe aliud, quod mediante illa reſeruetur, vt ex ipſis iuribus ſit manifeſtum. Solùm igitur controuertitur de culpa, an nimirum reſeruetur mediatè, id eſt, ratione cenſuræ, an verò immediatè, ratione ſui ipſius? Suar. *vbi ſuprà num.* 8. cum aliis per eum relatis, cenſet per reſeruationes pontificias vtrumque in ſe reſeruari. Ducitur potiſſimum ex *cap. ſi quis ſuadente.* 17. *q.* 4. vbi fertur prima omnium reſeruationum Papalium, atque *ibidem* de percuſſore Clerici primùm dicitur, anathematis vinculo ſubiaceat, & poſtea ſubditur, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur. Obſeruat autem Suar. abſolutionem ibi reſeruatam, non quidem referri ad cenſuram dumtaxat, ſed ſimpliciter ad ipſum peccatorem anathematis vinculo ſubiacentem, & conſequenter totum id reſeruari, id eſt, tam culpam, quàm cenſuram; atque idem videtur apertè deduci ex pluribus aliis iuribus.

5. Nihilominus verius cenſeo dicendum, reſeruationem ſiſtere in cenſura, ſolùm autem mediatè, & quaſi per accidens redundare in culpam. Et probatur, tum quia ablata cenſura, manet peccatum nó reſeruatum, itaut quilibet Confeſſarius approbatus poſſit ab illa abſoluere, ita communiter DD. Igitur neceſſariò fatendum eſt, iuriſdictionem ſolùm fuiſſe ablatam circa cenſuram, alioquin ablata cenſura, adhuc maneret reſeruatio culpæ. Tum, quia id ſufficit ad ſaluanda verba decreti, & intentionem ipſius reſeruantis, vt conſtat. Vnde, cùm res ſit odioſa, eſt mitiori

Digitized by Google

modo interpretanda. Ita videntur ſentire Dur. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 15. & Caiet. *ſum. ver. caſus*, dum ait: Solos illos caſus eſſe Sedi Apoſtolicę reſeruatos, quos eccleſiaſtica cenſura, hoc eſt, excommunicatio reſeruat; & poſtea ſubiungit, cenſuram eſſe quaſi adæquatam rationem huius reſeruationis, & conſequenter illa ablata, omnino reſeruatio tollitur. Idem ſentiunt Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 261. & Alcoc. *in ſuo Confeſſ. cap.* 12. cum multis, quos ipſe refert. His ſic præmiſſis, ſit

6. Prima concluſio. Certum eſt, immò de fide tenendũ, eſſe in Eccleſia Dei poteſtatem reſeruandi peccata; hęc autem poteſtas reſidet non ſolùm in Summo Pontifice, ſed in aliis etiam Prę-latis iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habentibus. Ita DD. *in* 4. *diſt.* 17. vbi D. Thom. *q.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2 *ad* 4. Palud. *quæſt.* 5. *art.* 1. Gabr. *quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Maior. *quæſt.* 5. Sot. *d.* 18. *quæſt.* 2. *art.* .. Ledeſm. 2. *part.* 4. *quæſt.* 8. *art.* 2. *concl.* 2. & Suar. *tom.* 4. *diſp.* 29. *ſect.* 1. *num.* 2. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 10. *punct.* 2. & communiter omnes. Sed

7. Probatur primò ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. vbi ſic habetur: Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Vnde meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo poterunt peculiari iudicio reſeruare. Et *in ead. ſeſſ. can.* 11. ſic habetur: Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſeruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit. Atque idem conſtat ex antiquiſſimo vſu totius orbis Chriſtiani, Religionum, & diœceſum, itaut hîc locum habeat illud Iuriſtarum axioma: Fideliſſimæ vetuſtatis mos retinendus eſt, quia pro magno teſte vetuſtas creditur. *l. more. ff. de iuriſd. omn. iud. l. teſtamentum. Cod. de teſtam.* & quod excellit antiquitate, venerationem habet. D. Baſil. *orat.* 1. *de ieiunio.* nam in Concil. Carthag. III. *cap.* 32. *& in cap. Africa. c.* 20. ſtatuitur, vt Preſbyter pœnitentem alicuius criminis reum inconſulto Epiſcopo, niſi neceſſitate cogente in ipſius Epiſcopi abſentia, nõ abſoluat. Et patet etiam ex multis aliis iuris canonici locis, in quibus caſuum reſeruatorum expreſsè fit mentio, vt ex dicendis *dubio ſequenti* fiet manifeſtum.

8. Probatur inſuper, tum ex ratione, quia iuriſdictio neceſſaria in ſacramento Pœnitentiæ manat à ſuperioribus Eccleſiæ Prælatis ad inferiores miniſtros, & conſequenter poteſt magis, minúſve limitata concedi ad arbitrium concedentis. Tum ex congruentia, quia ita expedire videtur, vt fideles ſaltem ob difficultatem obtinendi abſolutionem, arceantur ab aliquibus grauioribus exceſſibus, nec non vt à Prælatis meliùs corrigantur.

9. Secunda concluſio. Superiores iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi Epiſcopalem habentes, poſſunt reſeruare peccata reſpectu cuiuſcunque inferioris, eſto ordinariam habeant poteſtatem: nam tametſi in poteſtate Ordinis omnes Sacerdotes ſint pares, in iuriſdictione tamen ſunt ſatis inæquales, vt conſtat; ideóque adhuc inter ordinarios Paſtores eſt in hoc foro ſubordinatio, quæ ad bonum regimen in omni iudicio ſummoperè requiritur; ac proinde poteſt Superior iuriſdictionem inferioris coarctare, & caſus aliquos reſpectu illius ſibi reſeruare. Hinc autem

10. Sequitur

Digitized by Google

10. Sequitur primò, Summum Pontificem poſſe reſeruare caſus reſpectu omnium, eſtò ſint Epiſcopi, ſiue Archiepiſcopi. Ratio eſt, quia omnis iuriſdictio, quæ in Eccleſia exiſtit, ſiue ordinaria, ſiue delegata, manat à Summo Pontifice. igitur habet ipſe poteſtatem extendendi, aut limitandi illam, prout expediens iudicauerit, & conſequenter poteſt reſeruando ſibi caſus, inferiorum iuriſdictionem reſtringere.

11. Sequitur ſecundò poſſe Epiſcopum reſeruare caſus reſpectu Parochorum ſibi ſubditorum. Ratio eſt, quia licèt ordinaria iuriſdictio Parochorum, ſicut & diſtributio, ſeu diuiſio Parochiarum propriè non manet ab Epiſcopo, ſed ex ſummi Pontificis inſtitutione, ex eadem tamen manauit, vt Parochi in poteſtate iuriſdictionis ſine Epiſcopo ſubordinati, & ab illo quaſi dependentes, id enim expedit, imò requiritur ad conueniens Eccleſiæ regimen: atque adeò poſſunt Epiſcopi reſeruare ſibi aliquarum cauſarum cognitionem, vt docet Suar. 3. *diſp.* 29. *ſect.* 1. *n.* 6.

12. Sequitur tertiò, habentes iuriſdictionem ordinariam Epiſcopalem, ſeu quaſi Epiſcopalẽ, poſſe caſus reſeruare nõ ſolùm ſibi, ſed etiã alteri; idque conſtat euidenter, quia ſicut poſſunt ab altero iuriſdictionem auferre, ita & alteri poſſunt illam ſuo rationabili arbitrio reſeruare. Hinc Summus Pontifex reſeruat caſus non ſolùm ſibi, ſed etiam Epiſcopis. Epiſcopus etiam poſſet caſum aliquem reſeruare, atque illum Decano, vel Archidiacono committere, aut cuilibet alteri delegare, ſicut expedire cenſuerit. Vnde non placet opinio Sot. abſolutè aſſerentis *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. quòd ſi Epiſcopus reſeruet vnum caſum abſoluendum à Decano, & alterum ab Archidiacono, reſeruatio eſſet ridicula & inualida, id enim nulla ratione fundatur, quia non deeſt poteſtas, vt conſtat ex dictis, & poteſt prudenter fieri, ſi debita interueniat moderatio.

13. Tertia concluſio. Nullum peccatum merè internum, quod in ſola cogitatione conſumatur, de facto reſeruatum eſt; poſſet tamen reſeruari. Priorem partem huius cõcluſionis docet Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. contra nonnullos Canoniſtas falsò opinantes hæreſim mentalem eſſe Papæ reſeruatam, & excommunicationi ſubiectã, nobiſcum ſentiunt Caiet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 56. D. Anton. 3. *p. tit.* 11. *fin.* & plures alij, quos refert Henriq. *vbi ſuprà in comment. lit. F* & ratio eſt, quia ſicut Eccleſia non cognoſcit de actionibus, quæ in ſolo intellectu, aut voluntate conſiſtunt, cùm ſolus Deus ſit ſcrutator cordis, ita etiam non punit illas; puniret autem, ſi illas reſeruaret. Poſteriorem partem tuentur Caiet. citat. Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Ledeſm. 2. 4. *q.* 8. *art.* 2. *dubit.* 10. Med. *in ſum. lib.* 1. *cap.* 10. Petr. de Sot. *lect.* 5. *de confeſſ.* Suar. *tom.* 4. *diſp.* 29. *ſect.* 3. *num.* 3. & Compend. Mendic. *ver. abſolutio quoad fratres.* §. 12. Sed

14. Probari poteſt primò ex definitione Alexandri VI. relata ab Henriq. *loco citato*, vbi ait, Superiorem Regularium poſſe reſeruare peccata quædam cordis. Vnde perperam dixit Sotus *vbi ſuprà*, errorem eſſe reſeruare interna, cùm apertè Pontifex cenſeat ibi, aliquando poſſe expedire, vt ſaltem in ſtrictiori, feruentiorive Religione reſeruetur internus conſenſus in re graui; vt, v g. in hæreſi, aut in apoſtaſia à Religione catholica, præſertim ſiduret per tempus notabile, nimirum per horam, aut quid ſimile, vt benè notauit Henriq. *vbi ſuprà*, Fagund. *in* 2. *Eccleſ. præcepto lib.* 8. *c.* 1. *num.* 16. & alij recentiores.

15. Probatur ſecundò, quia abſolutio ab internis pecatis non poteſt dari,

Digitized by Google

niſi ab habente iuriſdictionem. Sed omnis iuriſdictio in hoc foro communicatur inferioribus per ſuperiores Paſtores; igitur, niſi Superior communicet illam alteri, reſeruata manebunt ipſi Superiori: hæc enim reſeruatio nõ conſiſtit in exercitio iuriſdictionis, ſed in ſubtractione, ſeu non collatione illius.

16. Nec obſtat ſi dicas cum Adrian. *q.* 4. *de confeſſ.* quòd Eccleſia non iudicat de occultis, & conſequenter Prælati non poſſunt reſeruare ſibi peccata interna, cùm non ſpectent ad ipſorum iuriſdictionem.

Reſpondetur Eccleſiam non iudicare de occultis, & internis, nec huiuſmodi iudicium ſpectare ad eius iuriſdictionem quoad forum externum, & conſequenter nec poſſe ea prohibere, ſeu punire in huiuſmodi foro; at quoad forum internum & pœnitentiale ſpectat quidem ad Eccleſiæ iuriſdictionem ferre ſententiam de occultis, & internis; itaut pœnitens ipſe iure diuino teneatur ad hoc iudicium peccata ſua deferre, & in eo eſſe ſui accuſator, & teſtis cõtra ſe; ac ſubinde poſſet etiam Eccleſia iudiciũ de peccatis internis cõmittere aliis, vel illud ſibi reſeruare.

17. Verùm, ſaltem regulariter loquendo, non expedit peccata interna reſeruare, & hæc eſt communis DD. ſententia, quam videtur ſatis conuincere vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo; & iuxta hunc ſenſum exiſtimo interpretandam opinionem Soti. Vnde, regulariter loquendo, imprudenter faceret Prælatus quicunque peccata purè interna ſibi reſeruans, tum quia illa ſunt frequentiſſima, & adeò occulta, vt vix homo etiam doctus ſecum, diſcernere poſſit conſenſerit, nec ne! atque ideo intolerabile eſſet, cum huiuſmodi ſcrupulis ad Papam, ſeu alios Superiores recurrere; tum etiã, quia inde innumeri pullularent ſcrupuli, vt conſtat; & conſequenter, qui peccata interna reſeruaret, animas dubio procul illaquearet, quod à pietate Chriſtiana valde alienum eſt. Quapropter caſus reſeruatus debet eſſe clarus, & certus, non dubius, aut æquiuocus. Vnde Sà *in ſuis Aphoriſmis tit caſus*, ſic ait: Caſus in dubiũ non præſumitur reſeruatus. immò addere poſſumus quòd caſus non expreſſus in textu decreti, habetur pro omiſſo, & caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni iuris communis. *l. ſi cum dote. ff. ſol. matr. in princ.* Hinc fit, quòd, quia aliquis caſus poteſt habere plures ſignificationes, vnam propriam, & alteram impropriam, tunc propria aſſumi debet, impropria omiſſa.

18. Sed quæres, an reſeruatio poſſit abſque legitima cauſa fieri pro arbitrio reſeruantis? Circa hanc difficultatem duo ſunt certa.

Primum eſt, id fieri non poſſe licitè, niſi ex iuſta cauſa fiat. Ratio eſt, quia poteſtas reſeruandi data eſt principaliter pro vtilitate ſubditorum; reſeruationem autem eſſe ex ſe ſubditis oneroſam, & difficilem reddere Sacramenti vſum, conſtat manifeſtè: igitur non poteſt reſeruatio licitè fieri pro ſola voluntate Superiorum.

Secundum eſt, quòd ſi delegatus non ſit ordinarius Paſtor, licèt inferior, ſed ſimpliciter Confeſſarius, tunc valida erit reſeruatio, quamuis ſolo reſeruãtis arbitrio, & ſine cauſa neceſſaria fiat. Ratio eſt, quia Superior, dum ſuam iuriſdictionem alteri committit, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſua voluntate id præſtat, proindéque poteſt ſuo arbitrio non totam, ſed partem ſuæ iuriſdictionis delegare: igitur poteſt eidem iuriſdictionẽ limitatam concedere ad aliqua peccata, & non quoad alia; quod ſanè idem eſt, ac reſeruare.

19. Nec obſtat, ſi dicas, quòd quamuis id verum ſit in prima iuriſdictionis

nis

Digitized by Google

nis conceſſione, at, poſtquam ſemel tota eſt delegata, videtur non poſſe per reſeruationem, abſque legitima cauſa coarctari. Non quidem obſtat, quia delegatio non eſt abſoluta donatio, ſed conceſſio ſimpliciter, quæ à voluntate reſeruātis ſemper pendet, & conſequenter, ſicut poteſt eam reuocare, ita & coarctare. atque ideo non eſt de illa iudicandum, ſicut de re, quæ in abſolutum alterius dominiū tranſit, ita vt nequeat illa priuari, ſed potiùs, vt de quodam inferiori iure à ſuperiore dependente, & magis ad ſubditorum bonum, quàm ad vtilitatam poſſidentis ordinato. Vnde, eſtò per nimiam reſeruationem Paſtores ſint ouibus oneroſi, & conſequēter peccent contra charitatem dum eas aliquibus exponunt incommodis, non tamen videtur irrita, & nulla talis reſeruatio ob huiuſmodi exceſſum reſeruantis, cùm nunquam ſit contra iuſtitiā, nec deſit abſoluta poteſtas. Nam ſæpè contingit, vt poteſtatis vſus habeat effectum, licèt minus prudens, & rationabilis ſit, vt patet in diſpenſationibus, ac potiſſimum in effectibus negatiuis, cuiuſmodi eſt hæc reſeruatio, quæ æquiualet non conceſſioni.

20. At verò, cùm reſeruatio ſit reſpectu inferioris Paſtoris ordinariam iuriſdictionem habentis, tunc vrget difficultas, quia Paſtor etiam inferior habet proprium, & intrinſecum ius; atque ideo eſt opinionum varietas.

21. Prima abſolutè tenet eſſe nullā. ita Ledeſm. 2.4.q.8. *art.* inclinat Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.*14. *n.*13. dum ait, non videri obligare inſolitam Epiſcoporum reſeruationem; illam autem vocat inſolitam, quæ fit ſine cauſa, vt ipſe ſe explicat *in comment. lit. P.* Idem ſentiunt Petr. à Soto *de pœnit. lect.*4. *q* 2. *art.*5. *ad* 2. & Taper *art.*5. quæ opinio eſſet neceſſariò approbanda, ſi omnes hi Paſtores iuriſdictionem à iure diuino haberent; quoties enim ius diuinum modo aliquo eſt immutandum, vt valida ſit talis actio, prærequiritur cauſa. Hinc diſpenſatio in ieiunio facta à Pontifice ſine cauſa, eſto ſit illicita, valida tamen cenſetur, quia eſt in iure humano dumtaxat. Diſpenſatio autem in voto, ſi abſque cauſa fiat, non ſolùm illicita, ſed nulla etiam æſtimatur, quoniam ius diuinum aliquo modo attingit; ac propterea idem eſſet in præſenti dicēdum. Quia igitur fundamentum illud nobis non probatur, poſſet dicta opinio ſuaderi ex eo, quia Paſtores, ſaltem ex ſuppoſitione officij, habent intrinſecum, & naturale ius ad ſuam iuriſdictionem, ac proinde nequeunt illa priuari ſine cauſa; ſicut epiſcopatu, ſeu quouis alio beneficio ſemel obtento nequit aliquis ſine cauſa priuari, neque etiam ab officio ſuſpendi ſolo arbitrio alterius; imò priuatio, ſeu ſuſpenſio erit nulla, ſi ſine cauſa fiat. Igitur idem eſſet ſentiendum in caſu, de quo agimus.

22. Secunda opinio abſolutè tenet, ſolam reſeruationem eſſe validam. Ita Sylu. *verb. Confeſſ.*3. *num.*5 *ad fin.* Graff. *lib.*1. *deciſ. c.*13 *num.*77. Henriq. *quodlib.* 1. *q.*27. & Fagund. *d. c.*1. *num.*25. & poteſt ſuaderi ex eo, quia Superior ſemper confert iuriſdictionem à voluntate ſua dependentem, & conſequenter, ablata illa circa aliquod peccatum, etiam abſque conuenienti ratione, adhuc factum tenet. Et hanc opinionem cenſet valde probabilem Suar. *vbi ſuprà ſect.*4. *n.*4.

23. Tertia opinio diſtinguit inter Summum Pōtificem reſpectu omnium inferiorum, & Epiſcopos reſpectu Parochorum. Vnde de Pontifice approbat ſecundam ſententiam, tum ob eius fundamentum; tum quia à Pontifice manat omnis iuriſdictio. In Epiſcopis autem approbat priorem ſententiam, & ſuaderi poteſt, quia inſtitutio, & iuriſdictio Parochorum non eſt originaliter

Digitized by Google

ter ab Epiſcopis, ſed à Summo Pontifice;atque ideo Epiſcopi Parochias diuidere,ſeu mutare,vel quid ſimile præſtare nequeunt propria poteſtate, niſi à Pontifice delegetur. Hinc igitur ſatis manifeſtè videtur deduci, quòd ſi Epiſcopi abſque legitima cauſa reſeruent, talis reſeruatio erit nulla. Ita Maior *diſt.*17.*q.*5.& Angel.*ver.Caſus*, nec diſplicet Sot.& Suar. His ſic prælibatis,

24. Dico primò,ſi de Summo Pontifice ſit ſermo, abſolutè tenendum eſt, validam eſſe reſeruationem ab ipſo factam,etiam abſque legitima cauſa. Ducor, tum quia, vt habetur ex dictis, iuriſdictio, de qua agimus, confertur quidem à Summo Pontifice;ita tamen, vt non ideo tranſeat in abſolutum alterius dominium,quaſi non poſſit illa priuari, ſed itaut ab ipſo Summo Pontifice ſemper pẽdeat; ſemper enim manet ſupremus Paſtor,& poteſt per ſe ipſum (ſi velit) oues curare, ſeu iudicare. Tum etiam,quia potuit Pontifex à principio iuriſdictionem hac lege, & conditione conferre, vt ab ipſo ſemper penderet, nec ſe iure ſuo, & poteſtate priuaret; imò ita fuiſſe conſtat ex Eccleſiæ vſu,& quia ſic expedit bono communi ad tollenda ſchiſmata. Tum denique,quia in foro cõtentioſo valida ſemper eſt Pontificis reſeruatio,etiam ſine cauſa facta, ſed ſolùm ex ſuprema ipſius poteſtate: Vnde,ſi eximat aliquem à iuriſdictione Epiſcoporũ,aut ſi ad ſe reſeruet cuiuſque cauſæ iudicium, factum tenet,arg. *cap.ad noſtram.de appellat.* Igitur idem eſt in caſu noſtro ſentiendum. Et quidem ſi practicè res iſta conſideretur, nullus Catholicorum auctor, quem legerim, ad eam hactenus deuenit temeritatem, vt auſus ſit dicere reſeruationem in particulari à Summo Pontifice factam eſſe nullam: tametſi de reſeruationum multitudine nonnulli conqueſti ſint.

25. Dico ſecundò, quamuis, ſi de Epiſcopis,reſpectu Parochorum ſit ſermo, res æſtimetur, & ſit magis dubia, cùm id pendeat ex modo inſtitutionis, ac dependentię,quam ex Pontificis voluntate iuriſdictio Parochi habet ab Epiſcopo; nihilominus ſeruari hîc etiã proportionalem ſubordinationem, ac dependentiam,ſuadere videntur rationes tactæ ſi cum proportione applicentur; Epiſcopus enim ſemper manet ita ſuperior, vt cauſam aliquam poſſit ſibi reſeruare. Adde, quia in re dubia sẽper eſt timenda ſententia Paſtoris; nemini autẽ poteſt in particulari cõſtare reſeruationem fieri ſine legitima cauſa, cùm hæc non ſemper ſit grauitas culpæ, ſed multæ aliæ poſſint in pectore Paſtoris reſeruari,eſto à ſubditis ignorẽtur; igitur non poteſt reſeruatio aliqua in particulari prudenter cenſeri nulla. Nec obſtat, ſi cum Soto, & aliis obiicias, tunc certè cenſeri poſſe reſeruationem hanc eſſe nullam, cùm caſuum reſeruatorum nimia eſt multitudo. Non(inquã) obſtat, cùm cauſa hæc nunquam poſſit eſſe practicè ſufficiens;quia vel tota illa collectio cenſetur nulla, itaut nullus deinde caſus maneat validè reſeruatus, & hoc quidem probabiliter dici non poteſt,cùm ſaltem octo,decẽmve caſus, v.g.poſſent validè reſeruari, & conſequenter non eſt dicẽdum quòd ob aliorum multiplicationem ſit ſtatim nulla: vel dicitur illa reſeruatio nulla quoad aliquos dumtaxat caſus determinatos, & hoc etiam videtur non poſſe practicè dici,tum quia non eſt maior ratio de his, quàm de illis; tum quia nec poteſt homo deſignare,quantus ſit caſuum reſeruatorum numerus, quo expleto, reſeruationes poſtea additæ ſint nullæ. Atque ideo cenſeo, nullam reſeruationem in particulari eſſe paruipẽdendam tanquam irritam, ſed dum reſeruatio æſtimabitur nimia, vel irrationabilis, ad Superiorem potiùs recurrẽdum eſt,

vt

vt in huiuſmodi euentu prouideat. Ex his

26. Sequitur primò, quòd quando Papa per priuilegium aliquod, Bullam, ſeu Iubileum concedit facultatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis, ſubintelligitur eam etiam concedere ad abſoluendum à peccatis, ſeu caſibus ſibi reſeruatis. Ratio eſt, quia hæc duo, cenſura, & culpa, ſicut, à principio ſunt cōnexa inter ſe quaſi in fieri, ita & in duratione: & ſicut Pontifices non ſolent vnum reſeruare ſine alio, ita nec vnum tollere ſine alio. eſt communis DD. ita Nauar. *ſum. cap.* 27. *num.* 261. Caiet. *ver. caſus*. Sanch. *ſum. lib.* 2. *c.* 8. *num.* 5. Sà *ver. caſus reſeruatus, num.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Suar. *loco cit. ſect.* 2. *num.* 11. Graff. *lib.* 2. *deciſ. c.* 13. *num.* 40. & Viual. *in candelabr.* vbi de abſolut. *num.* 8. *&* 36. cum Armil. Sylu. & Vict. per eum allegat.

27. Secundò ſequitur quòd quamuis verum ſit data facultate abſoluendi à cenſuris, cenſeri etiam datam pro abſolutione à peccatis, dum de reſeruatione Pontificia agitur. Secus dicendum eſt de reſeruatione Epiſcopali. Nam Epiſcopi aliquos ſolēt caſus reſeruare ſine cenſuris, & aliquos cum illis: ac proinde, ſi vnquam Epiſcopus concedat facultatem abſoluendi à peccatis, quibus annexa eſt cenſura, conſequenter datur ad abſoluendum à cenſura; & è contra data facultate abſoluendi à cenſura, iam peccatum non manet reſeruatum, & conſequenter poſſet ab illo tunc quicunque Confeſſarius abſoluere. At verò data ab Epiſcopis abſoluta facultate abſoluendi ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis, non cenſetur abſolutè dari pro abſolutione ab omnibus caſibus ſibi reſeruatis, cùm nonnullos ſoleant aliquando Epiſcopi reſeruare ſine cenſuris. Similiter ſi concedat caſus ſibi reſeruatos, non videtur concedere abſolutionem à cenſuris omnibus ſibi reſeruatis, quia à diuerſis non fit illatio. *l. Papinianus ff. de minor. & cap. ad audictiam, de decim.* ita Nauar. & etiam Fagund. *vbi ſuprà.*

28. Tertiò ſequitur, quòd ſi aliquando cum reſeruatione caſus, & cenſuræ Papalis concurrat reſeruatio caſus, & cenſuræ Epiſcopalis, tunc virtute facultatis per Iubileum, ſeu Bullam à Summo Pontifice conceſſæ pro abſolutione caſuum omnium, ac cenſurarum ſibi reſeruatarum, poteſt Confeſſarius abſoluere etiam à reſeruatis Epiſcopo. Ratio eſt, quia qui concedit maius, concedit etiam minus, dum illud minus eiuſdem rationis eſt cum maiori, & in eo includitur, iuxta axioma Iuriſtarum, cui conceditur quod eſt maius, &c. *de reg. iur. in* 6. Reſeruatio autem Epiſcopalis non dubium eſt, quin in Epiſcopali includatur, cùm iuriſdictio Epiſcopalis à Pontifice pendeat, & vtraque reſeruatio ſit actus iuriſdictionis. atque ita tenet communis Eccleſiæ praxis, & ſentiunt Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. c.* 4. *num.* 9. Tolet. *lib.* 3. *c.* 14. *num.* 2. Graff. *lib.* 1. *deciſ. cap.* 13. *num.* 58. Nauar. *cap. ita quorundam, de iud. not.* 11. *num.* 71. qui eſtò *in Man. c.* 27. *num.* 261. videatur aliquantulum anceps, at *num.* 263. nobiſcum ſentit, inquiens ſodales ſanctiſſimæ Trinitatis poſſe abſolui à caſibus, & cenſuris Epiſcopalibus, inconſultis Epiſcopis, virtute cuiuſdam priuilegij eis conceſſi à Gregorio XIII.

DVBIVM II.

Quo caſus Summo Pontifici, Epiſcopis, & Prælatis Regularium reſeruati, compendioſè explicantur.

1. CAſus Summo Pontifici reſeruati quot, & qui ſint, non eſt facilè explicare; id autem in vniuerſum dici

 poteſt,

Digitized by Google

poteſt, quòd ſunt omnes, & ſoli illi, qui habent ſibi annexam excommunicationem Summo Pontifici reſeruatam, vt habetur ex dictis *dub. præcedenti*, & tenēt communiter DD. quos refert, & ſequitur Alcoc. *in ſuo confeſſ. cap.* 12. & paſſim Summiſtæ. Vnde, ſi inquiras, quinam ſint iſti caſus, quibus annexa eſt Papalis excommunicatio, longum quidem eſſet eos hîc recenſere.

Reſpondeo igitur, illos potiſſimum colligi ex Bulla Cœnæ Domini; præter hos tamen ſunt multi alij per corpus iuris canonici diſperſi, quos inuenies *in cap. ſi quis ſuadente.* 17. *q.* 4. *cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in* 6. *cap. quærenti, de offic. deleg. cap. ad falſariorum, de crim. falſ. cap. fundamentum, de elect. lib.* 6. *cap. ſignificauit, de ſent. excom. cap. tua, eod. tit. cap. clericus, de immunit. Eccleſ. lib.* 6. *cap. felicis, de pœnis. eod. lib. Clem.* 1. *§. verò, de elect. Clem. ſuſcipientis, de pœnit. §. fin. Clem. graue, de ſent. excom in Extrauag. & ſi Dominici, de pœnit. & remiſſ. Extrauag.* 2. *de ſepult. Extrauag. Pauli II. de ſimonia. & Extrauag. Martini V. de Regularib.* & alibi. Per prædicta itaque iura diſperſi ſunt caſus Papales. Alij alios addunt, præſertim Sylu. *ver. caſus n.* 2. ſunt autem incerti, atque ideo nos cõſultò illos omittimus.

2. Sed iam ad caſus Epiſcopis reſeruatos deueniamus, de quibus profectò non parua eſt controuerſia inter DD. qui, & quot ſint, vt colligitur ex D. Anton. 3. *p. tit.* 12. *cap.* 11. Angel. *verb. caſus, in princ.* Sylu. *ibi q.* 2. *& gloſ. cap.* 2. *de pœnit.* cum alia ſimili gloſ. *in Clem. Dudum. §. ſtatuimus.* In primis igitur diuerſi DD. plures caſus, ſed præſertim quinque referre conſueſcunt, quos in iure Epiſcopis reſeruari exiſtimant; ſed eos apertè falli ex mox dicendis quiſque poterit facilè colligere.

3. Quidam cum Sylu. *verb. caſus q.* 3. inquiunt, peccatum Clerici, ratione cuius ipſe incurrit irregularitatem, eſſe Epiſcopis reſeruatum; hæc tamen reſeruatio non eſt de ipſo peccato, ſed de ſola irregularitate, cuius diſpenſatio reſeruatur Papæ dum eſt notoria, Epiſcopo autem, ſi ſit occulta: culpa autem per ſe reſeruata non eſt; imò ſtante irregularitate, poteſt quis ab huiuſmodi culpa per quemlibet approbatum abſolui. nam irregularitas non impedit Sacramenti ſuſceptionem eſt communis ſententia, & tenent expreſsè Sylu. & Ang. *vbi ſuprà*, Caiet. *verb. irregularitas*, & gloſ. *in cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ.* quam ſequitur Hoſt. & alij, qui numerantes caſus Epiſcopales, huius nullam faciunt mentionem.

4. Secundus caſus, quem aliqui arbitrantur eſſe Epiſcopo reſeruatum, eſt ille, cui in iure eſt annexa excommunicatio. Id autem ſolùm habet locũ, quando excommunicatio per ſe eſt Papæ reſeruata, & in aliquo caſu particulari committitur Epiſcopo; vt plerunque fit in excommunicatione canonis, *ſi quis ſuadente*, & in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. in omnibus occultis; tunc autem potius delegatio, quàm reſeruatio dicenda eſt. Vnde quando excommunicatio ſimpliciter fertur, in iure nulla fit Epiſcopo reſeruatio, ſed quilibet approbatus poteſt à culpa, & cenſura abſoluere, iuxta *cap. nuper, de ſent. excom. in* 6. atque in hoc conueniunt Ang. *ver. caſus*, Nauarr. *ſum. cap.* 27. *num.* 262. & communiter omnes.

5. Tertius caſus eſt ille, cui in iure imponitur pœnitentia publica, quæ olim ſolùm imponebatur pro peccato publico, & ſcandalo, vt conſtat ex *cap. fin.* adiuncta gloſ. 26. *q.* 6. hoc autem iam non eſt in vſu, vt notauit Nauarr. *vbi ſuprà*, ſunt etenim huiuſmodi pœnitentiæ iam ſublatæ, & ſi quæ adhuc ſuperſunt, ad forum contentioſum ſpectant; nec ratione illarum reſeruantur peccata, niſi cenſurã habeant annexam, vt tradit Suar. *d. diſp.* 29. *ſect.* 3. *num.* 6.

6. Quar

Digitized by Google

6. Quartus caſus eſt publica blaſphemia, quam Sylu. & alij probant eſſe Epiſcopo reſeruatam, ex *cap. ſtatuimus, de maledicis.* At textus ille ſolùm loquitur de pœna ob tale peccatum imponenda in foro contentioſo, ídque dumtaxat reſeruatur Epiſcopo, non autem in foro conſcientiæ. ita Nauarr. citans pro ſe Ang. Imò in Concil. Lateran. ſub Leon. X. *ſeſſ. 9. §. ad abolendam*, expreſsè habetur, quòd Confeſſores non abſoluant blaſphemos, niſi imponendo eis graues pœnitentias. Supponit igitur Conciliū, Confeſſores ordinarios poſſe ab eiuſmodi caſu abſoluere.

7. Quintus caſus, eſt peccatum incendiarij doloſi, qui ex propoſito incendit ſegetes, aut domos, vel id præcipit, ſeu conſulit; ſolet autem hic caſus colligi ex *cap. peſſimam.* 23. *q* 8. ibi tamen nulla inuenitur reſeruatio, ſed ſolùm præceptum, vt huiuſmodi peccator non abſoluatur, niſi tali, vel tali pœnitentia iniuncta, in qua nequeat Epiſcopus diſpenſare; non verò limitatur ibi abſolutio, ſeu pœnę impoſitio ad ſolum Epiſcopum, vt notat Suar. *loc. cit. num.* 9. vbi ſubiungit, hoc peccatum non habere in iure excommunicationem annexam: ſi tamen incendiarius ab homine ſemel excommunicatur, ratione talis cenſuræ ſtatim Papæ reſeruatur, ex *cap tua nos, de ſent. excom.* Neque obſtat ſi dicas ex Nauarr. hunc caſum eſſe iam communi opinione, & vſu receptum; inde enim ſolùm poteſt deduci, quòd ſit reſeruatus ex conſuetudine, non ex vi iuris, vt tradit *ibidem* Suarez.

8. Fateor tamen, quòd ex conſuetudine generali, vel quaſi generali, alij quinque caſus reſeruati Epiſcopis referuntur à DD. infrà citandis, quorum meminit etiam gloſſ. *in Extrauag. inter cunctas, de priuil.*

9. Primus eorum eſt, homicidium voluntarium, & auxilium, vel conſilium dantis, ſecuto effectu homicidij, & non aliter.

10. Secundus eſt, peccatum falſarij; eſt autem falſarius, qui falſificat literas, vel ſcripturas cum præiudicio tertij, vt illas præſentet in iudicio.

11. Tertius, eſt violatio immunitatis eccleſiaſticæ, dum ſcilicet in Eccleſia, vel loco ſacro proximum quis in perſona, vel eiuſdem rebus offendit.

12. Quartus, eſt violatio eccleſiaſticæ libertatis, cùm nimirum perſonæ, vel res eccleſiaſticæ iniuſtè grauantur; hoc autem peccatum etiam reſeruatur in Bulla Cœnæ.

13. Quintus eſt, ſortilegium, & diuinatio. Atque hos quinque, caſus enumerant Sylu. *ver. caſus, num.* 4. Nauarr. *ſum. c.* 27 *num.* 262. Angel. & Armil. *verb. caſus.* Viual. *in candel. vbi de abſolut. n.* 54. & Graff. *loc. cit. num* 65. qui etiam aliquos ex prædictis caſibus valde ampliant. Nam homicidium extendunt ad mutilationem. Peccatum falſarij extendunt ad peccatum tacendi veritatem, aut dicendi falſitatem in iudicio coram iudice, à quo iuſtè, & legitimè interrogatur; & ad peccatum Procuratoris, & Notarij oſtendentis parti aduerſæ ſcripturas alterius partis: & peccatum violationis immunitatis eccleſiaſticæ extendunt ad plura alia ſacrilegia. Cæterùm hæc omnia, (vt rectè conſiderat Suar. *vbi ſuprà num.* 10.) nullo iure probant; & conſequenter, cùm materia de ſe ſit odioſa, reſtrictionem potius, quàm ampliationem requirit. Neque hîc valet argumentum à ſimili, vel à paritate rationis, ſed verbis legis præciſè ſtandum eſt. Vnde, cùm hæc non dicantur reſeruata ex vi iuris, ſed ex conſuetudine, illa omnino conſulenda eſt, præſertim, quia aliquādo pro arbitrio Epiſcopi nonnulli iſtorum caſuum non reſeruantur; aliquando etiam alij eis adduntur, atque ideo tenentur Confeſſarij, &

Digitized by Google

Parochi ſcire, quótnam ſint caſus, à quibus ipſi, ratione Epiſcopalis reſeruationis, abſoluere non poſſunt.

14. Ex dictis igitur videtur deduci, quòd ex ſolo iure, & ſecluſa conſuetudine, hodie nullum peccatum ſit Epiſcopis reſeruatum, præter illa, quæ in conſtitutionibus cuiuſque diœceſis continentur, quibus ſtandum eſt, ſicut & conſuetudini, ſi de illa conſtet, varia enim eſſe ſolet, vel ſaltem non eſt vniuerſalis, atque eiuſdem modi in omnibus diœceſibus.

15. In Religionibus tandē non ſunt certi caſus reſeruati, ſed eſt diuerſitas reſeruationis pro diuerſitate Religionum, vel conditionis Prælati: nouiſſimè tamen Clemens Octauus in quadam ſua conſtitutione ſub die 26. Maij 1593. ſtatuit, vt Prælati Regularium non poſſint alios caſus ſibi reſeruare, præter ab eo aſſignatos in dicta ſua conſtitutione. Subiungit tamen, quòd ſi quoduis aliud reſeruandum expedire videatur pro Religionis cōſeruatione, id non aliter fiat, niſi in Capitulo Generali, vel Prouinciali reſpectiuè. Pontifex igitur aufert ibi Prælatis Religionum facultatem addendi pro libito nouos caſus, ſicut de iure poſſent, niſi illis obſtaret dicta conſtitutio.

16. Hinc nonnulli viri eruditi, (quos tacito nomine refert Suar. *n.*13.) cenſuerunt, prædictos Regularium Superiores non poſſe abſque Capituli Generalis, ſeu Prouincialis conſenſu aliquid prohibere, ſeu præcipere ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, abſolutionem illius ſibi reſeruādo. Ratio autem poſſet aſſignari, quia ex vi præcitatæ conſtitutionis Superioribus Regulariū interdicitur omnis caſuum reſeruatio ſine Capituli conſenſu facta: cùm autem alicuius excommunicationis abſolutio reſeruatur, conſequenter reſeruatur abſolutio culpæ. Nihilominus ipſe Suar. *ibidem* oppoſitum cenſet probabilius, nempè hanc poteſtatem non eſſe dd. Superioribus ablatam: tum quia decretū Clementis expreſsè loquitur de reſeruatione culparum; verba enim illius ſunt eiuſmodi: Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutionem ſibi reſeruet, exceptis iis, &c. In caſu autem propoſito non reſeruatur abſolutio peccati, ſed cenſuræ, quæ longè diuerſa eſt, & ad diuerſum forum, ac iuriſdictionem ſpectat. Tum quia non eſt dubium, quin Superiores Regularium poſſint nunc excommunicationes ferre, ſicut antea poterant; excommunicatum autem ab homine ipſe ſolus poteſt abſoluere, aut eius ſucceſſor Superior, aut delegatus. *cap. paſtoralis. §. preterea, de off. deleg.* eius namque eſt ſoluere, cuius eſt ligare. ita Nauar. *ſum. cap.* 27. *num.* 40. *&* 41.

17. Neque obſtat, quòd, per ſe loquendo, nō poſſit quis abſolui à culpa, non ablata priùs cenſura; id enim accidentarium eſt, & ſufficit, quòd non ſint idem, quominus ab vna ad aliam prohibitio non ſit extendenda, præſertim, cùm reſpectu Superioris ſit oneroſa, & vſum iuriſdictionis reſtringens. Hinc igitur infert Suar. quòd ſicut ex vi decreti Clemētis VIII. non eſt ablata poteſtas ferendi excommunicationem ab homine, ita nec eſt prohibita talis cenſuræ reſeruatio; abſolutio namque excommunicationis ab homine, veluti ex natura ſua, eſt iudici ferenti reſeruata, maximè, quia Superior poteſt in ſimili caſu mentem ſuam declarare, quòd reſeruatio teneat circa cenſuram dumtaxat. Mihi tamen videtur, quod conſultius agerēt Superiores, ſaltem ad tollendam omnem dubitationem, vt in Capitulo Generali, ſeu Prouinciali ſtatueretur, quòd in aliquibus caſibus liceat Superioribus ipſis abſolutionem ab excommunicatione ſibi reſeruare. Atque

ita

Digitized by Google

ita ſentit idem Suar. & Corilian. *de caſ. reſer. p. 1. ſect. 1. art. 6. num. 4.*

Dvbivm III.

An Superior cuicunque ſubdito facultatem pro abſolutione à reſeruatis petenti teneatur eam concedere.

1. Circa hanc difficultatem duæ extant opiniones inter ſe pugnantes.

Prima abſolutè negat, teneri Superiorem concedere hanc facultatem, & attribui poteſt Nauar. qui *ſum. cap. 7. num. 8. & in c. placuit, de pœnit. diſt. 6. num. 149. & 150.* inquit: quia nulla eſt lex, nec ratio, quæ conuincat teneri Superiorem ad dandam hanc facultatem. In eandem opinionem poteſt etiam adduci Vict. *ſum. cap. 4. de confeſſ. num. 147.* vbi ait; quando non interuenit ſpecialis cauſa rationabilis, extrinſeca, & quaſi per accidens, ſed ſolùm illa intrinſeca difficultas, quam ſecum affert confeſſio, nimirum erubeſcentia confitendi cum Superiore, aut timor amittendi apud illum bonã opinionẽ, non tenetur Superior ad dãdam hanc facultatẽ, quia aliàs nunquam homo teneretur cõfiteri ſuo Paſtori. Sed iam probatur ex verbis illis Concilij Tridentini, extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant. Vbi notanda eſt illa particula, *legitimos iudices*; quia legitimus iudex alicuius cauſæ nulli iniuriã facit, ſi per ſe velit eam iudicare, neque tenetur eam alteri committere, ſi ipſe ſit idoneus iudex (vt ſupponimus:) Superior autem in hac cauſa ſe habet tanquam legitimus iudex, vt ex verbis Concilij habetur.

2. Secunda opinio affirmat, quòd, per ſe loquendo, & ſecluſis extrinſecis incommodis, tenetur Superior dictam facultatem concedere. Ita videtur deſumi ex D. Thom. *opuſc. 19. cõtr. impugnant. Religionem, & in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 6.* vbi aſſerit, peccare Superiorem, qui in concedenda facultate alteri confitendi difficilem ſe præbet; & ſubiungit rationem, quia multi ſunt (inquit) adeò infirmi, quòd potius ſine cõfeſſione morientur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur. Vnde ſic infert: qui ſunt nimis ſollicitì, vt cõſcientiam ſubditorum per cõfeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per conſequens ſibi ipſis. Ita ſentiunt etiam Sylu. *ver. Confeſſor. 1. q. 6. & 16.* Angel. *Confeſſ. 3. num. 31.* Armill. *ver. Confeſſio num. 35.* Sot. *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5.* Ledeſm. *2. p. 4. q. 7. art. 5.* & Nauarr. *d. cap. placuit, num. 119. & 151.* Ducuntur, quia talis iuriſdictio non eſt data Superiori ob eiuſdem auctoritatem, ſed potiùs ob pœnitentis vtilitatem; pœnitentis autem vtilitas præſumenda videtur, ſi ei talis concedatur facultas, dum illam inſtanter petit, etiamſi ad hoc nullam habeat cauſam, niſi ſolam erubeſcentiam ex intrinſeca confeſſionis difficultate ortam: ergo Superior tenetur dictam facultatem impendere. Probatur conſequentia, quoniam alioquin exponitur pœnitens aut periculo pereundi, aut non integrè confitendi. Verùm, vtraque præcedenti opinione omiſſa,

3. Dico primò. Certũ eſt non ſemper teneri Superiorem ad hanc facultatem concedendam. Eſt communis, & ſatis conſtat. Tum ex eo, quia aliàs nullius momenti eſſet reſeruatio. Suar. *diſp. 30. ſect. 4. num. 5.* tum quia Superior in hoc vtitur iure ſuo, vt habetur ex dictis in fauorem prioris ſententiæ. Tum etiam, quia poſſunt occurrere caſus, quibus Superior tenetur potiùs dictam facul-

tatem negare. Caſus autem ſunt qui ſequuntur.

Primus, dum Superior moraliter timet facultatem illam non eſſe pœnitenti profuturam, ſed allaturam potiùs occaſionem ſcandali, & perſiſtendi in peccatis, vt ait Sot *ſuprà*.

Secundus, dum peccatum eſt tale, vt probabiliter poſſit Superior opinari, quòd vergat in damnum cōmunitatis, ſeu alterius tertiæ perſonæ; cui forſitan Prælatus, ſi illius habeat notitiam, facile poſſet adhibere remedium, etiam ſeruato confeſſionis ſigillo. Hinc Ang. *d.n.* 31. referens doctrinam D. Thomæ *ſuprà* inſinuatam addit; quod credo verum, niſi quādo propter hoc ſollicitant ſcire, ne alios inficiant. Et Armill. *verb. Confeſſio num* 35. ait, Superiorem debere hanc facultatem negare, quando eſt in pœnitētis, ſeu aliorum graue damnum.

4. Adde, quòd dum Superior agnoſcit, ex negatione facultatis huiuſmodi maiorem, vel æqualem pœnitentis vtilitatem prouenturam, poteſt eam licitè negare; immò interdum etiam cum minori eius vtilitate, ſi ad aliorū exemplum & commune bonum iudicatur neceſſarium, aut valde opportunum; vt nimirum alij ſcientes, & videntes difficultatem, qua talis facultas impenditur, plus à peccatis arceantur. Ita Angel. & Armill. *ibidem*.

5. Nec obſtat, ſi aliquando id cedat in minorem pœnitentis vtilitatem, tum quia Superior poteſt commune bonum, incommodo vnius particularis præferre. Tum quia, tametſi id ſubdito nunc videatur minus vtile, dum quaſi coactus, & cum minori deuotione confitebitur Superiori, poteſt tamen in futurum ſperari, quòd ſaltem ſit cautior in peccatis vitandis. Supponimus autem, eam minorem vtilitatem eſſe intra fructuoſæ, & dignæ confeſſionis latitudinem, alioquin non eſſet minor vtilitas, ſed omnino nulla, vel potiùs graue nocumentum, vt rectè obſeruat Suar. *n.6.*

6. Dico ſecundò, certum ſimiliter eſt, poſſe plures occurrere caſus, quibus Prælatus teneatur dictam facultatem concedere.

Primus eſt, ſi probabiliter timeatur, quòd talis Superior ſit confeſſionem reuelaturus; vt docet S Thom. *d. diſt.* 17. *vbi ſuprà*, & D. Bonauent. *ibidem*.

Secundus, quando rationabiliter timetur, quòd Superior ſit notitia confeſſionis abuſurus in graue damnum pœnitentis, ſeu alterius, damnum (inquam) corporis, pecuniæ, ſeu honoris. Ita Sylu. *confeſſ.* 1. *q.* 16. quem ſequitur Henriq. *d. lib.* 6. *c.* 13. *n.* 7.

Tertius, cùm Superior non eſt idoneus ad ferendum iudicium, vel quia ignorans, vel adeò improbus, vt loco medicinæ ſit ſcandalum allaturus, & in hoc conueniunt ferè omnes DD. tunc enim Superior non poteſt iuſtè pœnitentem priuare legitimo huius Sacramenti vſu, imò nec poteſt illum cogere, vt ſe tanto exponat periculo. Alios inſuper refert caſus ipſe Henriq. *num.* 8. & 9. prǽcipuè tamen ad tres memoratos reduci poſſunt.

7. In his igitur caſibus tenent Doctores mox citandi, quòd ſi ſubditus tam ſæcularis, quàm Regularis prædictam licentiam petat, & ei denegetur, poterit alteri ex approbatis confiteri, & ab eo abſolui à reſeruatis, quoniam licentia iuſtè petita, & iniuſtè negata videtur ipſo iure conceſſa, vt latè probat Henriq. *d c.* 13. *n.* 4. facit in fauorem huius doctrinæ Vrbanus Papa *cap. placuit, de pœnit. d.* 6. ex quo videtur colligi, quòd dum conſenſus Epiſcopi, ſi non eſt habitus, ſaltem eſt debitus ex quadam iuſtitia, præſumitur ratihabitio Papæ de præſenti. Indicat Magiſter *in* 4. *diſt.* 21. vbi id etiam ait D. Thom. *in expoſitione literæ*. Rich. *diſt.* 17. *art.* 3. *q.* 7. Palud.

Digitized by Google

lud. *q. 3. art. 2.* Henriq. *quodlib. 9. q. 24.* Adrian. *de confeſſ. q. 5. dub. 3.* Med. *de confeſſ. etiam q. 42.* Angel. *ver. caſus, & confeſſ. 3. §. 15.* Sylu. *confeſſ. 1. §. 6.* & dicunt illã probabilem Victor. *n. 146.* Ledeſm. *2. p. q. 7. art. 5. concl. 3. fin.* Frat. Alex. *ſumm. lib. 1. tit. 3. poſt cap. 15* & alij per Henriq. *d. n. 4. in marg. lit. E.* relati, quibus accedunt Panor. & Hoſt.

8. Et quidem, quoad Regulares, id ſatis conſtat ex præcitata Clem. VIII. cõſtitutione *de reſeruatione caſuum*; nam §. 4. ſic habetur: Superiores in ſingulis Conuentibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero; iique ſint docti, prudentes & charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit. hæc ibi. Deinde viſitatio Apoſtolica die 13. Martij 1601. de mente eiuſdem Pontificis ad inſtantiam Cuſtodis Fratrum Reformatorum ſancti Franciſci Prouinciæ Romanæ declarauit, quòd ſi caſus occurrat ſingularis, pro cuius abſolutione quicumque Confeſſarius ex deputatis inſtiterit, debeat Superior iuxta dictæ conſtitutionis tenorem prompto animo facultatem huiuſmodi cõcedere; ſi tamen neget, Sanctiſſimus D. intendit, poſſe Confeſſarium licitè ab eo caſu abſoluere. Sed, an Superior poſſit pœnitentiam imponendam taxare, dicemus *infrà*.

9. Dico tertiò. Regulariter loquendo, Superior debet ſe potius facilem, quàm difficilem in hac facultate concedenda præbere. Ita ſentiunt communiter DD. præſertim D. Thom. & alij pro ſecunda aſſertione citati, atque id eſſe verum ſuadetur. Tum quia, moraliter loquendo, minus periculi eſt in conceſſione, quàm in negatione huius facultatis; vt enim concedatur, ſufficit, quòd nulla ſpecialis ratio ad eam negãdam occurrat: vt autem negetur, ſemper interuenire debet ſpecialis aliqua ratio, quæ id exigat, non quòd id ſemper ſub præcepto cadat, ſed quòd eiuſmodi ordo ſit conuenientior. Tum quia reſeruatio eſt quædam medicina ſubditi, atque ideo, ſi cum rigore applicata cedat in ipſius perniciem, temperanda eſt, & conſequenter facultas eſt concedenda. Vnde eſto aliquando Superior exiſtimet ſufficientem ſibi adeſſe rationem ad negandam facultatem; ſi tamen aliũde, vel ex relatione alterius fide digni, vel quauis alia via eidem conſtiterit, ſubditum nullatenus velle ipſummet Superiorem adire, neque aliis quibuſcumque remediis adhibitis ad hoc poſſe induci; tunc Superior nec debet vnquam, nec poteſt licitè dictam facultatem negare, niſi in caſu damnificationis. Pro cuius maiori explicatione,

10. Obſerua primò, aliud eſſe vtilitatem aliorum procurare; & aliud aliorum perniciem, ſeu graue nocumentum acriter vitare. Nam ſi hoc ſecundum intercedat, Superior poteſt, immò debet eam facultatem negare, quanuis ſubditus fortaſſe non ſit tali medicina fructuosè vſurus; id enim malitiæ ipſius imputandũ eſt. At verò extra hunc caſum ſemper Superior poteſt, ac etiam tenetur ex charitate, & debito ſui muneris paſtoralis, ſubditi fragilitati condeſcendere, quoties graue detrimentum ſpirituale eiuſdem ſubditi imminet: vt ſi probabiliter vereatur quòd peccatum aliquod taceat in confeſſione, vel confeſſionem plus iuſto differat, aut quid ſimile ſubditus efficiat: atque id intendit potiſſimum D. Thom. & communiter DD. Neque obſtat quòd ſubditus ipſe talis nocumenti cauſa exiſtat; id enim ſpiritualis Paſtor impedire tenetur dum commodè valet. Vnde, etiam ſi aliorũ ſperetur vtilitas ex negatione talis

Digitized by Google

talis facultatis, adhuc non eſſet neganda, cum tanto ſubditi detrimento; tum quia Sacramentum iſtud in bonum, non in deſtructionem pœnitentis eſt inſtitutum, atque ad eundem finem reſeruatio ordinatur, tum quia confeſſio ipſa fit valde odioſa, & difficilis, quod eſt adeò graue incommodum, vt ob illud vitandum, quoduis aliud inconueniens ſit parui pendendum, præſertim, quia, moraliter loquendo, huiuſmodi confeſſio nunquã fit ſine ſacrilegio, & graui eiuſdem Sacramenti iniuria, vt doctè tradit Suar. *num.* 8.

11. Obſerua ſecundò, mihi non ſatis probari opinionem Nauar. qui *cap. placuit, de pœnit. diſt.* 6. *num.* 150. exiſtimat iuſtam eſſe cauſam ad confitendum alieno, non habita facultate proprij, erubeſcentiam, dum adeò magna eſt, vt pœnitentem conſtituat in periculo tacendi aliquod peccatum, vel circumſtantiam neceſſariò confitendam, atque idẽ tenet *ſum. c.* 7. *n.* 8. Fateor, pro hac doctrina poſſe etiam referri Sylu. *confeſſ.* 1. *num.* 6. aſſerentem, tunc cauſam cenſeri iuſtam, vt licentia petita habeatur pro obtẽta, quãdo probabiliter timetur malũ corporis, aut animæ, aut famæ; in caſu autem magnæ illius erubeſcentiæ timetur probabiliter malum animæ, nimirũ quòd pœnitens taceat peccatum, & ſacrilegium committat. Vrget quidem ratio, & vrget etiã auctoritas tanti Doctoris; ego tamen illam doctrinam nec tutam, nec ſequendam exiſtimo; tum quia vna ex conditionibus bonæ confeſſionis, eſt erubeſcentia, & quò maiorem verecundiam pœnitens patitur, eò magis ſatisfacit, vt conſtat ex *c. pœnitet, diſt.* 1. ergo talis erubeſcentia non præbet alicui facultatem cõfitendi alieno, tum quia ſic daretur anſa ſubditis tam ſæcularibus, quàm Regularibus vt ad libitum eligerent Confeſſorem pro reſeruatis, quoniam facilè ſibi perſuadebũt quòd ſi id non faciant, conſtituentur in periculo tacendi aliquod peccatum, & ſic prorſus corrueret caſuum reſeruatio.

12. Ego igitur non conſulerem pœnitenti doctrinam Nauarr. ſed conſulerem potiùs, quòd deuincat verecundiã; quamuis enim talis doctrina eſſet vera, facilè tamen pœnitens decipi poſſet, falsò exiſtimans, ſe iam habere illud erubeſcentiæ genus, & ſanè negotium eſt innumeris ſcrupulis patens. Doceat itaque alius eam ſententiam, ego non docebo illã; ſed addo cum Sylu. *vbi ſup.* ſæpè nonnullos ſubditos falli, credentes iuſtam eſſe cauſam, quòd de cætero Prælati eos ſuſpectos habebunt, diligentiùs obſeruabunt, & non ita reputabunt, ſicut antea; quæ tamen re vera nõ ſunt iuſtæ cauſæ; ſed quædam phantaſmata, quibus ipſi à manifeſtandis propriis vulneribus ſpirituali Medico facilè deterrentur non abſque ingenti ſuarum animarum detrimento, & magna communis boni iactura.

DVBIVM IV.

An Superior, dum facultatem abſoluendi à reſeruatis concedit, poſſit taxare pœnitentiam pœnitenti à Confeſſario imponendam.

1. RESpondeo affirmatiuè. Nam cùm Confeſſarius deputatus poſtulat à Superiore facultatem abſoluendi caſum aliquem reſeruatum, poteſt quidem Superior id concedere, vel liberè conſcientiæ Confeſſarij ſe remittendo, vel cum limitatione, ſeu onere talem, ſeu talem, pœnitentiam iniungẽdi pro tali, vel tali delicto; ad hoc enim Superior ius habet, quippe cùm ſit ordinarius iudex in illa cauſa, ſicut poteſt eam non committere, ita, dum committit, poteſt præſcribere modum, taxando

taxando pœnam ferendam.atque id expreſsè ſtatuit Clem. VIII. *in præcitata ſua conſtitutione*, vbi tametſi prohibeat Regularium Superioribus, ne ſubditos ad ſibi confitendum adſtringant, ſubdit nihilominus *ibidem*:licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à Cófeſſariis,imponendas,quæ ſubditos ab huiuſmodi peccatis perpetrandis cohibere poſſint.Hinc autem fit manifeſtum à fortiori, idem licere in caſibus reſeruatis, vt habetur ex illis verbis,*etiam non reſeruatis*; immo ex paritate rationis id euidenter conuincitur. Atque ad hunc finem licitum eſt Superiori ſpeciem culpæ,ſeu conſuetudinem, aliáſve circumſtantias interrogare, quantum fieri queat abſque vlla perſonæ reuelatione, vel ſuſpicione; cum hoc namque periculo nec Superior interrogare debet, nec ſubditus reſpondere tenetur.

2. Interdum etiam Superiori licebit, cautionem aliquam, vel limitationem adhibere, ſine ſpeciali tamen delicti notitia,vt ſi dicat;ſi tale,vel tale fuerit delictum, imponatur pœnitenti talis,aut talis pœnitentia.Verùm, quia id non valde practicatur, idcirco nec abſque magna, & extraordinaria cauſa faciendum eſt. Immò nec iuriſdictio eſt vnquam committenda cum tanta dependentia, vt niſi imponatur, acceptetur, & impleatur talis, vel talis pœnitentia, abſolutio ſit nulla;hoc enim eſt nimis rigoroſum, & periculis ſatis expoſitum.

Atque ideo conſulerem, vt Confeſſarij arbitrio ſaltē committatur quòd dictam pœnitentiam moderari valeat. tum quia non rarò euenire ſolet, vt attenta diſpoſitione, vel conditione, aut qualitate pœnitentis cenſeatur, quòd non ſit tanta,aut tali pœna dignus; aut eidem fortaſſe huiuſmodi pœnitentia non expediat. tum,quia pœna huius fori potius medicinalis eſt, quàm vindicatiua, & conſequenter irrationabile eſſet, pœnitentem ad hanc, ſeu illam pœnitentiam determinatè obligare;iniuſtum autem, iudicem immediatum hoc arbitrio priuare.

3. Sed quæres inſuper, an Superior in concedenda facultate prc reſeruatis, debeat illam abſolutè dare, vel poſſit apponere conditionem, ſeu onus pœnitenti,nimirum,vt teneatur coram Superiore poſtea comparere.

Pro cuius declaratione, obſeruare oportet, duobus modis poſſe peti, & concedi hanc facultatem. Primò poſt peccatum reſeruatum commiſſum. Secundò ante peccatum commiſſum:vt ſi ſubditus petat à Superiore facultatem cófitendi alteri,ſi fortaſſe ſibi occurrat, quod in peccatum reſeruatum labatur. Quapropter

4. Dico primò. Circa priorem modum non videtur habere locum onus comparendi coram Superiore. Nam facultas ideo à Superiore petitur,vt à tali onere ſubditus liberetur,& conſequenter repugnantia eſſet, eam impendere facultatem, & tale onus imponere. Ad hæc,quia aut ſubditus petit facultatem per ſe,& tunc ſufficienter comparet coram Superiore; eſsétque illi impertinens facultas huiuſmodi cum onere iterum comparendi. Vel petit facultatem per alium, nempe per Confeſſarium, & tunc ideo petit, vt perſona pœnitentis non veniat in notitiam Superioris, atque ad hunc finem poſtulatur tanquam ſpecialis gratia, ſeu indulgentia: ac ſubinde nec ibi poteſt habere locum tale onus. Imò hinc inferunt DD. *dubio præcedenti* pro ſecunda opinione citati, Superiorem in eo caſu non poſſe interrogare, quæ ſit perſona pœnitentis,nec circunſtantias aliquas, per quas in eius notitiam deueniat. Ratio eſt, quia dum

Digitized by Google

talis facultas per Confeſſorem petitur, tenetur ille ſeruare ſigillum, & conſequenter Superior, cùm talis ſecreti læſionem ſollicitat, grauiſſimè peccat.

5. Dico ſecundò. Liberum nihilominus eſt Superiori, abſolutioně committere ei Sacerdoti, quem vult pœnitens, vel alteri ex deſignatis, vel inter aliquos deſignatos, ſubdito optionem dare, provt ad bonum pœnitentis expedire iudicauerit. Ratio eſt, quia reſeruatio ad hoc fit, iuxta Concil. Trident. vt grauiora delicta grauiùs corrigi, & meliùs emendari queant: ad id autem neceſſarium videtur, vt grauioris, & doctioris perſonæ ſubdātur iudicio; igitur, quamuis Superior iuri ſuo cedat, committendo cauſam alteri, ſemper nihilominus retinet ius non committendo illam, niſi perſonæ proportionatæ tali cauſæ, & fini reſeruationis. ita Suar. *n.* 11. Mihi tamen ſatis probatur doctrina Sylu. *ver. confeſſor.* 1. *q.* 16. vbi impugnans opinionem Angeli ait, quòd etiamſi Sacerdos, cui vult pœnitens confiteri, non ſit adeò idoneus, debet Prælatus facilè licẽtiam præbere, vt ab illo poſſit de reſeruatis abſolui, quoniam rectè ſtat, vt qui ſimpliciter eſt minus doctus, ſit magis idoneus quoad iſtum, qui paratus eſt illi, & non alteri confiteri. Vnde infert ipſe Sylu. paſtorem ſpiritualem debere ſemper in iſtis facilem ſe præbere. quam doctrinā deſumpſit ex D. Thom. *opuſc.* 19 *contr. impugnant. religio. c.* 4. vbi inquit, quòd etiamſi ex tali confeſſione, qua aliquis alteri, quàm proprio Sacerdoti confitetur, ſequatur aliqua occaſio mali, multum tamẽ præponderat, quòd per hoc vitantur plura alia mala maiora, & multis periculis obuiatur.

6. Dico tertiò. Circa poſteriorem modum videtur habere locum onus cōparendi coram Superiore. Fundamentum huius doctrinæ cōſiſtit in quodam mutuo conſenſu, & quaſi pacto inter Superiorem & ſubditum. Superior namque poſſet non delegare iuriſdictioně ſuam; delegando autem, facit gratiam, & fauorem. ergo poteſt eam concedere ſub tali cōditione, vt ſi ſubditus velit tali gratia vti, conſentiat obligationi comparendi corā Superiore. Vnde ſubditus eā obligationem acceptans, manet obligatus, non tam ex diuino præcepto confeſſionis, aut ſpeciali mandato Superioris, quàm ex pacto mutuo. ita Maior *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 6. Palud. *q.* 5 *art.* 1. *n.* 6. Almain. *q.* 1. *circa fin.* Angel. *verb. confeſſio.* 5. *n.* 9 atque idem videtur Caiet ſupponere *verb. abſolutio. cap.* 1. & Med. *C. de pœnit. quæſt. de confeſſ. fratribus priuilegiatis facta* idem tenet Nauarr. *ſum. cap.* 9 *n.* 1. *c.* 26. *n.* 12. *&* *cap. placuit, de pœnit. diſt* 6. *n.* 112. inclinat etiam Ledeſm 2. *p.* 4. *q.* 8. *art.* 2. *dub* 19. & latè probat Suar. *diſp* 3. *ſect.* 5. *n.* 8 *& ſeqq.* qui omnes ex dictis inferũt, debere hanc conditionem ſubdito declarari. Vnde, ſi, præmiſſa tali declaratione, abſoluatur, eo ipſo videtur acceptare illā conditionem, & manet obligatus. Si autem commiſſio fiat Sacerdoti, ſub ea conditione, inſcio pœnitente, tenebitur Confeſſor, ante auditam confeſſionem, vel ante datam abſolutionem, explicare pœnitenti dictam cōditionem, quam niſi acceptet, nec etiam debet, aut poteſt illum abſoluere ex defectu iuriſdictionis, quæ ſibi dumtaxat ſub ea conditione commiſſa eſt. Si autem acceptauerit, manet eo ipſo obligatus ad comparendum, vt ſit manifeſtum ex natura pacti iuſti, in quo aliquid datur cum obligatione hoc, vel illud faciẽdi, & declaratur à ſimili ex voto; ſi quis enim ſpontè ſe voto obligaſſet ad cōparendum, proculdubio obligatus maneret: igitur idem videtur dicẽdum, ſi obligatio oriatur ex pacto mutuo.

7. Oppoſitum cenſent probabilius alij DD. negantes, poſſe facultatem concedi ſub hoc onere. ita Dur. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 15. *n.* 10. Holcot *in* 2. *diſt.* 26. Dionyſ. Carthuſ.

Digitized by Google

Carthuſ. *diſt.* 22. *q.* 1. & ſolet etiam referri pro eadem ſententia D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 12. *ad* 1. Ratio eſt, tum quia nemo tenetur peccata ſemel ritè confeſſa iterum confiteri, vt omnes fatentur; immò, nec poteſt Eccleſia aliquem ad id obligare: igitur nec debet, nec poteſt facultas abſoluendi ſub eo onere concedi. Tum, quia abſolutio ſacramentalis ex efficacia, quam habet ab inſtitutione ſua, liberat hominem à culpa tam in foro Dei, quàm in foro Eccleſiæ, & conſequenter videtur repugnare huic Sacramento, facultatem abſoluendi dari ſub illo onere; aut enim vera abſolutio non datur, aut tale onus non relinquitur, cùm nequeat abſolutio ſuo effectu priuari, non exiſtente obice ex parte pœnitentis, vt ſupponimus.

8. Nec obſtat ſi dicas, in peccatis cenſuram annexam habentibus, eſtò quis abſoluatur à Confeſſore, teneri tamen poſtea comparere corā Superiore. Reſpondetur enim quòd in cenſuris, ſicut impoſitio, & abſolutio earum principaliter pendet ex inſtitutione Eccleſiæ, ita poteſt ad libitum abſolutionis nodum illa præſcribere, & ſub hoc, aut illo onere eam præſtare: in confeſſione autem, & abſolutione ſacramentali, non ita; pendet enim ex Chriſti inſtitutione, proindéque non poteſt Eccleſia aliquid addere, vel mutare, præter ipſius Chriſti inſtitutionem.

9. Ad hæc in peccatis reſeruatis cenſuram habentibus, onus, quod relinquitur, non eſt ad ſubiiciendum iterum peccata clauibus, ſed ad ſatisfactionem ratione cenſuræ debitam imponendam, cuius iudicium non fuerat inferiori Confeſſori commiſſum; at in foro ſacramentali plenum iudicium committitur Confeſſori, eo ipſo, quòd illi cauſa delegatur.

10. Ex dictis deducitur, vtramque ſententiam præfatam eſſe probabilem; priorem tamen cenſeo ipſe probabiliorem, & tutiorem in praxi, præcipuè ob authoritatem DD. qui eam tuentur: immo DD. in contrarium allegati facilè poſſunt exponi de obligatione abſoluta; hîc autem agimus de conditionata. Et quidem D. Thom *loc. cit.* ſolùm aſſerit, neminem poſſe humano præcepto obligari ad iterátam confeſſionem peccatorum, quæ ſemel fuit ritè confeſſus, vt notat Suar. *num.* 7. Nihilominus, conſultiùs fortaſsè agerent Superiores, ſi iuxta poſteriorem ſententiam abſtineant ab impoſitione huius oneris, ne ſubditi eo aliquando oppreſſi grauiùs illaqueentur.

DVBIVM V.

Vtrùm Confeſſarij Regulares poſſint ſæculares non habentes Bullam Cruciatæ abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis.

1. Circa hanc difficultatem magna eſt inter DD. controuerſia. Nam quidam abſolutè tenent, dictos Religioſos ex vi iuris communis poſſe à caſibus Ordinario reſeruatis abſoluere. Ita Gabr. *diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Angel. *verb. Confeſſio* 3. *n.* 28. & Sylu. *Confeſſor.* 2. *q.* 5. Ducuntur, tum quia aliàs poſſent Epiſcopi limitare, & eludere priuilegia Religioſis per Sedem Apoſtolicam cōceſſa Tum quia *in extrau. inter cunctas, de priu.* habetur, præter caſus ibi relatos non poſſe Epiſcopum alios reſeruare.

2. Nihilominus probabilius ſentio, Religioſos ex vi iuris non habere huiuſmodi poteſtatem. Ducor

Primò, quia præcitatum ius iam reuocatum eſt, & non inuenitur aliud, vt notat Suar. *tom.* 4. *diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 16. & conſtabit ex infrà dicendis.

Secundò, quia *in Clem. Religioſi, de priuil. §. quibus,* ſub interminatione maledi-

Digitized by Google

ctionis æternæ inhibetur Religioſis ne à caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſeruatis, quempiam abſoluant. Atque ita ſentiũt S. Anton. 3.*p.tit.* 17.*c.*1. Sot.*in* 4.*diſt.*18.*q.*4.*art.*3.Nau. *in ſum c.*27.*n.*266. Villalob. *tract.*9. *de pœn. diffic.*62.*n.*1.& Suar. *ſupr.* vbi etiam addit non ideo excludi ſpecialia priuilegia vel directè conceſſa, vel per communicationem, modò in eis facultas huiuſmodi ſufficienter explicetur.

3. Rodr. autem *in expoſitione Bullæ* §. 9.*n.*131. aſſerit virtute *Clem. Dudum, de ſepulturis*, poſſe Religioſos abſoluere à peccatis Ordinario reſeruatis, per eiuſdem præcepta particularia, ſeu conſtitutiones ſynodales, vel etiam ex conſuetudine, non verò à reſeruatis ex iure ipſo, de quibus ſolùm *in d. Clem.* exceptio fieri videtur. Et ad huius probationem *n.*132. plures adducit conceſſiones Pontificias. Vnde iuxta hanc diſtinctionem poſſet vtraque prædicta opinio in concordiam reduci, itaut prima intelligatur de caſibus Epiſcopo reſeruatis à iure, ſecunda de reſeruatis ab homine.

4. Cæterùm, vt in re adeò graui ceſſet omnis ambigendi occaſio, placuit hîc inſerere quadruplicem ſacræ Epiſcoporum & Regularium Cõgregationis deciſionem, duplicem nimirũ tempore Clementis VIII. alteram tempore Pauli V. & alteram tempore Sanctiſſimi Domini Vrbani VIII. editam; vnde quid in hac materia ſentiendum ſit, fiet manifeſtum.

Decretum ſacræ Epiſcoporum, & Regularium Congregationis, ne Regulares cuiuſcumque Ordinis abſoluant à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel Ordinariis locorum reſeruatis.

5. Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, iuſtis & grauibus cauſis id exigentibus, ac de Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Papæ VIII. ſpeciali mãdato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus, ad cõfeſſiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis IESV, & generaliter quarumcunque aliarum quouis nõmine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum ſub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè ſcripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæculariũ, aut ſingularibus perſonis, ſeu aliàs quomodocunque ſub quibuſuis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cuiuſuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum alicui cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla in die Cœnæ Domini legi ſolita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per Sanctitatẽ ſuam, eiúſve ſucceſſores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reſeruandis; nec etiam à caſibus, quos Ordinarij locorũ hactenus reſeruauerunt, vel in poſterum ſibi reſeruabũt, nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua, & ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum quoad caſus ab ipſis tantùm reſeruatos, reſpectiuè, impetrata in ſcriptis licentia, Ordinariis locorum

rum

Digitized by Google

rum exhibēda abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat; ſed cùm opus fuerit pœnitentes ad Superiores, legitimóſque iudices ſuos accedere conſulat: ſub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm ſæcularibus excommunicationis, priuationis Officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiēdi confeſſiones, & ad quæcumque officia, Prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto abſque vlla alia declaratione incurrenda; ſuper quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, prę terquam in mortis articulo, poſſit impartiri; Sanctitas enim ſua (quatenus opus ſit) facultates, & conceſſiones ipſas in hac parte vti caſſas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obſtantibus quibuſcumque.

Præterea nouerint pœnitentes abſolutionem, ſi quam obtinebunt contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliúſque roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reſeruandorum caſuum competit plurium, quàm opus ſit, reſeruatione ſubditis, aut Confeſſariis in animarum ſalute procuranda cooperatoribus ſint oneroſi, monentur omnes, vt paucos, eóſque tantùm, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarúmque ſibi creditarum ſalutem pro cuiuſuis diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſariò reſeruandos eſſe iudicauerint, reſeruent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 9. menſis Ianuarij anni 1601.

Moderatio præcedentis decreti facta per eandem ſacram Congregationem.

6. Cvm dubia quædam, ac difficultates circa eiuſdem decreti interpretationem, atque obſeruationem emerſiſſent, eadē Congregatio, ne vllus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitati locus relinquatur, & vt clariùs appareat, in quibus caſibus vigore eiuſdem decreti reſeruatis intelligatur prohibita abſolutio, ſpeciali mandato eiuſdem S.D.N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo ſuper ea re habito, ipſum decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet ſub eiuſdem prohibitione illos tantùm in poſterū comprehendi caſus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta continentur: ac præterea violationis immunitatis eccleſiaſticę in terminis felic. record. Gregor. XIV. quę incipit, *Cùm aliàs nonnulli*; violationis clauſuræ Monialum ad malum finem; prouocantium & pugnantium in duello, iuxta decretū ſacri Concilij Tridentini & conſtitutionem felicis record. Gregorij Papæ XIII. incipiētem, *Ad tollendum*; iniicientium violentas manus in Clericos iuxta canonem *ſi quis ſuadente, &c.* 17. q. 4. ac iuris diſpoſitionem ſimoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel in poſterum reſeruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis caſibus duntaxat, & ſublata etiā pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones, eadem ſacra Congregatio vult, & mandat, dictum decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere. Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam ſæculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegiis, indultis, & facultatibus in ſupradicto decreto expreſſis, ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates vſu ante idem decretum receptas, & quæ ſub aliis reuocationibus non comprehenduntur tantùm, & non aliàs abſoluere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis: aliis verò Sacerdoti-

bus huiuſmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos caſuum reſeruatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem ſacra Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cēſet, vt non paſſim, ſed cùm id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent, quorũ reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in deſtructioné cedat, ne alioquin ſacramẽti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate Sãctæ Matris Eccleſię pię mẽti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſeruent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos. Facultatem verò, & licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quam in ſcriptis tantùm cõcedi permittebatur, etiam ſola viua voce cõcedi poſſe declarat. Cæterùm ne quis Sacerdotum ſęcularium, aut Regularium, ſub prætextu, quòd per primò dictum decretum non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus priuilegiis derogatum, eidem decreto, ſic, vt præfertur, declarato, contrauenire audeat; Sanctitas ſua conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum, ſeu inſtitutorum Regulariũ, aut Sacerdotum, tam ſæcularium, quàm Regularium editis, nec non eorumdem Ordinum, ſeu inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & monaſteriorum, & aliorum ſæcularium, ſeu Regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia, roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiã Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis eiſdem Ordinibus, ſeu inſtitutis, ac etiã Eccleſiis, & monaſteriis, & ſæcularibus, ſeu Regularibus locis, aut perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & fòrmis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiã ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, corúmque totis tenoribus, & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clauſulas generales idem importantes mẽtio, ſiue quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & fòrma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus pro expreſſis habens, quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogat, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ die 26. Nouembris 1602.

S. D. N. Paulus Papa V. Romæ die 7. Ianuarÿ anni 16 17. in confirmationem ſupradicti decreti, eiuſdémque declarationis, infraſcripta ab eadem ſacra Congregatione addi præcepit.

7. QVoniam ſacra Cõgregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporũ, ac Regularium Præpoſitorum nuper accepit, quamplures Regulares tãtum facultatis, ſeu priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi cõceſſum profiteri, vt etiam à caſibus locorum Ordinariis in eorũ diœceſibus reſeruatis, abſque alia ipſorum Ordina

Digitized by Google

Ordinariorum licentia, pœnitentes abſoluere minimè dubitant, nonnullóſque alios in decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicę, vel locorum Ordinariis reſeruatis die 9. Ianuarij anni 1601. fel. record. Clem. Papæ VIII. iuſſu edito, nec-non in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente, die 26. Nouembris 1602. promulgata; excommunicationes Sedi, vel Ordinariis prædictis reſeruatas minimè cōprehenſas aſſerere. Vnde fit, vt metus quo homines à peccando coërcētur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo ſacra eadē Congregatio de S.D.N. Pauli Papæ V. ſpeciali mādato viuæ vocis oraculo deſuper habito, decretum huiuſmodi, illiúſque declarationē, necnon cenſuras, & pœnas, in eíſque contenta, omnia confirmanda, atque innouanda operæpretium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innouat, ab omnibúſque Sacerdotibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiā neceſſariò exprimēdi, quouis nomine nuncupati inuiolabiliter obſeruari: ac inſuper, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuſcunque priuilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excōmunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis tam ad forum contentioſum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ 7. Ianuar. 1617.

Declaratio eiuſdem ſacræ Congregationis circa facultatem abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ & Ordinario reſeruatis.

8. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacr. Conc. Trident. obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia priùs ab eodē Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Ordinario locis reſeruatis. Quemadmodum nec iudulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi cōſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus; ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis. At ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore: ab aliis verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiquidem Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem ſacræ Congregationis decretis, hac de re editis iuſſu ſanct. mem. Clementis VIII.

Quam ſacræ Congregationis ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbauit, mandauítque ab omnibus, ad quos

quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari. Romæ 17. Nouembris 1628.

8. Ex dictis igitur infero primò nunc temporis abſolutè ſentiẽdum eſſe, etiam extra Italiam Regulares non poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis locorum Ordinariis, ſicut nec à caſibus in Bulla Cœnæ contentis; eſtò, attento priori decreto contrarium opinentur Portel. *verb. caſ. reſer. num.* 6. Miranda *in manuali Prælat. tom.* 1. *q.* 46. *art.* 2. Villalob. *loco cit.* & alij. Oppoſitum namque ſatis conſtat ex vlt. decr. præcedenti; vbi etiam habetur, quòd poteſtas ab aliis caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluendi, Regularibus per eandem Sedem conceſſa non aufertur illis extra Italiam.

9. Infero ſecundò Regulares ex vi d. Clem. *Dudum*, non minorem habere poteſtatem, quàm Parochos, atque ideo cenſet Suar. *vbi ſuprà*, quòd ſi Epiſcopi velint peccata aliqua reſpectu Religioſorũ reſeruare, quæ reſpectu Parochorum non eſſent reſeruata, nõ poſſent id facere, nec valeret reſeruatio, cùm ſit expreſsè contra illud ius, atque hac ratione inquit caueri inconueniens per priorem opinionem inſinuatum, &c.

DVBIVM VI.

Vtrùm quando in Bulla Cruciatæ, vel Iubileo datur ſine aliqua exceptione facultas abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, poſſit quis virtute illius abſolui ab hæreſi externa in eadem Bulla Cœnæ reſeruata.

1. PArtem affirmatiuam ſequuti ſunt Sylu. *excommunicatio* 7. *caſu* 2. & 39. Ang. *verb. Abſolutio, n.* 17 Sotus 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 3. Cord. *caſu* 8. Panor. *c. de cætero, de ſententia excommunicationis*, & alij, quos refert Couar. *in tractatu excommunicationum p.* 1. §. 12. *n.* 15. idem tenuit Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis, & alij grauiſſimi recentiores, quorum ſententia probari poteſt,

Primò, quia, vt conſtat ex *l. ſi chorus, ff. de legatis* 3. tantum valet expreſſio generalis quoad ſpecies in illa contentas, quantum valeret enumeratio ipſarum ſpecierũ; ergo perinde ſe habet in Bulla, vel Iubileo, dare facultatem ſine exceptione abſoluendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, ac ſi caſus hæreſis, & reliqui in illa contenti exprimerentur.

2. Secundò, quia in Bullis Cruciatæ multis abhinc annis poſtquam Summ. Pontifex præbet in illis facultatem ad abſoluendum à reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, excipit expreſsè hæreſim; ergo quando non excipit ſignũ eſt dare facultatem ad abſoluendũ ab illa. Patet conſequentia ex communibus, & tritis iuris principiis, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & beneficium Principis latiſſimè eſt interpretandum, & fauores cõuenit ampliari, vt habetur *de regul. iuris in* 6. ergo ſi Papa non excipit hæreſim, nec nos debemus illam excipere virtute Bullæ.

3. Tertiò, quia Confeſſarius approbatus poteſt abſoluere ab omnibus, à quibus poſſunt Epiſcopi, cùm Bulla ipſa dicat poſſe abſoluere ab omnibus reſeruatis, etiam Papæ; illa autem particula *etiam*, eſt ampliatiua ad caſum difficiliorem. Vnde communis eſt omnium opinio, per Bullam poſſe Confeſſarium abſoluere ab omnibus reſeruatis Prælatis inferioribus Papæ: ſed ſic eſt quòd Epiſcopi poſſunt abſoluere ab hæreſi exteriori, teſte Sylu. *excommunicatio* 7. *caſu* 2 *notab.* 4. & conſtat ex *c. nuper, de ſententia excommunicationis*; quia re vera Epiſcopi ſunt iure diuino Inquiſitores ordinarij, vt docet Perez *lib.* 8 *ordinamenti tit.* 4 *l.* 3. *pag.* 83. & 86. & *ſeqq.* & iuxta Trident. *ſeſſione* 24. *cap.* 6.

de

Digitized by Google

de reformatione, poſſunt Epiſcopi abſoluere ab hæreſi exteriori occulta; ergo idem poterit Confeſſarius virtute Bullæ, aut Iubilei, in quo non fuerit exceptus caſus hæreſis.

4. Verùm his non obſtantibus, licèt prædicta ſententia videatur ſpeculatiuè vera, ego tamen [illegible] eſſe practicè probabilem, nec tutam in cõſcientia.

5. Primò, quia contra ſe habet grauiſſimos Doctores, tam Theologos, quàm Iuriſtas. Caiet. *verb. Excommunicatio*; *c.*1. Angles *in floribus theologicis in* 4. *quæſtione de confeſſ. art.* 5. *pag. mihi* 278. Medin. *lib.*1. *inſtructorij c.*10. §.1. *fol.*329. *& c.*11. §.1. *fol.*46. Palacios 4. *diſt.*20. *q.*3. Aragon. 2.2. *q.*31. *art.* 3. Bañes *ibid. art.* 4. Henriq. *lib.*6. *c.*16. *fol.*445. Eman. §.9. *n.*70. Nauarr. *c.*27. *n.*272. *& in nouo num.* 275. Couar. *c. Alma, part.*1. §. 11. *n.*271. Simancas *in Enchiridio violatæ religionis c.*51. *n.*4. *& in addit. de Catholicis inſtitutionibus tit.*3. *in principio n.* 2. Rojas *lib.*1. *de hæreticis part.* 2. *aſſertione* 31. *& tract. de priuil. Inquiſitorum* §. 416. Perez *vbi ſuprà pag.* 85. Mandoſius *in praxi, verb. Crimen hæreſis*; & alij quos moleſtum eſſet recenſere.

6. Secundò, quia oppoſita ſententia habet contra ſe reſponſa plurium Pontificum, qui apertè declararunt in clauſula generali Bullæ concedente facultatem ad abſoluendum à reſeruatis Papæ, non includi hæreſim niſi id exprimatur; ita reſpondit Pius V. *anno* 1572. *die* 3. *Ianuarij.* vt teſtificatur Rojas *lib. de hæreticis, vbi ſuprà*, & Vrbanus IV. Paulus IV. & Greg. XIII. *anno Domini* 1576. vt referũt Henriq. *lib.*6. *c.*16. & Aragon *vbi ſuprà*, qui addunt quòd duo Concionatores, qui Cordubæ, & Murciæ oppoſitum prædicauerunt, coacti ſunt, publicè recantare palinodiam. Vnde Inquiſitores in Hiſpania ex auctoritate Pontificum publicè fecerunt euulgari, neminem per Bullam poſſe ab hæreſi abſolui, vt ſic deinde nulla dubitandi ratio ſuboriri poſſet.

7. Tertiò ratione impugnatur prædicta ſententia, quia commiſſio generalis facta delegato, non extenditur ad cauſam fidei, niſi exprimatur, vt tenet communis Doctorum, cum gloſ. *d. c. frater noſter.* 16. *q.*1. & gloſ. *c. vt officium, de* [illegible] ſequitur Aymon. *de antiquitate temporum num.*44. Iaſon *l. cogendum, num.* 5. *ff. qui ſatiſdare cogantur.* Felin. *c. poſtulaſti, de reſcriptis*, cum Couar. *vbi ſuprà*; ergo in Bullis, aut Iubileis, vbi caſus hæreſis non exprimitur, debet ſubintelligi exceptus, maximè cùm ſit adeò ſtrictè Inquiſitoribus reſeruatus.

8. Quartò, quia cùm Bulla, vel Iubileus concedit generalem facultatem vel diſpenſandi, vel commutandi vota, non veniunt intelligenda caſtitatis, & Religionis; vt expreſsè docet Sot. *de iuſtitia q.* 4. *art.*.... quia iure ipſo intelliguntur excepta, niſi exprimantur. ergo idem prorſus, & à fortiori erit de hæreſi, quæ cùm ſit maximum peccatorum, ex D. Thom. 2.2. *q.*11. *art.*1. & ex propria ratione ipſo iure videtur excepta. Vnde Felin. *c. Apoſtolica, in principio, de exceptionibus*, ait facultatem generaliter datam ad abſoluendum ab excommunicatione non prodeſſe excommunicatis ratione hæreſis; quare parum conſequenter loquutus eſt Sotus concedens prædictam exceptionem in votis caſtitatis, & Religionis, & negans illam in hæreſi.

9. Vltimò, quia in generali conceſſione non veniunt intelligenda quæ veroſimiliter non eſſet quis in ſpeciali conceſſurus, vt in ſimili docet D. Anton. 3. *part. tit.*24. *cap.*79. §.1. & conſtat ex *l. in generali, ff. de pignoribus, & l. ſi quãdo, C. de inofficioſo teſtamento*; ſed Papa in ſpeciali non concederet illud; ergo non eſt intelligendum id concedere in

Y illa

Digitized by Google

illa generali conceſſione. Conſequentia cum maiori eſt nota: minor autem probatur, tum quia ipſi Pontifices de hoc requiſiti negant, vt viſum eſt *ſuprà in 2. probatione*; tum, quia non eſt veroſimile Pontifices velle derogare tam facilè tot legibus in fauorem fidei Catholicæ latis, maximè quia cùm [illegible] Epiſcopis cùm multis limitationibus *ſeſſ.* 24.*c.*6. imò & ipſi Pontifices ſæpe ſoleant abſoluere cum eiſdem limitationibus, irrationabile eſt credere quòd id concedatur ſine vlla limitatione omnibus Confeſſariis per Bullam, aut Iubileum electis, niſi clarè exprimatur.

10. Ex quibus colligo idem omnino dicendum eſſe de Apoſtaſia à fide, quia hæc quædam hæreſis eſt, ſaltem virtualiter & fortè grauior ipſa hæreſi.

11. Ad primum reſpondeo id eſſe verum, niſi aliunde obſtet cauſa fidei. nam tunc talis caſus ſubintelligi debet exceptus, vt ſic difficultate obtinendi abſolutionem magis inuiolatè fides diuina ſeruetur, quæ eſt fundamentum Eccleſiæ.

12. Ad ſecundũ reſpõdeo quòd etiamſi in Bullis, quæ modò expediuntur, non expreſsè exciperetur hæreſis, adhuc deberet intelligi excepta; quia tamen multi indocti abſoluebant ab hæreſi quando non fiebat illa exceptio; ideò conuenienter ſacri Pontifices addunt illud in ſuis Bullis. Vnde in forma ad argumentum neganda eſt conſequentia, & ad probationem patet ex dictis ad primum.

13. Ad tertium quidam negant minorem: ſed illa conceſſa, de quo latiùs alibi cùm egerimus de Bulla Cœnæ Domini, reſpondeo nos poſſe abſoluere virtute Bullæ ab omnibus reſeruatis Epiſcopo, & aliis inferioribus Papæ, ſemper tamen hæreſi excepta, propter rationes ſuprà adductas.

Dvbivm VII.

An dicta dubio præcedenti intelligenda ſint de quacunque hæreſi, etiam mentali.

1. SOlent hîc Bullæ Cruci[illegible] expoſi[illegible] ſingulos caſus in Bulla Cœnæ contentos, ſingulas excitare quæſtiones. Ego autem ab his ſuperſedere opportunius duxi, tum quia id longiorem requirit tractatum, quàm ſit tota Cruciatæ expoſitio, de qua ſolùm agere intendo, tum quia de Bulla Cœnæ, quamprimum (Deo dante) erit in lucem edenda noſtra in commune beneficium ſatis diffuſa expoſitio; tum denique, quia ſi quæ ex eadẽ Bulla aliquando petenda ſint, facilè quis in Summiſtis illa inueniet. Placet tamen circa primum Canonem nonnulla breuiter hîc obſeruare, ne forſitan Confeſſarius vel temerariè mittat falcem in meſſem alienam; vel ignoranter pœnitentem priuilegio virtute Cruciatæ ſibi conceſſo priuare contingat.

2. Quapropter obſeruandum eſt primò, hæreſim purè mentalem, quæ manet in intellectu, & nondum eſt manifeſtata per verba, nutus, ſigna, aut actus externos, non eſſe peccatum reſeruatũ in Bulla Cœnæ, nec vllam incurri excõmunicationem ratione illius, & conſequenter poſſe à quolibet Confeſſore ordinario abſolui. ita Caiet. *verb. hæreſis, fine.* Gutier. *lib.* 1. *quæſt. canon. cap.* 13. *à num.* 28. Simanc. *de Cathol. inſtit. tit.* 42. *num.* 17. Aragon. 2.2. *q.* 11. *art.* 3. Suar. *tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 2. Sanch. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 8. *num.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *verſ. vtrùm verò.* Rodr. *in Bulla Cruciata* §. 9. *num.* 71. & alij per Sanch. relati. Ratio eſt, quia pœnæ externæ actum externum perfectum, & conſummatum requirunt. Quamuis enim huiuſmodi peccatum in ſola mente

Digitized by Google

te verè, ac perfectè conſummetur, Eccleſia tamen nequit excommunicatione, aliiſve pœnis fori externi qualecunque delictum punire, niſi modo aliquo externo manifeſtetur. Vnde communiter inferunt DD. non ſatis eſſe quæcunque verba, vel ſigna externa, ſed debere eſſe talia, vt ſi quis adeſſe cõtingat, certò, infallibiliter, & abſque vlla dubitatione iudicare poſſit talem eſſe hæreticum; & quandiu talia nõ ſunt, nec peccatum reſeruatum quis habet, nec excommunicationẽ incurrit. Atque ideo non ſufficiunt ſigna externa indifferentia, cuiuſmodi ſunt, ſi quis dum interiùs hæreſi aſſenſum præbet, menſam, aut femur percutit, dicens, ita eſt, ita planè eſt. Similiter non ſufficit caput habere opertum, dum ſuper Altari patens eſt venerabile Euchariſtiæ ſacramentum, ſeu dum Sacerdos hoſtiam eleuat: quamuis enim huiuſmodi actus ſint externi, & mali malitia hæreſis, adhuc tamen ſunt indifferentes, & non illam de ſe ſignificant certò, infallibiliter, & manifeſtè. ita Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 9. *q. vlt.* Sayr. *in ſuo theſauro caſuum tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 26. Vaſq. 1. 2. *q* 96. *art.* 4. *diſp.* 160. *cap.* 5. *num.* 20. *&* 21. Bannes 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. & alij, quos refert Sanch. *num.* 8. vbi ex Ledeſma ait quòd ſi quis aſſentiẽs huic hæreſi internæ, *Chriſtus non eſt homo*, proferat hæc ſola verba, *verè non eſt homo*, adhuc non ſatis eſſet, quia huiuſmodi verba à quocunque audita nullam hæreſim manifeſtant, ſed indifferentia ſunt.

3. Si quis tamen animo hæretico ſcribat per cifram ſuam hæreſim, ſeu per alia ſigna à ſe impoſita ad eam ſibi ſignificandam, Sanch. *num.* 10. exiſtimat adhuc non ſufficere ad conſtituendum aliquem hæreticum externum; quia eiuſmodi ſigna nequeunt ab alio intelligi, nec illam hęreſim explicant manifeſtè. Sed oppoſitum mihi videtur probabilius, quia illa ſigna ex obiecto hæreſim infallibiliter ſignificant externè, & per accidens eſt quod ab aliis non percipiantur. Atque ita ſentit Fagundez *lib.* 8. *cap.* 8. *in fine.*

4. Secundò obſerua hæreſim externam, id eſt, ſigno aliquo exteriori manifeſtatam, reſeruari in Bulla Cœnæ, & ab hac nequit aliquis virtute Cruciatæ abſolui, etiamſi aliàs ſit occulta per accidens, id eſt, nulli nota; vndi non bene Cord. *in ſum. q.* 8. *ad finem*, oppoſitum aſſeruit, ductus forſitan, quia cùm ex vi Tridentini concedatur Epiſcopis facultas abſoluendi ab hæreſi occulta, inde videatur inferri quòd ſit caſus Epiſcopalis, & conſequenter poſſit virtute Cruciatæ abſolui; cuius oppoſitũ conſtabit ex dicendis *dub.* 7. *ad finem*, vbi refellitur opinio Sanch. doctrinam Cord. amplectentis. nam caſus hæreſis non Epiſcopis, ſed Pontifici de iure reſeruatur; Epiſcopis autem ex quadam indulgentia, ſeu diſpenſatione à Tridentino conceditur facultas, vt per ſe ipſos tantùm ab hæreſi occulta poſſint abſoluere. Imò ferè communis opinio tenet hanc facultatem illis per Tridentinum conceſſam in Bulla Cœnæ reuocari. De his tamen alibi erit ſermo ex profeſſo.

5. Obſerua tertiò illum, qui vi, & metu, vel dolo, & fraudulenter ſe inter infideles exteriùs infidelem fingit, Maurum nimirum, Iudæum, idololatrã, ſeu hæreticum, & fidem exteriùs negauit, peccare quidem grauiſſimè contra externam fidei profeſſionem, & poſſe à Dominis Inquiſitoribus in foro externo puniri, tanquam hæreticum, quia talis præſumitur, qui exteriùs talem ſe manifeſtat; non tamen eſt hæreticus in Bulla Cœnæ comprehenſus, nec excommunicationem illius incurrit, & conſequenter poſſet à quocunque Confeſſario abſolui. Ita Nauar. *in Man.*

Digitized by Google

*Latina c.*11.*n.*17.Bañes 2.2. *art.*1.Sylu. *verb.hæreſis,q.9.* Sotus aliis citatis *in* 4. *diſt.*22.*q.*2.*art.*3.*q.*11.*art.*4.*dub.* 2.*concl.*3. Simanc. *de cathol. inſtit. tit.* 31.*n.*3. Toletus *ſumma lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. *& in Bulla Cœnæ excom.* 1.*num.*9. Suar. *tom.*5. *de cenſ. diſp.*4.*ſect.*2. *num.* 32. *& diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.*3. & plures alij, quibus adhæret Sanch. *ſum lib.*2.*c.*7 *num.*8. Ratio eſt, quia hæreſis eſt voluntarius diſſenſus à fide; diſſenſus autem eſt actus intellectus, ſicut & aſſenſus; vnde aſſentire fidei, vel ab illa diſſentire, ad intellectum ſpectat; iſte autem de quo agimus, nullum habuit errorem in intellectu, nec à fide diſſentiuit internè, vt ſupponimus.

6. Sed obiicies ex Caiet. 2.2.*q.*12.*art.* 2.*fine, & q.*94 *art.* 1. *ad finem*, cui etiam (teſte Bañes *ibidem*) quidam viri docti ſubſcribunt, hunc excommunicationem, & cæteras pœnas hæreticorum incurrere, eſtò metu cadente in virum conſtantem neget ore tenus fidem; & rationem aſſignat, quia cùm Eccleſia actus internos minimè videat, nec de eis iudicare valeat, ſolos externos pœnis afficit. Vnde externus Clerici homicida, licèt occidendi intentione careat, imò ſolo metu compulſus homicidium committat, adhuc tamen excommunicationem, & irregularitatem incurrit.

Reſpondetur nihilominus oppoſitum tenendum eſſe, quia cenſuræ & reliquæ pœnæ contra crimen aliquòd iniunctæ, non contrahuntur, niſi dum crimen illud eſt verum, ac conſummatum; hæreticus autē, ſeu Apoſtata ſolùm exteriùs, non eſt verè talis, quoniam deficit error intellectus. Nec eſt ſimile de homicidio; hoc enim in ſolo actu externo conſiſtit, éſtque verum, & conſummatum homicidium, eſtò metu, & abſque occidendi animo committatur: hæreſis verò vtrumque actum, externum, & internum requirit. Et quamuis Eccleſia de ſolis actibus externis iudicet, & eos pœnis afficere poſſit; at quādo abſolutè punit delictum, & illud deficiente actu interiori non eſt perfectū, nec conſummatum, tunc nec etiam ſubditur pœnis Eccleſia in eiuſmodi delictum inflictis, vt tradit Sanch. *ibidem num.* 8.

7. Si quis autem fidem exteriùs neget, & hæreticum ſe fingat animo fauendi hæreticis in ſuo errore, vel ſecta, tunc quidem in caſum Bullæ incurret, non tamen excommunicationem latam contra hæreticos, ſed contra hæreticorum fautores, vt ex Nauar. *loco cit.* ſentiunt Sanch. *num.* 9. & Fagundez *n.*40. ſed de his latiùs alibi.

DVBIVM VIII.

Vtrùm modò virtute Bullæ Cruciatæ poſſimus abſoluere ſchiſmaticos fautores, & receptores Hæreticorum.

1. QVidam iuniores cum Eman. *in Bulla* §.9.*n.*70. & clariùs *in addit.num.*66. tenent partem negantem, & probant, quia prædicti omnes numerantur in primo caſu Bullæ Cœnæ Domini, vbi ponitur hæreſis, & totus ille caſus eſt reſeruatus Inquiſitoribus, de quo nullum poteſt eſſe dubium. ergo ſicut hæretici non poſſunt abſolui virtute Bullæ, ita nec eorum fautores, nec receptores, cùm agentes, & conſentientes pari pœna puniendi ſint. Ita Ledeſma *in ſum.tom.*1.*tract.*1.*cap.*6. *fine*, Turrianus 2.2.*tom.*1.*diſp.*56.*dub.*2. Alter. *de cenſ.tom.*1.*lib.*8. *c.*19.*q.*2. & Azor. *tom.*1. *lib.*8.*c.*19.*q.*2.

2. Verùm apud me nullum eſt dubium ſchiſmaticos, fautores, & receptores hæreticorum, & reliquos etiam, qui in Bulla Cœnæ Domini numerantur,

Digitized by Google

tur, excepto hæretico exteriori, virtute Bullæ abſolui poſſe ſemel in vita. Ita docent Sanch. *in ſum. lib. 2. c. 12. n. 12.* Farin. *de hæreſi q. 180. n. 8.* Suar. *de fide diſp. 24. ſect. 1. n. 11.* Duar. *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 8. n. 8.* Acoſta *q* 63. Henriq. *lib. 6. c. 16. in textu num. 2. & in gloſ. lit. L.* Salas Societatis IESV *in expoſitione Bullæ q. 9.* & alij. Dixi notanter, *ſemel in vita*, quia ſi reincidat, indiget noua Bulla, vt rectè notauit Henriq. Sed iam ratione

3. Probatur primò, quia rectè ſtare poteſt, vt ſchiſmatici, aut fautores hæreticorum non ſint hæretici, ſed fideles, vt de ſe conſtat: ſed in Bulla Cruciatæ ſolùm excipitur hæreſis. ergo à quibuſcunque aliis peccatis, quæ non fuerint hæreſes, poteſt quis abſolui virtute Bullæ Cruciatæ. Patet conſequentia, quia exceptio firmat regulam in contrarium; ergo cùm ſola hæreſis ibi excipiatur, manifeſtum eſt relinqui facultatem ad abſoluendum à quibuſcumque peccatis, hæreſi excepta.

4. Secundò probatur, quia licèt ita ſit quòd totus ille caſus primò Bullæ Cœnæ Domini ſit reſeruatus Inquiſitoribus, tamen id non obſtat quominus poſſimus ab illis omnibus abſoluere virtute Bullæ, excepta hæreſi. Tum quia etiam ab aliis, qui ſunt reſeruati Inquiſitoribus, imò & ipſi Papæ, excepta hæreſi, poteſt quiſpiam abſolui virtute Bullæ; tum quia aliàs, nec virtute Bullæ poſſet quis abſolui, ſi Aſtrologiam iudiciariam exercuiſſet, libros prohibitos legiſſet, aut prima vxore viuente, cum ſecunda contraxiſſet, cùm hæc & alia huiuſmodi ſint reſeruata Inquiſitoribus; quod tamen eſt cōtra praxim quotidianam, & cederet in maximum animarum detrimentum, quia cùm Inquiſitores non poſſint officio Confeſſarij facile vti, nullus relinqueretur, qui poſſet in foro interiori à prędictis peccatis abſoluere.

5. Tertiò probatur, quia poteſtas abſoluendi eſt fauorabilis; ergo non eſt cur ſine ſpecialiſſima cauſa illam reſtringamus; quæ certè hîc non adeſt, ſicut in caſu hæreſis.

6. Ad rationem verò dubitandi iam patet ex dictis, & licèt illa maxima, agentes, & conſentientes, &c. eſſet vera quantum ad pœnam fori exterioris, nō tamen quoad cœnam fori interioris; atque adeò licèt illi non poſſint abſolui, benè tamen iſti. Item addo quòd, formaliter loquendo, fautores hæreticorum dum non diſcredunt alicui veritati fidei Catholicæ, non poſſunt dici formaliter conſentientes ipſis hæreticis, vt hæretici ſunt, atque adeò non debent pari pœna puniri, vt ad præſens ſpectat.

7. Supereſt ſatisfacere argumētis, quibus Rod *in addit. ad §. 9. n. 66.* ſuam opinionē denuo nititur cōfirmare, & ſimul carpit nonnullos, quos tacito nomine refert, ſibi iniuſtè imputaſſe quòd amplitudini Bullæ Cruciatæ ſua opinione detraxerit. Ad hoc probandum adducit duo breuia Apoſtolica, vnum videlicet Pauli IV. ſub dato anno 1558. Pontificatus verò ſui anno 4. vbi pręfatus Pontifex in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Confeſſoribus iniungit, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ diſtrictè præcipit, vt in actu confeſſionis diligenter inquirant à pœnitentibus, num habeant, vel legant libros hæreticos, ſeu ab Eccleſia damnatos, aut imprimant, ſeu imprimi faciant, vel venales teneant, aut de eis habeant aliquam notitiam; quòd ſi prædicti pœnitentes aliquid Confeſſori reuelent, non prius abſoluantur, quàm Inquiſitoribus denuntient, quidquid circa hoc negotium exploratum habuerint.

8. Hinc autem cenſet Rodr. inferri, quòd nō poſſent abſolui virtute Bullæ, nec legentes libros hæreticorum, nec

Digitized by Google

eoſdem imprimentes, venales habentes, vel id Inquiſitoribus non reuelantes, dum notitiam huius negotij habuerint. At ſi prædictæ conſtitutionis Apoſtolicæ verba rectè expendātur, oppoſitum potiùs deprehendetur. tum quia huiuſmodi præceptum, & cenſura non fertur contra pœnitentes, ſed contra Confeſſarios, ne abſoluant pœnitentes, niſi priùs dictos libros Inquiſitoribus tradiderint. tum quia ibi non derogantur priuilegia Cruciatæ, imò nec vlla fit mentio de dicta Bulla, ſed ſimpliciter inſinuatur modus à Confeſſoribus obſeruandus, vt pœnitentes Inquiſitoribus denuntient, quidquid nouerint circa talia crimina; imò eſtò dicta priuilegia ibi reuocaret ille Pontifex, per Bullas ſubſequentes reualidantur. tum denique, quia virtute Cruciatæ conceditur facultas abſoluendi ſimul in vita ab omnibus peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ, excepta hæreſi occulta per accidens, nullum autem ex prædictis criminibus eſt propriè hæreſis.

9. Aliud Breue eſt Greg. XIII. ſub dato anno 1576. Pontificatus verò ſui anno 5. vbi Motu proprio, & ex certa ſcientia declarat nunquam Pij V. ſui prædeceſſoris, ac ſuæ intentionis fuiſſe, vel eſſe, Confeſſoribus virtute Cruciatæ aliquo modo facultatem concedere abſoluendi ab incurſu, & lapſu in hæreſim. Hinc autem Rodr. nihil in ſui fauorem inferre poteſt, imò in noſtræ opinionis confirmationem, firmum poteſt confici argumentum, quia cùm Sum Pontifex explicans mentem ſuam circa iſtam clauſulam Bullæ in Cœna Domini, ac ſimul facultatem Cruciatæ, ſolùm hæreſim excipiat, nec vllam faciat mentionem de aliis criminibus in eadem prima clauſula Bullæ in Cœna Domini contentis, nimirum de defenſione, fauore ac receptione hæreticorum, ac de lectione librorum eorundem; conuincitur quidem attento tenore Cruciatæ poſſe virtute illius quēpiam à dictis criminibus abſolui, aliàs ea etiam exciperet, ſi ſuæ intentionis eſſet illa ſimiliter reſeruare. Ex dictis igitur

10. Infero primò, prædictos omnes, ſi verè hæretici non ſint, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo. Ita Enriq. Sanch. & Acoſta *vbi ſuprà*. Vnde priuilegio Bullæ gaudent, qui hæreticos recipiunt, fauent, aut defendunt, vt conſanguineos, affines, ſeu amicos, etiam vt manus miniſtrorum iuſtè effugiant, & pœnas euadant. Secus ſi vere hæretici ſint, cuiuſmodi æſtimantur, qui hæreticos recipiunt, defendunt, aut fauent, ea præci e ratione, qua hæretici ſunt; tunc enim hæreſim ipſam defendunt, & fauent, & conſequenter in hæreſi etiam complacent. qui autem in hæreſi complacet, hæreticus æſtimatur; atque ideo tunc prædicti omnes nequeunt virtute Cruciatæ abſolui.

11. Infero ſecundò, idem eſſe de legentibus, & retinentibus hæreticorum libros; hi enim etſi abſque dolo malo, ſed curioſitatis gratia duntaxat id præſtent, cenſuram Bullæ in Cœna Domini incurrunt. ita Vgol. *in expoſitione eiuſdem Bullæ, canone 1. verb. ac eorundem libros.* Toletus *in ſum in Bulla, excom. 1 n. 24.* & Sanch. *in ſum. lib. 2. c. 1. n. 40.* Poſſunt tamen huiuſmodi abſolui virtute Cruciatæ, dummodo in hæretico animo non efficiant, vt notat Acoſta *concl. 4.* & retinentes libros, priùs Inquiſitoribus eos tradant, vt *cap. 12. num. 11.* inſinuat Sanch. & habetur expreſsè *in præcit. conſtitutione Pauli IV.*

12. Infero tertiò, quòd credentes hæreticorum, ſiue eorum erroribus credant implicitè, ſiue explicitè, verè hæretici ſunt, & ſub illis comprehendi poſſent.

Digitized by Google

poſſent. Sed ob maiorem declarationem, ſunt in primo canone Bullæ in Cœna Domini expreſſi, vt rectè Nauarr. Vgol. & Suar. apud Sanch. *c.* 10. *n.* 2. & vt ſic nequeunt virtute Cruciatæ abſolui. Secus autem, ſi perſonis hæreticorum duntaxat credant, bonam exiſtimationem de illis habendo, familiaritatémve eiſdem præſtando. tunc enim eſto poſſint in foro exteriori præſumi credentes, & vt tales puniri; in foro tamen conſcientiæ potiùs ſunt æſtimandi fautores hæreticorum, non verò credentes, niſi eorundem erroribus credant.

13. Solum ſentiendum eſt de ſchiſmaticis, poſſunt enim dari aliqui ſimpliciter ſchiſmatici, & non hæretici, cuiuſmodi ſunt qui Romano Põtifici vniuerſalis Eccleſiæ capiti ſubeſſe renuunt, credunt autem cunctis fidei articulis. Alij verò ſunt ſchiſmatici & hæretici ſimul, ij nimirũ, qui non Romano Pontifici ſubeſſe volunt, nec fidei articulis credũt. Vnde omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, non tamen è contra. hæreſis namque cõſiſtit in doctrinæ fidei negatione, ſchiſma autem in vnitatis corporis Eccleſiæ repugnãtia, ita ex D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *ad* 3. Qui igitur ſunt ſimpliciter ſchiſmatici, poſſunt virtute Cruciatæ abſolui, non tamen qui ſunt etiam hæretici.

14. Nihilominus, quia iuxta doctrinam eiuſdem Doctoris Ang. *ibidem*, non datur ſchiſma, quod ſibi aliquam hæreſim non confingat, vt rectè ab vnitate Eccleſiæ receſſiſſe videatur; regulariter loquendo, videtur dicendum quòd vix detur ſchiſmaticus, qui ſimul non ſit hæreticus; atque ideo ſchiſmatici ab Eccleſia damnantur, tanquam hæretici, vt habetur in directorio Inquiſitorum 2. *p. cap.* 28. nec immeritò præſumitur hæreticus, qui ab Eccleſiæ vnione diſcedit. Vnde ad prudentiam Confeſſoris ſpectat obſeruare, an huiuſmodi perſonæ poſſint virtute Cruciatæ abſolui, quoniam ſi Confeſſori conſtet pœnitentem ſemper incorruptam fidem in ſuo intellectu conſeruaſſe, non eſt illi deneganda ſacramentalis abſolutio humiliter virtute Cruciatæ poſtulata, ſecus autem, ſi oppoſitum agnoſcat.

Dvbivm IX.

Vtrùm qui virtute Bullæ, vel Iubilei fuit abſolutus, poſſit tranſacto tempore talis Bullæ, vel Iubilei, à reſeruatis, in confeſſione oblitis, iterum abſolui per quemcunque Confeſſarium approbatum.

1. Videtur quòd non. Primò, quia facultas abſoluendi à reſeruatis datur pro determinato tempore, vt pro vno anno in Bulla Cruciatæ, vel pro vna, vel duabus hebdomadis in Iubileo. ergo eo tranſacto non poterit ille abſolui à reſeruatis. Patet conſequentia, quia iuriſdictio data ad tempus, & ſimiliter priuilegium, ceſſat tranſacto tempore.

2. Secundò, quia ſi quis à Superiore abſolutus à reſeruatis trãſacta illa confeſſione, poſtea recordetur alicuius peccati reſeruati, non poteſt ab alio abſolui: ſed tenetur ad illum redire pro abſolutione illius; ergo ſimiliter, ſi quis virtute Bullæ, vel Iubilei fuerit abſolutus, non poterit tranſacto tempore virtute Bullæ, vel Iubilei, à quocunque Confeſſario approbato abſolui à reſeruatis oblitis. Conſequentia eſt nota à paritate rationis, & antecedens patet; quia ſi Superior committeret ſuas vices alicui Confeſſario pro reſeruatis, certè pœnitens ſi obliuiſceretur alicuius peccati, non poſſet poſtea alium adire pro abſolutione, quàm illum eundem, quem ſibi Superior aſſignauerat; ergo idem eſt cùm ipſe Superior per ſe ipſum abſoluit,

uit, quia tunc nihil aliud facit, quàm exercere eam facultatem, quam ipſe aliis ſolet conferre.

3. Tertiò, quia cùm quis eſt abſolutus à reſeruatis, etiam manet abſolutus à reſeruatis oblitis, atque adeò, ſi poſtea recordetur illorum, talia peccata manēt ſicut alia mortalia non reſeruata: ſed tranſacto tempore priuilegij, vt Bullæ, vel Iubilei, non poteſt abſolui ab aliis mortalibus, à quocunque approbato præcisè, ſed ab habente iuriſdictionem in ipſum; ergo ſi tranſacto tempore Bullæ, vel Iubilei recordatur alicuius reſeruati in confeſſione obliti, non poterit abſolui niſi ab habente iuriſdictionem in alia mortalia, & non ab approbato ſolùm; atque hæc ſententia placet valde quibuſdam iunioribus.

4. Pro intelligentia huius difficultatis præmitto primò, non procedere hoc dubium de peccatis oblitis, contentis tamen virtualiter in cōfeſſione aliorum reſeruatorum, quæ iam ritè confeſſa fuere: vt ſi confeſſus fuiſſem nouem periuria Paulo, minúſve, & poſtea certò agnoſcam eſſe decem, vel vndecim: tunc certum eſt non teneri pœnitentem pro eo peccato iterum confiteri alicui, vt docent grauiſſimi Doctores; de quo in materia de confeſſione, ſed intelligitur hoc dubium, quando peccatum oblitum non continetur virtualiter in aliis ritè confeſſis, vt ſi ſit noua ſpecies.

5. Secundò præmitto duplicem in hoc dubio inuolui quæſtionem. Prima, an ille poſſit tranſacto priuilegij tempore abſolui ab illo peccato reſeruato, & oblito per Parochum. Secunda, an poſſit abſolui non ſolùm à Parocho, ſed à quocunque approbato, licèt non præhabeat iuriſdictionem aliquam.

6. Hoc ſuppoſito vtrique quæſtioni hac vna concluſione reſpōdeo, qui virtute Bullæ, Iubilei, vel alterius ſimilis priuilegij abſoluitur à reſeruatis, poteſt tranſacto illo tempore abſolui ab oblitis in prædicta confeſſione per Parochum, vel alium quemcunque approbatum. Hanc docent Adrianus *de confeſſione q.*4. Ang.*confeſ.*1.*num.*12. Roſell. *confeſſ.*2.*num.*9. Sylu.*confeſ.*1.*q.*4. Couar.*cap. alma mater, p.*1.§.11.*n.*12. Canus *relect. de pœnit.p.*5. Ledeſma 2.*p.*4.*q.*8.*art.*2.*dub.*8. Suar.*diſp.*31.*ſect.*4 *n.*20. Nauar.*cap. conſideret.*§.*cautus, num.*32.*& in manuali c.*26.*n.*13. Gabr. 4.*d.*17.*q.*1.*art.*1.*dub.*2. qui etiam idem dicit de eo, qui omiſit aliquod reſeruatum, putans inuincibiliter non eſſe peccatum.

7. Sed ratione probatur, tum quia eo ipſo quòd Papa præbet facultatem per Bullam, accipienti illam, vt à quocunque approbato abſoluatur à reſeruatis, tollit reſeruationem eorum; etenim eſſe reſeruata nihil aliud erat, quàm iuriſdictionem manere apud ipſum ſolum, & non communicare illam aliis; ergo ex quo præbet talem facultatem, & iuriſdictionem omnibus Confeſſariis approbatis electis per Bullam, tollit à peccatis omnem reſeruationem; atque adeo ſi quis aliquod eorum obliuiſcatur, non tenebitur adire Superiorem, ſed poterit de eo abſolui à quolibet inferiori Confeſſario. Tum quia hoc ipſo quòd Superior præbet facultatem, vt quis per certas perſonas poſſit à reſeruatis abſolui, tunc cenſetur excludere ea à ſuo Tribunali, & remittere illa ad Tribunal inferius; ergo inferior poterit abſoluere ab illis.

8. Sed reſpondent ad hæc quidam recentiores id verum eſſe, niſi limitaretur à Superiore tempus illius facultatis; & Bulla, vel Iubileus limitat illam ad certum tempus, atque adeò (inquiunt) tranſacto illo, ceſſat talis facultas, & conſequenter nemo poteſt virtute illius abſolui à reſeruatis oblitis, per inferiorem Confeſſorem. Cæterùm nulla eſt hæc euaſio, tum quia Superior

Digitized by Google

perior concedens huiuſmodi facultatem in fauorem pœnitentis, quantum in ſe eſt, voluit reſeruationem tollere, ſi tali priuilegio intra præſcriptum tempus vteretur ad lucrandas indulgentias: pœnitens autem etiam quantum in ſe [illegible] illo priuilegio, & conſequenter manſit liber à [illegible] quamuis per accidens ex obliuione non fuerit directè ſacramentaliter abſolutus à peccato reſeruato intra illud tempus; acquiſiuit tamen (vt ita dicam) ius per ipſum Iubileum, quòd poſſet poſtea liberè cõfiteri tale peccatum, vel potiùs obtinuit libertatem ab ipſa reſeruatione. Tum etiam, quia intentio Papæ limitantis tempus, non eſt quòd ſolo illo tempore poſſit ille abſolui, ſed quòd virtute illius priuilegij poſſit dũtaxat abſolui à peccatis eo tempore, vel antea commiſſis; vel certè ſenſus eſt, vt aliis placet, vt qui intra determinatum illud tempus confeſſus non eſt, poſtea non poſſit illo priuilegio gaudere; non tamen quòd tranſacto illo tempore non poſſit inferior illum abſoluere à reſeruatis oblitis in confeſſione facta intra illud tẽpus; talis autem Confeſſor non opus eſt, vt ſit Parochus, ſed ſufficit (vt dixi in concluſione) quicunque alius duntaxat approbatus, quia priuilegium eodem modo loquitur de vno, quàm de alio, concedens vt cuilibet eorum poſſit pœnitens confiteri. Vnde cùm talis confiteatur virtute prædicti priuilegij, pro libito poteſt eligere Parochum, vel quemcunque alium ab Ordinario approbatum.

9. Ad primum iam patet ex modò dictis.

10. Ad ſecundum concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia cùm Superior ipſe abſoluit à reſeruatis, iuriſdictio in peccata oblita ſemper manet apud ipſum, cùm nemini illam delegauerit; in Bulla verò præbet Pontifex iuriſdictionem non vni, ſed omnibus approbatis Confeſſariis electis ab habente Bullam. Itaque ſicut Superior abſoluens à peccatis mortalibus non reſeruatis, non cenſetur dare facultatem, vt quilibet ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere à mortalibus oblitis in ea cõ[illegible] reſeruatis cenſetur illam dare inferiori ad abſoluẽdum à reſeruatis oblitis; nam certè, ſicut ſe habet ſimplex Sacerdos in ordine ad mortalia oblita, ita ſe habet inferior Confeſſor etiam Parochus, ad reſeruata oblita.

11. Ad tertium quod militat aduerſùs ſecundam partem noſtræ concluſionis; reſpondeo quòd licèt illa peccata reſeruata maneant ſicut alia mortalia in bono ſenſu, habent tamen hoc amplius, quòd dicunt reſpectum ad abſolutionẽ ſibi datam virtute priuilegij, quæ quia fuit quaſi indirecta reſpectu reſeruatorum oblitorum, adhuc manet facultas, vt fiat directa eorum abſolutio à quocunque poterat antea virtute eiuſdem priuilegij dari directè; atque adeò non ſolùm à Parocho, ſed etiam à quolibet approbato duntaxat.

12. Sed quæres an prædicta intelligantur, etiam ſi obliuio fuerit culpabilis.

Huic quæſito reſpondet Suar. *n.* 22. pro regula generali habendum fore, quòd ſi culpa talis ſit, vt reddat Sacramentum non tantùm informe, quoad effectum, ſed etiam prorſus nullum, tũc peccatum manere reſeruatum, ſicut antea; imò addit id locum habere non ſolùm in peccato oblito, ſed etiam in peccato explicato in tali confeſſione. Ratio eſt, quia eiuſmodi confeſſio nec eſt propriè ſacramentalis, nec valida, & conſequenter nec abſolutio aliquid tũc operatur. Si autem verum fiat Sacramentum, licèt informe quoad effectum, ait Suar. fieri poſſe, quòd pœnitens ma-

Digitized by Google

neat à reſeruatione liber,quia talis confeſſio, eſtò fuerit informis ratione alicuius impedimenti extrinſeci, ne per eam pœnitens conſequatur effectum gratiæ, fuit tamen verè ſacramentalis, & valida quoad alios effectus, & hoc videtur ſufficiens ad tollendam reſer-

13. Pro explicatione huius doctrinæ, quæ non minus difficilis, quàm vtilis eſt, obſerua primò nonnullos DD.opinari nullam dari confeſſionem validam quo ad ſubſtantiam Sacramenti, quæ non ſit etiam cum effectu;& cõſequenter nullam validam confeſſionem eſſe informem,& nullam informem eſſe validam.Ita Adrian.*in 4.q.5.de confeſ.dub.5.* Maior.*diſt.*17.*q.* 9. D.Thom. *diſt.*23.*q.*1. *art.*4.vbi videtur retractaſſe contrariam ſententiam quam ipſe docuerat *diſt.*17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 1. Ita etiam Ioannes Med. *C. de confeſſione q.de confeſſ. ficta iteranda*; quos ſequitur Vaſq. *tom.*4.*q.*92. *art.* 2. *dub.vnico n.*13. Potiſſimum eorum fundamentum eſt, quia contritio,ſeu attritio ſupernaturalis eſt pars eſſentialis ſacramenti Pœnitentiæ, & conſequenter neceſſariò requiſita ad conſtituendum illud quò ad ſubſtantiam; huiuſmodi autem dolor eſt etiam neceſſarius, & ſufficiens ad conſequẽdum effectum Sacramenti, id eſt, gratiam:igitur confeſſio valida ſemper eſt cum effectu, & informis nunquam eſt valida. Plura congerit Vaſq. ad hoc probandum,quæ poterit ibi quiſpiam legere.

14. Alij DD. (quorum opinio mihi magis placet) cenſent poſſe dari verum Pœnitentiæ ſacramẽtum validũ quoad ſubſtãtiam, & informe quoad effectum, ex defectu doloris, ita tenuit S. Thom. *in 4.diſt.* 17. *vbi ſuprà*, Rich. *eadem diſt. art.* 2.*q.* 8. *ad* 5. Ibidem Palud. *à principio.* Capreol. *q.*2.*art.*1.*&* *art.*3.*ad* 4.*contra* 2.*concluſ.* Caiet.*tom.* 1. *Opuſc.tract.*5. *q.*5. Canus 5.*p.relect. de pœnit.* §. *dupliciter.*Itaque Couar. *c. Alma mater* 1.*p. relect.*§.4.*num.*13.Ledeſma 2.*p.*4.*q.*8.*art.*1. *dub.*3.Sot. *in* 4. *diſt.*18. *q.* 3. *art.* 2. *&* 3. Petrus à Soto *lect.*8.*de confeſ.* Sylu. *verb. confeſ.*1. *q.*22. Nauar. *in ſum.c.* 9.*n.*13.*& in c.fratres,de pœnit.diſt.*5.*num.* 33. Suar. *tom.*4.*diſt.*20.*ſect.* [illegible] nius *in* 4. [illegible] *art.*7.*initio.*Valẽtia *tom.*4. *q.*11. *puncto* 2. Henriq. *lib.*4. *cap.*24. *n.*2. *& lib.*5.*c.*11.*num.* 1. Nugnus *in addit.ad* 3.*partem q.*9.*art.* 1. & alij quos hi referunt.

15. Fundamenta generalia huius ſententiæ ſunt,

Primò, quia id habere locum in aliis Sacramentis ſatis conſtat.nam ſi quis baptizetur verbis,& intentione debita, etiam ſi id fiat abſque peccatorum dolore, verum recipit Baptiſmum,non tamen effectum, id eſt, gratiam: eodem modo arbitrantur ſentiendum fore in ſacramento Pœnitentiæ, dum quis integrè, & cum dolore eſſentiali confitetur, & legitimè abſoluitur, validum enim eſt huiuſmodi Sacramẽtum,quippe omnia ad illius eſſentiam,& ſubſtantiam requiſita concurrunt;ſi tamen bona fide ſuſcipiatur abſque debito dolore de omnibus commiſſis, erit informe quoad effectum,vt magis patebit ex infrà dicendis.

Secundò,quia ex contraria ſententia ſequeretur fideles ſtimulis continuis agitari, putantes teneri ſemper ad iterandas confeſſiones,cùm non maiorem certitudinem habere poſſint, quòd ſint verè confeſſi, quàm quòd ſint iuſtificati.

Tertiò,quia certum eſt plura requiri ad operandum, quàm vt aliquid in rerum natura exiſtat; igitur non eſt à ratione alienum, quòd ad inducendum effectum ſacramenti Pœnitentiæ aliquid amplius deſideretur, quàm ad conſtituendum illud quoad eſſentiam, & conſequenter poteſt dari ſacramentum

tum

Digitized by Google

tum Pœnitentiæ validum, & informe ſimul.

Dvbivm X.

Vnde ſit dignoſcendum quando ſacramentum Pœnitentiæ ſit validum, & informe ſimul.

1. Qværes vnde ſit dignoſcēdum, quando Pœnitentię ſacramentum ſit validum, & informe ſimul.

Circa hoc quæſitum ſunt varij modi dicendi.

2. Primus eſt eorum, qui aſſerunt ad valorem huius Sacramenti requiri integram omnium peccatorum confeſſionem, eſto fiat abſque vllo dolore, qui tamen neceſſariò requiritur ad effectū gratiæ; putant enim dolorem, pręſertim efficacem, non eſſe de eſſentia, & abſoluta neceſſitate huius Sacramenti; id autem dupliciter poteſt euenire.

Primò, dum talis defectus ipſi pœnitenti non occurrit, ſed ignorans licèt culpabiliter accedit, & tunc tenent Sacramentum eſſe validum, informe tamen ex defectu doloris. Vel quia nec dolet de præteritis, nec proponit peccata vitare; vel ſi dolet, non tantum, quantum ad effectum gratiæ conſequendum requiritur.

Secundò, cùm fictio illa, ſeu defectus percipitur à pœnitente, & tunc ſi pœnitens illam non confiteatur, omnes fatentur confeſſionem eſſe nullam, non quidem ex defectu doloris, ſed integritatis; quia velle recipere Sacramentum cum ea diſpoſitione cognita, graue peccatum eſt, quod in eadem confeſſione tacetur. Si autem eam confiteatur, & nihilominus à Sacerdote abſoluatur; Paludanus, & Capreolus dubitant, an ſit validum illud Sacramentum: Caiet. autem, Canus & Ricardus affirmant eſſe validum, ſed informe. Ducuntur, quia ſicut ſatisfactio eſto ſit pars Sacramenti, non tamen requiritur quòd præcedat abſolutionem, ſed cùm poſtea ſequitur, integrat Sacramētum; ita etiam dolor, vt Sacramentum conſtituat, ſufficit quòd recedente fictione poſtea ſequatur; arbitrantur namque dolorem eſſe partem integralem, non verò eſſentialem huius Sacramenti, ſicut de ſatisfactione tenet communis opinio.

3. Secundus modus eſt illorum, qui aſſerunt, quòd eſto deficiente omnino dolore de præteritis, & propoſito cauendi futura, Sacramentum ſit nullum, quidquid in contrarium falsò opinentur Paludanus, & Capreolus; ſi tamen pœnitens aliqualem habeat dolorem, non verò ſufficientem ad effectum huius Sacramenti, tunc validum eſſe, ſed informe, modò talem defectum ignoret pœnitens, quamuis ignorantia ſit ita culpabilis, vt non excuſet illum à nouo peccato mortali in ea confeſſione commiſſo. Ita Nauar. *in ſum. cap. 9. num. 19.* Sotus *art. 3. vbi ſuprà*; at ſi pœnitens aduertat defectum doloris, eſto illum confiteatur, videtur iuxta prædictos authores dicendum, Sacramentum eſſe inualidum: defectum autem ſufficientis doloris intelligunt, cùm dolor eſt, ſed propoſitum nō firmum, vt etiam tradunt Caiet. & Canus. Ducuntur quoad primam partem quia opinantur dolorem quidem requiri ad valorem huius Sacramenti, ſed minorem ſufficere, quàm ad effectum gratiæ, ac proinde poſſe dari validum Sacramentum, & informe ſimul. Sed quoad ſecundam probatur, quia eſto pœnitens eum defectum confiteatur, ſe nihilominus reddit indignum abſolutione, & conſequenter peccat, aut petendo, aut conſentiendo tali abſolutioni.

4. Tertius modus eſt Petri de Soto, qui ait tunc ſolùm dari Sacramentum validum, & informe, cùm re vera ſit

Digitized by Google

cum dolore, non tamen ſufficiente ad gratiam conſequendam, ignoratur autem inuincibiliter à pœnitente, ac ſubinde ſine nouo peccato; & ſubiungit quòd ſi ignorantia non excuſet à peccato, ſiue illam pœnitens aduertat, ſiue non, Sacramentum eſſe nullum, & conſequenter repetendum. Loquitur autem hic author de dolore peccatorum, quæ in confeſſione explicantur, & de defectu doloris quantum ad intentionem. Ducitur, quia certum eſt dolorem definitæ perfectionis, quam Deus nouit, neceſſariò requiri ad gratiam in hoc Sacramento obtinendam; & certum etiam eſt teneri hominem ex præcepto non recipere hoc Sacramentū cum minori dolore; tenetur enim ponere obicem effectui Sacramēti, ac propterea ſi cum minori accedat, vel ex certa ſcientia, vel ex ignorantia culpabili, negat iſta opinio fieri hoc Sacramentū informe, quoniam cum actuali peccato nec etiam poteſt fieri validum; exiſtimat autem minorē dolorem intenſiuè ſufficere ad valorem Sacramenti, quàm ad illius effectum: atque ideo ſi cum illo fiat confeſſio, & aliunde excuſetur peccatum ob bonam fidem, Sacramentum erit validum, ac informe ſimul.

5. Omnes iſti modi dicendi falſo nituntur fundamento. Nam prior opinatur dolorem eſſe partem integralem, ſicut eſt ſatisfactio; id autem falſum eſt, ſi ſimpliciter intelligatur, quoniam eſto D.Thom. *q.90. art.3.* & alij doceant dolorem eſſe partem integrantem, non tamen ad eum modū, quo eſt ſatisfactio, & cuiuſmodi eſt pes, ſeu manus in homine; ſed dicitur pars integralis ex parte materiæ, ſicut etiam confeſſio; & ſicut materia eſt de eſſentia conſtituti, ita & partes integrantes. Vnde dolor rectè dicitur comes confeſſionis, quia ſicut confeſſio debet præcedere abſolutionē, ita & dolor; & ſi dolor poſſet ſubſequi, poſſet etiam ſubſequi confeſſio; quod eſt plus quàm abſurdum.

6. Secundus & tertius modus dicendi admittit dolorem, qui abſolutionem præcedere debet, ſed negat ad Sacramenti valorem requiri tantum, quātum ad illius effectū. Id autem Concilio Florent. *ſeſſ. vlt. in decreto Eugenij*, & Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. apertè repugnare videtur. Nam vtrumque ibi, vnum, ac eundem dolorem conſtituit, vt partem Sacramenti, & vt diſpoſitionem ad effectum eius, vt diffusè oſtendunt Suar. & Vaſq. *vbi ſuprà*, qui inde meritò inferunt dolorem, qui eſt pars Sacramenti, debere eſſe veram ac ſupernaturalem attritionem, & hanc etiam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad effectum.

7. Sit igitur quartus modus dicendi, quem ſequitur Suar. *num.* 7. & mihi etiam probatur, nempe poſſe dari confeſſionem aliquam, validam, quoad veritatem Sacramenti, & informem quo ad effectum ex attritionis defectu extenſiuo, non intenſiuo, ſeu ex defectu integritatis, non qualitatis ipſius attritionis, & proueniente ex inculpabili inaduertentia, aut ignorantia. Ducor ex duplici principio.

Primum eſt, attritionem ſufficientem ad effectum gratiæ conſequendum ex vi huius Sacramenti, debere eſſe vniuerſalem de omnibus culpis mortalibus, quas homo commiſit, & nunquam in confeſſione retractauit; nullum enim peccatum mortale, etiam per Sacramentum remittitur abſque interiori pœnitentia; quod adeò verum eſt, vt ſi quis inculpabiliter peccatum aliquod in confeſſione omittat, vel quia ex inculpabili negligentia id non aduertit, vel ex iuſta cauſa aliquando tacet, eſto cæterorum, non tamen iſtius dolorem habeat, talis attritio non ſatis erit ad effectum; nec immeritò, quia deeſt illi medium neceſſarium ad remiſſionem illius

Digitized by Google

illius peccati obliti,ſeu omiſſi,quod eſt attritio; & conſequenter nec alia peccata remittentur, vnum enim ſine aliis nunquam remittitur.

Secundum principium eſt poſſe aliquando pœnitentem ſine noua culpa confiteri cum vera attritione aliquorũ peccatorum,id eſt,eorum, quæ in confeſſione explicauit,nõ verò eorum,quæ vel ex naturali obliuione, vel ex iuſta cauſa aliquando omiſit. Vnde in hoc differunt contritio,& attritio,quòd illa ſemper eſt vniuerſalis de omnibus peccatis ex vi motiui;hæc autem ita poteſt eſſe de vno,vt non ſit de omnibus. Atq; ideo ſi confeſſio fiat ex vera contritione,regulariter etiam fiet ex dolore, qui formaliter cadat in peccata confeſſa, & virtualiter in cætera commiſſa: at verò ſi confeſſio fiat etiam ex vera attritione,poſſet ex dolore,qui cadit ſuper aliqua,& non ſuper omnia, neque formaliter,neque virtualiter.

8. Quare ex hoc duplici principio apertè deducitur ſententia, quam ſequimur.Nam ex primo principio habetur quòd attritio neceſſaria ad effectum gratiæ conſequendum, debet eſſe vniuerſalis de omnibus culpis lethalibus commiſſis, & nunquam per veram pœnitentiam retractatis. Ex ſecundo autẽ habetur quòd ad valorem huius Sacramenti ſufficiens, ac neceſſaria eſt attritio de omnibus peccatis, quoniam hæc ſimiliter neceſſaria eſt, & ſufficit ad integram accuſationem ſacramentalem, eſto non ſe extendat ad ea peccata, quæ in confeſſione inculpabiliter omittuntur: ergo confeſſio facta cum huiuſmodi attritione,erit quidem valida, & informis.

9. Sed obiicies primò inde ſequi quòd ſi quis ex iuſta cauſa in confeſſione taceat aliquod peccatum cuius memoriam habet, eſtò illius nullam habeat attritionem, modò doleat de peccatis in confeſſione explicatis, valida ſit talis confeſſio; quod tamen eſt falſum.

Reſpondetur negãdo ſequelam.Nam quamuis ad validitatem Sacramẽti ſufficiat attritio de peccatis confeſſis, vt diximus, & adeò eſt verum, vt ſi contingat peccata aliqua in confeſſione taceri, & de illis attritionem haberi, illa tamen non erit pars Sacramenti, quoniam nec confeſſionẽ informat, nec ſit ſenſibilis per illã,ſed manet merè interior; & cõſequenter non eſt pars Sacramẽti ſenſibilis,nec cõiungitur clauibus, vt per eas eleuetur ad ſignificationem, & efficaciam ſacramentalem: nihilominus pœnitens ex generali Sacramentorum lege tenetur non ponere obicem effectui ſacramentali; ponet autem ſi conſcientiam habeat peccati in confeſſione omiſſi, & de illo non pœniteat, quia eſtò tunc non requiratur dolor ad accuſationem talis peccati, cùm non ſit futura, requiritur tamen ad tollendum obicem, & dignè ſuſcipiendum Sacramentum;ac proinde ſi voluntariè omittatur in confeſſione ipſa,actuale peccatum committitur, quod huius Sacramenti valori repugnare certum eſt. Vnde confeſſio valida, & informis ſolùm poteſt cõtingere, dum ex naturali obliuione peccatum aliquod in cõfeſſione omittitur, & attritio etiam ad illud nõ extẽditur, vel formaliter ex intentione operantis, vel virtualiter ex vi motiui, quia nimirum uon eſt vniuerſale, ſed particulare,vt docet Suar. *ſect.4.num.34.*

10. Obiicies ſecundò, quia, vt ex dictis conſtat, Concilium Tridentinum non diſtinguit inter attritionem, quæ eſt pars, & quæ eſt diſpoſitio: ex noſtra autem ſententia videtur inferri oppoſitum, dum aſſerimus aliquam attritionem eſſe ſufficientem partem, non tamen ſufficientem diſpoſitionem.

Reſpondetur negando ex noſtra ſententia ſequi oppoſitum eius, quod do-

cet Concilium; concedimus enim attritionem, quæ eſt pars Sacramenti eſſentialis, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, quantum eſt ex ſe, & reſpectu eorum peccatorũ, de quibus eſt, niſi aliunde ponatur obex; ſicut fieri poteſt reſpectu peccati in confeſſione omiſſi; tunc enim talis attritio non eſt ſufficiens diſpoſitio: dum igitur Concilium ait attributionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam in Sacramento obtinendam, intelligit de attritione vniuerſali, vel quantum eſt ex parte ſui, & non aliter.

11. Obiicies tertiò, quia hic defectus eſt integritatis duntaxat, vt conſtat ex dictis; ſed defectus integritatis, cùm inculpabilis eſt, ſicut non eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, ita nec impedit effectum illius, vt de integritate confeſſionis omnes fatentur: igitur idem erit de integritate attritionis.

Reſpondetur negando quòd idem ſit ſentiendum de integritate cõfeſſionis, & attritionis; nam defectus integritatis materialis confeſſionis, cùm inculpabilis eſt, nec ſubſtantiam, nec effectum Sacramenti tollit; defectus autem integritatis in interiori pœnitentia, eſto non ſit contra ſubſtantiam Sacramenti, impedit tamen effectum: & ratio differentiæ eſt, quoniam confeſſio exterior, ſecluſa neceſſitate proueniente ex inſtitutione, & præcepto huius Sacramenti, non eſt per ſe diſpoſitio, aut medium ad remiſſionem peccati neceſſarium; atque ideo quacunque ratione præceptũ confeſſionis ſufficienter impleatur, quantum ad Sacramenti ſubſtantiam opus eſt, ex ea etiam parte ſufficit ad effectum. At verò pœnitentia interior de quocunque peccato mortali, adhuc ſecluſa neceſſitate, & inſtitutione huius Sacramenti, eſt per ſe diſpoſitio, ac medium ad remiſſionem cuiuſcunque lethalis culpæ neceſſarium; ac propterea, eſto ex parte confeſſionis adhibeatur attritio ſufficiens ad ſubſtantiam eius; ſi tamen reſpectu alicuius culpæ lethalis deſit ſufficiens pœnitentia interior, poteſt inde impediri effectus Sacramenti abſque noua pœnitentis culpa, ob carentiam medij neceſſarij ad talem effectum conſequendum. Nec refert quòd pœnitens in ea omiſſione non committat nouum peccatũ; ſufficit enim quòd medium ad iuſtificationem neceſſarium non adhibeat, cuiuſmodi eſt integra pœnitentia peccatorum, formalis, ſeu virtualis.

Dvbivm XI.

An Sacramentum validum, & informe, habeat effectum, obice, ſeu fictione recedente.

1. Partem negantem tuentur in primis DD. aſſerentes non dari Sacramentum validum, & informe; deinde eam etiam tenent Sotus, Couar & alij, putantes id eſſe proprium ſolius Baptiſmi, vel ſaltem Sacramentorum, quæ iterari non poſſunt. Sed affirmatiuam amplectuntur D.Thom *diſt.* 17. vbi etiam inclinat Dur *q.* 13. & ſequitur Palud. *q.* 8. Caiet. Canus, Petrus de Soto, Ledeſma, & alij, quos refert Suar. *ſect* 5. *n.* 14. Nugnus etiam *loco cit. dub.* 5. *concl.* 1. Aretinus *ſuprà ver Dico ſecundò.* Sayrus *de pœnit. c.* 37. *n.* 3. & Bonac. etiam *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 6. *ſect.* 1. *punct* 3. *n.* 5. quorum ſententia, conſequenter loquendo, mihi ſimiliter videtur probabilior, & abſolutè tenenda.

Primò, quia nullum mortale peccatum poſt Baptiſmum commiſſum remittitur, niſi per pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto ſuſceptum, vt omnes fatentur: igitur peccata explicata in cõfeſſione informi, debent remitti per ipſummet Sacramentum informe.

Probatur

Digitized by Google

Probatur conſequentia, quia pœnitens non tenetur peccata ſemel confeſſa validè, iterum confiteri, & poteſt contingere quòd forſitan habeat formale propoſitum peccata illa nunquam iterum confitendi: ergo neceſſariò videtur dicendum quòd conſequatur remiſſionem illorum virtute ipſius Sacramenti informis, ſed fictione priùs recedente.

Secundò idem probatur ex parte formæ, quæ veritatem continet, & Sacerdos per eum verè abſoluit, & conſequenter etiam Deus, iuxta illud, *quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo; & quorum remiſeritis peccata*, &c. Sed cùm Sacerdos abſoluit, non fit tunc talis remiſſio quoad efficaciam, ratione obicis: ergo fit ſaltem quoad ſufficientiam; atque ideo recedente obice fiet efficaciter dicta remiſſio ex vi præcedentis abſolutionis.

2. Cæterùm, vt conſtet quomodo dicta fictio, ſeu obex remoueri queat, vt Sacramentũ informe ſortiatur ſuum effectum: pro certo habendum eſt ſufficere contritionem legitimam peccati omiſſi, ſeu obliti in confeſſione: tunc enim remittuntur ſimul omnia peccata, quædam nimirũ ratione vnius, & quædam ratione alterius Sacramenti. Quia tamen ambiguum eſt, an ſola attritio vel generalis, vel ſpecialis de peccatis omiſſis, abſque noua confeſſione ſufficiat. Idcirco

3. Dico primò, ſi poſt ſuſceptionem prædicti Sacramenti informis nullum ſit peccatum mortale, tunc ſufficiet attritio, quia eadem diſpoſitio, quæ cum Sacramento præſenti ſufficeret, ſufficit etiam cum Sacramento iam ſuſcepto, niſi nouum aliud impedimentum ponatur.

4. Dico ſecundò, ſi poſt dictam confeſſionem informem peccatum aliquod mortale de nouo cõmiſſum ſit, non ſufficit attritio, ſed requiritur contritio, vel nouum Pœnitentiæ ſacramentum formatum, quia cùm præcedens Sacramentum non habeat efficaciam circa peccata poſt ipſum commiſſa, ſequitur neceſſariò requiri diſpoſitionem, quæ ſufficiens ſit ad tollendum obicem præcedentem, & peccata poſtea commiſſa; hæc autem eſt ſola contritio, aut Pœnitentiæ ſacramentum cum attritione denuo ſuſceptum. Ita Enriq. *lib. 4. de pœnit. c. 24. n. 3. & lib. 5. c. 11. n. 4.* cum aliis per ipſum citatis, Nugnus *ibid. concl. 3. & 4.* Suar. & Bonac. *vbi ſuprà.*

5. Hinc autem infero quòd ſi dari poſſet confeſſio informis, in qua pœnitens lethaliter peccaret, ſic Sacramentum iſtud ſuſcipiendo, vt aliqui prætendunt, neceſſaria eſſet contritio, vel ſaltem attritio cum noua confeſſione ad remouendum obicem, quia nullum Sacramentum inſtitutum eſt ad remittenda peccata futura, nec ad hoc vllam vim habet; at ſacrilega Sacramenti ſuſceptio eſt peccatum, ſaltem natura poſterius ipſo Sacramento, cùm non cenſeatur completum niſi perfecta ſuſceptione Sacramentum ſit poſitum. Vnde Aug. *lib. 1. de baptiſmo cap. 12.* ſæpe inſinuat ſatis manifeſtè, ipſam fictionem nullo modo remitti per Baptiſmum fictè ſuſceptum, ſed per pœnitentiam ſequentem.

DVBIVM XII.

Vtrùm qui virtute Bullæ, ſeu Iubilæi inualidam fecit confeſſionem, vel ex defectu doloris, vel ex occultatione alicuius peccati, poſſit elapſo tempore præfixo per quemcunque Confeſſarium approbatum à reſeruatis abſolui.

1. RECentiores quidam ſequuntur partem negantem cum Ledeſma *tom. 1. de pœnit. c. 13. concl. 2. dub. 7.* Acoſta

q. 45.

Digitized by Google

*q.*45. Villalob. *clauſ.*9. §.2. *n.*16. & alij. quorum ſententia probari poteſt

Primò, quia in Bulla tantùm conceditur facultas ad abſoluendum ſemel in vita à quibuſdam caſibus; ergo ſi ſemel fuit impenſum pœnitenti virtute illius priuilegij beneficium abſolutionis, non poterit iterum illi impendi virtute eiuſdem priuilegij.

Dices aliquando non habere effectũ beneficium abſolutionis, & ideo poſſe illi iterũ impendi vt ſortiatur effectum.

Sed contrà, quia, quòd talis abſolutio non habuerit effectum, eſt ex malitia pœnitentis ponentis obicem. ergo non poteſt pro ſecundo impendi illi prædictum beneficium, aliàs bis impenderetur, dicente Bulla, quòd ſemel impendatur.

2. Secundò, quia ille, qui ex malitia celauit aliquod peccatum, vel alia cauſa culpabili fecit inualidam cõfeſſionem, non implet conditionem, quam petit priuilegium, vt tollatur reſeruatio peccatorum illius: ergo talis non poterit tranſacto tempore priuilegiorũ abſolui ab illis reſeruatis per inferiorẽ Confeſſorem. Conſequentia eſt nota, & antecedens patet, quia ſæpe in huiuſmodi priuilegiis, & maximè in Iubileo, concedit Summus Pontifex illam facultatem, ſub conditione, quòd confiteatur & communicet: at qui petit confeſſionem in ordine ad communionem, apertè petit confeſſionem validam, aliàs deſeruire non poſſet ad communionem; ergo qui ex malitia inualidè confeſſus eſt, non poterit virtute prædicti priuilegij abſolui poſtea à reſeruatis per inferiorem Confeſſorem, ſine noua Superioris licentia.

3. Tertiò, quia ſi ille nullam prorſus confeſſionem validam, nec inualidam feciſſet durante tempore Bullæ, vel Iubilei, non poſſet tranſacto illo abſolui à reſeruatis per inferiorem Confeſſorem, ſed teneretur adire Superiorem. ergo idem à fortiori erit, ſi culpa ſua fecit inualidam, & ſacrilegam confeſſionem. Patet conſequentia, quia aliàs melioris conditionis eſſet peccans ſic, quàm non peccans, cùm ille reportaret fructum, & vtilitatem ex ſuo ſacrilegio, quod eſt abſurdum.

4. Verùm, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum quòd qui durante priuilegio Bullæ, vel Iubilei præ verecundia occultauit peccatum, vel alia ſimili cauſa fecit culpabiliter inualidam cõfeſſionem, poteſt tranſacto tempore talis priuilegij abſolui à reſeruatis, à quibus tunc poterat per Confeſſarium approbatum. Ita expreſsè Armill. *verbo caſus, n.*4. Alcozer *in Confeſſionario cap.*12. Caiet. *verbo caſus, in fine*. Sylu. *Confeſſio* 1. *q.*19. Nauarr. *cap.*26. *n.*13. *& c.*27. *n.*254. *&* 255. *& de pœnitentia d.*5. *c.*1. §. *cautius, n.*30. Vict. *in ſum. q.*49. Adrianus *de confeſſione. q.*4. Angles *de Confeſſ. art.* 5. *difficultate* 1. Decanus *art.* 3. *contra Lutherum, poſt medium.* Roſella *confeſſ.* 2. *n.*9. Rodr. *in bulla* §. 9. *num* 97. Durandus *in* 4. *d.* 17. *q.* 15. *num.*17. Gabr *ibi q.* 1. *art.* 1. *dub.* 2. Enriq. *lib.*6. *cap.*16. *lit. C. & D.* atque etiam Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 9. Coninch. *diſp.* 8. *de ſacram. Pœnit. dub.* 12. *num.* 91. Regin. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 2. *num.* 61. Nugnus *in addit. ad* 3 *p. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. *part.* 2. *dub.* 4. & eandem ſequuntur communiter iuniores, dicẽtes tamen magis illam tenere authoritate, quàm ratione; ſed nos propter vtrumque amplectimur illam. Et quidem in primis, quando peccatum eſt reſeruatum indirectè ratione excõmunicationis annexæ, non dubium eſt quin pœnitẽs abſoluatur ab excommunicatione reſeruata, quia ad hoc impertinens eſt habere dolorẽ de peccatis, aut integrè cõfiteri, vt omnes fatentur; ſed ſic eſt quòd ablata tali excommunicatione, cuius ratione peccatum reſeruabatur Papæ, manet non reſeruatum; quia

quia Papa non reſeruat ſibi caſum, niſi ratione excommunicationis, vt docet Durandus *vbi ſuprà*, & alij à nobis citati *dub.1.* Ergo ablata tali excommunicatione poterit poſtea abſolui per quemcunque inferiorem Confeſſorem approbatum, à peccatis illis Papæ reſeruatis; licèt enim nonnulli dicant, quòd ſi tale peccatum ſit aliàs Epiſcopo reſeruatum, adhuc manet illi reſeruatum, ablata Papæ reſeruatione; contrarium tamen eſt ſatis probabile, vt docet Nau. *c.27.n.261.* vbi refert ſe ad ea quæ dixerat *c. ita quorundam, de Iudæis, notab.11.n.71.* & nos etiam indicauimus *dub.1. præſentis cap. fine.*

5. Quando verò peccatum non eſt reſeruatum ratione excommunicationis: ſed directè, & ratione ſui per ſe, adhuc concluſio noſtra probari poteſt. Primò, quia vt ſupra dixi dub. præcedenti, ex quo data fuit à ſuperiore facultas, vt poſſit ille abſolui à reſeruatis, iam illa excluſit à ſuo tribunali, & remiſit ea ad tribunal inferius.

6. Secundo, quia ſuppoſito quòd cōfeſſus eſt iam illud peccatum, licèt incontritè, iam crimen illud eſt ſemel iudicatum ante tribunal, cui erat reſeruatum. Ergo rationi conforme eſt, vt non habeatur amplius pro reſeruato, nec opus ſit ad idem tribunal recurrere; atque adeo valebit tunc abſolutio in eum finem, vt non maneat deinceps illud peccatum reſeruatum, quia à legitimo iudice, qui eo tempore potuit, abſolutus fuit ab excommunicatione, ſi quam habebat, & à reſeruatione peccati, quamuis non ab ipſo peccato propter obicem, quem ponit.

7. Tertio, quia licet ille non fuerit in re abſolutus à vinculo peccatorum, propter eius indiſpoſitionem, bene tamen ab obligatione iterum confitendi ſuperiori illamet peccata indebitè confeſſa: nam ſicut quando ſuperior Prælatus audit ſolum reſeruata, non abſoluit ſecundum veriorem ſententiam, ſacramentaliter; ſed tantùm ab obligatione confitendi illa iterum ſuperiori, & per id tollitur illorum peccatorum reſeruatio. Sic in propoſito per illam abſolutionem abſoluitur pœnitens ille indiſpoſitus, non à peccatis, ſed ab obligatione iterum illa ſuperiori confitendi.

8. Atque ex his colligunt præcitati Doctores, quod ſi Superior in Religione concedat, vt per triduum Religioſi poſſint abſolui à reſeruatis per aliquos, vel quoſuis illius Conuentus Religioſos, ſi quis tunc efficeret confeſſionem inualidam, vel ex defectu doloris, vel ex occultatione alicuius peccati, poſtea etiam elapſo triduo poterit per eoſdem abſolui ab illis numero peccatis, à quibus poſſet intra triduum; quia idem prorſus eſt, etiam tranſacto tempore Bullæ, vel Iubilæi, quippe per illam facultatem omnino aufertur reſeruatio ab illis peccatis. Ita Sylu. apud Rodr. *vbi ſupra*, niſi expreſsè adderet ſuperior, vel Pont. ſe nolle validam eſſe aliquam abſolutionem virtute illius priuilegij, tranſacto tempore præfixo in illo.

9. Ad primum reſpondeo, quod cum Bulla concedit ſemel in vita poſſe aliquem abſolui à reſeruato, debet intelligi de abſolutione vera, & non ficta, qualis eſt illa, quam ipſi pœnitenti conſtat, non habere effectum propter cognitam ſuam indiſpoſitionem, in hoc autem ſenſu ille non bis, ſed ſemel abſoluitur, licet bis repetatur abſolutio ſuper eadem peccata.

Ad ſecundum reſpondeo, nunquam illā conditionem apponi in Bulla Cruciatæ, & ideo argumentum illud nihil probat contra abſolutionem virtute Bullæ datam, communiter tamen apponitur in Iubilæis, & tunc quidam recen-

Digitized by Google

tiores cum Alcoz. *cap.*12.Rodr.*ſupra*,& Suar. *num.*2.*fine*, dicunt quod quando quis facit confeſſionem inualidam, exigente Iubilæo, quod confiteatur, & communicetur, tunc non tollitur peccatorum reſeruatio, quia ille non implet conditionem, ſub qua conceſſa eſt illi facultas, vt abſoluatur à reſeruatis, & Henriq.*lib.*7.*c.*11.*n.*2. agens de Iubilæo ſine aliqua diſtinctione, ſic ait. Si tempore Iubilæi dimidiatè, vel incontritè confeſſus eſt, & tamen dum haberet animum præſtandi omnia neceſſaria, abſolutus eſt à reſeruato caſu, vel cenſura, videtur valere abſolutio in eum finem, ne deinceps caſus ſit reſeruatus. Vtraque ſolutio eſt probabilis; ſed hæc reuera magis placet; imo dici etiam poteſt ad argumentum, non exigi à Summo Pontifice validam confeſſionem in ordine ad tollendam caſuum reſeruationem; ſed ad bene communicandum, & ad obtinendum alias gratias in eo Iubilæo conceſſas.

Ad tertium reſpondeo primo negando antecedens, iuxta dicta in corollario noſtræ concluſionis. Secundo reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia licet peccans in quantum talis, non poſſit per ſe loquendo eſſe melioris conditionis, quam non peccans, bene tamen per accidens, ſicut qui ſæpè ficte confeſſus eſt faciens confeſſionem informem, recedente fictione, per contritionem, aut ſacramentum aliud ritè ſuſceptum obtinet gratiam omnium illorum ſacramentorum, quæ ficte recepit, quam tamen non obtineret, ſi non commiſiſſet prædicta ſacrilegia. Ecce ille ex ſacrilegiis à ſe commiſſis per accidens reportat fructum, quamuis non per ſe, niſi ab efficaci, & potenti virtute ipſorum ſacramentorum. Sic igitur eſt in propoſito, vt facile patebit diſcurrenti.

10. Sed quæres primo, an ſi quis culpabiliter faciat cōfeſſionem inualidam ex defectu circa ipſum peccatum reſeruatum, poſſit poſtea à quouis confeſſore approbato abſolui. Reſpondetur quod ſi defectus ſit tantum in interiore dolore, non videtur obſtare, quominus poſſit poſtea per quemcunque Confeſſorem non alienum abſolui. Quia intentio reſeruationis ſolum eſt, vt ſuperiori, ſeu eius authoritatē habenti, ſatisfiat in hoc iudicio, quatenus externum eſt. Si autem defectus ſit in integritate, id eſt quia illud malitiosè occultauit, tunc opinatur Suar.*ibidem*, non tolli reſeruationem, quia non fuit ſatisfactum intentioni ſuperioris, cum nec illi, nec ſuo delegato id reuelauerit.

11. Dices idem videri ſentiendum de occultatione peccati non reſeruati, tunc enim peccata omnia ſiue confeſſa, ſiue omiſſa manent ita clauibus ſubiecta, ac ſi ad hoc iudicium non fuiſſent delata, nec data fuiſſet abſolutio; cum totum iudicium fuerit nullum, & conſequenter pœnitens non ſatisfecerit legi diuinæ. Reſpondetur negando paritatem rationis, quia ex quo pœnitens comparuit coram confeſſore authoritatem habente, eique peccatum integre reuelauit, iam videtur feciſſe ſatis legi Eccleſiaſticæ reſeruationis, ac fini, & intentioni reſeruantis; & hoc ſufficit vt maneat abſolutus non à peccatis, ſed ab eorum reſeruatione. Ita Sylu. *verb.Confeſſio* 1.*q.*19. D.Anton.3.*p.tit.*14.*cap.*19. §.14.& alij quos ſequitur Suar.*n* 9.

12. Quæres ſecundo, an ſit idem ſentiendum de peccato reſeruato culpabiliter oblito, ac dictum eſt de omiſſo. Ratio dubitadi eſt, tum quia peccatum oblitum, ſicut & omiſſum non affertur in iudicium, nec actu ſubiicitur Clauibus. Tum quia per confeſſionem, in qua reſeruatum non explicatur, non ſatisfit intentioni reſeruantis, cum nec ipſe, nec eius delegatus id peccatum agnoſcat,

Digitized by Google

agnoſcat, & conſequenter nec pro illo poſſit ſatisfactionem, medicinamve adhibere, quæ ſunt præcipuè per reſeruationem intenta.

13. Pro ſolutione huius difficultatis dico primo, ſi pœnitens bona fide accedat ad confeſſionem, & Confeſſario manifeſtet ſe intendere conſcientiam ſuam omnino exonerare à quacunque culpa etiam reſeruata, ſi quam habeat, tunc etiam ſi caſus aliquis reſeruatus ex obliuione taceatur, liber manet à reſeruatione. Et ratio eſt, quia tunc pœnitens videtur facere quod in ſe eſt, dum ſe præſentat Confeſſario habenti authoritatem, qui ei ſimiliter imponit ſatisfactionem accommodatam, iuxta moralem diſpoſitionem, quam in eo agnoſcit. Et quidem quo ad abſolutionem à reſeruatis ratione cenſuræ, id certiſſimum cenſet Palud. *in 4. diſt.* 18. *q.* 5. *art.* 3. *can.* 4. quia ad abſoluendum à cenſura, non requiritur diſtincta, & particularis cognitio cauſæ ipſius cenſuræ, ſed ſufficit vniuerſalis voluntas abſoluendi ab omnibus etiam reſeruatis, quam Confeſſarius procul dubio habet in ſimili euentu.

Dico ſecundo, ſi pœnitens confiteatur abſque vlla mentione, ſeu intentione caſuum reſeruatorum, & abſolutio ſimili modo impendatur à Confeſſario, non caret probabilitate, peccatum reſeruatum in confeſſione oblitum, adhuc manere reſeruatum. Et hoc ſolum videtur deduci ex adductis in ratione dubitandi, imo nec Authores ſupra relati id propriè contradicunt, quia (vt rectè Suar. obſeruat *n.* 18.) valde abſurdum videtur dicere, Superiorem, vel Confeſſarium voluiſſe reſeruationem tollere, cum de reſeruatis in confeſſione nihil omnino actum ſit, nec in ordine ad illos, ſiue certos, ſiue dubios, ſiue manifeſtos, ſiue occultos abſolutio poſtulata, ſeu impenſa ſit; ſic expreſſe ſenſit Vaſq. *tom.* 4. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. *n.* 19. Bonac. *de Sacr. diſp.* 3. *q.* 7. *punct.* 5. §. 5. *n.* 5. & alij.

Dico tertio, probabilius mihi videtur, & in praxi tutum oppoſitum, atque ita Coninck *de Sacr. diſp.* 8. *dub.* 12. *n.* 98. Regin. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 7. *n.* 99. Nugnus *in addit. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. *dub.* 4. Megala *p.* 1. *lib.* 1. *c.* 14. *n.* 7. & alij *concluſione principali* allegati. Et poteſt ſuaderi primo, quia eſto pœnitens non petat explicitè abſolutionem à reſeruatis, cenſetur tamen eam petere ſaltem interpretatiue, venit enim ad confeſſionem animo exonerandi conſcientiam ſuam ab omnibus peccatis, quantum fas ſit; vnde ſi ei occurreret peccatum aliquod reſeruatum, peteret quidem abſolutionem illius; igitur ſimiliter Confeſſarius cenſetur hic, & nunc pœnitentem abſoluere à peccatis, quantum licitè poteſt, & conſequenter reſeruationem tollere. Secundo, quia pœnitens dum ad confeſſionem accedit, quamuis non diſtincte, ſaltem confuſe cogitat de omnibus, etiam reſeruatis abſolui, intendit enim ad gratiam Dei reduci, quod niſi de omnibus abſoluatur, aſſequi non poterit: igitur Confeſſarius eadem intentione erga illum procedere cenſetur; & quidem ita deducitur ex forma abſolutionis à cenſuris, quam ſolet Confeſſarius abſolutioni ſacramentali præmittere dicens; *abſoluo te à vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & indiges.* Vnde non abs re pro hac ſententia Nugnus carpit Suar. quod ipſe primus extiterit, qui diſceſſit à communi ſententia Theologorum abſolute aſſerentium omnem tolli reſeruationem eorum, quæ quis omiſit, cum bona fide confeſſus eſt Sacerdoti habenti authoritatem de illis abſoluendi.

Dubium XIII.

Vtrum virtute Bullæ poſſit quis toties abſolui à reſeruatis in Bulla Cœnæ, quoties in illa incidit, ſi differant ſpecie.

1. NOn defuerunt Doctores, quibus pars affirmatiua placeret, huic ſolum innitentes fundamento, quod in Bulla Cruciatæ habetur poſſe abſolui à reſeruatis in Bulla Cœnæ, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis; quæ verba conuenienter inquiunt exponi, vt ſit ſenſus, quod à quolibet peccato diuerſæ ſpeciei ſemel poſſit abſolui in vita, & ſemel in articulo mortis. Sed hæc ſententia eſt falſa, & fundamentum eius valde infirmum, nam ſi is eſſet ſenſus iſtorum verborum, certè pœnitens non ſemel, ſed pluries abſolueretur in vita, & in articulo mortis, à reſeruatis in Bulla Cœnæ, quod eſt contra expreſſam mentem Pontificis, & contra verba illius; nam illa particula, *ſemel*, determinat abſolutionem ad vnam vicem duntaxat, & conſequenter ſolum conceditur ibi facultas ad ſemel impendendum beneficium abſolutionis. Ita docent communiter recentiores cum Rod. *in Bulla*, §. 9. *n.* 35.

2. Cæterum Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 54. *num.* 27. ab hac noſtra ſententia diſcedit dicens caſus Pontifici reſeruatos, dum occulti ſunt, poſſe toties, quoties, virtute Bullæ abſolui. Ducitur primo, quia etſi Bulla ſolum concedat caſus Pontifici reſeruatos, ſemel in vita, & ſemel in morte abſolui; at huiuſmodi caſus dum ſunt occulti, iure ordinario videntur Epiſcopis competere, & ſunt Epiſcopali dignitati annexi; nec videtur exigi induſtria perſonæ Epiſcopi, alias enim ita eſſent perſonales, vt non poſſent Epiſcopi eos delegare. Secundo, quia ſicut caſus Epiſcopales non deſinent eſſe tales per conceſſionem peculiarem ab Epiſcopo factam, deſinent tamen eſſe, ſi conſtitutione ſynodali parochis concederentur, & ſolis illis reſeruati eſſent: ſimiliter & ſi caſus Papales non deſinent eſſe tales, quantumuis Pontifex illos ſemel, aut iterum Epiſcopo concedat, imo & ſi eoſdem concedat ſemper alicui Epiſcopo ſpeciali; at deſinent eſſe tales per generalem conſtitutionem concedentem eos cuicunque Epiſcopo. Igitur cum bulla concedat abſolutionem à reſeruatis Epiſcopo, toties, quoties, concedet vtique ſic abſolutionem ab his reſeruatis occultis, vt pote qui per Tridentini decretum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* iam non ſunt Papales, ſed Epiſcopales.

3. Nihilominus hæc ſententia mihi videtur parum probabilis, & tanto authore indigna; nec à communi ſententia eſt recedendum, quam tuentur Rodr. *ſup.* Villalob. *clauſ.* 9. §. 2. *n.* 5. Ledeſma *de pœnit. cap.* 13. *concluſ.* 1. *dub.* 1. & alij ſed præſertim Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. c.* 14. *n.* 7. & Bañez 2. 2. *q.* 64. *art. vlt. ad finem.* Tum quia prædicti caſus conceduntur Epiſcopis non ſolum ob ſpecialem perſonæ induſtriam, & authoritatem, ſed ad euitandum periculum animarum. Tum quia ex verbis bullæ id expreſſe habetur, cum caſus Pontifici reſeruatos abſque vlla diſtinctione excipiat; verbis autem legis ſtandum eſt. Nec ſecunda ratio adducta à Sanchez, alicuius momenti eſt, quoniam & ſi caſus Epiſcopales eſſent parochis conceſſi, adhuc non deſinent eſſe tales reſpectu aliorum omnium; & ſimiliter eſto caſus Papales occulti concedantur Epiſcopis, adhuc ſunt Papales reſpectu omnium aliorum, qui non ſunt Epiſcopi, vt conſtat de abſolutione ab hæreſi occulta, quæ etiam conceditur Epiſcopis perſonaliter, imo, & DD. Inquiſitoribus,

atque

Digitized by Google

atque eorum vicariis, vt notat Rodr. *n.*70.& nihilominus eſt caſus Papalis.

Dvbivm XIV.

Quem effectum operetur facultas in Bulla conceſſa ad abſoluendum à reſeruatis in articulo mortis.

1. RAtio dubitandi poteſt eſſe, quia vt conſtat ex Trid. *ſeſſ.*14. *c.*7. quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere ab omnibus cenſuris, & caſibus reſeruatis, etiam hæreſi exteriori in articulo mortis: Ergo priuilegium illud bullæ nihil concedit, quod alias iure communi fieri non poſſet, & conſequenter, non erit priuilegium, cum non operetur aliquid vltra ius commune.

2. Reſpondeo nihilominus priuilegium Bullæ concedentis abſolutionem à reſeruatis in articulo mortis, eſſe valde vtile, multaque operari vltra ius commune. Ita recentiores cum Rodr. *in Bulla*, §.9.*n.*36. Probatur primo, quia licet ſecluſo omni priuilegio Bullæ poſſit quis abſolui in mortis articulo, à quibuſcunque peccatis quantúcunque reſeruatis, tamen ſi aliquod peccatum habeat admixtam excommunicationem reſeruatam, tenetur iſte ſi effugiat mortis periculum, ſe præſentare ſuperiori iuxta decretum Bonifacij VIII. *in c. eos qui, de ſententia excommunicationis in 6.* de quo ſi negligens fuerit, incurret iterum eandem excommunicationem. Qui autem in articulo mortis virtute Bullæ abſoluitur à reſeruatis, ſi poſtea conualeſcat, non tenetur ſe præſentare ſuperiori ad ſatisfaciendum iuxta eius voluntatem, ſicut nec tenetur quando abſoluitur ſemel in vita, vt conſtat ex verbis ipſius Bullæ ibi, *vt poſſint eligere, &c.* & abſolutionem, ac remiſſionem mediante ſalutari pœnitentia obtinere. Ergo prædictum priuilegium concedit aliquid vltra ius commune.

Secundò probatur, quia licet quis iure communi poſſit in articulo mortis abſolui à reſeruatis, quantum ad culpam, non tamen quantum ad omnem pœnam peccatis debitam; qui autem in articulo mortis per bullam abſoluitur à reſeruatis, non ſolum liberatur à culpa, ſed plenam obtinet pœnarum indulgentiam; quod certè eſt aliquid valde ſpeciale, ergo prædictum priuilegium multum operatur vltra ius commune.

Tertiò, nam ſi eſſet præſens Papa, aut Epiſcopus, quibus ſunt iſti caſus reſeruati, poſſet pœnitens virtute Bullæ exiſtens in articulo mortis eligere alium quemcunque Confeſſorem approbatum ab Ordinario, quod tamen non poſſet efficere abſque tali priuilegio, ſed teneretur tunc ſuperiore præſente, confiteri ei reſeruata, ergo multum operatur prædictum priuilegium vltra ius commune. Atque ex his abunde patet ſolutio ad rationem dubitandi.

Dvbivm XV.

Vtrum habens Bullam exiſtens in articulo mortis poſſit confiteri ſimplici Sacerdoti, ſi Parochus adſit, vel alius approbatus.

1. ROdr. *in Bulla*, §.9.*n.*37 affirmatiue reſpondet. Ducitur, quia poſſe eligere Confeſſorem approbatum virtute Bullæ eſt priuilegium; priuilegio autem poteſt quicunque pro libito renuntiare, & conſequenter confiteri ſimplici Sacerdoti, cum id in mortis articulo liceat omnibus iuxta diſpoſitionem Tridentini *ſeſſ.*14. *c.*7. vbi ſic habetur; *Verè tamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes, à*

Digitized by Google

quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint.

2. Hæc opinio falſo nititur fundamento, ſupponit enim liberum eſſe habenti Bullam in articulo mortis renunciare priuilegio eligendi Confeſſorem approbatum, quod eſſe à veritate alienum ſic probo. Quando renunciatio priuilegij fieri non poteſt abſque violatione alicuius præcepti, à cuius obligatione non eximitur quis per ipſum priuilegium, illicita eſt talis renunciatio; ſed omnes, etiam in articulo mortis, tenentur non confiteri ſimplici Sacerdoti dum adeſt Parochus, ſeu alius approbatus, vt conſtabit ex ſtatim dicendis; nec ab huiuſmodi obligatione eximitur quis per priuilegium Cruciatæ: igitur illicita eſt talis renunciatio. Maior probatur, quia virtute Cruciatæ conceditur, vt quis poſſit tempore interdicti miſſam audire, ſeu celebrare; ſed huic priuilegio non poſſunt habentes Bullam renunciare diebus feſtis, vt tenent communiter DD. & nos *cap. ſequenti, dub.*4. oſtendemus, quia omnes tenentur diebus feſtis miſſam audire, nec à tali præcepto quis immunis redditur per Bullam: igitur idem ſentiendum eſt in caſu noſtro, & ſic patet ſolutio ad probationem in contrarium adductam.

Supereſt autem minorem noſtræ probationis declarare. Nam inter Doctores controuertitur, num in articulo, ſeu periculo mortis poſſit ſimplex Sacerdos Confeſſiones excipere, & à quibuſuis reſeruatis abſoluere, præſente proprio Sacerdote, ſeu alio approbato, vel etiam ſuperiore, cui caſus reſeruantur. Partem affirmantem tuentur Nauar. *lib.*5. *conſil. tit. de pœnit. & remiſ. in prima edit. conſil.*15. *n.*2. *&* 3. *in* 2. *conſil.*13. *n.*2. *&* 3. Petrus de Ledeſma *de ſacramento pœnit. cap.*14. *diffic.*3. *poſt* 1. *concluſ.* Sà *Summa. verb. abſolutio, n.*4. Manuel Rod. *Sum. tom.*1. *in* 2. *edit. cap.*59. *concluſ.* 3. *n.*5. *& in quæſt. Regul. tom.*1. *q.*56. *art.*4 *fine, & in addit. ad Cruc.* §. 9. *n.*45. Vega *in ſum. tom.*1. *cap.*6. *caſu* 16. *principio*, & expreſſe Henriq. *lib.*6. *de pœnit. cap.*11. *n.*4. *in comment. lit. V. fine, & n.*6. *&* 8. *& cap.*12. *n.*1. *ad finem.* Nec hi DD. loquuntur ſolum de peccatis reſeruatis, ſed de cenſuris etiam, ita Rod. *in addit.* Henriq. *eo. n.*6. Nauar. Ledeſma, Sà, & Vega *vbi ſupra.* Ducuntur autem, quia Tridentinum *loc. cit.* abſolutè, & indiſtinctè aſſerit omnes Sacerdotes in mortis articulo ea poteſtate gaudere; ac proinde videtur omnibus illis parem iuriſdictionem pro eo articulo concedere.

3. Contrariam ſententiam vt veriorem, & tutiorem abſolutè amplector, eamque conſtanter tuentur Zambranus *de caſibus articuli mortis c.*4. *dub.*4. *n.*3. vbi pro ſe relatis Roſella, Sylu. Armilla, Couar. Simanc. Cordub. Graff. *in addit. ad conſil. Nauar.* Gutier. & Catechiſmo Pij V. ait priorem opinionem eſſe improbabilem. Noſtram vltra prædictos tradunt Sotus *in* 4. *diſt.*18. *q* 4. *art.*4. *principio.* Hugolinus *de cenſuris, tab.*1. *cap.*4. §. 5. *n.*2. Suar. *tom.*4. *de pœnit. diſp.*26. *ſect.*4. *n.*4. *& tom.*5 *diſp.*22. *ſect.*1. *n.*62. Barthol. à Ledeſma *de confeſ. dub.* 23. Valent. *tom.*4. *diſp.*7. *q.*10. *puncto* 2. Molina *tom.*4. *de iuſt. diſp.*63. *n.*2. Nauar. *in Manual. cap.*26. *n.*26. Azor. *tom.*1. *lib.* 8. *inſt. moral. cap.*16. *q.*5. & alij, quos refert & ſequitur Sanch. *ſum. lib.*2. *cap.*13. *n.*7. Poteſt autem hæc ſententia ſic ſuaderi primo ex verbis ipſius Concilij, ait enim *vbi ſupra*, ſemper in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe, vt in mortis articulo omnes Sacerdotes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint. Vnde conſtat Concilium ibi non condere nouum ius, ſed conſuetudinem approbare: conſuetudo autem ſemper obtinuit, vt ſi Parochus adſit, vel alius qui

iuriſdictio

iuriſdictionem habeat, non poſſit ſimplex Sacerdos abſoluere, quia tunc iam non eſt articulus neceſſitatis comparatione cuiuſcunque, vt conſtat, & ſumitur à ſimili ex Concilio Carthagin. 3. *canone* 32. & refertur *cap. Presbyter* 26. *q*.6. ibi, *niſi abſente Epiſcopo extrema neceſſitas cogat*, & quidem praxis ordinaria ita docet, vt nunquam Sacerdos ſimplex Confeſſiones excipiat, etiam in mortis articulo, dum adeſt Parochus ſeu alius iuriſdictionem habens.

Secundò, ſuadetur ex fine eiuſdem Concilij, intendit enim ne quis pereat ob defectum Confeſſarij, ac propterea in mortis articulo non ſolum tollit omnem reſeruationem, ſed omnibus etiam Sacerdotibus concedit authoritatem abſoluendi; id autem intelligitur in defectu eius, qui alioquin ad id haberet legitimam poteſtatem, & non aliter; quia ex oppoſito potius defraudaretur finis legis: ægrotus enim probabiliter in illa hora, qua medico ſpirituali peritiori, ac magis idoneo indiget, & à qua pendet æternitas vel gloriæ, vel inferni, incideret in manus medici magis idiotæ, & inexperti, cuiuſmodi regulariter æſtimatur ſimplex Sacerdos.

Tertiò, quia ſi quis innodatus excommunicatione Pontifici, ſeu Epiſcopo reſeruata, in mortis articulo abſoluatur, tenetur poſtea ceſſante tali impedimento cum primum potuerit, ſe præſentare Superiori reſeruanti, nimirum Pontifici, ſeu Epiſcopo; ſecus reincidit in eandem excommunicationem, vt habetur expreſſe *cap. de ſent. excom. in* 6. iunctis *cap. ea noſcitur, cap. quod de his, & cap. quamuis, extra, eod. tit.* Igitur ſi æger cumprimum poteſt, tenetur ſe ſuperiori ſuo præſentare, ſequitur à fortiori ad idem teneri, ſi ante abſolutionem adſit ſuperior, & conſequenter non poſſe ab inferiori abſolui, præſente ſuperiore, vel eius authoritatē habente.

4. Confirmatur denique ex definitione Gregorij XIII. ad quem refert Molina *loc. cit.* rem hanc fuiſſe delatam, ac determinaſſe, in mortis articulo, ſeu periculo in præſentia eius qui abſoluere poteſt à reſeruatis, non poſſe ab eiſdem abſoluere illum, qui ab eis abſoluendi poteſtatem non habet extra mortis periculum: Itemque ſimplicem Sacerdotem, quin & approbatum ab Ordinario, qui tamen ſecluſo mortis periculo iuriſdictionem non habet abſoluendi eum, qui in periculo mortis eſt conſtitutus, non poſſe illum abſoluere à peccatis ſuis lethalibus, ſi præſto ſit alius legitimus eius Confeſſor, qui eundem à ſuis culpis abſoluat; quid clarius?

5. Hinc autem deducit ibidem Molina, vel Nauarrum ante hanc definitionem præcitatum cōſilium ſcripſiſſe, vel eius notitiam non habuiſſe, vel denique illud ignoraſſe eos, qui poſt Nauarri obitum, ipſius Conſilia ex papyris manu ſcriptis ab eo relictis collegerunt, typiſque mandarunt. Coninck ſimiliter hinc deducit abſolutionem aliter præſtitam, eſſe irritam ex defectu iuriſdictionis. Mihi vero hæc cenſura videtur valde ſeuera, præſertim ſi legitimus adſit Confeſſarius, nolit tamen, vel non poſſit confeſſionem exiſtentis in eo articulo audire; quoniam idem reputatur abeſſe, ac nolle, ſeu non poſſe confeſſionem audire, provt ad noſtrum ſpectat negotium; cum in vtroque caſu militet neceſſitas, & verum ſit non dari copiam Confeſſoris: atque ideo ſaltem his concurrentibus validam exiſtimo abſolutionem à Sacerdote ſimplici impenſam.

6. Quæres primò, num in caſibus Pontifici reſeruatis, quando ratione articuli, ſeu periculi mortis, non poteſt ad Pōtificem fieri recurſus, ſit adeundus Epiſcopus, dum eius copia eſt; an poſſit

quicunque

Digitized by Google

quicunque Confeſſarius expoſitus abſoluere. Quidam affirmant, quia eſto de iure non concedatur Epiſcopo huiuſmodi caſuum abſolutio, in caſu tamen neceſſitatis conceditur, dum Pontificis copia non eſt, vt de Clerici percuſſione Papæ reſeruata deciditur, *cap. ea noſcitur, & cap. de cætero, de ſent. excom.* De aliis autem caſibus Papæ reſeruatis eadem ratio militare videtur, atque ita docent Cord. *ſum. q.* 18. *puncto* 2. *dicto* 1. & Zambranus *de caſibus articuli mortis, cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 14. Sanch. vero *loco cit. num.* 9. diſtinguit quod ſi caſus ſint occulti, tunc adeundus eſt Epiſcopus, modo ad illum commodè fieri poſſit recurſus, quia caſus Pontifici reſeruati dum ſunt occulti, Epiſcopo competunt iure ordinario ex decreto Concilij Tridentini; ſecus autem ſi non ſint occulti. Sed melius Suar. *tom.* 4. *diſp.* 20. *ſec.* 3. *n.* 4. vbi ait ſpecialiter cautum eſſe in iure circa Clerici percuſſionem, vt in mortis articulo ſi Pontifex adiri nequeat, bene tamen Epiſcopus, ad hunc fiat recurſus; in aliis autem caſibus, cum id cautum non ſit, ait non eſſe neceſſarium adire Epiſcopum, atque idem etiam docet Molina *loco cit.* Vnde ſequitur in mortis articulo quemlibet proprium Sacerdotem, ſeu alium habentem legitimam iuriſdictionem abſoluendi à culpis lethalibus, nullo ſeruato ordine inter illos, poſſe à caſibus Pontifici reſeruatis abſoluere, id eſt non eſſe neceſſarium prius Epiſcopum adire, nec prius vocare Parochum, quam alium quemcunque Confeſſorem ab Ordinario expoſitum, niſi in caſu percuſſionis Clerici, vt habetur ex dictis. Ratio eſt, quia in eo articulo nulla eſt reſeruatio, & conſequenter eadem eſt ratio de his, ac de aliis non reſeruatis: igitur ſicut de non reſeruatis poteſt abſoluere quicunque Sacerdos habens legitimam iuriſdictionem, nullo inter eos ſeruato ordine, ita & de reſeruatis. Deinde eſto caſus Pontifici reſeruati, dum ſunt occulti; Epiſcopo ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ commiſſione delegentur, non inde tamen ius aliquod Epiſcopo acquiritur, vt notat Suar. *ibidem*: ergo eo ipſo quod ad Pontificem non patet aditus, & ob imminens mortis periculum reſeruatio ceſſat, reliqui omnes communem iuriſdictionem habentes quantum ad forum pœnitentiæ, manent æquales.

7. Si autem Sacerdotes huiuſmodi ad Sacerdotes ſimplices conferamus, ſeruandus eſt ordo, ita vt Parochus, & Sacerdos habens iuriſdictionem ab Ordinario illius loci, præferantur omnibus aliis, eſto ſint alicubi approbati, hi autem præferantur Sacerdotibus nullibi approbatis; & hi vltimi qui ſimplices Sacerdotes dicuntur, præferantur aliis omnibus quauis cenſura, ſeu canonico impedimento affectis, eſto aliàs fuerint aliquando approbati; tum quia ſic impediti carent iam iuriſdictione prius habita, & conſequenter ſunt veluti Sacerdotes ſimplices: tum quia ratione cenſuræ non toleratæ interdictum eſt illis miniſterium abſoluendi. Vnde omnibus illis præferendus eſt ſimplex Sacerdos, qui huiuſmodi caret impedimento. At quia, vt habetur ex præcitatis verbis Tridentini, in articulo mortis omnes Sacerdotes poſſunt abſoluere, & conſequenter nullus excluditur, etiam ſi innodatus extet quacunque cenſura, ſeu impedimento, ſi extrema neceſſitas cogat, vt omnes fatentur; idcirco inter impeditos talis ſeruandus eſt ordo, vt ſemper præferatur qui minori impedimento afficitur. Vnde ſi adſit Sacerdos Catholicus quocunque impedimento innodatus, eſt hæretico ſeu ſchiſmatico præferendus: & inter Catholicos ſuſpenſus, vel interdictus præferendus eſt irregulari; irregularis excommunicato vitando;

excommu

Digitized by Google

excommunicatus verò, etiam vitandus, præferri debet degradato, cum hic præ omnibus aliis grauiori impedimento laboret, atque ita ex Zambrano, & Suar. tradit Sanch. *vbi ſupra*.

8. Cæterum ſi adſit Sacerdos habens priuilegium abſoluendi à reſeruatis, non ſatis conſtat quid tunc ſit faciendum. Suar. *tom.4.diſp.30.ſec.3.n.5.* & Henriq. *lib.6.de pœnit. cap.10.n.1. in comment. lit. D.* inquiunt hunc non eſſe neceſſariò præferendum Sacerdoti expoſito, tum quia in eo articulo omnis reſeruatio ceſſat; tum quia illud eſt veluti quoddam priuilegium, quo nemo vti tenetur, ſed poteſt ſequi ordinarium ius. Nihilominus oppoſitum cenſet Suar. ſecurius, & moraliter conſulendum, tum quia vbi adeſt aliquis habens iuriſdictionem Pontificiam, non videtur omnino impeditus aditus ad Sum. Pontificem; qui enim habet iuriſdictionem ab alio, videtur quodam modo vnus cum illo. Tum quia ſaltem eſt vtile, vt liberetur pœnitens ab omni onere comparendi. Nauar. autem *Sum. lat.cap.27.n.30. verſ. ad quartam.* Cord. *Sum.q.18. puncto 2.dicto 1.* & Sanc. *loco cit.* id cenſent omnino neceſſarium, ex eo præſertim, quia in articulo mortis nullum reſeruari peccatum, non eſt abſolutè, ſed ratione neceſſitatis; quæ tamen ceſſat, dum adeſt Sacerdos, qui ex priuilegio abſoluere poteſt. Vnde hoc ſolo fundamento ductus Sanch. idem cenſuit in ſimili caſu *lib.2. de matrim. diſp.40.num.8.* contra Henriq. *vbi ſupra.* Quæ opinio mihi etiam magis probatur, & cum proportione applicanda videtur ad caſus inferioribus Paſtoribus reſeruatos?

9. Quæres ſecundò, an ſi deficiente Sacerdote approbato, ſimplex confeſſionem alicuius in articulo, ſeu periculo mortis conſtituti audire cæpit, vel inferior approbatus in abſentia ſuperioris, cui caſus reuerſatur, & ante abſolutionem adſit iam legitimus Confeſſarius, vel ſuperior, poſſit prior confeſſionem inchoatam perficere. Petrus de Ledeſma *in Sum.de pœnit.cap.12.poſt 5.concluſionem, dub.2.* vtramque partem exiſtimat probabilem, dum ait habentem licentiam audiendi Confeſſiones ad tempus conceſſam, poſſe, & non poſſe eo elapſo proſequi confeſſionem antea cæptam. Sed hic caſus valde diuerſus eſt ab eo, de quo agimus; non enim ſimplici Sacerdoti in articulo mortis conceditur iuriſdictio ad tempus, donec adueniat legitimus Confeſſarius, ſed abſolutè iura omnia eam concedunt, dum non adfuit copia expoſiti. Imo conceſſio aliter facta, eſſet quidem à ratione, & Eccleſiæ pietate ſatis aliena, obligaret enim in tantis anguſtiis conſtitutum, vt bis fateretur & Sacerdoti, cuius iuriſdictio dubia eſt, & à futuro euentu etiam pendet.

Zambranus *de caſibus articuli mortis, cap.4.dub.5.n.4.* partem affirmantem inquit eſſe valde probabilem; eam tamen limitat dummodo poſt abſolutionem à Sacerdote ſimplici impenſam, confiteatur aliquod veniale legitimo Confeſſori ſuperuenienti, cum nouo dolore, vt ab eo denuo abſoluatur, & rationem aſſignat, quia in mortis articulo tenetur quiſpiam tutam partem eligere, ipſe autem *num.5.* cenſet eſſe valde probabile, iuriſdictionem ſimplicis Sacerdotis ceſſare in aduentu legitimi Confeſſarij. Nihilominus prædicta limitatio non videtur neceſſaria. Tum quia in eo caſu certam exiſtimo eſſe iuriſdictionem ſimplicis Sacerdotis, vt dictum eſt. Tum etiam quia ſaltem iuxta multorum opinionem ſimplex Sacerdos habet in omni euentu iuriſdictionem ſuper venialia: omnes autem in ſuis confeſſionibus fatentur aliqua venialia ſimul cum mortalibus: igitur

niſi pœnitens ponat obicem, valida erit confeſſio, quoad omnia confeſſa; remittentur enim venialia directè, & mortalia ſaltem indirecte, etiam deficiente iuriſdictione ad illa, vt docet Sanch. *in Decalogum, lib. 2. c. 13. n. 15.* nec immerito, quia ad valorem Confeſſionis ſufficit quod pœnitens non ponat obicem, & iuriſdictio ſit certa, ſaltem in aliquam materiæ partem.

10. Quapropter propoſito quæſito affirmatiue reſpondendum exiſtimo. Ratio eſt, quia in eo caſu ſimplex Sacerdos veram habebat iuriſdictionem, dum alio deficiente cœpit confeſſionem audire; nec eius aduentu expirat, cum res tunc non ſit integra, ſed inchoata: iure autem cautum eſt, iuriſdictionem delegatam, quæ morte delegantis omnino ceſſat, minimè ceſſare re non integra, quippe ea vti cœptum eſt, *argum. cap. Gratum, & cap. Relatum, de offic. delegati*, & quamuis huiuſmodi textus de iuriſdictione in foro externo loquantur, idem tamen merito docent de iuriſdictione fori interni, & conſequenter non ceſſare iuriſdictionem Confeſſoris quoad confeſſiones inchoatas, Palud. *in 4. diſp. 17. q. 5. art. 3. concluſ. 7. n. 25.* D. Anton. 3. *par. tit. 17. cap. 9. fine.* Margarita Confeſſorum *quæſt. moral. verſic. ſciendum*, quod & Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 11. n. 8.* quem refert & ſequitur Sanch. *ibidem.*

11. Verum ſi pœnitens habeat caſum ratione excommunicationis reſeruatum, & ante abſolutionem ſuperueniat ſuperior, cui excommunicatio eſt reſeruata, non poſſet nec ſimplex Sacerdos, nec alius etiam expoſitus, qui confeſſionem audire cœpit, à prædicta excommunicatione abſoluere, ſed id à ſuperiore ſuperueniente, vel de eius licentia præſtandum eſt, ac deinde Sacerdos ille, quicunque ſit, poſſet à peccatis abſoluere. Ducor, quia abſolutio ab excõmunicatione reſeruata, etiam in articulo mortis, impenditur pœnitenti cum onere, vt quam primum poſſit, ſe legitimo ſuperiori præſentet; igitur ſi ante abſolutionem adueniat ſuperior, illi pro abſolutione ab excommunicatione ſe præſentare tenetur. Neque hoc eſt grauamen aliquod pœnitenti ſuperadditum; quia nec cogitur peccata repetere, nec onus vllum ſubire, ad quod ipſe non teneatur, etiam poſt abſolutionem. Vnde ſi contingat quod ſuperior ille nolit pœnitentem ab excommunicatione abſoluere, niſi integra confeſſio ſibi repetatur, exiſtimat Sanchez poſſe per priorem Sacerdotem abſolui; & ita videtur dicendum. Tum quia ſuperior ille cum ſit Pontifice inferior, non poſſet reuocare, aut limitare iuriſdictionem cuilibet Sacerdoti de iure conceſſam, ne confeſſionem in eo articulo inchoatam perficere queat. Tum etiam quia iam pœnitens obligationi ſuæ ſe ſuperiori præſentandi ſatisfecit.

12. Duo tamen videntur ſupereſſe dubiola circa præſens quæſitum examinanda. Primum eſt, quid faciendum ſi iam ſimplex Sacerdos in eo articulo abſoluerat, cum legitimus Confeſſarius aduenit, & æger cupit aliqua oblita denuo confiteri. Reſpondetur non poſſe talem confeſſionem excipi, niſi à legitimo ſuperueniente Confeſſore, quia iſta eſt noua confeſſio, & à priori independens, vt ex Suar. tradit Sanch. citatus. Idem & ob eandem cauſam ſentiendum eſt, ſi quæ æger non potuit confiteri, vel exiſtimatum fuit eum non poſſe, & ſic à reliquis abſolutus eſt.

13. Secundum dubiolum eſt, quid agendum, ſi in eo articulo contingat pœnitẽtem Sacerdoti ſimplici inualide forſitan confiteri, quia in ea confeſſione mentitus eſt, & conſequenter fuit inualide abſolutus; cupiente autem illo denuo confiteri eidem Sacerdoti, ſuperueniat

Digitized by Google

ueniat legitimus Confeſſarius. Reſpondet Sanchez *num.16.* poſſe illum detecto eo mendacio à prædicto ſimplice Sacerdote iterum abſolui, & quidem ita videtur dicendum, tum quia is reuera habuit iuriſdictionem ad priorem illam confeſſionem, & dum abſolutio valide non eſt præſtita, non cenſetur finita. Tum quia idem eſt actum aliquem non fieri, & non fieri valide, ſicut licentia à parocho conceſſa aſſiſtendi alicui matrimonio, non cenſetur finita eo matrimonio irrito exiſtente. Ad hoc autem probandum conferunt ſatis ea, quæ adducit Tiraq. *l. Boues, §. hoc ſermone, limitatione* 1. *n.* 1. *& ſeqq. ff. de verb. ſignif.* vbi ex multis late probat conceſſionem ſimpliciter prolatam non finiri vno actu irrito, *& limitat.* 21. *n.* 4. vbi ſimiliter ex multis probat poteſtatem delegatam non extingui primo actu, quando delegatus inutiliter abſque ſua culpa per errorem pronunciauit.

Dvbivm XVI.

Vtrum quando Bulla concedit poſſe abſolui à reſeruatis in articulo mortis, intelligatur de articulo mortis vero, an præſumpto.

1. Pro explicatione huius difficultatis ſuppono primò aliud eſſe periculum mortis, & aliud eſſe mortis articulum. Nam mortis articulus dicitur, cum mors iam inſtat, & moraliter eſt certa, & fere ineuitabilis, ſiue id ex cauſa naturali proueniat, vt ex morbo, ſiue ex violenta, vt ſi quis capitali pœna plectendus ſit: periculum autem mortis dicitur, cum eſt probabile dubium de morte, & frequenter ſolet in tali caſu euenire; vt eſt actuale bellum, longa & periculoſa nauigatio, & partus fœminæ, quæ ex aliis partubus experta eſt imminens vitæ periculum, & ſimilia. Rurſus mortis articulus, alius eſt verus, & alius præſumptus. Verus ille eſt, quem mors de facto ſequitur. Præſumptus autem is dicitur, cum quis hominum iudicio exiſtimatur morti propinquus, licet naturaliter, vel per miraculum poſtea ab ea liberetur. Ita D. Anton. 1. *p. tit.* 10. *cap.* 3. Gabr. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 4. *art.* 3. *dub.* 1. Sylu. *verb. confeſſ.* 1. §. 6. Suar. *tom.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 2. Sanch. *lib.* 2. *in Decalogum, c.* 13. *num.* 1. & Acoſta *in Bullam Cruciatæ, q.* 71.

Suppono ſecundò, nonnullos DD. opinari, cum ex vi Tridentini dicitur quemlibet Sacerdotem poſſe in mortis articulo abſoluere à peccatis, & cenſuris reſeruatis, intelligi de vero articulo duntaxat, non de præſumpto, nec de periculo. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q* 4. *art.* 4. *verſic. quæris autem.* Canus *Relectione de pœnit. p.* 5. Couar. *cap. Alma mater, p.* 1. §. 11. *n.* 8. & Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 10. *puncto* 2. Ducuntur, quia iura de mortis articulo duntaxat loquuntur, & conſequenter videtur, quod de vero mortis articulo, non de præſumpto, nec de periculo intelligi debeant.

2. Sed verius alij exiſtimant, quoad hunc effectum ſumi pro eodem articulum, & periculum mortis, atque adeo ſicut in articulo mortis poteſt quilibet Sacerdos abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, ita in periculo mortis. Ita Suar. *ibidem num.* 3. Molina *tom.* 4. *de iuſtit. diſp.* 63. *n.* 6. Sanch. ſupra, Zambr. *de caſ. articuli mortis, & præludio* 1. *n.* 7. & Cord. *d. lib.* 5. *de indulg. quæſt.* 39. cum aliis, quos iſti referunt. Et ratio eſt, tum quia cum cauſa huius confeſſionis fuerit neceſſitas pœnitentis, ne abſque confeſſione ex hac vita diſcedat, & in æternum pereat, iure optimo talis reputanda erit periculi mortis neceſſitas; quippe ius diuinum tunc ad confeſſionem obligat, perinde ac in mortis articulo. Tum quia morale periculum ita

Digitized by Google

in malis caueri debet, ac euentus ipſe; ac proinde qui ſe morali periculo lethalis culpæ exponit, lethaliter peccat.

3. His igitur ſic præhabitis dubitatur nunc vtrum facultas virtute Cruciatæ conceſſa pro abſolutione à reſeruatis in articulo mortis, ſit de vero, an etiam de præſumpto, ſeu de periculo intelligenda. Atque in primis videtur id intelligendum de verò duntaxat. Primò, quia in Bulla hiſpana *in fine* additur, vt reſeruetur pro articulo mortis vero: ergo non poteſt intelligi de præſumpto.

Secundò, quia priuilegium debet explicari in maiorem fauorem priuilegiati, quantum verba priuilegij patiantur, vt colligitur ex regula *odia, de regulis iuris, in 6.* ſed ſi explicetur de vero articulo mortis, cedit in maiorem fauorem priuilegiati: ergo ſic debet explicari. Minor probatur, quia vtilius eſt homini obtinere abſolutionem omnium peccatorum ſuorum in vero articulo mortis, quam in præſumpto, cum ad illam conſequatur infallibiliter vita æterna, ad iſtam vero non.

Tertiò, quia vt conſtat ex communi Dialecticorum axiomate, analogum per ſe, aut ſolitariè ſumptum, ſtat pro famoſiori, & magis proprio ſignato, vt leo abſolutè intelligitur de viuo, non de picto; ergo eadem ratione cum in Bulla agitur abſolutè de articulo mortis, debet intelligi de vero, non de præſumpto, cum iſte tantum ſit ſecundum quid articulus mortis, non ſimpliciter, & abſolute talis.

4. Verum his non obſtantibus reſpondeo, dictum articulum mortis, de quo in Bulla Cruciatæ, intelligendum eſſe ſub diſiunctione, verum, vel præſumptum; non verum duntaxat. Ita Le.ſon. *tractatu de abſolutione Sacramentali, alphabeto* 33. K.Gabr.4. *diſt.* 45.*q*.4. *art*.3.*dub*.1. Sylu. *verb. indulgentia*, *q*.10. *n*.25. Arm. *n*.23. Tabiena *num*.235. cum Roſella, *ibi* Nauar. *in Manual.c.*2.*n*.8. *&* *c*.26.*n*.31. Cord. *de indulgentiis quæſt*.39. *in principio*. Rodr. *in expoſitione Bullæ*, §.9. *n*.38. Henriq. *lib*.6.*c*.9.*fol*.418. Et probatur primò, quia extrema vnctio, quæ ſolum eſt danda in articulo mortis, non ſolum datur & habet effectum in vero articulo mortis, ſed in præſumpto, vt docent communiter Doctores, cum Cord. *lib. de indulgentiis*, Rodr. & aliis ſupra citatis: ergo abſolutio etiam à reſeruatis virtute Bullæ habebit effectum in articulo mortis præſumpto, niſi oppoſitum exprimat Pontifex.

5. Secundò, quia cum ius commune concedit quemcunque Confeſſarium poſſe abſoluere à reſeruatis in articulo mortis abſente Parocho, vel approbato, non ſolum intelligitur de articulo mortis vero, ſed de præſumpto, vt tenet communis opinio Doctorum aſſerentium, quod ſi pœnitens, qui ſimplici Sacerdoti confeſſus fuit, mortem euadat, non tenetur iterum adire ſuperiorem pro abſolutione reſeruatorum, niſi peccata habeant aliquam excommunicationem annexam; imò eſto illam habeant, non tenetur adire illum pro abſolutione, ſed vt accipiat ſibi iniunctam à ſuperiore ſatisfactionem, vt docent Nauar. *c*.26.*num*.26. Cord. *in ſum.q*.18. Sylu. *verbo abſolutio* 1.§.8. *& Confeſſor* 1. §.*vltimo*. Tab. *abſolutio* 1.*num*.5. Arm. *ibi, num*.12. Ang. *confeſſio* 3.§.2. Anglez *in* 1. *impreſſione, pag*.296. Innocentius *c. nuper, de ſententia excommunicationis*, & alij communiter: ergo idem prorſus dicendum erit, cum in Bulla agitur de articulo mortis abſolutè, non exprimendo verum, vel præſumptum.

6. Tertiò, quia ſi ſolum eſſet ſermo in Bulla de vero articulo mortis, certe Sacerdos exponeret ſe periculo efficiendi abſolutionem nullam, quia ſi ita eſt in re, quod is non eſt verus articulus mortis,

Digitized by Google

mortis, non confert illi Pontifex facultatem abſoluendi à reſeruatis Parocho præſente; & conſequenter abſolutio eius erit inualida, licet alias tam ipſe, quam pœnitens à peccato excuſentur, eo quod inculpabiliter exiſtimant eſſe verum articulum mortis.

7. Vltimò, quia, vt ſæpe diximus ex *c. ſolito*, §. *nobis, de maioritate, & obedientia*, vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, quod maxime habet verum in fauorabilibus, quæ non ſunt in præiudicium tertij: ergo ſi Bulla non diſtinguit de articulo vero, vel præſumpto, ſed loquitur indefinitè, non debemus nos diſtinguere, nec reſtringere verba illius, maxime cum indefinita propoſitio in iure æquiualeat vniuerſali, niſi de mente Papæ aliter conſtet, & cum etiam beneficium Principis latiſſime ſit interpretandum, cum non nocet tertio.

8. Nec obſtat dicere, Bullam loqui de articulo mortis propriè, atque adeo intelligendum eſſe loqui de articulo vero, & non de præſumpto, qui non eſt verus articulus, ſed exiſtimatus; hoc (inquam) non obſtat, quia tunc dicitur adeſſe propriè articulum mortis, quando quis ita eſt in puncto mortis, vt probabiliter de eius vita deſperetur, vt cum communi Doctorum docet Cord. *vbi ſupra*: ſed talis eſt articulus mortis præſumptus, licèt in re non ſequatur mors, ergo articulus præſumptus eſt proprie articulus mortis in communi omnium acceptione; atque adeo, vt recte dicit Cord. *vbi ſupra*, rationabiliter præſumi poteſt de voluntate Papæ, quod nomine articuli mortis intelligat etiam præſumptum, dum contrarium non aperte exprimat.

9. Ad primum reſpondet Henriq. *vbi ſupra in comment. lit. N.* ibi loqui de indulgentia plenaria, vt docet Nau. *cap. 26. n. 31.* & in aliis locis relatis *vbi ſupra*, addit etiam Nau. confeſſorem bene, valideque conferre indulgentiam plenariam in articulo mortis. Ita Cord. & alij præcitati, & inſuper ait, quod licet daretur in Bulla forma conferendi indulgentiam, non eſſet de neceſſitate ſeruanda: quia non inuenitur in Bulla latina, ſed ſolet addi à Commiſſario ad docendum indoctiores. Ita docent ipſe Nauar. *c. 26. n. 31. & 9. in Leuitico, notabili 30. num. 6.* Cord. *de indulgentiis, quaſt.* 38. Rodr. § 9. *n.* 40.

Ad ſecundum reſpondeo, fauorabilius explicari articulum mortis, intelligendo illum diſiunctiue de vero, vel præſumpto, quam ſi de ſolo vero intelligatur. Quia ſi primo modo ſumatur, multis modis poterit prodeſſe. Secundo verò non niſi vno tantum; imo, & hoc non ſemper, eſto quis habeat Bullam, & grauem infirmitatem; ſed cum è vita diſcedit.

10. Ad tertium reſpondeo, non eſſe intelligendum, quod ſicut eſſe pictum eſt conditio diminuens reſpectu leonis, ita eſſe articulum præſumptum, diminuat veram, & propriam rationem articuli mortis. Nam ſicut propoſitio licet ſit falſa, non definit eſſe proprie propoſitio: ita licet articulus mortis præſumptus dicatur falſus, quia non ſequuta eſt mors, ſicut per illum enunciabatur, non propterea definit propriè eſſe articulus mortis, quia de ratione huius tantum eſt, vt ſupra adnotaui ex communi Doctorum, quod probabiliter minetur mortem.

***

Digitized by Google

Dvbivm XVII.

An ſi pænitens ſemel ſit abſolutus virtute Bullæ à reſeruatis in articulo mortis præſumpto, poſſit iterum ab aliis reſeruatis abſolui virtute eiuſdem priuilegij, ſuppoſito quod Bulla abſolutè concedit poſſe abſolui in articulo mortis à reſeruatis.

1. PRæmitto facultatem abſoluendi à peccatis, & lucrandi indulgentiam plenariam in articulo mortis concedi aliquando expreſſe, pro vero mortis articulo; aliquando pro mortis articulo ſimpliciter; & aliquando pro mortis articulo, ſed cum hac reſtrictione *ſemel*. Vnde quando Pontifex id concedit pro vero mortis articulo, tunc de eo tantum intelligitur conceſſa talis facultas, vt tenet Cord. ſtatim citandus, Villalob. *clauſ. 9. n.* 8. & communiter omnes. Si autem pro mortis articulo ſimpliciter id concedat, tunc tam de vero, quàm de præſumpto articulo intelligendum fore, conſtat ex dictis dubio præcedenti. Dubitatur tamen an debeat intelligi toties, quoties, vel ſemel duntaxat, ac ſi expreſsè dicta reſtrictio apponatur.

2. Partem negantem ſequuntur Armil. *verb. Indulgentia, n.* 23. vbi ait, quod ſi quis ſemel abſoluatur in articulo mortis virtute alicuius indulti, expirat indultum. Idem docet expreſsè Sylu. *verb. Indulgentia, n.* 25. & alij cum Nau. *c.* 26. & Gabr. *vbi ſupra*, & probant. Primò quia illa facultas per primum vſum expirauit, vt colligitur *ex lege Boues, §. hoc ſermone. ff. de verborum ſignificatione*, alias certe in ipſo priuilegio adderetur, quod toties, quoties, quis ad articulum mortis veniret, poſſet vti eo priuilegio: ſicut ſæpe in ſimili apponi ſolet in apoſtolicis indultis: ergo cum id non apponitur, intelligendum eſt non velle Pontificem amplius valere, quam pro vna vice duntaxat.

3. Secundò probant, quia cum in Bulla conceditur abſolutè Indulgentia plenaria pro articulo mortis; ſi quis eam obtineat in articulo mortis præſumpto, non poteſt illam iterum lucrari: ergo idem erit in facultate pro abſolutione à reſeruatis, ſub eodem tenore conceſſa. Conſequentia eſt euidens à paritate rationis. Antecedens vero docent Doctores citati, quia tunc facultas illa conſequuta eſt totum ſuum effectum, poſtquam ſemel applicata eſt illi ad remittendum ei omnem pœnam temporalem, quam pro peccatis debebat: ergo non poteſt virtute eiuſdem priuilegij illi iterum applicari, ſed opus erit noua Bulla.

4. His tamen non obſtantibus, dico primo ſi Bulla abſolutè concedat poſſe abſolui in articulo mortis à reſeruatis, intelligendum eſt poſſe abſolui toties, quoties pœnitens veniat in articulum mortis. Ita Henriq. *lib. 6. cap. 16. num. 3. fol.* 418. & Ierſon *de abſolutione Sacramentali, alphabeto* 33. *lit. K.* inclinat etiam Cord. *de Indulgent. lib. 5. quæſt. 39. epiſt.* 3. idemque dicendum de indulgentia ſub eodem tenore verborum conceſſa. Quia eadem prorſus militat ratio, & ſic de vtroque probatur concluſio. Primo, quia propoſitio indefinita iuris æquiualet vniuerſali, præſertim in materia fauorabili: ſed facultas abſolutè conceſſa datur indefinitè, & ſine reſtrictione: ergo æquiualet vniuerſali facultati.

5. Secundo, quia vt ait Henriq. *vbi ſupra*, beneficium Principis latiſſimè eſt interpretandum, præcipuè cum non cedit in præiudicium tertij; ergo cum Pontifex non exprimit, quod nō valeat

illa

Digitized by Google

lla facultas niſi pro vna vice, non debemus nos illam ſtrictè interpretari, ſed amplè.

Tertio, quia cum Bulla concedit abſolutè facultatem eligendi Confeſſarium approbatũ, & alia ſimilia, intelligitur concedere illam ad toties, quoties quis voluerit. Ergo idem prorſus erit dicendum, ſi Bulla abſolutè concedat poſſe abſolui in articulo mortis; cum re vera articulus mortis non ſit particula limitans ad verum articulum, niſi expreſsè addatur in ipſo priuilegio.

6. Ad primum reſpondeo, non expirare illam facultatẽ per primum vſum; niſi in ipſo priuilegio dicatur, vt ſolum fiat ſemel. Nec opus eſt ad hoc, vt valeat *toties quoties*, niſi quod concedatur per indefinitam propoſitionem; quia per illam ſuppletur in materia fauorabili particula *toties, quoties*, cum vt ſupra dixi, æquiualeat vniuerſali.

7. Ad ſecundum negatur Antecedens, & ad probationem reſpondeo, quod pro illa vice conſequuta eſt illa facultas totum ſuum effectum, non tamen pro aliis, vel dicito conſequutam eſſe totum ſuum effectum, ſed non totaliter, quod in idem recidit.

Nihilominus dico ſecundò, attento tenore noſtræ Bullæ, qua dicta facultas conceditur ſemel in mortis articulo, abſolutè ſentiendum eſt, quod ſi quis ſemel in vita vſus iam ſit tali facultate, tunc ſemel poterit vti eadem in primo mortis articulo, ſiue vero, ſiue præſumpto. Ita Cord. *d. q. 39. dicto.*

8. Secunda ratio eſt, tum quia Bulla tantum valet, quantum ſonat; in ea autem expreſsè habetur dicta facultas conceſſa ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo. Igitur nihil amplius prodeſt; per binum enim ipſius vſum ſortita eſt totum ſuum effectum.

Dvbivm XVIII.

An ſuper mortis articulum, vt ad præſens ſpectat, comprehendatur omne periculum probabile mortis; etiam remotum, ſiue proueniat à mari, à iudice, ab hoſte, vel à partu.

1. Partem negantem tuetur Sot. 4. *d.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 4. §. *Quæris autem.* Vbi ait articulum mortis non eſſe periculum mortis; ſed quando mors eſt in fieri per cauſam naturalem, vel violentam, vt per infirmitatem, vel ſententiam iudicis infallibiliter exequendam. Idem defendit Couarru. *c. Alma mater, p.* 2. §. 11. *n.* 8. dicens ex ipſa nominis ſignificatione conſtare diuerſum eſſe periculum mortis ab articulo mortis, & habere ſe, vt ſuperius & inferius; ita vt omnis, qui eſt in articulo mortis, ſit etiam in periculo mortis, non tamen è contra. Pro quo refert Canum *relect. de pœnit. p.* 5. *fol.* 44. & probatur.

Primò, quia iura, quæ concedunt Sacerdoti ſimplici facultatem abſoluendi in articulo mortis, nihil prorſus dicunt de periculo mortis, vt conſtat *ex c. non dubium. c. quod de his, c. paſtoralis,* §. 1. *de off. Ordinarij*: Ergo talis non poteſt abſoluere in periculo mortis, & conſequenter non cenſetur in iure idem eſſe articulum mortis, & periculum mortis.

2. Secundò, quia in Tridentino, cum agitur de generali facultate, quam ſimplex Sacerdos habet ad abſoluendum in articulo mortis à quibuſcunque reſeruatis, ſemper eſt ſermo de articulo mortis ſtrictè loquendo, vt conſtat ex ratione, quam ſubiicit Trid. ibi, *ne ſcilicet aliquis pereat defectu ſacramenti pœnitentiæ*: ergo in caſu noſtro idem eſt dicendum.

Tertio, quia ridiculum omnino videtur,

Digitized by Google

detur,quod quando quis vult nauigare, poſſit abſolui à quocunque in abſentia proprij Sacerdotis, vel delegati,ab omnibus caſibus reſeruatis. Inde enim fieret,quod ſi aliquis incurriſſet hæreſim exteriorem cum pertinacia; ex qua tamen ſequutum non fuiſſet ſcandalum, nec detrimentum tertiæ perſonæ, adinueniret remedium abſolutionis, ſine eo quod manifeſtaretur Inquiſitoribus, vel Sum.Pontifici,per hoc quod arriperet nauigationem in Italiam. Quod eſt valde abſurdum, & contra practicam: ergo.

3. Verum his non obſtantibus reſpondeo, dicendum periculum mortis probabile, & articulum mortis ad arbitrium boni viri pro eodem reputari, prout ad præſens inſtitutum ſpectat. Quare licèt aliquando periculum ſit remotum,vt nauigatio, aut ingreſſus in bellum, ſi tamen quando mors proxima erit,non ſperatur copia Confeſſoris, rectè poterit quis in tali periculo remoto abſolui virtute Bullæ per quemcunque Sacerdotem ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis,etiam per ſimplicem Sacerdotem,Parocho tamen,vel approbato alio abſente.

4. Id tamen limitandum cenſeo, dum abſoluendus morali neceſſitate coactus, bellum, ſeu nauigationem aggreditur, ſecus ſi voluntate propria id faciat;tunc enim non dicitur proprie in mortis articulo conſtitutus, cum ipſe ſponte velit ſe conſtituere, ita Cord. *ſum.q.*38.*puncto* 2.*dicto* 4.& Sanchez *lib.* 2.*cap.*13.*n.*3.Poſſet etiam limitari, dum mortis periculum eſt adeò remotum, vt pro certo fere habeatur mortem diutius eſſe differendam; atque interim poſſit occurrere opportunitas habentis facultatem legitime abſoluendi. Ita Cord.& Sanch. *ibidem*,Couar.4.*Decr.*1. *p.*§.11.*num.*8.& Zambranus *d.Pralud.*1. *num.*8. in huiuſmodi autem determinatione ſtandum eſt iudicio viri prudentis,penſatis temporis,perſonæ,ac negotij circunſtantiis.

5. Probatur primò, quia hæc eſt communis, & receptiſſima Theologorum ſententia, à qua temerarium eſſet recedere in re graui,qualis eſt iſta.Illam enim docet D. Thom. *in* 4.*diſt.* 18. *&* *diſt.*20. Quem refert, & ſequitur Sylu. *verb.abſolutio* 1.*n.*8. D.Anton.3.*p.tit.*14. *c.*47.Palud.*diſt.*4.*d.*17.*q.*5.*art.*2.*&* *d.*20. *q.*2. *concluſ.*3. Adrian. *q.*3. *de confeſſ.caſ.* 3.§.12.Cord.*de indulg.q.*39.*in ſum.q.*18. Angel. *confeſſ.*3.§.2. Tab.*abſolutio* 1.*caſ.* 23. *excommunicatio* 5.*caſu* 40.*&* *confeſſio* 1.*num.*42. Armil.*abſolutio,n.*12. Nauar. *c.*2.*n.*8.*&* *c.*26.*n.*31. Henriq. *lib.*6.*c.*9.*in princ.fol.*47. & Med.*Cod. de confeſſ.q.*16. cum Suar.*diſp.*26.*ſect.*4.*n.*3.

6. Secundo probatur ex communi ſententia Iuriſtarum Innocentio, Ioanne Andrea,Hoſtienſi,Abbate, & aliis *in c. Quod de his, de ſententia excommunicationis*. Vbi quærentes quis dicatur in articulo mortis conſtitutus, in ſpecie reſpondent (teſte Couar. *vbi ſupra*) eum dici talem, qui prælium cum hoſte commiſſurus eſt, vel patitur naufragium periculoſum, vel nauigaturus eſt tempore, quo ſolet mare turbulentum eſſe, aut longa quidem nauigatio per loca inſidioſa. Quod probant *ex gloſ.c. paſtoralis, de off.ord.* §.1. ab omnibus communiter recepta, & ex optimo textu in lege mortis, cum ſequentibus de donationibus cauſa mortis.Quod idem docent præcitati Doctores de fœmina prægnante, præſertim Ioan. Andr. *in dict.c.paſtoralis*,§.1. ſed hoc vltimum,vt verum ſit, limitandum eſſe reor ad fœminam, quæ dum puerpera primum partum eſt editura;vel ad alias,quæ difficiles partus ſolent habere, (vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra.*) Nam certè quædam fœminæ ita faciles ſe exhibent in partu, vt nullum prorſus periculum

Digitized by Google

culum mortis eis immineat, vt experientia ipſa conſtat.

7. Tertiò probatur, quia ſi quis in prædictis periculis probabilibus mortis non confiteretur ſimplici ſacerdoti, quẽ tunc ſolum paratum habet, exponeret ſe probabili periculo moriendi ſine cõfeſſione in ipſo prælio, vel nauigatione: ergo non ſolum poteſt virtute Bullæ abſolui ab illo à reſeruatis, ſed tenetur. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur, quia eo ipſo quod in illis caſibus imminet periculum probabile mortis, conſequenter imminet periculum moriendi ſine confeſſione, ſuppoſito quod ibi non adſit ſacerdos: ergo tenetur antea confiteri, ne ſe exponat illi probabili periculo.

Quartò probatur, quia ſacri Canones pro eodem vſurpant articulum, & periculum mortis, vt apertè conſtat *ex cap. eos qui, de ſent. excomm. in 6. & cap. ſi quis ſuadente diabolo, 16. quæſt. 4. adiuncto cap. non dubium, de ſentent. excommun.* erdo ſicut ſacerdos poteſt abſoluere in quouis articulo mortis probabilis, ſi non ſit, nec ſperetur copia Confeſſoris, ita etiam in quouis probabili periculo mortis.

8. Quintò probatur, quia vt docent communiter Doctores cum Victoria *in ſumma, num. 33.* Nauarr. *cap. 2. num. 8.* & Cano, & Soto *vbi ſupra*, quilibet tenetur confiteri in omni periculo probabili mortis, quia præcepta quæ obligant pro mortis articulo, etiam obligant pro omni periculo probabili mortis. In quo ſanè (vt omnes fatentur) ſi non adſit alius, quam ſimplex ſacerdos, ab illo poterit, & tenetur abſolui: ergo perinde ſe habet tale periculum probabile mortis, ac articulus mortis: cum idem poſſit ſimplex ſacerdos tã in illo, quàm in iſto; ſolúmque erit diſcrimen inter hunc abſolutum virtute Bullæ, & alium abſolutum iure communi, quod iſte tenebitur poſtea adire Superiorem, à quo eſſet abſoluendus ab excommunicatione reſeruata; non vero ille, niſi quando excommunicatio eſſet ratione hæreſis, quia Bulla non præbet facultatem ad abſoluendum ab hæreſi, nec à cenſura ei annexa.

9. Ad primum in contrarium reſpondeo, ex iuribus pro noſtra ſententia adductis, ſatis conſtare per articulum mortis, non excludi periculum probabile mortis; nec prædicti Doctores, Sot. inquam, & Couar. vllam pro ſe adducunt rationem, ſed verba ſolum; imo Couarr. magis in noſtram declinat ſententiam, quia eſto verum ſit (vt ipſi aiunt) periculum mortis valde differre ab articulo mortis, metaphyſicè loquendo; quia articulus mortis videtur inuoluere quandam deſperationem vitæ, periculum autem mortis non, vt docet Cord. *de Indulg. q. 39.* tamen quandò periculum mortis eſt probabile, re vera cenſetur (moraliter loquendo) articulus mortis, vt ad præſens ſpectat, & docet Bartolus *in cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* & exemplificat de grauiter parturientibus.

10. Ad ſecundum reſpondeo, illam rationem Tridentini etiam militare in periculo probabili mortis. Quia etiam in illo timeri poteſt probabiliter, ne pereat conſtitutus in illo, defectu Sacramenti Pœnitentiæ.

Ad tertium, quod magis vrget, fortè aliquis concederet ſequelam. Quia licèt nemo poſſit abſolui per ſe loquendo ab hæreſi exteriori, benè tamen per accidens in periculo mortis, quod æquiparatur articulo mortis; teneretur tamen ille in eo caſu ſe præſentare poſtea Superiori ad cauendam reincidentiam in excommunicationem hæreſi annexam, vt ſupra diximus; & tradidit Henriq. *lib. 7. cap. 13. lit. A. fol. 59.*

11. Sed ſecundo reſpondeo, id non

Digitized by Google

licere, quia eſſet manifeſtè in fraudem legis reſeruantis ſtrictiſſimè hæreſim Inquiſitoribus, atque adeo ille non poſſet in illo caſu valide abſolui ab hæreſi per inferiorem ſacerdotem. Si tamen de facto ille arriperet nauigationem, fateor quod in itinere poſſet abſolui ab hæreſi, à ſimplici etiam Sacerdote; ſi non ſit approbatus, & manebit quidem abſolutus, ſi præhabeat dolorem prædictæ fraudis. Quia tunc ille eſt conſtitutus in probabili periculo mortis ratione periculoſæ nauigationis, & ſic cenſetur conſtitutus in articulo mortis, & conſequenter poteſt à quolibet abſolui à reſeruatis.

CAPVT IV.

De cenſuris, à quibus virtute Bullæ liberari poſſumus.

DVBIVM I.

Vtrum poſſit quis per Bullam abſolui in foro interiori ab excommunicatione lata à iure, vel ab homine, generaliter ſeu ſpecialiter, & nominatim; ſaltim ſatisfacta parte.

1. RATIO dubitandi deſumitur primo ex cōmuni Theologorum, & Iuriſtarum axiomate dicente, *quod non poteſt abſoluere, niſi qui ligauerit*, ergo nemo poterit ab excommunicatione lata ab homine abſoluere, niſi qui illam tulit.

2. Secundò, quia facultas illa abſoluendi videtur odioſa, tum reſpectu partis læſæ, tum reſpectu Ordinarij, atque ideo in vtriuſque fauorem videtur reſtringenda, per ea quæ notantur *in cap. olim, de verb. ſignif.* Tertio, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.* dum Epiſcopis concedit amplam facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, & abſoluendi à cenſuris, limitat tamen, dummodo non ſint ad forum contentioſum deductæ, quaſi rem grauiſſimam id reputet: igitur non eſt credendum, mentem Pontificis eſſe cuilibet Confeſſario concedere authoritatem virtute Cruciatæ abſoluendi à cenſuris, abſque eadem limitatione.

3. Confirmatur tandem per Extrauag. *Etſi Dominici 2. de pœnit. & remiſſ.* vbi Sixtus IV. præcipit, ne virtute Cruciatæ, alteriúſve priuilegij generalis abſoluatur denunciatus, ſententialiter cōdemnatus, vel publicè diffamatus. Quare his rationibus ducti negatiuam partem docent Auila cum aliis, quos refert *de cenſ. part. 2. cap. 7. diſput. 3. dub. 10. concluſ. 1.* Coninck *de Sacram. diſput. 14. dub. 16. num. 207.* Vaſq. *tom. 4. de excom. dub. 20. num. 8.* Vega *ſumm. tom. 1. cap. 6. caſu 52.* & Sorbus *in compend. priuileg. verb. ingreſſus Monaſteriorum Monialium, num. 11.*

4. Pro maiori intelligentia præmittere oportet pro tyronibus, quod excommunicatio maior quædam eſt à iure, vt quæ datur per modum ſtatuti: cuiuſmodi ſunt, quæ continentur in iure Canonico Bullæ Cœnæ Domini, & in conſtitutionibus Ordinariorum, & Religionum. Alia verò eſt lata ab homine, non per modum ſtatuti, ſed à iudice tantum Eccleſiaſtico. Et rurſus hæc eſt duplex, alia generalis, qualis eſt ſub iſto verborum tenore. *Præcipimus ne fiat hoc ſub ſententia excommunicationis ipſo iure incurrenda.* Alia particularis, quæ fertur in aliquem in hac forma; *Præcipio tibi hoc ſub excommunicatione ipſo iure incurrenda.*

5. Com

5. Concluſio. Hoc ſuppoſito, reſpondeo rectè poſſe Confeſſariũ approbatũ ab Ordinario, virtute Bullæ abſoluere excommunicatũ ab excommunicatione lata à iure, vel ab homine generaliter, ſeu ſpecialiter & nominatim, ſatisfacta tamen parte. Ita docent Guttierrez *in quæſt. Can. cap. 6. num.* 19. Rodr. *in expoſ. Bulla*, §. 9. *num.* 52. *& ſeqq.* Sotus 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 3. Henriquez *lib.* 7. *c.* 13. *num.* 2. *& lib.* 8. *cap.* 60. *n.* 4. Acoſta *q.* 50. Rebuffus *in concordantiis tit. de foro mandati Apoſtolici ſecundo abſoluendi*, Guerrerus Archiepiſcopus Granaten. & multi Theologi, & Iuriſtę Salmanticæ conſulti, & probatur apertè.

6. Primò, quia Bulla Cruciatæ indiſtinctè loquens concedit facultatem ad abſoluendum ab omnibus cenſuris; ſed prædictæ omnes excommunicationes ſunt veræ cenſuræ, & in reſcriptis Pontificum nomine cenſurarum intelliguntur. Ergo verè concedit facultatem ad illas.

Secundò, quia illa excommunicatio fuit lata ad petitionem partis. Ergo, ſatisfacta parte, vel conſentiente poterit virtute huius Bullæ tolli.

7. Sed quæres, an hæc concluſio vera etiam ſit, facta denunciatione. Rodr. *vbi ſupra, n.* 55. cum Compẽdio priuilegiorum Mendicantium, *verb. Abſolutio quoad fratres*, § 19. dicit virtute Bullæ, vel ſimilium priuilegiorum, non poſſe abſolui excommunicatum publice denunciatum. Sed dicendum eſt hoc ſolum eſſe verum in foro externo, niſi prius parti læſæ fuerit ſatisfactum. Ita Ledeſma citandus, Henriq. Sot. Acoſta citati, Couuar. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 12. *&* 16. & Sayr. *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 19. Angleſ. *Floribus* 2. *part. quæſt. vnica de excommun. art.* 4. *diffic.* 2. & Sanch. *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 42. Vnde cum in Compendio priuilegiorum Societat. IESV dicitur, *verbo abſolutio*, §. 9. *&* 10. non valere abſolutionem cenſurarum pro foro externo; intelligendum eſt, niſi prius fuerit ſatisfactum parti læſæ, de quo infra. In foro autem interno, etiam non ſatisfacta parte, abſolutio erit valida, præſtita ſufficienti cautione, vel exiſtente bona fide ipſius pœnitentis, vel Confeſſarij, de quo videndus eſt Medina 2. *ſumm. c. cap.* 12. *fol.* 303. Vnde merito Ledeſma 1. *p. quarti, q.* 26. *art.* 1. *dub. vltimo*, carpit prædictum Compendium, eo quod abſolutè dixerit excommunicatum publice denunciatum, non poſſe abſolui virtute Bullæ, vel ſimilium priuilegiorum, & Rodr. *ibidem* nobiſcum etiam ſentit, cum duplici tamen limitatione, & *in addit. ad* §. 9. id abſolutè tenet.

8. Ad rationem autem dubitandi reſpondeo, quod quando dicitur non poſſe abſoluere, niſi qui ligauerit, ſubintelligitur, vel ab eius ſuperiore, vel ex commiſſione illius, & hoc modo fit in præſenti. Nam de mandato Papæ, cui omnes fideles ſubditi ſunt, confertur abſolutio per Bullam. Nec valet dicere, quod ſic fieret præiudicium Epiſcopo, qui ob id priuatur ſuis iuribus. Quia Epiſcopus pro abſolutione, nulla iura recepit; & licèt reciperet, rectè poſſet Pontifex priuare illum propter maius bonum commune; ratione cuius conceditur Bulla.

9. Ad ſecundam negatur aſſumptum, abſolutio enim illa non obeſt, nec parti læſæ, nec Ordinario, cum pœnitenti non proſit, niſi pro foro conſcientiæ, non autẽ pro foro exteriori. Vnde poteſt adhuc contra ſic abſolutum procedi in foro fori, ac ſi non eſſet abſolutus.

10. Ad tertiam negatur conſequentia, tum quia in Bulla Cruciatæ non apponitur limitatio illa, quæ in Tridentino apponitur, & conſequenter non obligat eos, qui virtute Cruciatæ abſoluunt: tum quia conceſſio Con-

Digitized by Google

cilij erat perpetua per vim ſtatuti, & magis ampla, cum comprehendat omnes caſus Sedi Apoſtolicæ reſeruatos,& ferè omnes irregularitates; non ſic Bullæ noſtræ conceſſio; tum denique, quia ſi Concilium concederet Epiſcopis facultatem abſoluendi à cenſuris ad forum contentioſum deductis, deberet eiſdem concedere dictam facultatem, etiam pro foro exteriori, in quo Epiſcopi ſunt iudices. Hinc autem prouenirent plura inconuenientia, & perturbaretur iuriſdictio eorum, ad quorum forum deductæ eſſent huiuſmodi cenſuræ. At Confeſſariis per Bullam potuit concedi facultas abſoluendi pro foro interiori duntaxat,ex cuius vſu nullum poteſt ſequi inconueniens pro exteriori, vt conſtat ex dictis, & notat Sanch. citatus. Ad confirmationem reſpondetur extrauag. illam Sixti quarti expiraſſe iam, cum fuerit quaſi clauſula addita ad Bullam Cœnæ, quæ cum ſuo Authore defuncto ceſſauit, & conſequẽter ceſſauit etiam dicta conſtitutio, & caſus illi in iuris communis diſpoſitione manſerunt,vt rectè tradunt Sylu. & Sotus allegati. Adde extrauagantem illam non interdicere abſolutionem cuiuſcunque criminis ad forum contentioſum deducti, ſed tantum hæreſis, vt Sanch. *ibidem.*

Dubium II.

An quando in Bulla datur facultas abſoluendi ab excommunicatione, dummodo prius ſatisfiat parti læſæ, ſit valida abſolutio non præcedente reali ſatisfactione propter impotentiam ſolutionis, diſtantiam,vel aliam rationabilem cauſam.

1. Partem negantem ſequuntur Doctores grauiſſimi. Sylu. *excommunicatio 7. caſu* 20. *dub.* 10. Tabiena *Abſolutio* 3. *q.* 3. *&* 8. Caietan. *ibi cap.* 4. Sot. 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ledeſma *in ſum. tom.* 1. *tract. de excom. cap.* 8. *dub.* 3. Cord. *de Indulg. quæſt.* 43. *dub.* 3. Gutier. *in quæſt. can. cap.* 5. *num.* 29. Peres *n.* 298. *ordinamenti, tit.* 18. *lib.* 2. *pag.* 249. *ad fin.* &c.

2. Primò, probatur ex *cap. Piſanis, de reſtitut. ſpoliat. & gloſſ. cap. venerabilibus, §. ſanè, de ſent. excom.* & colligitur ex ipſo textu, & facit alia ſingularis gloſſa in Clement. 5. *de iurepatronatus, verbo, inhibemus*, quibus addi poſſunt, quæ ad eius declarationem refert Felinus *in cap. ex parte, de tranſactionibus, col.* 4. & Decius *in l. Tranſactionis, notab.* 5. *C. de tranſactionibus*, & alij DD. *ibid.*

3. Secundò, quia (vt conſtat ex *cap. cum dilecta de reſcriptis, & cap. fin. de reſtitutione ſpoliat.*) acta contra formam à Superiore præſcriptam ſunt nulla; ſed cum Bulla, vel priuilegium concedit facultatem ad abſoluendum, dummodo prius parti læſæ ſatisfiat, conſtituit conditionem, & præſcribit formam abſoluendi, iuxta *leg. Qui hæredit. & leg. Mater filio, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Ergo talis abſolutio, non præmiſſa reali ſatisfactione, nulla erit, quantum eſt ex virtute Bullæ.

4. Dices illam conditionem intelligi debere, dummodo poſſit pœnitens ſatisfacere. Nam ſi non poteſt, valida erit abſolutio, rectéque poterit illi impendi.

Sed contra obiicit Sotus: tum quod ex hoc tantum efficitur, quod qui non habet, vnde poſſit ſoluere, maneat coram Deo abſolutus, non tamen quod virtute Bullæ poſſit abſolui. Nam cum virtute huius non abſoluatur, niſi ex commiſſione, non ſeruato tenore commiſſionis, nulla eſt abſolutio, vt conſtat ex iuribus ſupra citatis: tum quia determinare, & arbitrari an iſte poſſit ſoluere vel non, nulli Sacerdoti committit

mittit Papa, ſed ſolum iudici excommunicanti reſeruat; ne aliàs iudiciarius ordo perturbetur. Ergo, &c.

5. Tertiò, quia quando Papa dicit in Bulla, quod non fiat abſolutio niſi ſatisfacta parte, limitat potentiam Confeſſoris in hoc, quòd ſi ita non fecerit, irrita ſit abſolutio; ergo non præmiſſa illa ſatisfactione, nulla erit abſolutio virtute Bullæ. Probatur conſequentia, quia aliàs fruſtra poneretur talis limitatio, ſi etiam non ſatisfacta parte, poſſet fieri abſolutio virtute Bullæ.

Quartò, quia per priuilegium Bullæ nemini conceditur facultas abſoluendi ad reincidentiam, ſed ſimpliciter; at qui modo non habet vnde ſoluat, licèt tunc quoad Deum non ſit excommunicatus, reincidit tamen quoad ipſum, quando habet vnde ſoluat, ſi non ſoluat. Quod ſecus fieret ſi per Cruciatam abſolueretur. Nam tunc non reincideret ſine noua ſententia, ſed oporteret, vt iterum excommunicaretur, vt conſtat ex *textu in cap. ad reprimendum, de offic. Iudicis ordin.* vbi id notant Panorm. & Felin. *col. 2.* quia illa abſolutio non fuit cum conditione data, ſed obligatio ad ſatisfactionem ſolum fuit onus, non conditio. Vnde cum ille fuerit ſimpliciter abſolutus, etiam ſi poſtea non ſatisfaciat, non reincidet in priorem excommunicationem.

6. Sextò, quia etiam ſi Bulla non addat clauſulam, quod non fiat abſolutio niſi prius ſatisfacta parte, adhuc abſolutio non poſſet impendi, niſi ſatisfacta parte, aut cum ſufficienti cautione; quia hoc exigit ratio ipſa naturalis, & diſpoſitio iuris, ne fiat præiudicium tertio; ergo cum additur illa clauſula, *quod non fiat abſolutio, niſi prius ſatisfacta parte*, aliquid amplius debet præcedere ad abſoluendum, quam cautio, hoc eſt realis ipſa ſolutio, & ſatisfactio.

7. Verum his non obſtantibus, reſpondeo, dicendum oppoſitam ſententiam eſſe benigniorem, & probabiliorem; quam ſequuntur Couarr. *c. Alma mater, §. 11. num. 6.* vbi ait, *formam à iure præſcriptam, tunc ſeruandam eſſe, cum commode ſeruari poteſt.* Idem Sylu. *Abſolutio 3. §. 2. notab. 3. & §. 12. in princip. & verbo Indulgentia, q. 10. dict. 7.* & expreſsè Nau. *cap. 27. num. 47. in fin. &* 142. Ledeſma *2. part. quæſt. 26. art. 1.* Tabien. *abſolutio 2. num. 2.* Petrus Sotus *tit. de excom. lect. 4.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. fol. 515. & lib. 13. cap. 28. fol. 1075.* Armil. *Abſolutio, n. 48.* Vaſq. *tom. 4. tract. de excom. dub. 20. num. 1.* Coninck *de Sacram. diſput. 14. dub. 16. num. 206.* Filliuc. *tom. 1. tract. 11. cap. 9. num. 295.* Villalob. *tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 2. num. 22.* Auila *de cenſ. part. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 8.* Ioann. à Cruce *in direct. conſc. part. 2. tract. de excomm. dub. 5. cond. 3.* Suar. *tom. 4. diſp. 7. ſect. 5. num. 41.* Sanchez *ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 19.* Sayr. *de cenſ. lib. 1. cap. 18. num. 21.* Regin. *tom. 1. lib. 9. cap. 4. num. 65.* Rodr. *in expoſitione Bullæ, §. 9. n. 52.* Peña, Medina, & alij recentiores, ſed probatur.

8. Primò, ex *cap. Odoardus, de ſolutionibus* & ex *cap. ex parte, de verborum ſignificat. el primero.* & Gloſſ. communiter recepta *in cap. cum deſideres, de ſent. excommunicationis.* & gloſſ. *cap. de manifeſta. 2. quæſt. 5. verb. indicaui*, & gloſſ. *in vltim. oppoſit. in Clementina vnica, verb. nullatenus de ſequeſtratione poſſ. & fruct.* Quam ſententiam ſequuntur ibi Card. & Felin. *cap. quod ſuper his de fide inſtrumentorum, col. 2.* Iaſon *in leg. Scrinarios, C. de teſtamento militari*, & alij, quos refert Couar. *vbi ſuprà*, qui etiam adducit textum *in cap. venerabilibus, vbi ſupra.* Nec eſt veriſimile Pontificem poſtulare conditionem impoſſibilem, quia ad impoſſibile nemo tenetur. *l. Impoſſibilium, ff. de reg. iur.*

9. Secundò, quia illa particula, *ſatisfacta parte*, quæ in Bu[...]

Digitized by Google

ſolet apponi, non eſt noua, & extraordinaria forma Confeſſario præſcripta, ſed directio quædam, & admonitio illius, vt Confeſſor recordetur iuris communis, præcipientis ne detur abſolutio, niſi prius ſatisfacta parte, vt in ſimili docet Innocentius *cap. fin. de præſumptionibus, & gloſſa receptiſſima, Clement. 1. de officio delegati.* & colligitur ex *Clem. Multorum & Clem. Nolentes de hæret.* Ergo, ſicut ſtando in iure communi, poſſet quis abſolui à Parocho, non præmiſſa prædicta ſatisfactione reali, quia non poteſt commodè illam exhibere; niſi cum magno detrimento, vendendo vilius ſua bona, ita etiam id poterit virtute Bullæ; & ſimiliter licèt iniuria ſit manifeſta, ſi non poteſt realem ſatisfactionem exhibere, poterit abſolui per Bullam cum ſimili cautione. Quia (vt rectè docet Couar. ex communi Doctorum ſententia *in cap. Alma mater, §. 57. num. fin.*) quæ iure inſunt, etiam ſi ab homine expreſſa fuerint, non inducunt nouam formam, aut conditionem. Vnde cum ſecundum ius requiratur ad abſoluendum ſatisfactio partis, modo dicto, nulla certè noua forma inducitur in Bulla per hoc, quod Pontifex dicat, *quod abſoluatur, dummodo ſiat prius ſatisfactio parti læſæ.*

10. Tertio probatur, ſi Pontifex vellet abſolutionem annullare, id certè declaraſſet, ſicut in ſimili fecit in Bulla Cœnæ Domini, dicens, *quod abſolutio facta in articulo mortis excommunicato excommunicatione Cœnæ Domini, ſine præuia ſatisfactione, vel cautione idonea, nullius ſit roboris, vel momenti,* de quo in expoſitione eiuſdem Bullæ Deo dante. Ergo cum id non exprimat Pontifex in Bulla Cruciatæ, dicendum eſt validam eſſe in illo caſu abſolutionem, non ſatisfacta parte: idque ſatis confirmat vſus ipſe, cum multi ſint, qui vel ex impotentia, vel diſtantia, aut Confeſſarij negligentia, vel obliuione, non præmittunt ſatisfactionem, & tamen poſtea non repetunt confeſſiones, nec petunt abſolutionem cenſurarum. Igitur conſuetudo ipſa, & ratio naturalis interpretatur validam eſſe tunc abſolutionem, non ſatisfacta parte.

11. Quartò, quia illa clauſula Bullæ debet benignè, & prudenter exponi, iuxta mentem Pontificis: prudenter autem exponitur iuxta mentem illius, ſi exponatur de ſatisfactione, quantum eſt in ipſo pœnitente, cum ſecundùm rectam rationem credendum non ſit velle Summum Pontificem, vt qui facit quantum poteſt, & debet, vt ſatisfaciat, adhuc priuari abſolutione propter id, quod ſibi impoſſibile eſt præſtare: Ergo, ſi quis non poſſit prius ſatisfacere propter diſtantiam, aut paupertatem, vel ſi poteſt, non tamen commodè, quæ cenſetur moralis quædam impotentia, rectè poterit abſolui adhibita cautione ſufficienti. Nam ſicut cum ius dat facultatem abſoluendi in articulo mortis, ſatisfacta parte, intelligitur ſi poſſit ſatisfacere; quod ſi non poſſit, ſufficit adhibere cautionem, vt docet Nauar. *cap. 27. num. 47. & 48.* Imo etiam ſi ex obliuione, ignorantia, vel malitia Confeſſarij non præſtaretur cautio; abſolutè eſſet valida abſolutio. Ita etiam intelligendum erit, quando in Bulla datur facultas abſoluendi, dummodo prius ſatisfaciat parti læſæ. Imo ſi excommunicatus probet coram iudice Eccleſiaſtico ſe impotentem moraliter, vt ſoluat debitam pecuniam, compellet Iudicem, vt eum abſoluat etiam in foro exteriori. Quia Eccleſia non vult tenere ligatum reum, qui iam obedit, & facit quod poteſt. Ita Henriq. *lib. 7. cap. 13. lit. P.* pro quo graues ibi adducit Doctores.

12. Vltimò, quia ſacri Pontifices in ſuis Iubilæis exprimunt, quod abſolutio

Digitized by Google

tio virtute illorum impenſa, non ſatisfacta parte prius, ſit irrita in foro exteriori: ergo præſupponunt eſſe validam in foro interiori, etiam non ſatisfacta parte. Conſequentia eſt nota, & antecedens patet ex Iubilæis Pij V. & Gregor. XIII. quæ infra referam *dub. ſequenti.*

Ex quibus omnibus colligo primo, quod quando non præſcribitur in Bulla noua forma, ſed conceditur facultas abſoluendi, ſeruata forma iuris, certè licèt Confeſſarius mortaliter peccet abſoluendo ſine præuia ſatisfactione, aut idonea cautione, abſolutio eſt valida; quod re vera valde proficuum eſt; quia contingere poteſt, quod aliquis ab alio ſine tali ſatisfactione fuerit abſolutus, & ad mihi confitendum accedat, & tunc poſſum me cum illo habere, ac ſi non eſſet excommunicatus, quia abſolutio valida fuit.

13. Secundò colligo, id quod hactenus diximus de validitate, intelligendum eſſe, quando ius, aut decretum Pontificis, vel Superioris non irritat illam, dicens eſſe irritam, niſi præcedat ſatisfactio, vel idonea cautio. Quod dixerim, quia Sixtus IV. *in extrauag. Etſi Dominici gregis*, irritauit abſolutionem non factam ſub prædicta forma, in quibuſdam caſibus ibi relatis; quam extrauagant. ponit Caietan. *verb. excommunicatio, cap.* 77. & vniuerſaliter Gregor. XIII. irritat abſolutionem reſpectu omnium caſuum in Bulla Cœnæ, itaut non ſolùm abſoluens maneat excommunicatus; ſed nec pœnitens abſolutus, niſi alias pœnitens ipſe ſit in articulo mortis adeo vrgenti, vt non poſſit præſtari talis ſatisfactio, vel idonea cautio.

14. Tertiò colligo, quod qui incurrit excommunicationem, eò quod cum potuit, non ſoluit decimas, ſi poſtea fiat impotens, poteſt abſolui per Bullam, cum cautione: non obſtante Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reformatione*, dicente *talem non eſſe abſoluendum, niſi plena reſtitutione ſequuta*; quod idem in ſimili dicunt DD. in expoſitione conſtitutionis, de largitione munerum regularibus interdicta; quam nouiſſime edidit ſanctiſſ. Clemens VIII.

15. Quartò colligo, quod licet Caiet. *verb. abſolutio, cap.* 4. & Nauar. *cap.* 26. *num.* 7. dicant, quod ſi pœnitens poteſt dare pignoratitiam cautionem, tenetur ad illam; & ſi hanc non, ad fideiuſſoriam; & ſi nec iſtam, tenetur ad iuratoriam. Probabilius tamen eſt, quod cautio, quæ exigitur à iure, intelligi debet diſiunctiuè; ita quod ſi excommunicatus habet pignora, non tenetur dare illa, ſed ſufficiat dare fideiuſſoriam. Videtur autem quod ſi poteſt dare alteram illarum cautionum, non ſatisfaciat in conſcientia, dando iuratoriam: quia hoc poteſt vergere in graue detrimentum partis læſæ. Ita colligitur ex Tabiena *abſolutio* 3. *num.* 2. & Sylu. 16. *cum gloſſ. cap. Alma mater.* Si tamen propter diſtantiam non poteſt fieri ſatisfactio; aduerto quod ſufficit apud aliquem pecuniam deponere, vt parti opportunè tradatur, ſic tradunt communiter Recentiores, cum Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *fol.* 512.

16. Ad primum reſpondeo, ex omnibus illis iuribus ſolum poſſe colligi, quod ſi alicui, qui alias non habebat poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione, Summus Pontifex committat facultatem abſoluendi, præſcripta noua forma, quæ in iure non habebatur; abſolutio illa data eſt irrita, & nulla, non ſeruata illa forma, vt conſtat ex *cap. fin. de reſtitutione ſpoliat.* Vt ſi v. g. concedat alicui, vt abſoluat Petrum ab aliqua excommunicatione ſibi reſeruata, dummodo prius certam pecuniæ partem in eleemoſynam fuerit elargitus, vel aliud ſimile opus fecerit; tunc enim

enim nulla erit abſolutio, non ſeruata illa forma; quia non datur Confeſſario iuriſdictio, niſi ſub illa conditione præſuppoſita: & ſic illam tranſgredi, eſt etiam peccatum mortale, vt docent Rodr. §.9. Sylu. *abſolutio 3.§.2.notab.3.* & alij ſupra citati.

17. Ad ſecundum benè reſpondetur, ibi. Ad primam autem impugnationem ſatis patet ex ſolutione præcedenti. Ad ſecundam vero negatur antecedens, ſi ſermo ſit de facultate Bullæ: nam in ea cuilibet approbato, hoc ipſo, quod conceditur facultas abſoluendi ab excommunicatione ab homine lata, conceditur facultas abſoluendi, ſimiliter arbitrandi, an pœnitens poſſit ſatisfacere, vel non.

Ad tertium reſpondeo per illa verba non amplius limitari poteſtatem Confeſſarij, quàm ſi non adderentur, cum ſolum addantur (vt ſupra dixi) ad inſtruendum imperitum Confeſſarium, vt recordetur iuris communis, iuxta dicta in ſecunda probatione noſtræ ſententiæ.

18. Ad quartum, quod eſt fundamentum Soti, reſpondeo falsò ſupponere, quod abſolutus virtute Bullæ cum cautione, ſi poſtea non ſatisfaciat, quando habet vnde poſſit ſoluere, non reincidat in priorem excommunicationem pro foro exteriori. Oppoſitum enim declarauit Pius V. & Gregorius XIII. vt infra patebit *dub. ſequenti.* Illa enim obligatio ad ſatisfaciendum, non ſolum eſt onus, ſed virtualis quædam conditio, ſub qua abſoluitur ad hunc ſenſum; *quod ſi non impleat illam, reincidet in priorem excommunicationem.*

19. Ad vltimum quidam exiſtimant, quod in Bulla, in qua non ponitur, *quod ſiat abſolutio ſatisfacta parte*, valida erit abſolutio data, non ſatisfacta parte: ſed falſum eſt. Nam licet ſatisfactio non ſit de ſubſtantia abſolutionis (vt dicit gloſſ. *cap. quamuis de ſent. excomm. in 6.*) ſemper tamen debet præcedere ſecundum iuris communis diſpoſitionem, imo & ſecundum rationem naturalem, modo ſupra explicato; adeo vt non ſolum Confeſſor, ſed & ipſe Iudex ordinarius peccet mortaliter, ſi aliter abſoluat, licèt abſolutio valeat, vt docent Sylu. *abſolutio 3.§.5.& 6.* Caiet. *ibi cap.4.* Nauar. *cap.27.n.37.* Couar. *cap. Alma mater,§.11.num.7.*

20. Vnde ad argumentum negatur conſequentia, quia (vt ſæpe diximus) per illam clauſulam non intendit Pontifex nouam aliquam obligationem inducere, ſed admonere Confeſſarium, & ad memoriam illi reducere formam antiquam iuris, qua tenetur præmittere ſatisfactionem parti læſæ, modo ſupra explicato. Nomine autem partis læſæ aduertere oportet, tam hic, quàm alibi, non intelligi Iudicem, vel Notarium ſalarium recepturum, nec Phyſicum, vel alium, cui pœna eſſet applicanda; ſed illum tantum, cui aliquid iam debetur de iuſtitia, in cuius fauorem excommunicatio lata ſit. Ita Gutier. *in quæſt. Can. cap.5.n.29.* Ledeſma 2. *part. q.26.art.1.* Cord. *de Indulg. q.93. dub.3.* Rodr. *in Bulla,§.9.n.33.* Sot. *in 4.diſt.22. quæſt.2.art.3.*

DVBIVM III.

An abſolutio publicè excommunicati, quæ ſit virtute Bullæ, valeat etiam pro foro exteriori, & non interiori tantum?

1. RAtio dubitandi poteſt eſſe primo, quia in nonnullis Bullis, vt in Bulla Crucifixi Oſmæ, & aliis ſimilibus habetur, quod abſolutio virtute illarum impenſa valeat pro vtroque foro: ergo ita debet intelligi in Bulla Cruciatæ, cum Pontifex in illa

non

non exprimat non valere pro foro exteriori, ſed indiſtinctè potius loquatur, abſtrahendo à foro interiori, & exteriori.

2. Secundò, quia Bulla abſolutè concedit facultatem abſoluendi à cenſuris, nec implicite, aut explicite eam limitat pro aliquo foro: ergo de vtroque interpretanda eſt, cum enim verba ſint abſoluta, & gratiam contineant, amplianda ſunt potius, quam reſtringenda.

Tertiò, id ſatis apertè deduci videtur ex conſtitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. ſtatim referendis, vbi habetur per conceſſiones à dictis Pontificibus emanatas dari facultatem abſoluendi in foro pœnitentiali tantum, non autem in foro fori, aut contentioſo, niſi ſatisfacta parte. Vnde poſita hac conditione videtur extendi etiam ad forum externum: atque ideo partem affirmatiuam ſuſtinent Medina *in inſtruct. confeſſ. cap.* 12. *fine.* Rod. *in Bulla*, §. 9. *n.* 55. *ad finem.* Acoſta *in Bulla*, *q.* 50. *verſ. Prima ſit*: idem ſentit de cenſuris à iure latis, & inclinat Suar. *tom.* 4. *de cenſ. diſput.* 7. *ſect.* 5. *n.* 21. ab hac tamen opinione recedit *num.* 22.

Reſpondeo nihilominus iam certum eſſe, abſolutionem ab excommunicatione virtute Cruciatæ impenſam, non valere pro foro exteriori, & iudiciali, & probatur.

3. Primò, quia ita docent communiter Doctores. Panorm. *in cap. de his, n.* 3. *&* 4. *de accuſ. & ibidem.* Anan. Hoſt. Butr. & Imola, aſſerentes, quod abſolutio obtenta in foro pœnitentiali non ſuffragatur in iudiciali. Nauar. *in manu. cap.* 27. *num.* 278. Pegn. *in ſchol.* 20. *ad* 2. *p. direct. inquiſit. verſic. rurſus.* vbi monet contrariam opinionem eſſe erroneam. Henriq. *de excomm. lib.* 13. *cap.* 20. Sanch. *ſum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 43. Sayr. *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 31. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 9. *num.* 24. Molin. *de iuſt. tom.* 4. *diſp.* 64. *num.* 10. Ledeſma 2. *part. q.* 16. *artic.* 1. *dub. vltimo*, Gutier. *in quæſt. can. lib.* 1. *cap.* 2. *per totum, & cap.* 3. *num.* 8. *&* 9. Couarr. 2. *variarum, cap.* 10. *num.* 3. *&* 6. *& cap. Alma mater, p.* 1. §. 11. *n.* 16. *& cap. Raynutius, de teſtam. num.* 19. vbi ait abſolutionem, vel punitionem datam in foro conſcientiæ non impedire pœnam in foro exteriori, & quando delictum eſt mixti fori, punitionem Iudicis eccleſiaſtici, ſi non ſit ſufficiens, non impedire punitionem Iudicis ſæcularis. Similia dicit Simancas *in inſtit. cap.* 8. *num.* 4. & Gomezius *in reg. Cancellariæ de non iudicando, iuxtà formam ſupplicationis, quæſt.* 14. *n.* 3. Ex quibus apertè colligitur abſolutionem à Confeſſario datam virtute Bullæ impoſita ſalutari pœnitentia, non conducere pro foro exteriori. Pro quo multa adducunt Gutier. Ledeſma *ſupra*, & Couarr. *dicto num.* 16.

4. Secundò probatur, quia cum Pontifex intendit facultatem per eum conceſſam prodeſſe in foro exteriori, id exprimit, vt in aliquibus Bullis, & litteris apoſtolicis ſe vidiſſe, & legiſſe teſtantur Couar. & Ledeſma. In Cruciata autem non fit mentio fori externi; vnde abſolutus in foro conſcientiæ poteſt in foro externo accuſari, & puniri, vt tradit gloſſ. ſingularis *in cap. de his, de accuſat.* & conſtat exemplo illius, qui eſto ſit in foro pœnitentiali abſolutus à peccatis, manet tamen in foro externo obnoxius pœnæ temporali, quam leges poſitiuæ delictis per eum patratis iniungunt: atque ideo de abſoluto à cenſuris idem eſt ſentiendum, cum de vtroque agat Bulla ſub eodem tenore; & hunc eſſe ſacræ pœnitentiæ vſum apud Romanam Curiam refert Gomez. citatus, & mihi etiam conſtat; atque eandem opinionem ſequuta eſt ſimiliter Rota *apud Put. deciſ.* 95. *lib.* 3.

Digitized by Google

& ſacra Congregatio Tridentini idem reſpondit.

5. Tertiò probatur, quia ſi talis abſolutio prodeſſet pœnitenti, quod exterioris iudicij effectus, plurimū detraheretur authoritati iuriſdictionis eccleſiaſticæ, necnon iudicia exteriora perturbandi paſſim præberetur occaſio. Nam ſi qui palam, & impudenter ſanctiones Pontificias contempſit, clanculum deinde à priuato Confeſſore abſolutus, poſſet ſacris ſe immiſcere, & beneficia eccleſiaſtica obtinere, mirum in modum recta eccleſiaſtici regiminis ratio turbaretur; ac inſuper res eſſet valde ſcandaloſa, ſi ſimplex Confeſſarius diſſolueret, etiam quoad forum externum, quos Summus Pontifex annuis cenſuris ſolenniter, & tam ſerio innodauit, vt præcit. Authores, præſertim Couarr. & Gutier. animaduerterunt. Imò præberetur occaſio ſenſim detrahendi authoritati fori eccleſiaſtici externi, in iis potiſſimum regionibus, vbi facultates Cruciatæ breui tempore non expirant.

6. Quartò probatur, quia criminoſus dum Summorum Pontificum conſtitutiones ſpernit, & tranſgreditur, non ſolum Deum ipſum ſpernit, & contemnit, iuxta illud, *Luc.* 10. *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit*, quæ verba propriè ad apoſtolicam authoritatem pertinere docuit D. Cyprian. *lib.* 4. *epiſt.* 9. & ſequitur Bellarm. de Romano Pontifice *lib.* 4. *cap.* 16. Verùm etiam lædit rempublicam, & eccleſiam militantem: atque ideo vtrique eſt ſatisfaciendum, Deo nimirum per contritionem, & pœnitentiam à Confeſſario iniunctam, Eccleſiæ vero & Reipublicæ per alias publicas pœnas à iure ſancitas, ſeu à Iudice imponendas.

7. Vltimo probatur, quia ita declarauerunt ſacri PP. vt conſtat ex Iubilæo Pij V. conceſſo anno 1568. quem inuenies inter motus proprios impreſſos Biſſei anno 1570. vbi habetur ſic; *Declarantes inſuper tam præſentes, quàm alias quaſcunque conceſſiones ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, à nobis, & prædeceſſoribus noſtris adhuc emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas litteras Chriſti fidelibus ipſis, niſi ad earum effectum in foro conſcientiæ, & pœnitentiali conſequendum, non tamen in foro exteriori, aut iudiciali, niſi ſatisfecerint his propter quos latæ fuerint hæ cenſuræ, nullatenus ſuffragari*; & ſubdit, *quidquid ſecus factum fuerit, irritum eſſe, & inane*; & Gregor. XIII. in Iubilæo; anno 1574. ait, *Declarantes huiuſmodi abſolutionē ſolum prodeſſe pro foro interno, non externo, niſi ſatisfecerint his propter quos cenſuræ latæ fuerint, in eaſdem ſententias reincidiſſe, & in futurum reincidere. Sicque ab omnibus quauis authoritate fungentibus cenſeri, aut iudicari debere, & ſi ſecus factum fuerit, irritum decernimus, etiamſi fiat ignoranter.* Ac tandem ita expreſsè declarauit Sanctiſſimus D. Vrbanus P. VIII. in ſua conſtitutione ſub die 19. Iunij 1630.

8. Ex præcitatis igitur verbis Pontificiis apertè colliguntur hæc duo. Alterum, quod abſolutio ab excommunicatione virtute Bullæ nihil prodeſt pro foro externo, cum parti læſæ ſatisfaciendum erat, niſi prius fuerit ſatisfactum. Alterum, quod prodeſt pro foro externo, cum non erat neceſſarium parti læſæ ſatisfacere, aut re vera ei ſatisfactum eſt ante talem abſolutionem. Adde, & caſus erat occultus, ſic enim interpretanda eſt opinio Rodriquez, & Medinæ *ſupra*.

9. Vnde nota ex Suar. *loco cit. n.* 25. quod ſi excommunicatio ſit occulta, & non deducta ad forum contentioſum; ex vi abſolutionis impenſæ in foro conſcientiæ, poteſt ſic abſolutus ſe gerere in omnibus actibus, ſiue occultis, ſiue publicis, vt omnino carens cenſura.

Si

Digitized by Google

Si autem poſt abſolutionem contingat caſum illum manifeſtari, & deduci ad forum contentioſum, & in eo conſtare cenſuram illam incurſam, oportebit vt in eodem foro conſtet de abſolutione obtenta; tum vt ille audiatur in iudicio tanquam iam abſolutus, & non cogatur ad aliam abſolutionem petẽdam; tum etiam, vt excuſetur ab aliis pœnis, quæ illi poſſent imputari ob illos actus, ſi eos poſt cenſuram incurſam abſque abſolutione exercuiſſet.

10. Quod ſi inquiras quodnam teſtimonium requiratur pro foro externo; reſpondet Nauarr. *cap.* 27. *n.* 42. ſufficere teſtimonium Confeſſoris dicentis abſoluiſſe eum, cum oſtenſione Bullæ. Ita enim iuniores cum Calderino *tit. de teſtibus, conc.* 2. Pro quo etiam facit ſingularis gloſſa *cap.* 1. *verb. innocentes, de exceptionibus*, quæ ait, *credendum eſſe Confeſſario dicenti aliquem eſſe emendatum.* Quod idem docet Felin. 16. *n.* 3. *& cap. teſtimonium, de teſtibus, num.* 36. *& in Repert. verb. emendato, fol.* 41. *colum.* 2. vbi citat alios auctores, & gloſſas communiter receptas. Et ratione probatur, tum quia, cum probata ſatisfactione partis, ſolum agatur de bono ipſius pœnitentis, & nullum immineat præiudicium.

Tertiò, ratio ipſa docet credendum eſſe Confeſſarij teſtimonio, dicentis per Bullam abſoluiſſe illum: imo certò auderem dicere credendum eſſe in hac re pœnitenti, ſicut Parochus debet credere dicenti ſe confeſſum fuiſſe cum aliquo Regulari, aut alio priuilegiato, vt docet D. Thom. *quolib.* 2. *q.* 12. *& in addit. quæſt.* 8. *art.* 5. *ad* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 3. & Nauarr. *cap. placuit, de pœnit. d.* 6. *num...cap.* 71.

11. Quod ſi turſus inquiras, quomodo ſe debeat habere, qui ſolum eſt abſolutus in foro animæ, non vero in foro iudiciali, & caſus non eſt occultus? Reſpondeo, quod eo modo ſe habere debet, ac ille qui excommunicatus eſt ſine vera cauſa, licèt iuſta, ſecundum allegata, & probata. De quo multi dicunt, quod licet in foro exteriori habeatur pro excommunicato, tamen in rei veritate excommunicatus non eſt: atque adeo poteſt in occulto, ſecluſo ſcandalo celebrare, ſi Sacerdos ſit, & Sacris intereſſe; & quod etiam ſi celebret, non erit irregularis. Ita Sot. 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 3. Caiet. 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad ſecundum.* Adrian. *quolib.* 45. Medina *de reſt. quæſt.* 11. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 2. *in edit. hiſpana.*

12. Quod hic adhuc procedit melius, quia talis excommunicatus abſoluitur authoritate Papæ in foro conſcientiæ ad fructus internos cõſequendos: & quia diuinis intereſſe, & Sacramẽta ſuſcipere multoties eſt remedium neceſſarium ad illum finem; inde eſt, quod conſequenter conceditur illi hoc ſecundum, modo non fiat in præiudicium fori exterioris: quod certè eſſet, ſi publicè fieret: & quamuis de alio, qui fuit excommunicatus ſecundum allegata & probata, id negetur à Cord. *lib.* 1. *quaſtionarij, q.* 43. ex Antonino, Syluestro, & aliis, quos refert, & ibi citat, & ſequitur Couar. *cap. Alma mater, p.* 1. *§.* 7. *in tractatu tamen caſuum, q.* 3. *punct.* 3. amplectitur noſtram ſententiam, per quam certè nihil detrahitur iuriſdictioni eccleſiaſticæ fori exterioris, quia integrum ius manet in illo caſu Iudici, vt poſſit contra illum procedere, ac ſi non eſſet prædicto modo abſolutus; vnde iuſtiſſimè illum expelleret ab Eccleſia, & in omnibus aliis priuaret; & talis excommunicatus non eſſet excuſatus ab abſolutione petenda in foro exteriori.

13. Ad primam rationem dubitandi reſpondeo, quod quando in Bulla illa Crucifixi Oſmæ, & aliis ſimilibus, dicitur valere abſolutionem pro vtroque

Digitized by Google

foro, intelligitur ad hunc ſenſum, quod poſſint diuinis intereſſe, & Sacramenta ſuſcipere ſecluſo ſcandalo, & hoc vocatur ibi *in vtroque foro*, quia non ſolum interius libet efficitur ab excommunicatione, ſed etiam quantum ad prædicta, circa quæ erat impeditus, quod latè probat Couarr. *cap. Alma mater*, §. 11. *num.* 16. & in hoc ſenſu eſt verum, quod Confeſſarius poteſt virtute Bullæ abſoluere à cenſuris in foro exteriori. Vt ſi excommunicatus declaratus longe diſtet à Iudice, qui eum excommunicauit, ita vt non ſit facilis acceſſus ad eum, & ex alia parte inſtet tempus Iubilæi, vel magnæ feſtiuitatis; tunc virtute Bullæ abſolui poteſt, vt poſſit lucrari tale Iubilæum, aut diuinis intereſſe; vt docent communiter Iuniores cum Ledeſm. 2. *part. quarti, quæſt.* 26. *art.* 1. *dub. vlt.* Rodr. *ſupra, num.* 55. & Gutier. *num.* 17. Quia mens Pontificis videtur eſſe, vt qui facit quantum in ſe eſt, non priuetur Iubilæo, & indulgentia, implendo in illis requiſita. Et quia Iudex excommunicans non intelligitur nomine partis, cui oporteat prius ſatisfacere, vt diximus *dubio præcedenti in fin.* ideo illo inconſulto poterit tunc abſolui.

14. Ad ſecundam reſpondetur ſatis eſſe, quod in conceſſione non exprimatur facultas abſoluendi pro foro externo, vt eo ipſo intelligatur non conceſſa. Vel ſecundo reſpondetur, quod etiam ſi in conceſſione non apponatur expreſſe reſtrictio, *pro foro conſcientiæ duntaxat*, adhuc tamen intelligitur conceſſa pro illo foro tantum, cum ex materia ſubiecta, & modo conceſſionis, vel ex antecedentibus, & conſequentibus ſufficienter colligi poſſit hanc eſſe intentionem concedentis; ex illa namque pendet tota facultas, ac proinde quacunque ratione explicetur, ſatis eſt. Vnde quia in Bulla Cruciatæ hæc facultas conceditur in ordine ſolum ad ſacramentalem confeſſionem, conſequenter dicendum eſt, concedi duntaxat in foro conſcientiæ. Quam doctrinam dicit eſſe communem Suar. *dicto num.* 22. citans pro ſe Couar. Nauarr. & Gutier.

15. Ad tertiam patet ſolutio ex corollario poſt vltimam probationem pro noſtra concluſione adductam.

DVBIVM IV.

An virtute Bullæ poſſit quis abſolui cum prædicta cautione reclamante Ordinario? Vt ſi quis percuſſit Clericum, & ad magis illum vexandum, nolit Clericus acceptare ſatisfactionem: & hac ratione Ordinarius reclamat.

1. Ratio dubitandi eſt, quia priuilegium Bullæ non eſt datum in deſtructionem, nec in præiudicium tertij, ſed in ædificationem: Si autem ille in prædicto caſu abſolueretur, ſequeretur non parua perturbatio iuriſdictionis eccleſiaſticæ ordinariæ; ergo tunc ille non poterit abſolui contradicente Ordinario, & parte ipſa læſa.

Verum huic difficultati reſpondendum eſſe arbitror cum diſtinctione: nam vel res eſt deducta ad forum exterius, vel non; ſi eſt deducta, Confeſſarius non debet illum abſoluere virtute Bullæ, ne ſequatur perturbatio illa iuriſdictionis ordinariæ, de qua in ratione dubitandi. Ad quam vitandam videmus, quod Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. noluit Epiſcopis concedere abſolutionem à cenſuris, & irregularitatibus, niſi quando non eſſent deductæ ad forum contentioſum, ne ſcilicet fiat præiudicium Iudici, & perturbetur ordo iuris. Quare Confeſſarius debet illum ad Iudicem

dicem remittere, vel curare, vt pars ipſa conſentiat, vel denique obtinere licentiam à Iudice; qua obtenta, etiam ſi pars aduerſa aliquid opponat, poterit licitè illum abſoluere, vt habetur expreſsè *cap. reſponſo de appellat.*

2. Fateor tamen, quod quamuis Confeſſarius per Bullam non debeat abſoluere communiter ab excommunicatione deducta ad forum exterius, abſolutè tamen poteſt abſoluere in foro interiori tantum, ita vt factum teneat; quia Bulla non diſtinguit de deducta, vel non deducta excommunicatione ad forum exterius, ſed generalem præbet facultatem abſoluendi in foro interiori ab omni excommunicatione: nec per talem abſolutionem impediretur exterior iuriſdictio; nam ſolum eſt in foro conſcientiæ, & ſic Iudex contra illum procedere poteſt, ac ſi non eſſet abſolutus à Confeſſario; vnde aliquando expedit, vt fiat talis abſolutio, vt ſi ſit pro conſequendo Iubilæo, vel in aliqua magna feſtiuitate, iuxta dicta *in dubio præcedenti in fine.*

Si autem res ipſa non eſt deducta ad forum exterius, & pars nullam vult admittere ſatisfactionem, quam excommunicatus paratus eſt præſtare, abſolui poteſt virtute Bullæ cum prædicta cautione. Ita docent Armil. *verbo abſolutio*, §.10. Perez *lib.* 8. *ordinamenti tit.* 1. *leg.* 1. *pag.* 179. & Recentiores communiter, colligitúrque ex *cap. ſolet, de ſent. excom. in* 6. Vbi Pontifex ad ſimile dubium ſibi propoſitum, ſic reſpondit. *In prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſeruandum, vt pœnitenti abſolutio non negetur, quantumuis aduerſarius ſe opponat.* Et ratione etiam patet; quia per talem abſolutionem nulla fit iniuria ipſi parti. Nam irrationabiliter vult, quod talis excommunicatus perſeueret in illa excommunicatione, ſuppoſito quod ille facit quod tenetur: ergo poterit abſolui cum cautione, & per hæc ſatis patet ſolutio ad rationem dubitandi.

3. Cæterum obſerua in eo caſu, ante abſolutionem præmittendam fore cautionem, ſaltem iuratoriam de parendo mandatis Eccleſiæ, *argum. cap ex tenore, cap. de cætero, & cap. deſideres, de ſentent. excomm.* fauet D. Thom. *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 24. *art.* 1. *ad primum*, cui multis citatis adhæret Sayr. *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 2. atque id procedit, ſiue à iure, ſiue ab homine, ſit lata excommunicatio, & ſiue certo conſtet ſententiam eſſe iuſtam, ſiue de ea dubitetur, *argum. cap. cum contingat*, §. *verum*; ibi, *iuxta formam Eccleſiæ, de offic. deleg. cap. ad reprimendam, de offic. ordin. & cap. venerab. de ſentent. excom.* ſecus vbi ſententiam nullam eſſe manifeſtè conſtet; cum enim in eo caſu abſolutio non ſit neceſſaria, conſequenter nec iuſiurandum, quod abſolutionem antecedit, requiritur. Idem ſimiliter ſentiendum eſt, ſi manifeſtè conſtat ſententiam eſſe iniuſtam. Et ratio eſt, quia abſolutio debet abſque grauamine impendi, *cap. ſacro*, §. *caueat*, & ibi *gloſſ. verb. abſque grauamine*, & ibidem Hoſt. & Panormit. *num.* 12. & Felin. *num.* 7. *de ſent. excomm.* Iuramētum autem oneris rationem habet, vt conſtat: igitur in caſu ſimili ad illud præſtandum excommunicatus cōpelli non debet.

4. At num excommunicatus cum abſoluitur, iurare teneatur ſtare mandatis Eccleſiæ, an Iudicis; controuertitur inter DD. quidam mandatis Eccleſiæ ſtandum eſſe aſſerunt, *argum. cap. ad hæc* 2. *de appellat. & cap. cum deſideres, de ſent. excom.* Alij vero mandatis Iudicis ſtandum eſſe exiſtimant, *arg. c.* 1. *de his, quæ vi metúſve cauſ. fiunt, & cap. ex tenore de ſentent. excomm.* ac id potiſſimum, cum quis fuit ab homine excommunicatus, cuius mandatum contempſit. Nihilominus, vt rectè tradunt DD.

Digitized by Google

ſtatim citandi, nihil refert, num iſto, an illo modo iuramentum præſtetur;in eundem enim ſenſum coincidit,nec abſoluendus magis adſtringitur, ſi iuret de parendo mandatis Eccleſiæ, quam ſi iuret de parendo mandatis Iudicis: atque ideo iura nunc vnum, nunc alium modum indiſtinctè ſtatuunt. Ita gloſſ. *in d.cap.de his,verb.quod veſtro,*Hoſtienſ. *ſum. lib.5. tit.de ſentent.excom.num.*14. & Sylu. *verb.abſolutio,*3.*n.*3.

5. Notant autem præcitati Authores hanc poſſe conſiderari inter vtrumque modum differentiam; quod ſi quis iuret ſtare mandatis Epiſcopi, ſeu Iudicis, non vt Epiſcopi, vel Iudicis, ſed vt perſonæ, tunc iuramentum perſonale eſſe intelligitur,atque ideo perſonam eius, cui factum eſt,non egreditur, nec ſucceſſorem reſpicit,*argum.cap.ad hoc de author. & vſu pallij. & cap. venientes, & cap.Quintauallis de iureiur.* Si vero iuret ſtare mandatis Epiſcopi, vel Iudicis, vt Iudicis, non adſtringitur perſonæ, ſed dignitati; ac proinde ipſo remoto, vel depoſito, non manet ei obligatus. *arg. cap.per inquiſitionem de elect.* & *cap.alius, 15.quæſt.6.& leg.cum quis,ff.de ſolut.* Succeſſori tamen illius adſtrictus remanet, *arg.cap.veritatis de iureiur.* Cum autem quis iuret ſtare Eccleſiæ mandatis,ſemper includitur ſucceſſor.*arg.cap.quoniam Abbas de offic.Iudic.deleg.*

6. Sed quæres, an iuramentum ſit de ſubſtantia abſolutionis, ita vt eo prætermiſſo abſolutio ſit nulla. Affirmat Hoſt. *ſum. lib.5. tit. de ſententia excom.§. & qualiter hæc abſolutio, verſic. in maiori.* Communis tamen & vera ſententia tenet oppoſitum;ita gloſſ.*cap.cum deſideres,verb.præſtitutum,& verb.niſi forma,* atque ibi Panormit. *num.*8. Summa Aſtenſ.*part.*2. *lib.*7. *tit.*15.*art.*1.*quæſt.*1. S.Anton. 3.*part. tit.*24 *cap.*77.§.1. Sylu. *verb. abſolutio* 3. *num.* 3. Tabiena *eodem verbo,num.*1. Caietan. *verb.abſolutio,c.*4. Couarr. *cap. Alma mater*, 1. *part.* §.11. *num.7.de ſentent.excommunic.* & Nauarr. *cap.1.initio,num.54.de pœnit.diſtinct.6.*& alij,qui omnes aiunt abſolutionem impenſam valere, etiam ſi iuramẽtum non præſtetur, quia iuramentum non eſt de ſubſtantia abſolutionis, ſed introductum eſt potius de conſuetudine, & ad cautelam, & ne in poſterum talia quis præſumat, ſaltem timore iuramẽti præſtiti, vt colligitur ex *dict. cap.conſideres, §.cui quæſtioni. de ſent. excom.* Vnde aliqui abſque iuramẽto abſoluuntur,quod ſane non fieret, ſi iuramentum eſſet de ſubſtantia abſolutionis, vt habetur ex *cap.ſuper eo, 2.de ſent. excom.* vbi abſoluuntur, qui iurare noluerunt, & *cap.à nobis.2.fine.* vbi abſoluitur mortuus, de quo tamen certum eſt non poſſe iurare. Non eſt autem abſque iuſta, & rationabili cauſa iuſiurandum omittendum, prout præcitati Authores,imo fere omnes *arg. cap.ſuper eodem ſecundo, de ſent. excom.* affirmare conſueſcunt.

Adde quod aliqui nihilominus ſentiunt id ſolum ſeruandum fore in criminibus atrocioribus, vt ſunt caſus Bullæ Cœnæ, & huiuſmodi alij. Ita Henriq.*lib.*13.*cap.*28.*n.*4.Caiet.*verb.abſolutio,§.ante pen.initio,* Sylu. *abſolutio* 3. *n.*3.& Auila *part.2.cap.7.diſp.*3.*dub.*3. & inclinat Coninck *diſputat.*14. *dub.* 18. *num.*204.

Dvbivm V.

An virtute Bullæ poſſit Confeſſor abſoluere ab excommunicatione extra Confeſſionem.

1. PArtem negantem ſequuntur Nauarr. *cap.*26. *num.* 31. & *cap.cum contingat de reſcriptis*, Cord. *in ſumm. quæſt.*19.& Clericus *quæſt.*187.§.*de donde ſe ſigue.* Couarr. *cap. Alma mater,*1 *part.* §.11.*num.*16. Rodr.*in Bulla,§.9.num.*54.

Sarmiento

Digitized by Google

Sarmiento 1. *ſelectarum, cap. 9. num. 5.* & multi iuniores Theologi, quorum ſententia probari poteſt.

Primò, quia Pius V. & Gregorius XIII. *in Iubilæis ſupra citatis, dub. 3.* declararũt illas & ſimiles conceſſiones intelligendas eſſe in foro interiori, & pœnitentiali; ſed forum pœnitentiale eſt ipſa confeſſio. Ergo extra confeſſionem non erit valida abſolutio ab excommunicatione virtute Bullæ impenſa.

2. Secundò, (& hoc eſt fundamentum Soti, & Nauarri) quia in Bulla conceditur facultas ad abſoluendum à cenſuris, vt quoddam præambulum, & præludium neceſſarium ad abſolutionem peccatorum vt in ordine ad illam. Ergo extra confeſſionem nec licitè, nec valide poterit impendi.

Tertiò, quia in Bullis, & Iubilæis communiter apponitur hæc clauſula, *ſcilicet, quod poſſit Confeſſor abſoluere pœnitentes, eorum confeſſionibus diligenter auditis:* Hinc autem ſequitur manifeſte, quod non audita confeſſione non poterit Confeſſarius abſoluere ab excommunicatione. Tum quia forma mandati ita eſt obſeruanda, vt ſi aliquid fiat contra illam, factum non teneat, vt conſtat *cap. cum debito, de reſcriptis.* Tum quia, vt conſtat ex *leg. atteſtatoria, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*; verba ablatiui abſoluti, qualia ſunt illa, *confeſſionibus diligenter auditis*, dicunt conditionem, conditio autem importat formam, iuxta *leg. Qui hæredit. ff. eodem tit.* Ergo tali forma non ſequuta, nec ſeruata, nulla erit abſolutio.

Nec obſtat, ſi dicas prædictam clauſulam, ſcilicet, *confeſſionibus eorum diligenter auditis*, non apponi in Bulla Cruciatæ, non (inquam) obſtat, quia ſaltem apponitur, quod accipientes illam, poſſint eligere Confeſſarium approbatum, per quem abſolui poſſint à cenſuris, & peccatis. Ergo præſupponit Pontifex, quod abſolutio eſt facienda in confeſſione, arg. *legis in delictis, §. ſi detracta ff.*

Verum his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, licitum eſſe abſoluere virtute Bullæ ab excommunicatione extra confeſſionem. Ita docent Sotus *in 4. diſt. 18. art. 5. col. 9.* Suar. *tom. 4. de Religione, lib. 9. cap. 11. num. 27.* Armil. *verb. excommunicatio, §. 20.* Tabiena *confeſſio 2. §. 16.* Pedraza *lib. 2. cap. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. lit. N.* vbi refert id tenuiſſe Medinam Salmantinum, Peñam, & quoſdam grauiſſimos Hiſpaniæ Prælatos, ſimúlque Commiſſarium Cruciatæ, de hac re conſultos; & nouiſſime tenent Auila *2. p. c. 7. d. 3. dub. 13.* & Coninck *tom. 2. diſp. 14. de excomm. dub. 16. num. 253.*

4. Et probatur primò, quia quilibet Confeſſor poteſt ab excommunicatione minori abſoluere extra confeſſionem, teſte Armil. & Pedraza *vbi ſupra*, cum communi Doctorum; ergo etiam à maiori.

Dices eſſe diſparem rationem, quia excommunicatio minor incurritur per ſolum peccatum veniale, & ſic obligaretur quis ad confitendum veniale, ſi non poſſit aliter abſolui, quàm præuia confeſſione. Excommunicatio autem maior non incurritur niſi per mortale, quod tamen quilibet confiteri tenetur. Sed contra, quia quando quis facit confeſſionem informem, eo quod fictè accedit, & in ea confitetur aliqua reſeruata, licet non recipiat abſolutionem à peccatis, recipit tamen à cenſuris virtute Bullæ, vt ex multis Doctoribus probauimus *ſupra cap. 3.* Ergo non requiritur præuia confeſſio ad abſoluendum ab excommunicatione virtute Bullæ.

Dices id ſolum conuincere, non prærequiri confeſſionem validam, ſed ſufficere informem, quæ tamen ſacramentalis

talis eſt. Sed contrà, quia priuilegium, vt quis abſoluatur à cenſuris, eſt diuerſum à priuilegio concedente abſolutionem à peccatis, nec dependet ex natura rei ab illo, nec ex aliquo ſtatuto Eccleſiaſtico. Quia abſolutio ab excommunicatione non eſt ſacramentalis, ſed præuia ad abſolutionem ſacramentalem à peccatis. Ergo rectè poterit impendi ſine iſta virtute Bullæ, maxime cum ſit prior illa: prius autem non dependet à ſuo poſteriori.

Secundò, quia Parochus licet ſolum abſoluat in foro interno ab excommunicatione non reſeruata, poteſt tamen abſoluere ab ea extra confeſſionem, vt docent Cord. & Rodr. ſupra cum Sylu. *abſolut.* 3. *notabil.* 3. Et ſimiliter in articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere ab omni cenſura, non audita confeſſione, teſte Nauar. *cap.* 27. *num.* 271. §. 6. Ergo ſimiliter licet per Bullam fiat ſolum abſolutio ab excommunicatione in foro interno, poterit illa impendi extra confeſſionem; ſicut virtute eiuſdem Bullæ commutantur à Confeſſario vota ſine præuia confeſſione, vt ſuo loco dicemus.

Tertiò, quia ſi Bulla daret facultatem abſoluendi pro foro etiam externo, poſſet tunc Confeſſarius abſoluere ab excommunicatione extra forum interius, & pœnitentiale, vt docent Cord. Nauar. & Couar. *vbi ſupra*; ſed Bulla communiter concedit facultatem abſoluendi in foro etiam externo, quando nulla eſt pars læſa, vel illi eſt iam ſatisfactum, vt diximus *ſupra dubio* 4. Ergo virtute illius poterit impendi abſolutio extra confeſſionem.

Quartò. quia vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra*, cum Conc. Trid. *ſeſſ.* 24 *cap.* 6. concedit Epiſcopo poſſe abſoluere a cẽſuris, & in irregularitatibus diſpẽſare in foro conſcientiæ, non tollit quin abſoluat, & diſpenſet extra confeſſionem, vt quotidiana praxis docet, quæ eſt optima interpres ipſius priuilegij, teſte Sylu. *vbi ſupra, verbo priuilegium*, §. 6. Ergo ſimiliter in propoſito.

Vltimò, quia Clericus non Sacerdos, etiam prima duntaxat tonſura initiatus, poteſt impendere abſolutionem ab excommunicatione, vt docet communis ſententia DD. cum Sylu. *Abſolutio* 1. *n.* 1. & Couar. *c. Alma mater, p.* 1. *n.* 10. vbi id latiſſimè probat. Ergo à fortiori id poterit extra confeſſionem Sacerdos approbatus, & electus virtute Bullæ, niſi id in ipſa Bulla prohiberetur à Pontifice. Qui ſi fuerit Regularis ex Mendicantibus, vel ex aliis, qui eorum priuilegiis communicant, non tenebitur ſeruare ceremoniam relatam à Nauar. *c.* 26. *n.* 8. & Medina 2. *Summæ, c.* 12. quia ita conceſſit Leo X. *in ſupplemento Minorum, fol.* 59. *conceſſione* 174. & in Priuilegiis Societatis IESV, *verb. excommunicatio*, §. 2. quod etiam verum eſt, quando abſoluit in foro externo, licet oppoſitum dicat Rodr. *ſupra*, contra quotidianam praxim. Verum tamen eſt, quod ſi abſolutio virtute Bullæ impenſa, eſſet publica, non vero occulta, deberet vti illa ceremonia, quia non eſt priuilegium ad illam tunc omittendam.

5. Nunc ad argumenta in contrarium reſpondetur, atque in primis ad primum, dico verba illa *in foro interiori, & pœnitentiali*, nil aliud denotare niſi hanc facultatem concedi pro foro conſcientiæ, quod longe aliud eſt à foro ſacramentali: vt rectè aliis cit. tradit Suar. *tom.* 4. *de Religione, lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 32.

Ad ſecundum dico, quod quamuis hæc facultas ſæpe concedatur, vt pœnitens poſſit à peccatis abſolui, non inde ſequitur vtramque abſolutionem ſimul, & ab eodem impendi debere. Similiter ex eo quod dicitur hanc abſolutionem debere fieri à Confeſſario approbato,

non

Digitized by Google

non ſequitur quod in confeſſione ſacramentali fieri debeat,ſed ſolum caueatur, ne alia perſona, quæ forſitan ſit inepta,eligatur.

Ad tertium reſpondetur verba illa, *auditis diligenter confeſſionibus*, referri ad abſolutionem à peccatis, & non à cenſuris. Ita communiter iuniores,& alij, quos ſuppreſſis nominibus refert Cord. *in ſum.d.q.19.in 2.opinione.*

6. Hæc autem reſponſio non videtur ſufficiens, quia ſatis de ſe notum, & euidens erat, quod Confeſſor non erat abſoluturus à peccatis, niſi eos,quorum confeſſiones audiſſet; ergo ad id monendum non opus erat addere, *auditis eorum confeſſionibus*; atque adeo videtur addi propter cenſuras,à quibus non aliter videtur concedere facultatem ad abſoluendum. Quare illa ſolutione omiſſa;Reſpondeo quod illa verba non important neceſſariam conditionem, ſed conuenientem quandam inſtructionem, qua melius intelligatur excommunicatum iam depoſuiſſe contumaciam,quod conuenientius, & melius fit per confeſſionem, & debet regulariter fieri: Oppoſitum tamen facere non eſt peccatum, imo ſæpe eſt valde expediens, vt ſi quis propter multa peccata non facile poſſit præparari ad confeſſionem, expedit illum abſoluere à ſola excommunicatione. Quare exiſtimo ideo etiam in Bullis Pij V. & Gregorij XIII.& ſequentibus Cruciatæ ſublata eſſe illa verba, *auditis eorum confeſſionibus*, ne inde aliqui anſam ſumerent ad dicendum non poſſe extra confeſſionem impendi abſolutionem virtute Bullæ ab excommunicatione. Hinc Suar. noſtram amplectitur ſententiam *vbi ſupra*, & à priori recedit, quam ſequutus fuerat *tom.5. de cenſ.diſp.7.ſec.5. à n.35. & tom.2. de Religione, tract.6.de voto,lib.6.c.16.n.4.*

7. Sed dices, adhuc in Bulla Cruciatæ latina apponi verba quædam prioribus æquiualentia, nempe, *toties, quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem mediante ſalutari pœnitentia ſecundum culparum exigentiam obtinere.* Reſpondetur,hæc verba, imo & præcitata ex Iubilæis Pij V.& Gregorij XIII. poſſe recte, & cum omni proprietate explicari iuxta noſtram concluſionem. Nam verbum,*abſolutio*, commune eſt ad abſolutionem ſacramentalem peccatorum, & ad abſolutionem cenſurarum, quæ ſine dubio ſunt diſtinctæ, & à diuerſa poteſtate procedentes; ibi autem ſumitur verbum, *abſolutio*, in ſua communitate, quatenus vtramque comprehendit; idem ſimiliter dicendum eſt de verbo, *confitebuntur*, quod denotat duplicem confeſſionem duplici prædictæ abſolutioni accommodatam, ita vt ad vnamquamque requiratur ſola illa,quæ per ſe ſufficiens eſt. Atque ſimile iudicium ferri poteſt de ſubſequentibus verbis,nimirum, *mediante ſalutari pœnitentia ſecundum culparum exigentiam obtinere.* Hæc enim verba etiam ſunt communia ad pœnitentiam ſacramentalem,& ad pœnitentiam ſatisfactoriam, ſeu compenſatiuam delicti extra ſacramentum.Quapropter ſi quis Confeſſor virtute Cruciatæ velit aliquem abſoluere à cenſura ob delictum graue contracta,non eſt neceſſe vt ſolam pœnam ſacramentalem imponat illi; ſed ad inſtar Iudicis in foro contentioſo ſententiam ferentis, poteſt illi pœnam iniungere in vindictam contumaciæ contra Eccleſiam; quam tamen reus tenebitur in conſcientia implere,non quia ſit pars Sacramẽti,ſed quia ſponte ſe illi iudicio ſubiecit, & quaſi ſub eo pacto abſoluitur. Igitur ſub eadem indifferentia ſunt accipienda priora verba, ita vt virtute eorum concedatur facultas ad efficiendum duplex iudicium,vnum ſacramentale de culpis, & aliud quaſi contentio-

Digitized by Google

ſum de cenſuris, & ad vtramque requiratur ſua confeſſio, abſolutio, & pœnitentia.

8. Neque obſtat, quod ſimul detur poteſtas ad vtrumque iudicium, non enim ideo requiritur, vt neceſſariò ſimul fieri debeant: hæc namque illatio nulla ratione fundatur, cum multa ſub eiſdem, vel coniunctis verbis ſæpe comprehendantur, non quia in re ita ſint coniuncta, ſed vel quia ita breuius, & commodius dicuntur, vel etiam quia frequentius ita fiunt, non ex neceſſitate, ſed ex commoditate.

9. Vnde infert primò Suar. *ibidem*, fortaſſe in præſenti per hanc verborum connexionem ad ſummum ſignificari, confeſſionem ſacramentalem ſatis eſſe, vt quis à cenſura abſoluatur, non autem quod illa ſit neceſſaria, atque ideo fatetur quod, eſto prior ſententia per ſe loquendo, ſit tutior, noſtra tamen in rigore ſibi magis placet, quia eſt fauorabilior, & poteſt præcitatis verbis, tam Iubilæi, quam Cruciatæ in omni proprietate accommodari.

10. Infert ſecundò *num. 26. ad finem*, quod ſi nulla interueniat rationabilis cauſa, ipſe nec conſuleret, nec permitteret vti hac facultate Iubilæi, ſeu Cruciatæ, niſi in confeſſione ſacramentali. Conſuleret autem, ſi rationabilis cauſa interueniat. Vnde ſi quis cenſura innodatus ad Confeſſorem virtute Cruciatæ abſoluendus accedat, cum intentione acceptandi condignam pœnitentiam, & Eccleſiæ mandatis obediendi, non tamen ſit paratus ad ſacramentalem confeſſionem faciendam, vel Sacerdos illam nequeat audire, poſſet illum à cenſura reſeruata abſoluere, & ad alium pro abſolutione culparum remittere. Similiter ſi quis audiens prolixam confeſſionem, quam pœnitens non poteſt per multos dies concludere, & interim audiat caſum, cui eſt annexa cenſura, poſſet illum ſtatim à tali cenſura abſoluere, ſuppoſita diſpoſitione ex parte pœnitentis, nimirum quod à contumacia receſſerit, & ſatisfecerit, & conuenientem acceptet pœnitentiam; tum quia non oportet illum per plurium dierum ſpatium tenere ligatum cenſura; imo abſolutio ab illa poteſt ſatis iuuare, vt pœnitens ſe melius ad ſacramentalem abſolutionem diſponat; tum etiam quia in ordine ad abſolutionem à cenſura iam ſufficit audita confeſſio. Demum ſi adhuc tota, & integra confeſſione audita, Sacerdos vel ex zelo etiam indiſcreto, vel ex quauis alia cauſa, nollet ſacramentaliter pœnitentem à culpis abſoluere, vellet autem abſoluere à cenſura, valida eſſet talis abſolutio. Tum quia iam ad literam ibi impletur conditio, *auditis confeſſionibus*. Tum quia abſolutio à cenſura ſemper, non ſolum natura, ſed tempore antecedit abſolutionem ſacramentalem, & conſequenter non pendet ex futuro euentu; atque ideo valida erit, eſto alia non ſequatur.

Dvbivm VI.

An per Bullam poſſit quis abſolui à cenſuris latis contra cauſantes, procurantes; vel conſulentes aborſum.

1. RAtio dubitandi eſt, quia Sixtus V. edidit motum proprium anno 1588. qui incipit, *effrænatam*. In quo reſeruat Sum. Pont. abſolutionem à cenſuris ibi latis contra prædictos cauſantes, vel conſulentes aborſum; & addit quod virtute Iubilæi, aut Bullæ, non poſſet impendi abſolutio ab illis. Quod ita plane eſſe intelligendum, & ad litteram docet Rodr. *in expoſ. Bullæ, §. 9. num. 90.* & fauent quidam iuniores, dicentes eſſe probabilius, & ſecurius.

2. Verum

2. Verum antequam huic difficultati reſpondeam, præmonere oportet Confeſſarios de nonnullis circa prædictum motum proprium Sixti V. Atque in primis aduerto Greg. XIV. anno 1591. menſe Maij, reuocaſſe pœnas, & cenſuras contra procurantes aborſum fœtus inanimati, aut exhibentes mulieri, vel ſumentes venena ſterilitatis; aut quocunque modo conſilium, aut auxilium dantes; atque adeo velle negotium hoc reduci ad terminos iuris communis, & diſpoſitionem Concilij Trident. quod ſolum agit de homicidio fœtus animati, circa quod nihil innouat, nec temperat de rigore, & pœnis à Sixto V. latis. Quare quantum ad hoc, adhuc manet in ſua vi prædictus motus proprius Sixti V. ſolúmque eſt derogatus quantum ad pœnas, & cenſuras latas pro cauſantibus fœtus inanimati aborſum.

3. Aduerto ſecundò, prædictam excommunicationẽ à Sixto V. latam non comprehendiſſe, nec modò comprehendere mulierem ipſam prægnantem, ſed tantum alios, qui conſilium, aut medicamina applicant, aut quoquo modo iuuant ad aborſum. Quod ſane probari poteſt. Primò, quia licèt quoad pœnas exteriores, quibus puniuntur homicidæ, comprehendat ibi Sum. Pontifex prægnantem, eo quod in foro exteriori præſumit iniuſtitiam ex parte illius, conſentiendo, vel adiuuando aborſum, tamen cum addit ſpiritualem excommunicationis pœnam, non meminit prægnantis, ſed aliorum. Ergo dicendum eſt non comprehendere illam ibi.

4. Secundò, quia ratio ipſa ſatis docet ſic eſſe intelligendum, nam aliàs adulteræ, & virgines ſtupum committentes, & ex illo concipientes, cogerentur, vel ſine remedio manere, vel ſe prodere ad obtinendam abſolutionem à Pontifice; & ſic exponerent ſe periculo vitæ, quia vel à parentibus, vel à maritis interficerentur. Vnde dicendum, quod licèt ipſa mulier paſſa ſit culpabiliter in ordine ad aborſum, nec facit contra iuſtitiam, nec incurrit excommunicationem, ſicut nec incurrit Clericus, qui ſponte patitur ſe ab alio percuti, teſte Nauar. *cap.24. num.19.* quia nemo patitur iniuſtum volens, vt docet D.Thom. 2.2. *q.59. art.3. ex Ariſtotele 6. Ethicorum.* Quare tunc mater cedit, licet culpabiliter, iniuriæ prolis, quæ eſt quaſi pars illius: vnde ſicut qui iure quodam defenſionis occidens Clericum deprehenſum cum matre, vel ſorore, licet ſacrilegium committat, non tamen ſit obnoxius excommunicationi, aut reſtitutioni, teſte Nauarr. *cap.27. num.84.* nec etiam qui metu remigat in triremibus Maurorum contra Chriſtianos, vt plures opinantur cum Nauarr. *cap.27. num.63. fin.* ita nec prægnantem intendit excommunicare Pontifex, cum id non expreſſerit. Et eſt ſimile de filio, qui cum alieno ſocio furatus eſt rem patris, pro quo lata eſt excommunicatio; filius enim non incurrit illam, quamuis ſit principalis reus in eo furto, vt docet Sot. *5. de iuſt. q.3. art.1.* Sylu. *Excommunicatio 2. num.1. & §.1. caſ.14.* Petr. Nauar. *lib.3. de reſtit. c.1. num.81. fin.* & alij multi relati ab Henriq. *vbi ſupra.*

5. Aduerto tertiò, quod non dicitur cauſari aborſum, quando de facto aborſus non ſequutus eſt. Vnde licet procurauerit, ſi tamen de facto non ſequutus eſt non eſt excommunicatus, & conſequenter peccatum non eſt reſeruatum.

6. Tandem aduerto, quod cauſare aborſum non eſt idem, ac impedire conceptionem fœtus. Vnde mittere ſemen extra vas, vel potum aquæ frigidæ poſt coitum ſumere, vel alias præuentiones facere, ne concipiant, non eſt cauſare aborſum, ſed impedire fœtus conceptionem, de quo non loquitur

Digitized by Google

motus proprius, & conſequenter eius pœnæ non ſunt extendendæ ad hunc caſum.

7. His igitur ſic ſtatutis, vt quæſtioni ſatisfaciam; reſpondeo dicendum, rectè poſſe virtute Bullæ abſolui à cenſuris latis à Sixto V. contra cauſantes, vel conſulentes aborſum. Ita tenet Henriq. *lib.6.de pœnit.cap.*10. *in comment. lit. F. & deinceps, lib.*10. *cap.*35. *in comment. litt.F.* & multi recentiores.

8. Primò, quia Gregor. XIV. in proprio motu *ſupra* relato concedit cuilibet Confeſſario approbato ſæculari, vel regulari, vt poſſit in foro conſcientiæ abſoluere à peccato aborſus, & excommunicatione lata contra perſonas ibi expreſſas; vbi plane loquitur de aborſu fœtus animati, vt docet Henriq. *lib.*10.*cap.*35.*vbi ſupra.*

9. Secundò probatur, quia in Bulla Cruciatæ datur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, etiam Papæ reſeruatis, exceptis his, quæ hæreſi ſunt annexæ. Ergo quãtumcunque cenſuræ aborſus reſeruatæ ſint Papæ, poterit quis virute Bullæ abſoluere. Nec iuuat reſpondere, non poſſe, quia in prædicto motu proprio Sixti V. continetur prohibitio, qua cauetur abſolutio ab illis virtute Bullæ, hoc (inquam) non obſtat, quia Commiſſarius ex facultate apoſtolica poteſt ſuſpendere, & ſuſpendit omnia contraria Cruciatæ, licet habeant clauſulam contrariam tali ſuſpenſioni, vt teſtati ſunt viri Doctiſſimi ab ipſomet Commiſſario conſulti ſuper hac ſua facultate. Tum quia Sixtus V. non potuit coarctare poteſtatem Pontificum, qui eidem ſucceſſerunt; omnes autem abſque vlla limitatione conceſſerunt, vt virtute Cruciatæ poſſent eam ſumentes abſolui ab omnibus peccatis, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, hæreſi duntaxat excepta. Imo opinantur nonnulli, quod adhuc Sixto V. viuente potuerit quiſpiam virtute Cruciatæ, per eundem anno ſequenti conceſſæ, à cenſura ex aborſu incurſa abſolui. Sed circa hanc opinionem, quid ſit ſentiendum habetur ex dictis *cap.*1. *dubio...*

Hinc igitur ſatis conſtat, quid ſit reſpondendum ad rationem dubitandi initio adductam.

DVBIVM VII.

An poſſit quis virtute Bullæ abſolui ad cautelam, vt quando dubitat probabiliter, an quædam excommunicatio publice lata comprehenderit illum.

1. PArtem negantem ſequuntur Nauar.*cap.*27.*num.*273. Couar. *cap. Alma mater, part.*1.§.12.*prope finem ibi, ſecundò eſt inquirendum.* Decius *cap. præterea, n.*6.*de offic.delegat.* & Felin. *col.pen.* & idem Felin. *cap.cauſam, num.*6. *& cap. cum dilecta, col.*10. *de reſcriptis.* Iaſon *in lege* 2. *quodlib.* 2. & ibi Curtius Iunior *col.*1.*ff.de iuriſdict.omn.Iudic.* & alij relati à Cord. *vbi ſupra.* Et fundamentum eorum eſt, quia abſolutio ad cautelam eſt extraordinaria, & gratia quædam Sedis Apoſtolicæ, vt conſtat aperte ex *cap.Per tuas de ſent.excom.* Ergo niſi ſpecialiter detur in Bulla, non debet cenſeri conceſſa facultas ad illam, vtpote nimis extra ordinem, & regulas iuris Pontificij: vnde inquiunt prædicti Doctores, quod commiſſa ſimpliciter facultate ad abſoluendum, non cenſetur ſtatim conceſſa ad abſoluendum ad cautelam.

2. Verũ his non obſtantibus, reſpondeo, dicendum verius eſſe, quod ſit licitum Confeſſario abſoluere ab excõmunicatione virtute Bullæ ad cautelam. Ita docent Archidiaconus, & Decius *in c.ſolet.de ſent.excom.in* 6. & idem Decius *in*

Digitized by Google

in cap. ad præſtantiam de appellationibus, & fauet textus *ibi*. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 29. *num.* 5. Suar. *de cenſ. diſp.* 7. *ſect.* 8. *à n.* 12. & Coninck *tom.* 2. *diſputat.* 14. *dub.* 16. *num.* 200.

3. Probatur primò, quia non requiritur maior poteſtas ad abſoluendum ad cautelam, quam ad abſoluendum ſimpliciter. Ridiculum enim eſt dicere, quod excõmunicatio probabiliter ignorata requirat maiorem iuriſdictionem in abſoluente, quam excommunicatio certo, & euidenter cognita. Ergo qui poteſt ab hac abſoluere, etiam ab illa, ſicut qui poteſt abſoluere à peccato mortali certo, poteſt & à dubio.

4. Secundò, quia ſi pœnitens eſſet certus de excommunicatione, poſſet virtute Bullæ abſolui: ergo etiam ſi dubitet. Patet conſequentia, quia non eſt peioris conditionis ex eo quod eſt in dubio an inciderit, quã ſi certò noſſet ſe incidiſſe; imo melior certè eſt illius conditio, & ideò minor pœna ſolet apponi dubitanti, quam certo ſcienti. Si autem inquiras, an tunc debeat Confeſſarius exigere ab illo aliquã cautionem. Quidam recentiores cum Nauarr. dicunt, quòd debet, & ſufficit petere iuratoriam de ſatisfaciendo, ſi certò cognouerit ſe eſſe excõmunicatum. Quod colligunt ex *cap. ſolet, de ſent. excom. in* 6. ſed melius dicitur cum Henriquez *vbi ſupra*, contentum eſſe debere Confeſſarium, quod pœnitens in eo caſu firmiter proponat ſatisfacere debito, vel offenſæ.

5. Ad fundamentum autem in contrarium reſpondeo, id vt plurimum habere verum in foro externo, & contentioſo: vnde exiſtimo quod quando excommunicatio ſcitur eſſe lata, ſed dubitatur rationabiliter, an valeat, quia nimirum excommunicatus allegat talem excommunicationem fuiſſe nullam ex cauſa erroris intolerabilis, aut ex eo, quod lata ſit poſt appellationem legitimam, vel ex defectu iuriſdictionis, licèt tunc ipſe Iudex poſſit abſoluere, ſi id ita eſſe probabiliter cognouerit, Confeſſarius tamen non debet, cum res eſt deducta ad forum exterius: ſi autem aliquando videretur concedenda iuxta ſupradicta, non debet fieri ſine præuia ſatisfactione, vt docet Nau. *ſupra*. Nam cum de offenſa conſtat, neceſſaria erit illius ſatisfactio, vt in foro conſcientiæ abſoluatur.

6. Circa hanc difficultatem latè diſputãt Couarr. *ſupra num.* 7. & Vgol. *tab.* 1. *cap.* 12. §. 1. cuncta vero, quæ agunt, ad forum potius contentioſum ſpectãt, quam ad forum animæ, de quo nunc potiſſimum agimus. Atque ideo circa hanc abſolutionem obſeruare oportet, quod dupliciter ſolet hæc abſolutio impendi. Primò, nulla præcedente cognitione, nec dubitatione cenſuræ, quæ non ſolum ad cautelam, ſed etiam ad ſuperabundantiam appellari poteſt; deſeruit enim ad tollendum omne periculum: hoc autem modo non fertur abſque vlla occaſione, ſeu cauſa; eſſet namque ſuperuacaneum, & aliàs paſſim huiuſmodi abſolutiones repeti poſſent. Hoc præſertim fieri ſolet ante abſolutionẽ Sacramenti pœnitentiæ, & ſimiliter ante quemcunque alium actum, cuius valor poſſet impediri per cenſuram, ſi adeſſet. Vnde ſi in mortis articulo contingat aliquem ob repentinum euentum non potuiſſe confiteri, & dandum eſſet illi extremæ vnctionis Sacramentum, optimum erit conſilium abſolutionem à cenſura ad cautelam præmittere. Epiſcopi etiam in miniſtrando ordinis Sacramento ſolent dictam abſolutionem præmittere ad euitandum periculum incurrendi irregularitatem; ſimiliter in collatione beneficij, ſeu conceſſione priuilegij, & in ſimilibus actibus præmittitur huiuſmodi abſolu-

Digitized by Google

tio ad vitandum nullitatis periculum, ſeu effugiendam humanam ſuſpicionem, vel quamcunque etiam calumniam.

7. Secundo modo impenditur dicta abſolutio ratione dubitationis cenſuræ: quæ dubitatio poteſt aliquando ex propria conſcientia ipſius pœnitentis oriri,& aliquando in foro exteriori. Vnde iuxta dubitationis modum erit talis abſolutio conueniens, ſeu neceſſaria in foro interiori,ſeu exteriori; poterítque impendi ab illo, qui à tali cenſura poſſet abſoluere, ſi eſſet certa; quia qui poteſt certam tollere, à fortiori poteſt tollere dubiam, vt conſtat ex dictis: ſed non poteſt impendi dicta abſolutio ab alio, quia impenditur ad tollendam omnem dubitationem, & conſequenter requiritur, vt qui ſic abſoluit, poteſtatem habeat tollendi cenſuram, ſi adſit; alioquin idem dubium ſemper maneret. Si autem contingat, quod cenſura ſit reſeruata, non tamen conſtat quod talis ſit, ſed potius dubitatur: tunc poterit quis ad cautelam de illa abſolui ab eo, à quo non poſſet, ſi aliàs de cenſura certò conſtaret. Ita Suar. *de cenſ. diſp.* 7. *ſect.* 8. *num.* 14.

8. Sed quæres, an ſi quis confiteatur alicui habenti poteſtatem abſoluendi ab omnibus cenſuris reſeruatis, animo obtinendi abſolutionem à cunctis, quibus ſe innodatum eſſe agnoſcit, ex obliuione tamen aliquam in confeſſione non explicet, & conſequenter nec eius abſolutionem in particulari poſtulet, maneat nihilominus ab omnibus abſolutus, ac proinde peccata oblita, quæ ex vi talis cenſuræ erant reſeruata, maneant abſque reſeruatione. Reſpondetur ſub diſtinctione. Nam ſi pœnitens in eo caſu petat abſolutionem duntaxat illius cenſuræ, qua ſe ligatum agnoſcit, & ab illa tantum abſoluatur, aliæ ſane, quas ex obliuione omittit, non tolluntur. Ratio eſt, quia eſto in abſoluente ſit poteſtas, ea tamen in eo caſu non vtitur, reſpectu omnium cenſuratum, ſed illius tantum, quæ ipſi proponitur. Si autem non obſtante particulari propoſitione, ſeu declaratione vnius cenſuræ, Iudex, ſeu Confeſſarius generaliter abſoluat ab omnibus cenſuris, omnes quidem tollit, quæ ſub eius poteſtatem cadunt; idque ob rationem contrariam, nempe quia poteſtatem habet ex ſe efficacem, atque ea vtitur cum intentione conferendi effectum; qui nec poteſt vllatenus impediri: tum quia ad abſoluendum à cenſura non requiritur ex parte abſoluentis ſcientia talis cenſuræ in particulari, vt experientia docet: paſſim namque impenditur generalis abſolutio abſque ſpeciali notitia, imo ſæpe datur abſolutio conditionata, *Abſoluo te, ſi indiges*, quæ nullam ſupponit notitiam alicuius cenſuræ tali perſonæ inhærentis, ſed ſolum quod poſſit illi ineſſe: tum quia nec etiam requiritur ſcientia ex parte pœnitentis, vt patet. Sicut enim poteſt quis cenſura ligari ignorans, ita & abſolui; alioquin qui ignorat, ſeu oblitus eſt cenſuræ, quam incurrit, remedio procurandæ abſolutionis priuatus maneret.

9. Ex dictis nonnullæ colliguntur differentiæ inter peccata oblita, & cenſuras. Prima, quod peccata oblita, & conſequenter non confeſſa, non tolluntur per ſacramentalem abſolutionem per ſe, ſed per accidens, & concomitanter ſolum, atque ideo ſemper manent ſimili iudicio obnoxia, ita vt ſi in memoriam veniant, teneatur pœnitens eorum abſolutionem poſtulare: cenſuræ autem etiam oblitæ, per abſolutionem quidem generalem tolluntur per ſe, ita vt etiam ſi in memoriā poſtea veniant, non requiratur noua earum abſolutio. Ratio eſt, quia iudicium ſacramentale, in quo peccatorū abſolutio

impen

Digitized by Google

impenditur, per ſe requirit integram cauſæ cognitionem; quoniam ad curationem animæ, & internam ſalutem, ac diuinæ offenſionis ſatisfactionem ordinatur, atque ideo per ſe eſt diuino iure inſtitutum, vt omnia peccata lethalia clauibus ſubiiciantur. De cenſuris autem non eſt tale præceptum Eccleſiaſticum impoſitum. Abſolutio enim à cenſura per ſe non habet alium effectum, nec ad alium finem intrinſecè dirigitur, niſi ad tollendum illud Eccleſiaſticum impedimentum; ac propterea quauis ratione tollatur ab habente ſufficientem poteſtatem, non manet alia obligatio.

10. Secunda differentia eſt, quod is, qui nullo modo confeſſus eſt, nequit generaliter à peccatis abſolui, ſub ea conditione tacita, vel expreſſa, *ſi indiges:* abſolutio autem à cenſuris poteſt ſub huiuſmodi conditione impendi. Ratio eſt, quia abſolutio ſacramentalis non ſolum ſupponit aliquam vinculi abſoluendi cognitionem, ſed requirit aliquam materiam, tanquam illius ſacramenti partem eſſentialem, quæ conſiſtit in actibus pœnitentis, & præcipue in confeſſione, vnde contritio quodam modo iudicatur: Abſolutio vero à cenſura, neque habet illam rationem ſpecialem, neque ſemper ſeruat perfectam formam iudicij, ſed ſolum requirit, vt is, qui abſoluitur, ſit moraliter illius abſolutionis capax, ſi illa egere contingat, & conſequenter poteſt impendi de cenſuris, etiam omnino Iudici ignotis.

11. Tertia differentia eſt, quod à culpis nemo abſoluitur, niſi voluntarius, quia ſacramentalis abſolutio voluntariam accuſationem requirit: à cenſura autem poteſt quis abſolui etiam inuitus, vt alibi latius agendum erit.

12. Quarta differentia eſt, quod abſolutio à culpa ſolum poteſt fieri in præſentem, abſolutio à cenſura etiam in abſentem. Vnde ſatis fit manifeſtum, cenſuras oblitas, eſto ſint reſeruatæ; per ſe, ac directe tolli per generalem cenſurarum abſolutionem datam ab habente, ſiue ordinariam, ſiue delegatam poteſtatem, ac ſubinde tolli etiam culparum reſeruationem. Ita communiter DD. vt refert, ac ſequitur Couar. *in cap. Alma mater, p.* 1. §. 11. *num.* 12. Nauar. *in Man. cap.* 26. *num.* 12. vbi vterque citat Palud. Adrian. Gabr. Angel. & Sylueſt. Hinc autem deducit *ibidem* Nau. quod ſi quis confiteatur habenti authoritatem abſoluendi ab omnibus culpis, & cenſuris ex vi Iubilæi, ſeu Bullæ, prudenter faciet curando, vt modo ſupradicto, ad cautelam generaliter abſoluatur ab omnibus cenſuris, & peccatis, quia dum poſtea ſibi in mentem veniunt, ſolum tenetur peccata confiteri, nulla obtenta abſolutione à cenſuris. Imo & à prædictis culpis poteſt tunc à quouis proprio ſacerdote abſolui; quod addit Nau. notandum eſſe potiſſimum à Religioſis, qui dum in viſitationibus à cenſuris generaliter abſoluuntur, eſto tunc earum non recordentur, ſublatæ cenſentur, nec tenentur aliam abſolutionem quærere ab eis, ſed ſatisfaciunt dum ſimpliciter confitentur peccata, ob quæ in prædictas incurrerunt cenſuras. Ita Angel. *confeſſio* 1. §. 1. Sylu. *eod. verb. quæſt.* 4. & Roſella *confeſſio* 2. §. 9. quos ſequitur Nauar. *ſupra.*

DVBIVM VIII.

Vtrum poſsit quis ex conſenſu partis, virtute Bullæ, abſolui ad reincidentiam inconſulto Iudice.

1. RAtio dubitandi eſt, quia recte poteſt quis virtute Bullæ abſolutè abſolui, conſentiente parte, etiam Iudice inconſulto. Ergo à fortiori poterit etiam abſolui ad reincidentiam.

Patet

Patet conſequentia, quia plus eſt abſolutè abſoluere, quam cum limitatione, ſcilicet ad reincidentiam. Ergo ſi primum poteſt fieri virtute Bullæ, etiam ſecundum.

Sed reſpondeo dicendum eſſe cum communi Doctorum ſententia, excommunicatum, etiam conſentiente parte, abſolui non poſſe ad reincidentiam inconſulto Iudice. Ita Cord. *in ſum.quæſt.* 20. Sot.4.*diſt.*22.*quæſt.*2. *art.*3. Nauar.*c.* 27.*num.*15. Couar. *cap. Alma mater,p.*1. §.11.*n.*6. Rodr.§.9.*n.*57. Gomez. *clauſ.* 9. *num.*27. Acoſta *quæſt.*51. Sylu. *verbo excom.*2.*not.*1.*caſu* 13.14.*&* 15. Oſtienſis,& Innocentius,quos refert & ſequitur Henriq.*lib.*13.*cap.*29.*n.*3.

2. Et probatur primò,quia licet excommunicatio lata ad petitionem partis tolli poſſit ne incurratur antequam ſit incurſa, de conſenſu eiuſdem partis, non tamen poteſt ſuſpendi;ita vt ſemel incurſa, & poſtea ſublata rurſus incurratur. Nam ad inducendam poſtea excommunicationem requiritur poteſtas iuriſdictionis, quam tamen tunc nec Iudex tribuit, quia fit illo inconſulto, nec pars conſentiens tribuere poteſt,vt conſtat ex *lege Priuatorum,Codice de iuriſdict.om.Iud.*

3. Secundò,quia per Bullā non conceditur facultas ſuſpendendi cenſuras, ſed abſoluendi ab illis: At abſolutio ad reincidentiam,in illo caſu non eſſet abſolutio,ſed ſuſpenſio excommunicationis ad tempus. Ergo virtute Bullæ fieri non poſſet inconſulto Iudice. Conſequentia eſt nota, & antecedens docet Ioannes Andreas *cap.veniens, el ſegundo, de teſtibus*; & ratione probatur,quia totum illud fieret per ſolam ſuſpenſionem, omni abſolutione ſecluſa. Ergo rectè intelligitur tunc fieri illam ſuſpenſionem excommunicationis ad tempus abſque vera eius abſolutione.

Quod ſi quæras,quid ergo intelligatur per clauſulam, quæ ſolet aliquibus Bullis apponi,nimirum: *Quod poſſit Confeſſarius abſoluere excommunicatum ad reincidentiam.* Reſpondeo ſenſum illius clauſulæ eſſe,quod illi qui ſunt excommunicati, & nequeunt ſine magno incommodo ſatisfacere, poſſunt abſolui, etiam in foro exteriori, ad effectum duntaxat lucrandi Iubilæum,vel indulgentiam plenariam in Bulla conceſſam, & talis ſic abſolutus poſtea reincidit in eandem excommunicationem pro foro exteriori, vt rectè notauit Cord.*in ſum. quæſt.*20.§. *A lo qual reſpondo.* Pro quo etiam faciunt, quæ ſupra diximus *dub.* 3.*in fine.*

Ad rationem vero dubitandi, reſpōdeo primò cum Cord. *vbi ſupra*, plus eſſe abſoluere ad reincidentiam, quam abſolutè abſoluere, quia abſoluere ad reincidentiam, illo modo dicit auctoritatem, vel actum excommunicandi. Secundò reſpondeo,quod priuilegium, cum operetur aliquid contra ius commune,tantum valet,quantum ſonat,nec quid amplius:& ideo ampliari non debet extra ſonum verborum, vt conſtat ex *c.porro,de priuilegiis.*

4. Vnde cum in Bulla non exprimatur facultas ad abſoluendum ad reincidentiam,ſolum intelligi debet data abſolutè,vt verba ipſa ſonant.

Pro pleniori huius dubij declaratione obſerua, abſolutionem à cenſura ad reincidentiam dici illam,per quam tollitur cenſura,non in perpetuum, ſed ita vt poſt certum tempus, vel poſt talem effectum reditura ſit, qui modus abſolutionis valde vſitatus, & frequens eſt. Ratio autem illum introducendi fuiſſe videtur, quia, teſte Suar.*to.*5.*de cenſuris, diſp.*7.*ſect.*8. *num.*16. excommunicatio non ſuſpenditur (vt Iuriſtæ cum gloſ. *cap. præſenti, verb.declaramus, de ſent.excomm. in* 6.) id eſt omnino ad inſtar interdicti;ſed quādiu permanet, operatur ſuos

Digitized by Google

ſuos effectus, ſeu priuat aliquibus actibus;interdum tamen expedit,vel requiritur eum, qui cenſura ligatus eſt, reddere habilem ad aliquem effectum, aut eum abſoluere pro aliquo tempore,non tamen omnino, ſed cum conditione reincidendi, ſi hoc, vel illud intra id tempus non efficiat.

5. Hinc fit duplicem eſſe abſolutionem ad reincidentiam. Quædam eſt, cum quis à cenſura abſoluitur ad limitatum tempus, & ad certos aliquos effectus, nempe vt poſſit teſtimonium ferre, aut validè beneficij collationem acceptare, vt colligitur ex *cap. veniens.* 38. *de teſtibus:* de hoc autem caſu non agimus hic, cum non ſit proprie abſolutio, ſed potius diſpenſatio quædam, per quam,non obſtante excommunicatione, conceditur vt talis poſſit eiuſmodi actus præſtare. Is igitur vere manet excommunicatus, nec vllatenus ad actum aliquem ſoluitur, niſi ad illum particularem,atque ideo nec illo perfecto in excommunicationem reincidit, quia nullam nouam contrahit obligationem. Alia eſt, cum quis abſoluitur ab excommunicatione ſimpliciter,itavt ex intentione abſoluentis non detur ſolum ad definitum tempus, vel actum, ſed & perpetua ſit, ſub conditione tamen ſatisfaciendi, ſeu aliquid faciendi intra certum tempus, quo tranſacto, & conditione non impleta,iterum in cenſuram reincidatur. Vnde hæc abſolutio dupliciter impenditur. Primò abſque certo præfixo termino, ſolùm ſub hac conditione, *cum primum commode poſſis;* vt ſi quis dicat. *Ego te abſoluo ab excommunicatione, ita tamen vt in eam reincidas, niſi cum primum commodè poſſis, hoc, vel illud facias.*

6. Hinc niſi quis,cũ cõmodè poſſit, cõditionem impleat, iterum in excommunicationem incurrit, *argum. cap. eos qui* 22. *de ſent. excomm. in* 6. Et de hoc caſu omnes communiter fatentur, non dari reincidentiam abſque noua culpa, cum neceſſaria etiam ſit noua contumacia; atque ita ſentiunt Suar. *ſupra num.* 26. & Coninck *num.* 215.

Secundò, cum dicta conditio ponitur implenda intra certum terminum præfixum, nulla facta mentione de poteſtate, ſeu impotentia rei, ſed tantum de actione,id eſt de ſoluendo debito,&c. Vt ſi quis dicat. *Ego te abſoluo ab excommunicatione, ita tamen vt in eam reincidas, niſi infra menſem ſatisfeceris.* & de hoc caſu dubitant Doctores, an reincidentia detur abſque noua culpa.

7. Coninck *num.* 216. ſentit requiri nouam culpam; ducitur, quia nemo poteſt denuo ligari excommunicatione abſque nouo peccato: talis autem cum fuerit verè ab excommunicatione abſolutus,non poteſt in eam reincidere,niſi de nouo ea ligetur; igitur nouum peccatum requiritur. Hæc tamen ratio ſolum eſt vera, cum noua infligitur cenſura, non autem cum prior redit, quo pacto contingit in caſu noſtro; quippe prior cenſura non fuit abſolutè ablata, ſed ſolum pro certo tempore; pro reliquo autem tempore ſub conditione, qua non poſita redit eadem cenſura ob eandem culpam. Allegat idem Coninck in ſui fauorem Nauar. *cap.* 27. *num.* 277. vbi nihil de hoc agit. allegat etiam Henriq. *lib.* 13. *cap.* 29. vbi ait ſatis eſſe nouam culpam, ſeu perſeuerantiam in antiqua inobedientia.

8. Nihilominus valde probabile eſt, quãuis ex cauſa non impleatur cõditio, reincidi in cenſuram, eſto nulla noua culpa interueniat; tum quia hæc non eſt noua cenſura, ſed eadem moraliter, & conſequenter non requirit nouam contumaciam; tum quia conditio poſita talis eſt, vt abſque culpa poſſit aliquando omitti, ob impotentiam nimirum, vel cauſam ſimilem; tum denique

Digitized by Google

quia eſto ante cenſuram contractam nemo contrahat illam, ſi ſolutionem debiti omittit ob impotentiam, quantumuis præceptum ſoluendi ſub cenſura ſit latum; tamen poſt contractam cenſuram, eſto ablata ſit ad reincidentiam ſub cõditione ſoluendi intra præfixum terminum, poteſt quis in illam reincidere, ſi non ſoluat, etiam ob impotentiam, vt docet Suar. *num.* 27. nam ſicut ſi non fuiſſet abſolutus à cenſura, permanſiſſet ſane in ea, licèt ad ſoluendum eſſet factus impotens; ita eſt dicendum in caſu noſtro; tunc enim perinde ſe habet poſt elapſum præfixum terminum, ac ſi non fuiſſet abſolutus, cum non ſimpliciter, ſed ad reincidentiam tantum fuerit abſolutus.

9. Sed obiicies, ſi cui ſub pœna cenſuræ ipſo facto incurrendæ iniungatur, vt intra certum tempus tale debitum ſoluat, atque interim conſentiat pars, & differat tempus ſolutionis, id ſatis erit, vt non incurratur dicta cenſura, donec ſpatium à creditore conceſſum ſit omnino tranſactum, eſto prior terminus à Iudice præfixus elapſus iam fuerit: igitur ſimiliter videtur dicendum in caſu, de quo agimus, id eſt quod parte conſentiente poſſit quis à Confeſſario abſolui ad reincidentiam. Reſpondetur negando paritatem rationis, nam in caſu iſto nondum eſt contracta cenſura, & conſequenter non eſt neceſſaria abſolutio, per quam tollatur, nec actus aliquis iuriſdictionis, quo impediatur; ſed ſufficit quod materia præcepti, ex cuius tranſgreſſione pendet cenſura, ita mutetur, vt præceptum pro eo tempore non obliget; nam eo ipſo ceſſat contumacia, & conſequenter non cenſetur eo tempore pertranſiri terminus à Iudice præfixus: at in caſu noſtro, cum iam ſit contracta cenſura, requiritur neceſſariò abſolutio, & iuriſdictio ad illam tollendam, atque ideo non ſufficit partium conuentio.

10. Sed quæres an in caſu reincidentiæ prædictæ requiratur noua ſententia ad incurrendam cenſuram. Coninck conſequenter reſpondet affirmatiuè, quia cum ipſe ſupponat in caſu reincidentiæ requiri nouam culpam, conſequenter dicendum videtur requiri nouam ſententiam, quam putat interdum ferri authoritate iuris, vt in caſu *cap. eos qui, 22. de ſent. excomm.* interdum vero authoritate ipſius abſoluentis, qui dum abſoluit reum ad reincidentiam, videtur illum implicitè turſus excommunicare, niſi intra tale tempus, hoc, vel illud effecerit. Sed probabilius cenſeo non requiri nouam ſententiam, tum quia aliàs abſolutio illa non eſſet limitata ad tempus, vel actum, ſed abſoluta: tum quia, ſi neceſſaria eſſet noua ſententia in memorato caſu, non poſſet iuſtè aliquandò ferri, cum pœnitens ſit ob impotentiam, vel cauſam ſimilem immunis à noua culpa. Redit igitur dicta cenſura ex vi prioris ſententiæ, quam iuſtam fuiſſe ſupponimus; atque ideo ſemper reſpicit illam contumaciam, in qua talis ſententia fundata fuit: vnde eſtò huius ſententiæ effectus fuerit per prædictam abſolutionem impeditus, ſemper tamen dicta ſententia vim ſuam retinet, & moraliter permanet, ſicut lex quædam; atque ideo elapſo abſolutionis tempore, iterum operatur moraliter cenſuram inducendo: ita in ſimili caſu ſentiunt Vgol. *tab.* 1. *cap.* 4. §. *vlt. num.* 18. & Suar. *cit. num.* 21. cum communi DD. Sed an dicta excommunicatio ſit eadem numero, vel diuerſa cum præcedenti, parum refert, moraliter tamen tanquam eadem reputatur, & hoc ſufficit.

Ex dictis igitur ſatis fit manifeſtum, eum qui non poteſt excommunicare, nec etiam poſſe ad reincidentiam abſoluere,

Digitized by Google

uere, & conſequenter eiuſmodi abſolutionem non poſſe virtute Cruciatæ impendi.

Dvbivm IX.

An abſolutio à cenſura ſit valida, dum virtute Bullæ non ſatisfacta parte cum commode poßit, quis abſoluitur.

1. SVppono in primis omnes conuenire primo talem abſolutionem illicite impendi, quia Confeſſor tunc iniuriam facit parti læſæ, atque excedit modum, & limitem facultatis ſibi conceſſæ, cum in Bulla expreſsè habeatur, quod abſolutio fiat ſatisfacta parte.

2. Secundò, ſi abſolutio impendatur immediatè à Pontifice, validam eſſe, quia valide quis abſoluitur ab eo, qui ordinariam habet poteſtatem abſoluendi, nullibi enim talis abſolutio irritatur, atque ideo ſi iudex ordinarius quempiam abſoluat abſque ſatisfactione partis læſæ, eſto iniuſtè, valide tamen abſoluet. Dubium igitur eſt an valida ſit talis abſolutio, dum fit ab habente poteſtatem delegatam, cuiuſmodi ſunt Confeſſores electi virtute Bullæ; & ratio dubitandi eſt, quia poteſt eſſe abſolutio iniuſta, & ſimul valida, vt habetur ex *cap. venerabilibus*, *§. vbi autem, de ſentent. excom. in 6.*

3. Suppono ſecundò, eum qui ſolum habet poteſtatem delegatam abſoluendi, inualidè abſoluere non præmiſſa ſatisfactione, ſi id expreſsè dicatur in poteſtatis delegatione, vt ſi dicatur, *aliàs abſolutio ſit nulla: aut non valeat aliter abſolutio; aut non poſſit aliter abſolui, ſeu abſoluere; vel nullatenus abſoluat eum, niſi ſatisfecerit*, & ſimilia. Addunt autem aliqui, quoties poteſtas hæc delegatur per Bullas, ſeu quæuis alia priuilegia, etiam ſi non exprimatur talis conditio, ſemper ſubintelligi adiunctã, ita vt abſolutio aliter data ſit nulla, quia Pontifex non intendit per huiuſmodi conceſſionem damnum aliquod tertiæ perſonæ inferre. Ita Graff. apud Suar. *de cenſ. diſputat. 7. ſect. 5. num.* 43. qui tamen, & communiter omnes oppoſitum cenſent probabilius, quoniam cum conceſſa eſt abſolutio, & particularem non habet limitationem, interpretanda eſt iuxta ius commune; ex communi autem iure, qui ſimpliciter habet hanc poteſtatem, facit actum validum, eſto iniuſtè ea vtatur; vnde recte Coninck *d. diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 209. ait cum talis poteſtas non datur limitata, ex hac parte æquiualere ordinariæ; imo Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 37. inquit quod licet in mandato, ſeu reſcripto Pontificio, vbi hæc facultas conceditur, exprimatur, vt ſecundam formam iuris detur, abſolutio tenet, eſto impendatur non ſeruata debita iuris forma. Ratio eſt, tum quia Pontificis intentio non eſt nouam formam inducere, ſed Commiſſarium duntaxat monere id, quod ſecundum ius facere debet; tum quia ad ipſam iuris formam pertinet, vt talis abſolutio valida ſit, etiam ſi male concedatur, vt notat Suar. *ibidem.* Igitur à fortiori cum in reſcripto nihil exprimitur, ſed abſolutè poteſtas conceditur, abſolutio cenſenda eſt valida, eſto ſit iniuſta.

4. Suppono tertiò ex Nauarr. *lib. 5. conſ.* 7. ſatisfactionem prædictam intelligi de debito certo, non dubio, quoniam ſi dubium ſit, tunc non requiritur quod ſatisfactio partis præcedat abſolutionem, eſto in conceſſione exprimatur; debet namque interpretari, dum debitum eſt certum, ac indubitatum. *argum. cap. ſolet. de ſentent. excom. in 6. ibi*, niſi eum excommunicatum pro manifeſta dicat offenſa. Atque expreſſius id conſtat ex *cap. ex part.* 10. *de verb. ſign.*

Digitized by Google

& quamuis Nau. *in Man. c. 26. num. 7.* ſentiat declarationem de debito dubio, aut certo, ad Iudicem ſpectare in foro exteriori; quia tamen in foro etiam interiori poteſt contingere, vt pœnitens habeat conſcientiam dubiam, vel certam, ideo ſi pœnitens certus ſit, talem offenſionem vel damnum commiſiſſe, & conſequenter ad ſatisfactionem teneri, tunc manifeſtum eſt, neceſſariò requiri, vt prius ſatisfaciat, ſi poteſt; vel ſi non poteſt, conuenientem exhibeat cautionem. At ſi dubius ſit an ipſe cauſa damni extiterit, vel an ſufficienter iam ſatisfecerit, vel an talis fuerit offenſio, vt ad ſatisfactionem obliget, tunc ſufficit exhibeatur competens cautio, id eſt pignoratiua, ſeu fideiuſſoria, vt multis citatis tradit Sayr. *de cenſ. lib. 2. cap. 20. num. 33.*

5. His ſuppoſitis, circa præſentem difficultatem ſit prima concluſio. Probabiliſſimum cenſeo, quod ſi quis virtute Bullæ abſoluatur, nulla præmiſſa ſatisfactione, dum cōmodè fieri poſſit, talis abſolutio ſit inualida. Ita Henriq. *lib. 7. cap. 13. num. 2.* Rodr *§. 9. num. 53.* Sot. *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. poſt 2. concluſ.* Nauar. *lib. 5. Conſil. in 1. edit. tit: de Regul. conſil. 75. dub. 11. num. 36. & 37. in 2.* Ledeſ. *2. p. 4. quæſt. 26. art. 1.* Cord. *ſum. quæſt. 18. punct. 1. dict. 2. & quæſt. 187. puncto 4. & lib. 5. quæſt. 47. dub 3.* Gutier. *allegatione 9. num 6.* & Medina *ſum. lib. 2. cap. 12.*

6. Probatur primò, quia communiter Doctores fatentur abſolutionem prædictam eſſe nullam, quando in delegatione habetur; *damus tibi facultatem abſoluendi, ſatisfacta parte, vel ſi ſatisfactum ſit*; Ita Sayr. citatus. Suar. *vbi ſupra num. 44.* Coninck *num. 211.* & ante eos Caiet. *verb. abſolutio, ante vlt. §.* & Armilla *eodem verbo, n. 48.* At in Bulla Cruciatæ, dum abſoluendi poteſtas conceditur, ſic habetur; *modo etiam in caſibus in quibus neceſſaria erit per ipſos, vel dato impedimento per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat.* Ergo abſolutio data virtute Cruciatæ, non præmiſſa ſatisfactione partis læſæ, inualida eſt. Probatur conſequentia, quoniam quando commiſſio fit ſub certa forma & conditione, ea non ſeruata corruit actus, *arg. cap. cum dilecta, 22. de reſcript. ad fin.* ibi, *proceſſum ipſorum contra noſtri formam reſcripti, irritum decernimus, & inanem; & cap. venerabili 37. de offic. deleg. ad fin.* ibi; *quorum proceſſus caſſauimus, quia Abbas contra noſtri mandati tenorem proceſſit.*

7. Secundò, quia certum omnino eſt, delegati poteſtatem non ſe extendere vltra id, quod delegans intendit eidem concedere: ſed non eſt veriſimile, quod Pontifex intendat alicui authoritatem concedere in præiudicium tertij. Ergo abſoluens virtute Cruciatæ non ſatisfacta parte, inualide abſoluit ex defectu iuriſdictionis. Minor probatur, quia non eſt præſumendum de aliquo velle peccare, niſi probetur; ſed delegatus nequit ſine peccato alium abſoluere, parte non ſatisfacta, cum id reſultat in præiudicium partis læſæ. Ergo nec eſt præſumendum de delegante, velle delegato talem poteſtatem concedere, cum nullam ad hoc habeat rationabilem cauſam, alias coöperaretur peccato alterius, & conſequenter peccaret.

8. Tertiò, quia iuxta communē ſententiam facultas data in Bulla intelligi debet citra præiudicium tertij, neque vnquam Pontifex quid cenſetur conceſſiſſe in detrimentum alicuius, niſi exprimatur. *cap. quamuis, de reſcriptis, in 6.* quod fere in his terminis notat Pariſ. *conſ. 63. num. 23. & 24. lib. 4.* & ſatis fit manifeſtum ex præcit. verbis ipſius Bullæ, *modo per ſe, aut per alios fiat ſatisfactio*; & notat Gou. *in cap. Alma mater, p. 1. §. 11. num. 16.* quod actus qui fit non

ſeruata

Digitized by Google

ſeruata conditione à delegante præſcripta, eſt inualidus: ergo.

9. Secunda cõcluſio. Non eſt improbabile, quod ſit valida abſolutio facta virtute Cruciatæ, etiam non præmiſſa ſatisfactione in caſu, quod commode fieri queat. Ita Rod. à priori opinione recedens, *ſum. tom. 1. in noua edit. cap. 83. num. 4.* Henriq. vbi ſupra *num. 2. in comment. litt. S.* quos refert, ac ſequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. diſputat. 33. concl. 2. num. 3.* Angleſ. *Floribus 2. p. q. vnic. de excom. art. 4. diffic. 9. concl. 2.* & inclinat Nau. *c. 27. num. 39.* Sed iam probatur Primò, quia eſto in Bulla apponantur præcitata verba, non tamen irritatur abſolutio, ſi omittatur *ſatisfactio partis læſæ* & conſequenter eſto talis abſolutio ſit inde iniuſta, non tamen irrita. Secundò, quia quoties in delegatione, ſeu commiſſione exprimitur forma iuris communis, eo modo, quo iure ineſt, non eſt intentio delegantis inducere nouam formam, ac conditionem, ſed ſolum eſt admonitio quædam, vt iuris communis forma ſeruetur; atque ideo prætermiſſa non irritatur actus; qui alias validus eſſet, niſi in delegatione talis forma exprimeretur. Ita gloſ. *Clem. 1. de offic. deleg. verbo repererit.* & ibi Cardin. *quæſt. 13.* Imola *num. 20. & 21.* Archidiacon. *cap. dudum. 18. q. 2. verſ. in 1. gloſſa.* Innoc. *c. Prudentiam, num. 9. verſ. & ſi contrarium, de offic. deleg. & c. fin de præſumpt. initio.* Vbi Abb. *num. 16.* & Felin. *num. 19.* Nau. *vbi ſupra*, ait eſſe receptiſſimum. Couar. *d. cap. alma 1. p §. 9. num. 8.* inquit eſſe omnium. Vnde Innoc. & Felin. citati aſſerunt, commiſſione facta Iudici, vt condemnet Titium, ſi Petrus probauerit debitum, validam eſſe ſententiam Iudicis condemnantis, etſi Petrus non probet, quia eſt conditio quæ iure inerat. Innoc. etiam *d. cap. fin. de præſumpt. initio*, quem ſequitur Imola *c. penult. num. 2. de conſtit.* ait, quod ſi in delegatione apponatur, *confero beneficium Petro, ſi fuerit idoneus*, non eſſe conditionem, quia iure communi inerat, nec noua exprimitur idoneitas, iure communi requiſita, & conſequenter actum contra geſtum eſſe validum. Ratio autem eſt, quia expreſſio eius, quod tacite ineſt, nil prorſus operatur. *arg. c. ſignificaſti, de elect. l. 3. ff. de leg. 1.* quamuis enim non exprimeretur, iure ſubintelligebatur. Cum igitur ſit iure communi expreſſa illa forma, *modo fiat ſatisfactio*, dum poſtea exprimitur in licentia, non eſt æſtimanda conditio, ſeu reſtrictio licentiæ, ſed monitio vt ſeruetur.

10. Tertiò, quia tunc forma iuris cõmunis poſita in commiſſione importat conditionem, quando formæ communi additur aliquis limitatus modus. Vnde ſi dicat Pontifex, *committo tibi vt des beneficium Petro, ſi eſt idoneus*, tunc eſt forma iuris communis ſimpliciter, ſi tamen addatur, *ſi per examen publicum, & oppoſitionem inueniatur idoneus*, tunc eſt conditio, cum ſit limitatus modus ſcientiæ, & conſequenter noua forma. At in caſu noſtræ Bullæ ſolùm ponitur forma iuris communis, id eſt, modo fiat ſatisfactio, nec additur aliquis limitatus modus. Igitur verba illa non important conditionem, & conſequenter nec omiſſio irritabit abſolutionem. Vnde non immeritò Henriq. id non cenſet improbabile. Sanch. citatus ait eſſe probabiliſſimum, Angleſ. & Rod. *ſupra* tenent ſimpliciter verum.

11. Quare ad primam probationem in contrarium reſpondetur, quod quidquid ſit de opinione, id non admittitur ab authoribus ſecundæ ſententiæ, quia per verba illa nihil additur formæ iuris communis; ac ſubinde non eſt noua forma; ideoque negatur conſequentia. Ad ſecundam concedimus non eſſe veriſimile

Digitized by Google

riſimile, quod Pontifex intendat alicui concedere authoritatem in præiudicium tertij per ſua priuilegia: atque ideo negatur conſequentia; nam Confeſſarius tenetur ſub mortali ſeruare eam formam iuris; ea autem non ſeruata non irritatur abſolutio, ſicut nec ex iure communi irrita redditur.

Ad tertiam negatur etiam cõſequentia, verba enim quæ in Bulla præſcribũtur, non inducunt nouam formam iuris communis, vt patet ex dictis, & conſequenter nec important conditionem: clauſula enim illa *modo fiat ſatisfactio*, non ponitur nouo modo, quam iure communi inerat.

Ex his igitur manifeſte deducitur vtramque opinionem eſſe probabilem. Priorem tamen in praxi potius ſequendam, ſaltem ne Deus Opt. Max. offendatur, ac proximo præiudicium inferatur. Poſteriorem autem non ideo improbare audeo, attentis DD. qui eam tuentur, & rationibus quibus fulcitur.

DVBIVM X.

An poſſit quis abſolui virtute Bullæ ab interdicto, & ſuſpenſione etiam illa, quæ contrahitur cum quis ſine debita ætate ſuſcipit Ordines.

1. HEnriquez *lib. de indulg.cap.*13. *num.*13.*fol.*513. licet concedat poſſe virtute Bullæ abſolui ab interdicto, & ſuſpenſione, dicit tamen illum, qui ſuſpenſus eſt, quia defectu ætatis ſacris initiatus fuit, abſoluendum non eſſe virtute Bullæ, & citat pro ſe Nau. *c.*27. *num.* 162. & probatur.

Primò, quia Bulla ipſa excipit ne ipſe etiam Commiſſarius abſoluere poſſit à ſuſpenſione ob ordines male ſuſceptos incurſa.

2. Secundò Pius II. & Pius V. ſuſpendunt initiatum abſque ætate, vt docet Nau. *num.* 155. *&* 166. & rigidè Sixtus V. anno 1589. proprio motu reſeruauit ſibi, ſi ordinetur ſæcularis abſque ætate, ne poſſet per Trident. abſolui ab Epiſcopo, aut per Iubilæum. ergo nec etiam poterit per Bullam.

Tertiò, quia ſic maior eſſet poteſtas Cõfeſſarij electi per Bullam, quam Epiſcopi, cum Conc.Trid.*ſeſſ.*24.*cap.*6. ſolùm concedat facultatem Epiſcopis ad abſoluendum à ſuſpenſione proueniente ex delicto occulto, per Bullam verò concedatur ſine reſtrictione ad cenſuram ex delicto.

3. Verum his non obſtantibus reſpondeo dicendum, Confeſſarium virtute Bullæ electum poſſe abſoluere à ſuſpenſione non reſeruata Papæ, toties, quoties indiguerit, à reſeruatis verò in Cœna Domini, & alibi ſemel in vita, & poſtea in articulo mortis, niſi oppoſitum expreſsè contineatur in Bulla. Ita docent Cord. *in ſum. q.*144. Nauarr. *cap.*17. *num.*162. Rodr. §.9.*n.*62. Perez *l.*1.*tit.*1.*lib.*5.*ordinamenti*, *pag.*33. Henriq. *vbi ſupra in comment. litt.D.* Medina 1.*ſum. cap.*11. §. 8. *fol.*45. idem tenent communiter recentiores, & ſpecialiter Pater Salas, & Doctor Nuñes Complutenſis, & Bañes, quos refert Henriq. citatus; tenent à ſuſpenſione etiam contracta propter ſuſceptos ordines ante legitimam ætatem poſſe abſolui virtute Bullæ, itavt liceat impleta ætate celebrare. Ratio eorum eſt, quia Bulla concedit generalem facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris; ſed ſuſpenſio eſt verè, & propriè cenſura, vt conſtat ex *cap. querenti, de verborum ſignification.* Ergo poterit ab illa abſolui, ſicut ab excommunicatione in foro interiori; imo & in exteriori ſatisfacta iam parte, quidquid dicat Henriquez *ſupra num.*6. quia certè per id non perturbatur (vt ipſe

ipſe inquit) iudicialis ordo, cum in eo tantum intendatur de ſatisfactione partis.

4. Atque hoc idem quod dictum eſt de abſolutione à ſuſpenſione, dicendum eſt proportionaliter de abſolutione ab interdicto perſonali, non tamen locali, quia hoc non videtur propriè cenſura; aut ſaltem eius abſolutio ſine Iudicis authoritate nullius erit momenti: quia donec auferatur per Iudicem, ſemper ſeruabitur, etiam ſi ille, qui dedit cauſam interdicto, iam abſolutus ſit. Verum tamen eſt, quod ſi interdictum locale eſſet verè cenſura, poſſet per Bullam tolli, etiam quoad forum exterius, ſatisfacta parte; Ita vt non ſolùm Iudex deberet tum illud tollere, ad hoc enim tenetur *per textum in c. Odoardus, de ſolutionibus*; ſed etiam Clerici Iudice repugnante tenerentur non ſeruare tale interdictum, quia iam pœnitens abſolutus eſt, ſatisfacta parte in foro exteriori.

5. Ex dictis colligo fratres Mendicantes, & alios; qui eorum priuilegiis communicant, poſſe etiam abſoluere à prædicta ſuſpenſione, & interdicto, ſicut poſſunt ab aliis cenſuris non reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini; quia ratione ſuorum priuilegiorum, vt conſtat ex eorum compendiis, habent amplam facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, etiam Papæ reſeruatis, exceptis quæ ſunt in Bulla Cœnæ Domini, vt habetur *in compendio priuilegiorum Societatis, verbo abſolutio.*

Ad primum pro contraria opinione adiunctum fatemur quod, cum in Bulla excipitur illud genus ſuſpenſionis, non poteſt ab ea abſolui: tamen cum in Cruciata non fiat exceptio, valida erit abſolutio virtute illius clauſulæ ab omnibus cenſuris.

Ad ſecundum reſpondeo; quod poſtea Greg. XIV. anno 1591. conceſſit in ſuo Iubilæo plenam prædictæ ſuſpenſionis abſolutionem, & in vltima etiam Bulla conceditur in illa generali clauſula, vt ſupra oſtenſum eſt.

6. Ad tertium fatemur in illo excedere Bullam, facultatem Epiſcopi, ex ſpeciali indulto Apoſtolico, vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra*, nec in hoc eſt aliquod inconueniens.

DVBIVM XI.

Vtrum Confeſſor poſsit abſoluere à ceſſatione à diuinis virtute Bullæ.

1. TOta ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod ceſſatio à diuinis videtur quod ſit cenſura, vt tradit Sot. *4. diſt. 22. q. 3. art. 1.* Maiolus *lib. 3. de irregularitate, cap. 20. in fine.* Guerrerus *in ſpeculo Iuris cap. 37.* & Franch. relatus à Nau. *c. 27. num. 188.* & Couar. *c. Alma mater, 2. p. §. in principio.*

2. Probatur, quia ceſſatio à diuinis eſt pœna Eccleſiaſtica, qua puniuntur fideles in bonis ſpiritualibus; Ergo verè eſt cenſura, cum ea ſit definitio cenſuræ. Vnde ſi ad primam eius inſtitutionem attendatur, aperte conſtabit inſtitutam eſſe, vt pœnam Eccleſiaſticam, non minus quam interdictum. Ergo verè erit cenſura ſicut illud.

3. Verum contraria ſententia eſt omnino amplectenda cum communi Doctorum. Ita Syluest. *verb. ceſſatio, 5.* & *verb. interdicto 5. §. 1.* Ang. *verb. ceſſatio.* Tabien. *verb. interdictum, num. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 152.* & *194.* & *250.* Henriq. *lib. 13. c. 52. fol. 1235. lit. G.* Rodr. *in Bulla, §. 9. num. 6.* Gutierrez *quaſt. can. c. 10. pag. 111.* Suar. *de cenſ. diſp. 39. ſect. 1. num. 4.* & *12.* & eſt communis inter Iuriſtas cum Ioanne de Ligniaro *tract. de cenſura q. 1. num. 8.* & probant illam tum *ex cap. quærenti, de verb. ſignificat.* vbi Pontifex tres

tantum

riſimile, quod Pontifex intendat alicui concedere authoritatem in præiudicium tertij per ſua priuilegia: atque ideo negatur conſequentia; nam Confeſſarius tenetur ſub mortali ſeruare eam formam iuris; ea autem non ſeruata non irritatur abſolutio, ſicut nec ex iure communi irrita redditur.

Ad tertiam negatur etiam cõſequentia, verba enim quæ in Bulla præſcribũtur, non inducunt nouam formam iuris communis, vt patet ex dictis, & conſequenter nec important conditionem: clauſula enim illa *modo fiat ſatisfactio*, non ponitur nouo modo, quam iure communi inerat.

Ex his igitur manifeſte deducitur vtramque opinionem eſſe probabilem. Priorem tamen in praxi potius ſequendam, ſaltem ne Deus Opt. Max. offendatur, ac proximo præiudicium inferatur. Poſteriorem autem non ideo improbare audeo, attentis DD. qui eam tuentur, & rationibus quibus fulcitur.

Dvbivm X.

An poſſit quis abſolui virtute Bullæ ab interdicto, & ſuſpenſione etiam illa, quæ contrahitur cum quis ſine debita ætate ſuſcipit Ordines.

1. Henriquez *lib. de indulg. cap.* 13. *num.* 13. *fol.* 513. licet concedat poſſe virtute Bullæ abſolui ab interdicto, & ſuſpenſione, dicit tamen illum, qui ſuſpenſus eſt, quia defectu ætatis ſacris initiatus fuit, abſoluendum non eſſe virtute Bullæ, & citat pro ſe Nau. *c.* 27. *num.* 162. & probatur.

Primò, quia Bulla ipſa excipit ne ipſe etiam Commiſſarius abſoluere poſſit à ſuſpenſione ob ordines male ſuſceptos incurſa.

2. Secundò Pius II. & Pius V. ſuſpendunt initiatum abſque ætate, vt docet Nau. *num.* 155. & 166. & rigidè Sixtus V. anno 1589. proprio motu reſeruauit ſibi, ſi ordinetur ſæcularis abſque ætate, ne poſſet per Trident. abſolui ab Epiſcopo, aut per Iubilæum. ergo nec etiam poterit per Bullam.

Tertiò, quia ſic maior eſſet poteſtas Cõfeſſarij electi per Bullam, quam Epiſcopi, cum Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ſolùm concedat facultatem Epiſcopis ad abſoluendum à ſuſpenſione proueniente ex delicto occulto, per Bullam verò concedatur ſine reſtrictione ad cenſuram ex delicto.

3. Verum his non obſtantibus reſpondeo dicendum, Confeſſarium virtute Bullæ electum poſſe abſoluere à ſuſpenſione non reſeruata Papæ, toties, quoties indiguerit, à reſeruatis verò in Cœna Domini, & alibi ſemel in vita, & poſtea in articulo mortis, niſi oppoſitum expreſsè contineatur in Bulla. Ita docent Cord. *in ſum. q.* 144. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 162. Rodr. §. 9. *n.* 62. Perez *l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *ordinamenti*, *pag.* 33. Henriq. *vbi ſupra in comment. litt. D.* Medina 1. *ſum. cap.* 11. §. 8. *fol.* 45. idem tenent communiter recentiores, & ſpecialiter Pater Salas, & Doctor Nuñes Complutenſis, & Bañes, quos refert Henriq. citatus; tenent à ſuſpenſione etiam contracta propter ſuſceptos ordines ante legitimam ætatem poſſe abſolui virtute Bullæ, ita vt liceat impleta ætate celebrare. Ratio eorum eſt, quia Bulla concedit generalem facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris; ſed ſuſpenſio eſt verè, & propriè cenſura, vt conſtat ex *cap. querenti, de verborum ſignification.* Ergo poterit ab illa abſolui, ſicut ab excommunicatione in foro interiori; imo & in exteriori ſatisfacta iam parte, quidquid dicat Henriquez *ſupra num.* 6. quia certè per id non perturbatur (vt ipſe

ipſe inquit) iudicialis ordo, cum in eo tantum intendatur de ſatisfactione partis.

4. Atque hoc idem quod dictum eſt de abſolutione à ſuſpenſione, dicendum eſt proportionaliter de abſolutione ab interdicto perſonali, non tamen locali, quia hoc non videtur propriè cenſura; aut ſaltem eius abſolutio ſine Iudicis authoritate nullius erit momenti: quia donec auferatur per Iudicem, ſemper ſeruabitur, etiam ſi ille, qui dedit cauſam interdicto, iam abſolutus ſit. Verum tamen eſt, quod ſi interdictum locale eſſet verè cenſura, poſſet per Bullam tolli, etiam quoad forum exterius, ſatisfacta parte; Ita vt non ſolùm Iudex deberet tum illud tollere, ad hoc enim tenetur *per textum in c. Odoardus, de ſolutionibus*; ſed etiam Clerici Iudice repugnante tenerentur non ſeruare tale interdictum, quia iam pœnitens abſolutus eſt, ſatisfacta parte in foro exteriori.

5. Ex dictis colligo fratres Mendicantes, & alios; qui eorum priuilegiis communicant, poſſe etiam abſoluere à prædicta ſuſpenſione, & interdicto, ſicut poſſunt ab aliis cenſuris non reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini; quia ratione ſuorum priuilegiorum, vt conſtat ex eorum compendiis, habent amplam facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, etiam Papæ reſeruatis, exceptis quæ ſunt in Bulla Cœnæ Domini, vt habetur *in compendio priuilegiorum Societatis, verbo abſolutio.*

Ad primum pro contraria opinione adiunctum fatemur quod, cum in Bulla excipitur illud genus ſuſpenſionis, non poteſt ab ea abſolui: tamen cum in Cruciata non fiat exceptio, valida erit abſolutio virtute illius clauſulæ ab omnibus cenſuris.

Ad ſecundum reſpondeo; quod poſtea Greg. XIV. anno 1591. conceſſit in ſuo Iubilæo plenam prædictæ ſuſpenſionis abſolutionem, & in vltima etiam Bulla conceditur in illa generali clauſula, vt ſupra oſtenſum eſt.

6. Ad tertium fatemur in illo excedere Bullam, facultatem Epiſcopi, ex ſpeciali indulto Apoſtolico, vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra*, nec in hoc eſt aliquod inconueniens.

DVBIVM XI.

Vtrum Confeſſor poſſit abſoluere à ceſſatione à diuinis virtute Bullæ.

1. TOta ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod ceſſatio à diuinis videtur quod ſit cenſura, vt tradit Sot. *4. diſt. 22. q. 3. art. 1.* Maiolus *lib. 3. de irregularitate, cap. 20. in fine.* Guerrerus *in ſpeculo Iuris cap.* 37. & Franch. relatus à Nau. *c.* 27. *num.* 188. & Couar. c. *Alma mater, 2. p. §. in principio.*

2. Probatur, quia ceſſatio à diuinis eſt pœna Eccleſiaſtica, qua puniuntur fideles in bonis ſpiritualibus; Ergo verè eſt cenſura, cum ea ſit definitio cenſuræ. Vnde ſi ad primam eius inſtitutionem attendatur, aperte conſtabit inſtitutam eſſe, vt pœnam Eccleſiaſticam, non minus quam interdictum. Ergo verè erit cenſura ſicut illud.

Verum contraria ſententia eſt omnino amplectenda cum communi Doctorum. Ita Syluest. *verb. ceſſatio,* [illegible]. & *verb. interdicto* 5. §. 1. Ang. *verb. ceſſatio.* Tabien. *verb. interdictum, num.* 3. Nauar. *cap. 27. num.* 151. & 194. & 250. Henriq. *lib.* 13. *c.* 51. *fol.* 1235. *lit. G.* Rodr. *in Bulla,* §. 9. *num.* 6. Gutierrez *quaſt. can. c.* 10. *pag.* 111. Suar. *de cenſ. diſp.* 39. *ſect.* 1. *num.* 4. & 12. & eſt communis inter Iuriſtas cum Ioanne de Ligniaro *tract. de cenſura q.* 1. *num.* 8. & probant illam tum *ex cap. quærenti, de verb. ſignificat.* vbi Pontifex tres

tantum

Digitized by Google

tantum ſpecies cenſuræ aſſignauit, quia qui celebrat ligatus aliqua cenſura incurrit irregularitatem, quam tamen certum eſt non incurrere, qui tempore ceſſationis celebrat: ſed hoc duplex fundamentum non eſt firmum, quia eadem ratione probaretur irregularitatem ex puro delicto ortam non eſſe cenſuram, cuius contrarium opinari plures DD. magnæ æſtimationis late oſtendemus, (Deo dante) *in tract. de Iubilæo.*

3. Vnde probatur aliter noſtra ſententia. Primò, quia ceſſatio à diuinis ſolum eſt pura omiſſio diuinorum officiorum, & ideo ſolet definiri, vt colligitur ex Inocentio *cap. irrefragabili, de officio Ordinarij*, quod ſit ſuſpenſio organorum diuinæ laudis, iuxta illud Pſalmi 136. *In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra*; itaque ceſſatio à diuinis, niſi illi admiſceatur interdictum, non magis excipit delinquentem, quam cæteros homines, quia æqualiter diuina officia omnibus ceſſant. Ergo in quantum ceſſatio non habet rationem cenſuræ, quæ per ſe, & directè in pœnam delinquentium ſpecialiter infligatur.

Secundò, quia per cenſuram ſemper inducitur prohibitio aliqua in perſonam delinquentis, aut in locum ſi ſit cenſura interdicti; ceſſatio autem à diuinis in quantum talis, & præciſa ratione interdicti, nullam ſpecialem prohibitionem inducit in perſonam delinquentis, aut in locum, ſed puram ſuſpenſionem diuinorum officiorũ. Ergo virtute Bullæ non poteſt ab illa abſolui.

4. Tertiò, quia ceſſatio à diuinis omnino ſpectat ad forum externum, & exequenda eſt per miniſtros Eccleſiæ. Ergo licet Confeſſarius aliquem abſolueret à tali ceſſatione, nullum effectum poſſet habere talis abſolutio, ſi aliàs ipſi miniſtri omnino ſeruant ceſſationem à diuinis, non minus quam ſi illis non eſſet talis abſolutio impenſa; & conſequenter eſſet ſuperflua, cum moraliter loquendo nunquã poſſet habere effectũ.

5. Ad rationem vero dubitandi, reſpondeo primò, quod per ceſſationem ipſam à diuinis puniuntur rebelles, in quantum habet admixtionem interdicti, quia ipſa præcisè ſumpta, non eſt pœna, ſed omiſſio diuinorum. Reſpondeo ſecundò, quod gratis admiſſo quod eſſet pœna, non tamen à iure pœna poſita eſt, ſed ab homine: cenſuræ vero omnes à iure imponuntur, licèt nonnullæ earum ſimul etiam ab homine; itaque cenſura eſt pœna, qua iura vtuntur; iura verò non vtuntur ceſſatione à diuinis, ſed tantum Iudices.

DVBIVM XII.

An quando in Bulla vel ſimili priuilegio datur facultas ad diſpenſandum in omnibus irregularitatibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij, & alijs tribus, poſſit virtute illius diſpenſari in irregularitate homicidij iuſti.

1. HIc occurrebat dubitatio, an virtute Cruciatæ poſſit Confeſſarius pœnitentem abſoluere ab irregularitate, quæ præciſe oritur ex delicto; prætermittitur tamen quia de ea agitur *in tractatu de Iubilæo*, quamprimum in lucem edendo: at quia virtute Cruciatæ conceditur Commiſſario facultas diſpenſandi in aliquibus irregularitatibus, examinandum hic duximus propoſitum dubium, *&c.*

Ratio dubitandi eſt communis Doctorum ſententia, aſſerens cum Nauarr. *cap. 27. num. 200.* ſolum Papam poſſe diſpenſare in irregularitate homicidij volun

Digitized by Google

voluntarij, quod colligunt ex Trident. *ſeſſ.* 24. vbi apertè excipit tale homicidium, dum ait, *liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, diſpenſare.* quæ ſane clauſula in prædictis Bullis, & priuilegiis etiam apponitur: at irregularitas prædicta prouenions ex homicidio iuſto, oritur ex homicidio voluntario. Ergo nequit fieri talis diſpenſatio, niſi à Papa.

2. Verum his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, quod quando per Bullam aut priuilegium conceditur alicui, vt poſſit diſpenſari in omnibus irregularitatibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij, poteſt etiam diſpenſari in hac irregularitate ex homicidio iuſto proueniente; ita expreſſe Caietan. *in ſum. verb. irregularitas, in fin.* Armil. *ibi, num.* 15. Couar. *Clem. ſi furioſus* 2. *part.* §. 3. *in fine.* Plaza *de delictis, lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Polancus *in appendice ad directorium, pag.* 156. & aliqui Iuniores, inter quos Magiſter Peña 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *& quæſt.* 64. *artic.* 8. *in fine*, affirit in ſua Prædicatorum religione id practicari.

3. Et probatur, quia vbi non interuenit homicidium, non inuenitur irregularitas homicidij; ſed quando homo iuſtè occiditur, non committitur homicidium. Ergo irregularitas inde conſurgens, non eſt dicenda homicidij; maior eſt nota, & minor patet, quia vt docet S. Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 8. *ad* 3. homicidium dicit iniuſtam occiſionem, & quando iuſtè fit, non poteſt dici homidium, quia hoc (vt notat Sylu. *homicidium* 2. *num.* 12.) proprie loquendo ſemper eſt peccatum; id autem priuilegium diſpenſandi habent religiones Mendicantes, & ſpecialiter Societas Iesv, vt patet ex Bulla Pauli III. *folio* 39. & in Compendio priuilegiorum eiuſdem Societatis *verb. diſpenſatio,* §. 567.

Imo addo, quod etiam virtute Bullæ, aut priuilegiorum concedentium prædictam facultatem, de qua in titulo dubij, etiam poteſt fieri diſpenſatio in irregularitate orta ex homicidio peccaminoſo, quando tale homicidium non fuit contra iuſtitiam, ſed contra charitatem duntaxat, vt v.g. ſi Clericus in ſacris pugnans in bello iuſto ſine licentia Papæ, occidat aliquem, peccat mortaliter, & fit irregularis; hæc tamen irregularitas tolli poteſt per prædictam Bullam, vel priuilegia Mendicantium, & idem eſt, ſi ſit aduocatus, teſtis, aut accuſator ſine proteſtatione legitima in cauſa ſanguinis contra reum morte dignum. Ita multi recentiores.

4. Et probatur, quia in his caſibus Clericus non committit peccatum homicidij: ergo non incurrit irregularitatem homicidij: antecedens patet, quia non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur aliquid reſtituere, ſed ſolùm peccat contra aliam legem poſitiuam id ſibi prohibentem.

Confirmatur quia ſi aliàs Iudex proferret contra aliquem ſententiam iuſtam ex odio, diceretur peccare peccato homicidij, quod tamen falſum eſt, cum non agat contra iuſtitiam, ſed contra charitatem.

5. Hinc colligo ſolum Papam poſſe diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio, & non Epiſcopum; quia, vt conſtat ex Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reformatione, cap.* 6. poſtquam ibi conceditur Epiſcopis poſſe ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus diſpenſare, excipitur illa quæ prouenit ex homicidio voluntario: verum tamen eſt, quod in homicidio caſuali benè poterit Epiſcopus abſolutè diſpenſare, dummodo ſit occultum, & non deductum ad forum exterius; cuius

Digitized by Google

ratio eſt;quia homicidium caſuale condiſtinguitur à Doctoribus contra voluntarium, quia illud eſt præter intentionem, vel ſaltem non directè volitum; Concil. autem Tridentinum *vbi ſupra*, præbet illi facultatem ad diſpenſandum in omni irregularitate prouenientе ex delicto occulto, excepta homicidij voluntarij: Si verò tale homicidium caſuale fuerit publicum, ſolùm poteſt Epiſcopus diſpenſare, quoad recipiendos ordines minores, & beneficium ſimplex, vt docent DD. *in materia de irregularitate*; & ideo nos his ſuperſedemus, quia *ibi* videri poſſunt.

6. Ad rationem dubitandi reſpondeo, Nauar. nihil tenere contra noſtram ſententiam, vel concluſionem; imo eam amplectitur, nam *num.* 240. definiens homicidium voluntarium, quod excipitur in priuilegiis conceſſis à Papa Summo pœnitentiario, Commiſſario Cruciatæ, & religionibus, ait eſſe homicidium illicitum, & in ſe volitum; & explicat verbum illud, *illicitum*, conſultò apponere ad differentiam eius, quod iuſtum eſt, quale eſt illud, quod miniſtri iuſtitiæ, aut milites in bello iuſte faciunt.

Ad Tridentinum vero ex dictis patet quomodo ſit intelligendum.

CAPVT V.

De priuilegiis quæ in Bulla conceduntur contra ius commune, præſertim circa tempus interdicti, & circa cibos prohibitos.

DVBIVM I.

Quomodo intelligatur priuilegium de habendo domi Oratorio ad celebrandam Miſſam, & an ſit omnino neceſſaria licentia Ordinarij ad eam celebrandam ibi.

1. RATIO dubitandi eſt, quia in Bulla datur facultas ad celebrandum diuina officia in priuato Oratorio cũ duplici conditione. Prima, quod ſit ad diuinum cultum deputatum: ſecunda, quod ſit ab Ordinario viſitandum: ergo ſicut non licet omittere primam conditionem; ita nec ſecundam, cum vtrâque æqualiter exigat Summus Pontifex.

Reſpondeo, præſupponendo in prædicto priuilegio fieri diſpenſationem illius legis, quæ habetur *capit. ſicut non alij, de conſecratione*, vbi illud prohibetur. Vide Trid. *ſeſſ.* 22.

2. Hoc ſuppoſito, dicendum eſt, quod ad gaudendum prædicto priuilegio requiritur omnino iuxta mentem Pontificis, vt Oratorium ſit tantum diuino cultui deputatum, non tamen opus eſt quod ante à principio fuerit deputatum, ſed ſufficit tunc deputari, nam profana recte poſſunt fieri ſacra. Verum tamen eſt, quod ſi poſt talem deputationem aliis vſibus deſeruiat, non licet in eo celebrare, niſi iterum diuino tantum cultui deputetur, quia cum per contrarium & longum vſum amiſerit primam deputationem, indiget alia ſecunda, vt in eo celebretur.

3. Et quamuis non ſit peccatum vti prædicto priuilegio frequenter, & in magnis feſtiuitatibus, vt Pentecoſtes, Natiuitatis, & aliis ſimilibus; nam *cap. ſi quis. de conſecratione, diſt.* 1. vbi id prohibetur, per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum, vt dicunt Sylu. *verb. Miſſa* 2. *quæſt.* 5. §. 1. & Nauarr. *cap.* 21. *num.* 5. tamen non decet id frequenter fieri,

Digitized by Google

fieri, præcipue in prædictis ſolennitatibus, ſed temperate vti prædicto priuilegio: & minus decet celebrari in loco, vbi vxorati cubant; hoc enim cedit in irreuerentiam tanti ſacrificij.

4. Conditio autem illa, quam requirit Bulla, vt ſcilicet Oratorium approbetur ab Ordinario, probabiliter cenſent nonnulli, quod ſatis intelligitur de Ordinario illius, vel alterius diœceſis; nam ſi ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis, tenent nonnulli ſufficere approbationem à quolibet Ordinario, vt ex dictis *cap.2.dub*... abunde conſtat, etiam ſufficiet ſimilis approbatio Oratorij ad celebrandum in eo.

5. Quod ſi contingat locum eſſe decentem, & idoneum ad arbitrium boni viri, & Ordinarius nolit illum approbare, nec facultatem præbere ad celebrandum in illo, poteſt certe compelli ad concedendam facultatem, quia non poteſt defraudare, & priuare ſubditum priuilegio à Pontifice ſibi conceſſo de habendo domi Oratorium; priuaret autem non concedendo licentiam. Imo qui vellet huiuſmodi lites vitare, probabile ſatis videtur quod licite poſſet tunc vti prædicto Oratorio, & in eo celebrare per ſe, vel per alium, abſque facultate Ordinarij; quia ſuppoſita decentia, & idoneitate loci ad arbitrium prudentis viri, certe licentia iuſte petita, & iniuſte tunc ab Ordinario negata, ipſo iure intelligitur conceſſa à Pontifice, vt in ſimili diximus *ſupra c.2. & 3.* iuxta communem Doctorum reſolutionem. Atque ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi ſupra poſitam.

Dubium II.

Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem ad audiendum Miſſam, vel celebrandum tempore interdicti in priuato Oratorio.

1. PRo intelligẽtia huius dubij præſuppono, quod facultas ad celebrandum per ſe, vel per alium in Oratorio tempore interdicti, eſt ſpeciale priuilegium; nam ſola facultas celebrandi in aliquo Oratorio, de qua dubio præcedenti egimus, non extenditur ad tempus interdicti, vt patet ex *cap. Alma mater, de ſent. excomm. in 6.* nam de iure antiquo nullibi celebratur tali tempore, niſi pro Sacramenti Euchariſtiæ renouatione; de iure autem nouo tantum conceditur celebrari in Eccleſia, & non in Oratorio.

Ratio ergo dubitandi in præſenti eſt, quia priuilegium iſtud operatur multum contra ius commune, quoniam *in cap. ſicut non alij, de conſecratione, diſt.1. & cap. Epiſcoporum, de priuilegiis*, habetur quod celebrantes extra Eccleſiam ingreſſu Eccleſiæ priuentur; quibus omnibus iuribus derogat prædictum priuilegium, atque adeo non debet extendi amplius, quam ſonant eius verba, vt conſtat ex *cap. porro, de priuilegiis:* Ergo talis facultas non poterit extendi ad audiendum Miſſam, vel celebrandum in Eccleſia, cum ſolum dicatur dari ad audiendum illam in priuato Oratorio; Eccleſia autem non eſt priuatum Oratorium, ſed publicum templum.

2. Reſpondeo tamen prædictum priuilegium, non ſolum concedere facultatem ad audiendum Miſſam, vel celebrandum in priuato Oratorio, ſed etiam in Eccleſiis. Ita docent communiter

Digitized by Google

niter recentiores cum Henriq. *lib.* 13.*c.* 47.*fol.* 1228. *lit.Y.* vbi ait ita declaraſſe olim Commiſſarium Cruciatæ Epiſcopum Lucenſem, idque tenere plures Theologos,& Iuriſtas conſultos.

3. Et probatur, quia audire Miſſam, aut communicare tempore interdicti in priuato Oratorio, eſt magis contra ius commune, quam eadem facere in Eccleſia. Ergo rationabiliter præſumi poteſt, quod ibi etiam concedatur hoc ſecundum, cum ſit minus, quam primum. Conſequentia patet euidenter, quia cui licet plus, vtique quod eſt minus intra eandem materiam, ex tuta regula iuris in 6. Antecedens probatur, quia audire diuina in Oratorio tempore interdicti, continet duas diſpenſationes. Alteram contra legem, quæ habet, ne audiantur diuina tempore interdicti; Alteram, qua prohibetur fieri ſacra extra Eccleſias & Monaſteria, vt habetur in *cap. Alma mater.* Ergo magis eſt contra ius commune audire Miſſam tempore interdicti in priuato Oratorio, quam in Eccleſia.

4. Aduertere tamen oportet, quod prædicto priuilegio non poteſt vti ille, qui dedit cauſam interdicto, vel impedit ne tollatur, vt aliis citatis notat Henriq. *lib.* 9. *de Miſſa*, *c.* 25. *lit V.* & habetur expreſſe in Bulla latina. Imo idem Author *lib.* 13. *cap.* 48. addit, id quod exigit Bulla, ſcilicet vt adſtantes in Oratorio faciant aliquas preces pro vnione Chriſtianorum Principum, non eſſe conditionem, ſine qua non liceat celebrare, aut communicare in Oratorio, quod nobis etiam placet, quia id eſt magnũ priuilegium, recitare vero bis orationem Dominicam vel Angelicam, eſt quid leuiſſimum: Ergo non eſt credendum Papam voluiſſe, eo omiſſo, priuilegium annullare. Et præterea, quia, vt conſtat ex verbis eiuſdem Bullæ, id imponitur vt nouum mandatum ſuperadditum prędictæ conceſſioni, non vero vt conditio illius, & cum ſit de re leuiſſima, non erit mortale, vt notat Rod. §.5.*num.* 4. imo nec veniale ſi quis obliuiſcatur.

5. His omnibus addo primò, pro maiori intelligentia prædicti priuilegij, quod prædicta facultas Bullæ valet etiam tempore interdicti apoſtolici, niſi aliud exprimatur in Bulla, vt docent communiter recentiores, cum Henriq. *vbi ſupra.* Addo ſecundò, non licere, quamuis quis habeat Bullam, audire Miſſam tempore interdicti in Eccleſia ſpecialiter interdicta. Ita D. Anton. 3.*p.tit.*26. *cap.*1.§.2. Angel. *interdictum* 6. *quæſt.*1. & alij, & ideo in Bulla latina dicitur, *in Eccleſiis, in quibus alias permiſſum fuerit celebrare.* Tandem addo, quod nomine Eccleſiæ quoad præſens intelliguntur Monaſteria, imo,& hoſpitalia, dum fuerint facultate Epiſcopi erecta, & denique alia omnia Eremitalia, & ſacella, in quibus licitum eſt cebrare; quod ſatis deducitur ex Bulla latina, iuxta communem explicationem.

6. Ad rationem autem dubitandi, reſpondeo quod etiam Oratorium per Epiſcopum approbatum vocatur in iure Eccleſia, vt docent Couar. *Alma mater*, 2.*p.*§.4. *num.*4. & Henriq. *lib.*7.§. 13.*fol.*514. Vnde tale Oratorium gaudet immunitate Eccleſiæ, teſte Henriquez, pro quo ibi multos addunt Doctores; videte illum.

DVBIVM III.

Quomodo intelligatur facultas Bullæ concedentis, vt non ſolum habens illam, ſed etiam eius familiares, domeſtici, & conſanguinei poſſint diuinis intereſſe.

1. NAuar. ſtatim citandus ait, quod licet in aliis materiis, nomine familia

familiarium, & domeſticorum intelligantur mulier, filij, nepotes, ſerui, & famuli eidem ſubiecti, qui ratione poteſtatis paternæ, ac dominij degunt cum illo, iuxta gloſ. & determinationem Aret. & Felin. in *cap. in litteris, de teſtibus.* in caſu tamen interdicti non ſumitur adeò latè iuxta Anchar. *cap. licet.* Vnde ipſe exiſtimat illos tantum ſub nomine familiarium, ac domeſticorum intelligi reſpectu alicuius, qui eum de more comitantur. Quapropter iuxta hanc opinionem eſto maritus habeat Bullam, vxor tamen non poteſt virtute illius audire Miſſam; & poſſet aſſignari ratio, quia familiares, & domeſtici idem pollent, ſecundum communem acceptionem, quod ſerui, & famuli; ſed vxor non venit intelligenda nomine ſeruæ, aut famulæ. Ergo, &c.

2. Reſpondeo nihilominus nomine familiarium intelligi vxorem, filios, nepotes, ſeruos, & famulos, vt contra Nauar. docent Rodr. *§. 5. num. 5.* Syluest. *verb. familiaris*, Angel. *verb. familia in principio.* Dueñaz *regula* 34. licet aliter ſumatur familia à Couar. 3. *variarum cap. 5. num. 4. col. 2.* Imo etiam illo verbo exiſtimo comprehendi vxorem, & maritum, quia iſti ſunt ſibi inuicem maximè familiares, & domeſtici, cum iam non ſunt duo, ſed vna caro. Imo etiam comprehenduntur familiares, qui non habitant domi; quia ſufficit eſſe commenſales ex expenſis ſuorum dominorum, licet non habitent cum eo. Nam hæc morali modo accipienda ſunt, & non cum rigore metaphyſico.

3. Verum tamen eſt prædictum priuilegium non eſſe intelligendum pro Eccleſia de omnibus domeſticis, ſed ſolum de illis, qui ſecundum ſtatum perſonæ ipſum ad diuina audienda ſolent comitari, vt docent Nauar. *loco cit.* Sot. *in 4. diſt. 22. q. 3. art. poſt quartã cõcluſionem,* quod eſt ſatis cõformo rationi, quia multi ſine comitatu, non poſſunt decenter ad Eccleſias ire, vt ait gloſ. *c. licet, de priuilegiis*; quam vt ſolennem commendat Decius *c. cum ordine, de reſcriptis.* qui etiam monet cum gloſ. *d. c. licet*, non eſſe plures familiares ad Eccleſiam deferendos, quam conſuetos, quod etiam admonet Sot. & Nauar. *vbi ſupra.*

Pro audienda vero Miſſa, in Oratorio ampliori modo intelliguntur familiares, & domeſtici, ſcilicet in lata illa acceptione, vt includit vxorem, filios, & omnes famulos. Et ratio diſparitatis eſt, quia licet priuilegium ſit ſtricte interpretandum, iuxta textum in *c. porro, de priuilegiis*, non tamen ita ſtrictè, vt nihil operetur, quia ſic eſſet inutile. Cum ergo datur priuilegium audiendi Miſſam in Eccleſia, ſi cum ſolita decentia, & comitatu, non poſſet ire perſona illa, fieret inutile priuilegium, & inane, cum nullus eius eſſet vſus, nec decẽter poſſet eſſe, & ita extendendũ eſt ad ſolitos concomitantes. In alio vero caſu de Oratorio, ſi nõ extenderetur ad omnes domeſticos indifferenter, inutile eſſet, cum nõ ſit maior ratio vnius, quã alterius. Quare vt aliquid operetur, extendi debet ad omnes illos. Addunt tamen, & bene, Nau. Sot. Syl. Ang. & Medina *ſupra*, non poſſe cum Domino priuilegiato audire Miſſam familiares fraudulenter ad hoc receptos, vt conſtat ex *c. vltimo, de verb. ſignific. in 6.*

4. Vbi obiter etiam aduerto cum Calderino *tractatu de interdicto*, quod Clericus qui etiam ſine Bulla poteſt celebrare tempore interdicti, poteſt dicere Miſſam miniſtrante famulo laïco, eſto careat Bulla, ſiue ſit receptus ante, vel poſt interdictum, & in eius locum ſi ægrotaret, poſſet ſumere alium etiam mere laïcum. Tolet. *lib. 1. c. 20.* Auila, Nau. & alij per Bonac. citati *de cenſ. diſp. 5. punct. 4. num. 22.* Quod

Digitized by Google

aliqui limitant, niſi poſſet accipere miniſtrum Clericum, de quo vide Mandoſium *in praxi ſignaturæ, tit. altare, fol.* 74. Couarr. *cap. Alma mater, 2. part.* 4. §. *num.* 9. *illatione* 11. & Dueñas *regula* 350.

5. Quod ſi quiſpiam quærat quid intelligatur nomine conſanguineorum in Bulla? Multi dicunt ſolum intelligi conſanguineos vſque ad quartum gradum, non vero vxorem, vel affinem aliquem. Rodr. vero *in Bulla*, §. 5. *num.* 5. dicit intelligi vxorem, filios, & filias, patrem, & matrem, & totam cognationem, licet Bulla careant; & hoc nobis videtur vero ſimilius. Id autem quod notat ipſe Rodr. nimirum Miſſam celebrari non poſſe coram familiaribus, aut conſanguineis, niſi ipſo domino præſente, non placet quibuſdam iunioribus, quia Bulla concedit poſſe celebrari in ſua, ac familiarium, & domeſticorum, necnon conſanguineorum ſuorum præſentia: ergo ſicut poſſet celebrari in ſola præſentia domini, non obſtante illa particula copulatiua, *&*; ita etiam in ſola præſentia famulorum, maxime habentium Bullam. Henriq. tamen oppoſitum docet *lib.* 7. *cap.* 13. *fol.* 514. & citat pro ſe Rodr. *vbi ſupra*, additque id conſentaneum eſſe Bullæ, verum nobis vtrumque videtur ſatis probabile.

6. Ad rationem vero dubitandi reſpondetur, quod licèt nomine famulorum, non veniat intelligenda vxor, bene tamen nomine familiarum in rebus fauorabilibus propter rationem in noſtra concluſione aſſignatam.

DVBIVM IV.

An qui tempore interdicti ex priuilegio Bullæ poteſt audire Miſſam in diebus feſtis, teneatur ſub mortali illam audire.

1. Partem negantem tuentur quidam Iuniores cum Victoria, Cano, Mancio, Fratre Ambroſio Salazar, & Sancio olim Epiſcopo Segobienſi, & Michaële de Palac. & aliis relatis ab Henriquez *lib.* 13. *cap.* 48. *num.* 5. *in comm. lit. D. & lib.* 9. *de Miſſa, cap.* 25. *num.* 11. *in com. lit. X.* Llamas *ſum. part.* 3. *cap.* 5. §. 12. Ledeſma *ſumm. part.* 1. *tract. de Euchar. cap.* 27. Alter. *de cenſ. tom.* 2. *diſp.* 2. *de interdicto, cap.* 3. *fine, pag.* 319. & fauet vehementer Sylu. *verbo priuilegium.* §. 10. *verſic.* 5. & nouiſſimè Coninck *de interdicto, diſput.* 17. *dub.* 2. *num.* 28. ſequutus Auilam *p.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 6. *dub.* 6.

2. Et probari poteſt primo, quia tempore interdicti ceſſat præceptum audiendi Miſſam, vt de ſe conſtat; ſed per Bullam nemini imponitur præceptum audiendi Miſſam illo tempore, aliàs per acceptionem Bullæ imponeret quis ſibi nouum onus, nouúmque præceptum: ergo habens Bullam non tenetur ſub mortali audire Miſſam tempore interdicti. Dices, non imponi nouum præceptum, ſed tolli impedimentum, quod obſtabat ad audiendam Miſſam, quo ablato præceptum obligat, ſicut antea. Sed contra, quilibet poteſt renunciare priuilegio, & iuri ſuo, cum id non cedit in præiudicium tertij: ergo qui tempore interdicti habet priuilegium audiendi Miſſam, poterit renunciare tali priuilegio, & licite tunc omittere Miſſam.

3. Secundò, quia vt conſtat ex *regula iuris in* 6. quod in gratiam alicuius conceditur, non debet in eius diſpendium retorqueri; ſed ſi habens Bullam obliga

Digitized by Google

obligaretur audire Miſſam tempore interdicti, iam gratia illi conceſſa retorqueretur in diſpendium, & odium illius, cum certe ratione Bullæ gratia reſponderet nouæ obligationi; ergo habens Bullam, non tenetur ſub mortali audire Miſſam tempore interdicti. Dices, facultatem ad audiendam Miſſam nulla ratione cenſendam eſſe in odium, ſed fauorem, & ſic potius cederet illud priuilegium in fauorem, quam in diſpendium priuilegiati. Sed contra, quia licet facultas ad audiendum tunc Miſſam cedat in fauorem, tamen obligatio ſub mortali ad audiendum illam, vere cedit in odium, cum ſit ſpeciale & graue quoddam onus; tum quia priuilegium non imponit neceſſitatem, cum non detur ad compulſionem, ſed ad fauorem: ergo licet habens Bullam poſſit licite audire Miſſam tempore interdicti, non tamen neceſſario ad id tenebitur ſub mortali, alias certe facultas Bullæ non eſſet vere priuilegium, quia priuilegium eſt priuatum ius contra ius commune, quo poſſumus vti cum volumus, vt conſtat ex *titulo de verb. ſignificat.* & ex his quæ ibi notant iuriſperiti: ergo licet poſſit ille tempore interdicti audire Miſſam, non tamen ad id tenebitur ſub mortali.

4. Tertiò, quia non habens Bullam, non tenetur ſumere illam pro audienda Miſſa tempore interdicti: ergo nec qui habet illam tenetur ea vti ad prædictum effectum. Patet conſequentia, quia ſicut nullum eſt præceptum obligans ad ſumendam Bullam in ordine ad licitè audiendum Miſſam tempore interdicti, ita nullum datur præceptum de vtendo tunc Bulla iam ſumpta ad effectum audiendi Miſſam; alias etiam obligaretur quis tempore interdicti ad ſumendam Bullam, cum commode illam ſumere poſſet, quia quilibet tenetur facere moralem diligentiam, quam commode exhibere poteſt ad implendum diuinum aut Eccleſiaſticum præceptum.

5. Verum licet hæc ſentẽtia videatur probabilis, oppoſita tamen eſt probabilior, & magis pia, quam vt certam defendunt Sot. *in 4. diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *&* *diſt.* 22. *q.* 3. *artic.* 1. & fauet ibi D. Thom. *idem ſumma Confeſſorum*, *fol.* 189. Med. 1. *ſumma*, *cap.* 14. §. 4. *fol.* 199. Rodriq. *in Bulla*, §. 5. *num.* 6. Henriquez *vbi ſupra*, *lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 25. *fol.* 829. vbi ait eſſe communiorem Thologorum, & Iuriſtarum, tam Salmanticenſium, quam Complutenſium, pro quo etiam plures citat *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 23. *n.* 3. *& litt. I.* Villalobos *tom.* 1. *tract.* 19. *dub.* 5. *num.* 14. Sancius *in ſelectis*, *diſp.* 15. Acoſta *in Bulla*, *q.* 28. Nugnus *in* 3. *p. tom.* 2. *q.* 83. *art.* 6. Bonac. *de cenſ. diſp.* 5. *punct.* 4. *n.* 19. Barboſ. *in collect. tom.* 2 *lib.* 5. *tit.* 3. *cap.* 25. *n.* 7. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 6. *dub.* 2. *n.* 25. & Fernandez *in examin. Theolog. mor. part.* 3. *cap.* 9. §. 3. *n.* 1. Alij etiam cum Henriq. referunt pro hac ſententia Nau. *cap.* 21. *n.* 3. & Cou. *cap. Alma mater*, 2. *p.* §. 4. *n.* 3. ſed nihil ſanè in his locis apud hos DD. reperio; referunt etiam Sylu. vbi ſupra, ſed magis ſine dubio fauet' oppoſitæ ſententiæ. Probatur ergo ratione.

Primò, quia ille ex præcepto Eccleſiaſtico tenetur audire Miſſam die feſto, & poteſt illam audire; ergo non audiendo peccabit, atque adeo tenetur audiro.

6. Dices, quod ille tempore interdicti non tenetur audire Miſſam, quia pro tunc nulla eſt lex ad id obligans, imo eſt lex obligans ad contrarium. Sed contra, quia non alia ratione ille non obligatur eo tempore audire Miſſam, niſi ob impedimentum interdicti, ſed per priuilegium Bullæ tollitur huiuſmodi impedimentum; ergo tunc conſurgit, & quaſi reuiuiſcit obligatio præcepti de audienda Miſſa.

Dices,

Digitized by Google

Dices, quod licet priuilegium Bullæ concedat facultatem ad tollendum illud impedimentum, tamen quod talis facultas reducatur ad actuale exercitium, ita vt cum effectu tollat illud impedimentum, dependet à libera voluntate priuilegiati, qui pro libito poteſt vti, vel non vti ſuo priuilegio, & conſequenter omittere Miſſam. Sed contra, quia non vti tunc illo priuilegio, eſſet aperte in fraudem præcepti de audienda Miſſa, cum recte poſſet illud tunc implere, & malitioſe illud omittat. Ergo tenetur tempore interdicti non omittere.

7. Secundò, quia aliàs ſequeretur, quod Clerici non tenerentur audire Miſſam tempore interdicti, cum etiam id habeant ex priuilegio, cui licet vnicuique renunciare; quod tamen eſt aperte, non ſolum contra Ioannem Andream *cap. final. de ſententia excom.* Sed contra vſum, & receptiſſimam conſuetudinem, quæ iam vim legis habet. Dices non eſſe ſimile, quia Clericus non poteſt renunciare priuilegio exemptionis ſine licentia Papæ, eo quod talis renunciatio tangit ius ſuperioris, & præiudicaret Eccleſiaſticæ libertati, vt docent DD. communiter cum Sylu. *verb. priuilegium, quæſt.* 10. *verſicul.* 8. Sed contra, ſit caſus quod mere ſæculari incarcerato Iudex concedat priuilegium foras exeundi diebus feſtis, certe iuxta oppoſitam ſententiam ille poſſet renunciare tali priuilegio, & velle in carcere manere, hoc autem eſt aperte falſum, quia ille tenetur, & poteſt audire Miſſam. Ergo non audiendo peccabit, quia quod antea excuſabat ab eo præcepto, erat impotentia exeundi foras. Ergo illa ablata non excuſatur à mortali, ſi illam non audiat.

8. Tertiò probatur, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod ſi quis habens Bullam exiſteret in articulo mortis, & adeſſent tunc duo Sacerdotes, alter ſimplex, alter approbatus, poſſet tunc pro libito confiteri ſimplici peccata reſeruata, omiſſo approbato, quia poſſet renunciare priuilegio Bullæ concedentis illi facultatem ad eligendum ſibi approbatum: hoc autem licet concedat Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 36. eſt tamen omnino falſum, vt ſupra oſtendimus *cap.* 3. *dub.* 8. quia quilibet præcepto Eccleſiaſtico tenetur confiteri, etiam in articulo mortis, Confeſſario approbato, ſi adeſt: à quo præcepto neminem eximit Bulla. Vnde ſi in tali articulo poteſt abſoluere ſimplex, id ſolum eſt in defectu approbati, non illo præſente: ſequeretur etiam præterea, quod ſi quis in fine anni non poſſit confiteri proprio Parocho, vrgente Eccleſiæ præcepto, poſſet renuntiare priuilegio Bullæ, concedenti illi facultatem ad confitendum cuilibet approbato, & ſic licite poſſet non confiteri illo anno, quod eſt aperte abſurdum. Ex quibus omnibus colligo eandem obligationem audiendi Miſſam tempore interdicti comprehendere omnes illos, qui alieno priuilegio gaudent, vt familiares, domeſticos, & reliquos de quibus ſupra.

9. Ad primum bene reſpondetur ibi; ad replicam autem dicimus, quod licet per ſe loquendo, vnicuique liceat ſuo priuilegio renunciare, aliquando tamen per accidens contingit non licere, quia ex tali renunciatione ſequitur violatio alterius præcepti, à cuius obſeruatione non eximit ipſum priuilegium.

10. Ad ſecundum bene reſpondetur ibi; ad replicam autem reſpondeo vtramque probationem nihil conuincere, quia priuilegium ipſum de ſe non inducit obligationem audiẽdi Miſſam, & conſequenter non imponit aliquod onus, ſed ſolum aufert id quod impediebat ne ille eſſet obligatus audire Miſſam,

Miſſam. Et ſi obiicias, quia hoc ipſum quod eſt tollere impedimentum, quo ablato inducitur antiqua obligatio, eſt conſecutiue imponere ipſum onus obligationis. Reſpondeo, quod priuilegium, ſi res bene perpendatur, non tendit ad tollendum tale impedimentum formale, vt impedimentum eſt, quia vt ſic præſupponit obligationem præcepti audiendi Miſſam tempore alias prohibito, quod aperte tibi conſtabit, ſi fingas reliquis omnibus eodem modo manentibus, in eo ſolum fieri mutationem, quod nullum prorſus eſſet præceptum audiendi Miſſam, certe tunc clare conſtat quod priuilegium concedens facultatem audiendi Miſſam tempore interdicti, concederet quidquid modo concedit, quia concederet poſſe intereſſe ſacris, in quo ſolo conſiſtit ratio huius priuilegij, & tamen tunc auferret illud impedimentum, quo ablato induceretur obligatio audiendi Miſſam. Ergo nec modo illud aufertur formaliter, ſed mere materialiter, quatenus præbendo facultatem ad aſſiſtendum ſacris tempore interdicti, conſequenter tollit id quod obſtabat, ne iſte obligaretur præcepto ſibi impoſito; quare priuilegium ipſum vere operatur, vt priuilegium ibi, nec aliquam imponit per ſe, & ex intentione neceſſitatem; nec onus obligationis, ſed mere materialiter, & per accidens duntaxar.

11. Ad tertium concedo antecedens, & nego conſequentiam, & ad probationem iam dixi, quod abſolute, & per ſe nemo obligatur vti Bulla, quam habet, bene tamen per accidens iuxta dicta ad primum & ſecundum. Nec propterea ſequitur id quod apparenter videbatur ibi inferri, nempe quod qui poſſet Bullam ſumere tempore interdicti, teneretur id facere ad audiendam Miſſam, quia nemo tenetur, quando illi non incumbit, tollere impedimentum ab Eccleſia impoſitum ad audiendam Miſſam.

Dvbivm V.

Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem recipiendi Euchariſtiam, & alia Sacramenta tempore interdicti, præterquam in die Paſchatis.

1. Ratio dubitandi eſt, quia videtur ibi Pontificem prohibere in die Paſchatis, non ſolum Euchariſtiam, ſed etiam confeſſionem, & receptionem aliorum ſacramentorum. Confeſſio autem non eſt prohibita iure communi tempore interdicti, vt ex *cap. Alma mater* conſtat. Ergo talis conceſſio non eſt priuilegium, ſed arctatio iuris communis.

Reſpondeo tamen habentem Bullam poſſe tempore interdicti accipere Euchariſtiam, præterquam in die Paſchatis, & alia item Sacramenta, etiam in die Paſchatis. Ita intelligunt communiter DD. aliàs non eſſet priuilegium, vt recte colligit argumentum pro ratione dubitandi factum. Hoc autem modo intellecta facultas eſt magnũ priuilegium, quia tempore interdicti, licet aliqua Sacramenta recipi poſſent, non tamen Euchariſtia, niſi in articulo mortis per modum viatici, nec ordo, aut extrema vnctio, vt docent Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 26. *ar.* 2. *fol.* 262. Nau. *c.* 27. *num* 172. Rodr. §. 5. *num.* 4. & 7. Couar. *cap. Alma mater, p.* 2. §. 2. *n.* 7. §. 3. *per totum.* Vbi notat etiam cum multis, quod nec Sacerdos poteſt, cum ſanus eſt, accipere Euchariſtiam tempore interdicti ſine Bulla, niſi ſimul celebret, & ita ſimiliter non poteſt Clericus tempore interdicti extremam vnctionem ſumere ſine Bulla, cum illa

H tamen

Digitized by Google

tamen vtrum[...]ue poſſet; ita Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *fol.* 515. pro quo refert plures Doctores *lit. Q*. Priuilegium autem recipiendi Euchariſtiam in Eccleſia, recte grauiſſimi recentiores extendunt ad recipiendum illam in Oratorio, & non ſolum in Eccleſia. Ita Henriq. *ibidem* contra Ledeſmam, quem ibi refert dicentem id non expedire.

2. Ex quibus colligo. Primò, quod illa particula quæ ponitur in Bulla, *præterquam in die Paſchatis*, non cadit ſupra omnia ſacramenta, ſed ſupra ſolam Euchariſtiam, ita vt ſolum velit quod communio, qua impletur præceptum Eccleſiæ, non ſit conferenda in Oratorio, vt docet Sylu. *Euchariſtia* 3. §.4. *&* *excommunicatio* 7. §.14. & Henriquez *vbi ſupra*. Vnde fit, quod qui habet Bullam, non tenetur proprio Sacerdoti confiteri, ſed ſufficit cuicumque ex approbatis. Senſus igitur illius clauſulæ eſt, quod licet poſſit habens Bullam recipere ſacramenta, quando placuerit, & vbicunque placuerit, excipitur tamen dies Paſchatis, in quo non datur facultas ad communicandum, ea communione, qua implendum eſt Eccleſiæ præceptum, bene tamen alia, vt ſi iam impleſſet prædictum præceptum, vel poſtea impleturus ſit.

Secundò colligo, quod hoc ipſo, quod in Bulla, vel alio priuilegio datur facultas ad recipiendum Euchariſtiam in Oratorio, tempore interdicti, potiori ratione conceditur poſſe illam recipere in Eccleſia. Ita Gallus, Bañez, Lud. de Leon. Deza, & Epiſcopus Lucenſis Commiſſarius Bullæ, quos refert & ſequitur Henriquez *vbi ſupra*, qui etiam aduertit *lib.* 7. *cap.* 13. *fol.* 519. per Bullam concedi facultatem ad recipiendam Euchariſtiam, à quocunque Sacerdote rite miniſtrante, quamuis non ſit approbatus in Confeſſarium, quod alias, ſine priuilegio non liceret, vt ibi oſtendit, & tenent etiam Vaſq. *tom.* 3. *diſp.* 219. *cap.* 7. *num.* 56. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 263. Ad rationem vero dubitandi ſatis patet ex dictis.

3. Sed quæres, quid nomine diei Paſchatis hoc loco intelligatur, id eſt quid de iure, & quid de conſuetudine. Atque in primis obſerua teneri fideles cum ad annos diſcretionis peruenerint, ſemel ſingulis annis in die Paſchatis Euchariſtiam ſumere. Ita habetur ex *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* limitatur autem ibidem, niſi proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ab huiuſmodi perceptione ad tempus duxerint abſtinendum, alioquin viui ab aditu & ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & mortui eccleſiaſtica careant ſepultura, atque idem definit Tridentinum *ſeſſ.* 13. *can.* 9. vnde Panor. *ad prædictum cap. omnis.* arbitratur nomine Paſchatis, ibi intelligi duntaxat ipſum diem Dominicæ Reſurrectionis cum duobus proxime ſeqq. Addit tamen huic præcepto ſatisfacere illum, qui feria 5. præcedenti Euchariſtiam ſumeret, idque ob conſuetudinem receptam, quæ ſic illud interpretatur.

4. Cæterum quia adeo breui temporis interuallo, præſertim in populis valde numeroſis, vix, aut nullatenus poſſent omnes communicare, declarauit Eugenius IV. nomine Paſchatis intelligi quoad hunc effectum, ſpatium 15. dierum, computandum à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in albis incluſiue, vt referunt Maior *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. D. Thom. etiam *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 3. *art.* 4. Caiet. *verb. communio*. Sylueſt. *Euchariſtia* 3. *num.* 6. Tabiena *verb. communicare, num.* 18. Nauar. *in Man. cap.* 21. *num.* 45. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. c.* 55. Azorius 1. *p. lib.* 7.

Digitized by Google

p.lib.7.cap.41.quaſt.2. Regin.lib.29.num. 74. Rodr. in Bulla, §.5. num. 9. & alij, quos refert Bonacina quaſt. 7. diſp.4. punct.2. num.6. Hinc qui intra prædictum tempus, & nullo interueniente legitimo impedimento, hoc præceptum culpa ſua non impleuerit, pœnas d.cap.omnis, impoſitas incurrit, poſt latam Iudicis ſententiam, & non prius, vt notat Suar. tom. 4. diſp. 36. num.2. & poſt illum Fagundez 3. precepto, lib.1. cap.5.n.3. hæc de iure.

5. At de conſuetudine & priuilegio poteſt aliud eſſe: nam conſuetudo poteſt ius commune interpretari, & aliquando contra ipſum præualere. Vnde fere per totam Luſitaniam ſatisfieri huic præcepto, ſi Euchariſtia ſumatur in quolibet die Quadrageſimæ, teſtatur Nauar. ibidem. Beja in 4.p. caſu 4.initio, & Fagundez citatus; imo in tota Hiſpania iam hoc eſſe legitima conſuetudine receptum, affirmat Azor. ſupra quaſt. 4. & Rodr. loco cit. qui inſuper addunt, id ipſum teſtatum fuiſſe à Laurentio Epiſcopo Præneſtino Cardinali ſanctorum 4. Coronatorum, quod ſic declarauerit Clem. VII. Hæc autem declaratio continetur in Compendio priuilegiorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, vt notat Fagundez.

6. Ex dictis igitur conſtat, nomine diei Paſchatis hoc loco intelligi communionem Paſchalem, etiam ſi fiat quouis alio die ex prædictis. Vocatur autem ſic communio obligatoria, tum quia vt plurimum in die Paſchatis fieri ſolet; tum quia per communionem quouis die ex prædictis factam poteſt ſatisfieri communioni de iure faciendæ in die Paſchatis.

Dvbivm VI.

An quis poſſit die Paſchatis, ſaltem ex deuotione communicare in Eccleſiis Regularium, abſque Parochi licentia.

1. Communis ſententia tenet, eo die nec ex deuotione, nec ex obligatione poſſe quempiam communicare, niſi in propria Parochia, vel alibi de ſpeciali Parochi licentia. Ita Nauar. in Man.cap.21.num.52. Cardinalis Clementina 1. de priuileg. quaſt.11. Henriquez lib.8. de Euchariſtia cap.55. num. 1. lit.B. Azor. tom.1. lib.7. cap.41. quaſt.6. Sotus in 4. diſt. 18. quaſt.4.art.2. Rodr. in Bulla, §. 5. num.10. & in ſum. hiſpana tom.1. cap. 67. num.3. Sorbus in annot. ſuper compend. §. communicare, & alij. Ducuntur primò, quia in d. cap. omnis vtriuſque ſexus, decernitur, vt quiſquis à proprio Sacerdote Euchariſtiam in die Reſurrectionis percipiat: cum igitur ad proprium Sacerdotem ſit accedendum, conſequenter ad propriam parochiam accedere oportet; vel ſi in alia, de licentia proprij Sacerdotis, & non aliter id conceditur ibidem.

2. Secundò; quia cum Nicolaus V. & Sixtus IV. conceſſerint omnibus Generalibus, & Prouincialibus, Miniſtris, & cunctis Confeſſoribus Ordinis Minorum per ſuos Superiores deputatis ad confeſſiones ſæcularium audiendas, vt omnibus quarumcunque diœceſum, quorum confeſſiones audierint, ſacratiſſimi Corporis Domini cõmunionem dare poſſent quocunque tempore, excipiũt tamen præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ. Ita habetur in lib. Monumenta Ordinum, in 1. impreſ.fol.30. in 2.144.conceſ 249. & in ſupplem. fol.38. conceſ.159. Similẽ conceſſionem, & cum

eadem exceptione fecit Leo X. quodam viuæ vocis oraculo authentico, de quo habetur *in ſupplem. ordinis, fol.* 58. *conceſſ.* 160. Addit autem ibi Leo X. quod licèt confeſſiones ſæculariũ audire nequeãt, niſi in præcedentibus indultis nominati, miniſtrare tamen ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum tempore conceſſo, poſſit quilibet Sacerdos Religionis: itaque eſto virtute harum cõceſſionum non ſubiaceant iam Religioſi pœnæ excommunicationis Summo Pontifici reſeruatæ, quæ per *Clem.* 1. *de priuil.* ferebatur contra ipſos, ne Clericis, aut laicis Sacramentum extremæ vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare poſſent abſque Parochi licentia ſpeciali; ſemper tamen manet in vigore exceptio illa, ne id faciant in die Reſurrectionis Dominicæ, & conſequenter videtur id eſſe illis omnino prohibitum.

3. Hanc opinionem limitat primò Nauarr. *ſupra*, non eſſe intelligendam reſpectu eorum, qui hoc Sacramentum acciperent, vel miniſtrarent, cum eiuſmodi eſſent perſonæ, tempus, & cauſæ, vt viri prudentis arbitrio credi poſſit Parochum fore contentum, ob tacitam facultatem, quam tunc videtur concedere. Idem ſentiunt Henriq. citatus *in com. lit. B. fine*. Sotus *art.* 3. Sylu. *verbo Euchar.* 3. §. 4. *& verb. excom.* 7. *caſu* 14. Ledeſma 2. 4. *q.* 33. *art.* 3. & Rodr. *loco cit.* vnde hæc deducitur differentia inter Sacramenta pœnitentiæ, & matrimonij ex vna parte; & Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis ex alia, quod in his ſufficit licentia præſumpta, & ratihabitio de futuro, in illis autem ſemper requiritur, quod licentia præcedat, vel ſaltem ſit ratihabitio de præſenti. Et ratio eſt, quia in Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij, ſubſtantia, & validitas actus pendet ex iuriſdictione, itavt ſine illa valide non fiant: at ſubſtantia, & validitas Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis non pendet ab huiuſmodi iuriſdictione; atque ideo, ſi ſine tali iuriſdictione conferantur, peccabunt conferentes; valide tamen conferent, à peccato autem excuſantur, dum tacita adeſt Parochi licentia, vt notat Fagundez *num.* 11. ſecutus Rodr. *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 56. *art.* 3. *ante medium*.

4. Limitant ſecundò DD. ſtatim citandi, vt non intelligatur de aduenis, peregrinis, & vagabundis, quibus nulla eſt propria Parochia, & conſequenter poſſunt in Eccleſiis Mendicantiũ quocunque tempore, etiam in die Paſchatis communicare, tam ex deuotione, quam ex obligatione præcepti. Ratio eſt, quoniam cum careant Parochis, & Parochia, videtur etiam quod ceſſet in illis tota ratio prohibitionis, quæ erat, vt ſaltem tunc omnes ſuum agnoſcerent Paſtorem, eidémque obedientiam quodam modo præſtarent: ita docent *vbi ſupra*, Henriquez, Sotus, & Rodr. quos citat, & ſequitur Fagundez *n.* 10. & eſt communis.

5. Secunda opinio extrema tenet, poſſe fideles in Eccleſiis Regularium quouis tempore, etiam in die Paſchatis communicare, non ſolùm ex deuotione, ſed etiam ex obligatione præcepti, etiam repugnantibus Parochis; ac proinde ſatisfacere præcepto illos, qui in Regularium Eccleſiis animo implendi illud, communicant, quocunque tempore ad huiuſmodi effectum aſſignato, vel à iure, vel à conſuetudine: ita Beja 4. *part. caſu* 4. vbi id latè probat: videtur inclinare Rodr. *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 56. *art.* 3. §... circa quas conceſſiones annuit etiam Fagundez *ſupra n.* 13. vbi pro hac opinione refert Sorbum *in compendio*, ſed euidenter tenet priorem ſententiam. Sentiunt igitur præcitati authores poſſe fideles, tam in die Paſchatis, quàm in quouis alio die totius anni,

Digitized by Google

anni, communicare in regularium Eccleſiis, tam ex deuotione, quàm ex obligatione præcepti; & ſic communicantes nullas incurrere pœnas à iure, vel conſtitutionibus diœceſanis impoſitas, ſi oſtenſa ſchedula probent in regularium Eccleſiis communicaſſe.

6. Ducuntur primò ex priuilegio Iulij II. concedentis Fratribus Ordinis Minorum, vt in Ecceſiis ſuis, quoties opus fuerit, poſſint miniſtrare, & miniſtrari facere Sacramentum Euchariſtiæ, curialibus, mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac aliis quibuſcunque perſonis; habetur autem dictum priuilegium *in compend. §. communicare, n.* 15. at in eo priuilegio nulla fit exceptio, nec temporis, nec perſonæ: igitur quouis anni tempore, & conſequenter etiam in Paſchate, poſſunt fideles omnes in Eccleſiis regulariũ communicare. Cuncti autem regulares per communicationem eodem priuilegio gaudent. Et fauet quod addit Fagundez citatus, nempe ſe accepiſſe à viris religioſiſſimis nuperrimè ita fuiſſe iudicatum in cauſa, quam fratres Minores diſcalciati ex prouincia Pietatis cum quodam Parocho hac de cauſa habuerunt.

7. Secundò, id probatur ex alio priuilegio per Nicolaum V. conceſſo Monaſterio B. Mariæ de Guadalupe ordinis D. Hieronymi ſub anno Domini 1458. & habetur *in compend. priuilegiorum eiuſdem ordinis*, §. 2. & 6. quo priuilegio conceditur, quod Religioſi ipſi in dicto Monaſterio poſſint liberè, & licitè miniſtrare, etiam in die Paſchatis, Sacramentũ Euchariſtiæ quibuſcunque perſonis ad prædictum Monaſterium confluentibus, Diœceſanorum aut Parochorum licentia minime requiſita. Et Cardinalis Antonius ſummus Pœnitentiarius Pauli III. anno primo ſui Pontificatus, de eiuſdem Pontificis ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo ſuper hoc ei facto, indulſit, vt priuilegium iſtud extenderetur ad Capellas, Oratoria, & loca alia eiuſdem Monaſterij, & ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, non obſtantibus aliis quibuſcunque: & quamuis hoc priuilegium fortaſſe fuerit conceſſum prædicto Monaſterio de Guadalupe, quia ob maximam deuotionem, quam gentes erga Deiparæ Virginis imaginem, in maiori illius templi altari collocatam, gerunt; vndique magnus fidelium numerus illuc confluere ſolet; per conceſſionem tamen Pij IV. & Pij V. hæ, & ſimiles conceſſiones factæ ſunt communes omnibus eiuſdem ordinis Monaſteriis, eſto in illis non militent eædem cauſæ, ob quas fuerunt indultæ Monaſterio de Guadalupe, vt latè oſtendit Rodr. citatus. Cum igitur hoc priuilegiũ ſit iam omnibus dicti ordinis Monaſteriis cõmune, ſequitur manifeſtè eodem priuilegio poſſe frui Monaſteria ordinum Mendicantium, & aliorum, qui ſuorum priuilegiorum habent pleniſſimam communicationem, & cõſequenter abſque vllo peccati cenſuræve timore, poſſe Regulares in ſuis Eccleſiis miniſtrare Euchariſtiæ Sacramentum cunctis fidelibus, etiam in die Paſchatis, nulla Parochi licentia requiſita, ac proinde fideles ſic communicantes, Eccleſiæ præcepto etiam ſatisfacere. Dixi in ſuis Eccleſiis, quia in alienis id non poſſunt Regulares in communione Paſchali, bene tamen in communione voluntaria, ſeu ex deuotione iuxta Pontificias Nicolai V. Sixti IV. & Leonis X. conceſſiones *ſupra* relatas.

8. Vtraque prædicta opinio, vt extrema, nec mihi placet, nec tuenda videtur. Probationes namque in fauorem prioris adductæ, ſolùm conuincunt de communione ex præcepto facienda. Probationes autem in poſterioris fauorem factæ facile ſoluuntur, cum poſſint,

Digitized by Google

ac debeant interpretari de aduenis, peregrinis, vagabundis, & ſimilibus, iuxta limitationem Nauarr. *ſupra* inſinuatam. Quare his omiſſis.

9. Dico primò, poſſunt fideles præcepto Eccleſiæ ſatisfacere per communionem factam, non ſolùm in die Paſchatis, ſed quouis alio die à Dominica palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; imo in Hiſpania, & fortaſſe alibi, à principio Quadrageſimæ vſque ad dictam Dominicam in Albis iuxta conceſſionē Clementis VII. & conſuetudinem ibi receptam. Hæc aſſertio ſatis conſtat ex dictis in præcedenti quæſito.

10. Dico ſecundò, præcepto communionis annuæ non poteſt ſatisfieri, niſi in Parochia, vel ſi in alia, id quidem de licentia Parochi, & non aliter. Pro cuius explicatione obſeruare oportet, non conuenire DD. circa interpretationem diei Paſchatis. Nauarr. enim *in ſum. cap.* 21. *num.* 52. id interpretatur de die materiali, id eſt, de primo Paſchatis die: alij id interpretantur de die formali, id eſt, de toto illo tempore, quo poteſt Euchariſtiæ præceptum impleri, iuxta ea quæ præcedenti quæſito tradita ſunt; ita Suar. Vaſq. & Filliuc. ſtatim citandi, & nos etiam indicauimus in calce præcedentis quæſiti. Hinc igitur deduco, quod communio Paſchalis, id eſt obligatoria, quæ de iure facienda eſſet in die Paſchatis, etiam ſi fiat quouis alio die, à Dominica palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, non poteſt fieri niſi in Parochia, vel de licentia Parochi. Hanc aſſertionem tenent expreſsè præfati Authores; atque id manifeſtè habetur ex *cap. omnis vtriuſque ſexus*, vbi diſponitur, teneri omnes fideles cum ad annos diſcretionis perueniunt, ſemel ſaltem ſingulis annis communicare, idque in Parochia, vel de licentia Parochi. Neque obſtat, quod ibi exprimatur dies Paſchatis, cum iuxta declarationem Eugenij IV. communio eo die de iure facienda, poſſit licitè fieri per quindecim dies numerandos, vt ſuperius dictum eſt.

11. Dico tertiò, in Eccleſiis regularium poteſt quiſpiam, etiam in die Paſchatis communicare ex deuotione, nulla requiſita Parochi licentia; ſecus autem ſi communicet animo præceptum implendi. Ita Suar. *tom.* 3. *diſputat.* 72. *ſect.* 2. *§. cenſeo igitur.* Vaſq. etiam *tom.* 3 *diſput.* 219. *num* 47. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 264. Bonac. *d. diſp.* 4. *num.* 9. Nugnus 3. *part. tom.* 1. *quæſt.* 82. *art.* 3. *verſ. Alia difficultas eſt.* Rodr. *ſupra verſic. ad hanc obiectionem*, & Fagundez *num.* 9. vbi vterque Rodr. nimirum, & Fagund. à priori recedunt opinione, & noſtram amplectuntur. Ducor primo, quia ſi quis præceptum communionis impleuit fer. 5. hebdomadæ ſanctæ, nullo iure tenetur in die Paſchatis communicare. Ergo ſi pro ſua deuotione velit communicare eo die, poteſt licitè in Eccleſiis regularium communionem ſumere: atque idem ſentiendum eſt de eo, qui die Paſchatis pro ſua deuotione extra parochiam, & alio die illius Octauæ, vt præcepto ſatisfaciat, in Parochia communicare intendit. Ratio eſt, quia priuilegia, in quibus conceditur facultas Euchariſtiæ adminiſtrandæ, excepto die Paſchatis, intelliguntur formaliter de communione Paſchali, ſeu Paſchatis, vt fideles ſemel in anno ſuos Paſtores recognoſcant. Nos autem ſupponimus iam præſtitiſſe, vel animum habere præſtandi intra tempus præfixum.

12. Secundo fideles ex vi præcepti non tenentur in parochia communicare, niſi ſemel in anno, vt dictum eſt, nec adſtringuntur eam communionem facere in die Paſchatis, ſed ſatis eſt ſi commu

Digitized by Google

communicet intra quindecim dies. Igitur ſi ex deuotione velint alibi communicare in die Paſchatis, non eſt illis prohibitum, modo intra tempus præfixum ſatisfaciant in parochia, vel alibi de licentia Parochi.

13. Neque obſtat quod in præcitatis priuilegiis dicatur, *præterquam in die Paſcha, ſeu reſurrectionis Dominicæ duntaxat*; quoniam non eſt attendendus materialis verborum ſonus, ſed formalis ſenſus, & intentio Pontificis, qui (vt conſtat ex dictis) communionem, qua præceptum impletur, vocat communionem in die Pachæ, ſeu in die reſurrectionis, quod idem eſt, ob rationem ſuperius inſinuatam. Neque hæc interpretatio cenſenda eſt violenta, ſed ſatis clara, & obuia, & litteris Apoſtolicis accommoda, attento modo loquendi *cap. omnis vtriuſque ſexus*, & praxi totius Eccleſiæ, vt Suar. & Rodr. obſeruant.

14. Ex dictis igitur infertur primò interpretatio ad ſimilem exceptionem appoſitam in Bulla Cruciatæ, dum conceditur ibi facultas ſumendi Euchariſtiam tempore interdicti in aliis Eccleſiis, ſeu priuatis Oratoriis, præterquam in die Paſchatis: Quæ vltima verba interpretanda ſunt de communione, qua præceptum Eccleſiæ impletur in die Paſchatis; & quidem niſi ſic exponamus, ſequetur poſſe quempiam implere huiuſmodi præceptum in priuato Oratorio, & poſtea neque ibi, neque in parochia die primo Paſchæ communicare, quod eſt ſatis abſurdum.

15. Infertur ſecũdò, facultatẽ virtute Cruciatæ conceſſam recipiẽdi Euchariſtiam in Oratorio à quolibet ſacerdote, etiam ſimplici, non fundari in eo, quod in eadem Bulla conceditur facultas eligendi Confeſſarium, vt aliqui falſo exiſtimant, cum ſint duæ actiones ſeparabiles inter ſe: ſed fundari in eo, quod ibidem conceditur expreſſe facultas celebrandi, ſeu celebrare faciendi Miſſam, Euchariſtiam, & alia Sacramenta etiam tempore interdicti, præterquam in die Paſchatis, eſto renuat Suar. cit. id concedere, forſitan quia Bullam latinam non legerat.

Dubium VII.

Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem ad obtinendam ſepulturam in loco ſacro tempore interdicti.

1. Videtur enim hoc non eſſe nouum priuilegium, cum reuera contineatur in alio eiuſdem Bullæ, in quo conceditur facultas ad recipienda Sacramenta, nam vt rectè docent D. Anton. 3. *p. titulo* 26. *c.* 4. §. 1. & Sylu. *interdictum* 5. *quæſt.* 10. *verſicul.* 6. priuilegiatus ad audienda, & recipienda Sacramenta, eo ipſo eſt priuilegiatus ad Eccleſiaſticam ſepulturam, quia in quatuor feſtis, in quibus conceditur *cap. Alma mater*, vt tempore interdicti diuina celebrentur, licitum eſt etiam mortuos ſepelire, quia officium ſepulturæ ad diuina officia pertinet. Vide Sot. 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1.

2. Reſpondeo tamen prædictam facultatem eſſe verè priuilegium, cum per illam diſpenſetur in lege, quæ habetur *cap. quod in te. de pœnit. & remiſ.* Vbi ait Pontifex, tempore interdicti prohibetur Eccleſiaſtica ſepultura, & prohibetur etiam extra locum ſacrum fieri cum funere Eccleſiaſtico, vt docent Nau. *c.* 27. *num.* 176. Felicianus *de interdicto c.* 7. Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. *fol.* 515. alias Clericus ſepeliens fit irregularis, teſte eod. Henriq. *ibi*; pro quo citat Nau. *c.* 27. *num.* 143 Sylu. *interdictum* 5. §. 8.

Digitized by Google

§. 8.*verſ.*2. Couar. & alios, nec etiam licet ſepultura in feſtis, quibus interdictum ſuſpenditur, vt docet Maiolus *lib. de irregularitate*, *c.*23. *num.* 8. & in ſimili Nau. *cap.*27. *num.* 243. Sylu. *interdictum* 5.per Bullam vero hæc omnia licent. Datur tamen prædictum priuilegium ſepulturæ à Pontifice cum limitatione, ſcilicet, vt fiat cum moderata funerali pompa, quæ autem ſit moderata, Corduba *de Indulgentiis quæſt.* 43. *dub.*5. dicit vſu, & praxi intelligi, quod cadauer cantu, & tribus campanarum clamoribus deferatur, & ſepeliatur apertis ianuis Eccleſiæ, ſine Miſſa tamen, niſi ſpecialiter diſpenſetur; quod ſic fere fuiſſe explicatum ait, in Bulla Leonis X. contra Africam anno Domini 1516. Ipſe tamẽ Corduba refert etiam *ibidem*, quod in commentario Bullæ dato contra infideles à Iulio III. anno 1552. declaratur, quod per pompam moderatam intelligitur medietas pompæ, & ſolennitatis, quæ alias fieret iuxta qualitatem defuncti. Verum in hoc ſtandum eſt conſuetudini patriæ, quæ eſt optima priuilegiorum interpres, vel diſpoſitioni Ordinarij, ſi adſit, vel ſaltem Parochi.

3. Aduerte tamen prædictum priuilegium ſepulturæ non prodeſſe defunctis in excommunicatione, quod ſæpe ſolet exprimere Bulla: poteſt tamen prodeſſe puero carenti vſu rationis, qui tamen alias ſine illa ſepeliri non poſſet in loco ſacro, vt docet Couar. *in c. Alma mater*, *p.* 2. §.4.*num.*5. Sylu. *Interdictum* 5.*quæſt.*8. Cord.*in ſumma*, *q.* 60.

Ad rationem vero dubitandi fatemur non eſſe nouum priuilegium, ſed includi in alio ibi relato, additur tamen expliciatius propter multos etiam doctos, qui illam incluſionem ignorant.

Dices inde ſequi, quod ſaltem Clerici, qui vita durante poſſunt tempore interdicti diuinis officiis intereſſe; poſſent, ſi tunc è vita decedant, gaudere Eccleſiaſtica ſepultura, eſto non habeant Bullam. Reſpondetur id verum eſſe de ſepultura Eccleſiaſtica ſimpliciter, non tamen cum pompa, etiam moderata, vt ex Sylu. *interd.* 5.§. 6. tradit Rodr. §.5. *num.*11.

Sed quæres, an paruulus poſſit deferri tempore interdicti ad Eccleſiam à parentibus. Ratio dubitandi eſt, quia ſecluſo priuilegio Bullæ, vel alio ſimili, paruulus non poteſt ſepeliri in Eccleſia tempore interdicti. Ergo nec deferri ad diuina officia ſine prædicto priuilegio, & ita tenet Sylu. *verbo interdictum* 2. *quæſt.* 17. Reſpondeo nihilominus cum diſtinctione, nam vel paruulus habet vſum rationis, vel non, ſi habet, deferri non poteſt tempore interdicti ad Miſſam; quia caret priuilegio; ſi vero non habet vſum rationis, bene poteſt deferri, vt docet Couar. *c. Alma mater*, *p.* 2.§. 4. *num.* 5. Vbi id tenet ſine vlla dubitatione, quare non opus eſt admittere illam, quam addunt Cord. *in ſum. quæſt* 60. & alij cum illo. Et ratio huius eſt, quia cum ille puer non agnoſcat ibi celebrari diuina officia, nec percipiat ceſſationem eorum, non opus habet priuilegio ad aſſiſtendum ibi, cum diuinorum prohibitio non tangat illum.

4. Ad rationem dubitandi reſpondeo non eſſe eandem rationem, quia Eccleſia eo tempore non admittit aliquod corpus, eo quod interdicta, & impedita ſit, & ſic eius prohibitio non deducitur ex aliqua cognitione: officia vero diuina prohibentur, ne quis ea audiat, aut celebret, quod certum eſt aliquam eorum cognitionem præmittere, qua tamen caret puer, ſi non eſt doli capax.

Dvbivm

Dvbivm VIII.

An quæ conceduntur tempore interdicti in Bulla, intelligantur concedi tempore ceſſationis à diuinis.

1. Ratio dubitandi eſt, quia vt conſtat ex *Clementina* 1 §. *in ceſſationis, de ſent. excom.* interdictum generale æquiparatur in iure ceſſationi à diuinis. Ergo quæ conceduntur in illo, intelliguntur conceſſa in ipſa. Reſpondeo tamen, quod tempore ceſſationis à diuinis nemo poteſt virtute Bullæ audire Miſſam, aut alia diuina officia: ita reſolutum fuit Salmanticæ in quadam Congregatione in Eccleſia matrici, tempore ceſſationis habitæ inter plures Doctores, ita etiam docent Iuniores ex Nau. *c.*27.*n.*188. & 189. Couar. *c. Alma mater, parte* 2. §.4. *num.* 7. *ad finem*, Rodr. *in Bulla*, §.5. *num.* 8. Et probatur, quia tempore ceſſationis non poſſunt Sacra fieri, hoc enim ſonat ipſum nomen ceſſationis, quod diuinorum ſuſpenſionem importat; Bulla autem nõ dat facultatem audiendi Sacra, quando ipſa prohibita ſunt fieri iure communi. Ergo tempore ceſſationis à diuinis nemo poteſt virtute Bullæ aſſiſtere diuinis officiis, niſi illis duntaxat, quæ permittuntur, nempe celebrare Sacrum ſingulis hebdomadis pro renouatione Sacramenti Euchariſtiæ, quod tamen ſecreto fieri debet, ita vt ſolus Sacerdos exiſtat cum miniſtro, aliis non priuilegiatis excluſis.

2. Ad rationem dubitandi reſpondeo, non æquiparari illa duo in omnibus, cum conſtet interdictum generale eſſe cenſuram, non vero ceſſationem à diuinis, alias differentias vide apud Nauar. *c.*27.*n.*188. & apud recentiores, cum agunt de ceſſatione à diuinis.

Sed quæres, an in ceſſatione à diuinis vigeat priuilegium *cap. Alma*, pro feſtiuitatibus ibi expreſſis. Pro cuius explicatione obſerua primò, interdictum generale locale ſuſpendi ex vi *præcit. cap.* in 4. feſtiuitatibus, nempe Natalis Domini, Paſchæ reſurrectionis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Virginis, quoad diuinorum officiorum celebrationem duntaxat, non tamen quoad Sacramentorum adminiſtrationem, vt aliis citatis tradit Villalob. *tom.* 1 *tract.* 19. *diffic.* 6. *num.* 2. Incipiunt autem huiuſmodi feſtiuitates à primis Veſperis, vſque ad Completorium ſequentis diei, vt Angel. *verb. interd.* 6. *quæſt.* 1. Sylueſt. *interd.* 5. *quæſt.* 2. Couar. *d. cap. Alma*, 2. *par.* §.5. *num.* 5. cum aliis, & eſt communis. Vnde non immerito inferunt nonnulli licitè poſſe tunc Miſſam vigiliæ reſurrectionis ſolenniter celebrari. Ita Sotus *in* 4 *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. *concluſ.* 4. Paludanus *in* 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 11. Rodr. *tom.* 2. *qq. regul. quæſt.* 112. *art.* 3. *fine.* Auila *de cenſ.* 5. *p. diſt.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 10. & Suar. *de cenſ. diſp.* 34. *ſect.* 1. *num.* 4. vbi ait, ita in praxi ſeruari, quia inde incipit feſtum reſurrectionis, id tamen intelligendum fore à principio Gloriæ, cenſet Villalob. *num.* 6. ſequutus Rodr. *in Bulla*, §. 5. *num.* 44. quia ait, ita fuiſſe à DD. Salmanticenſibus poſt longam diſcuſſionem concluſum: imo Auila cenſet ſatis probabile idem eſſe dicendum de vigilia Pentecoſtes, cum in Miſſa illius incipiat eadem feſtiuitas, vt videtur deduci ex præfatio. *Et communicantes.*

3. Obſerua ſecundò, conceſſionem prædictam ampliatam poſtea fuiſſe per Martinum V. & Eugeniũ IV. ad feſtum Corporis Chriſti, cum tota Octaua, vt referunt Angel. *verb. interd.* 6. *num.* 16. Syluest. *interd.* 5. *quæſt.* 1. & Suar. cum aliis per eum citatis *num.* 41. ſimilem

Digitized by Google

conceſſionem fecit Leo X. pro feſto Conceptionis Deiparæ Virginis,& eius Octaua in Hiſpaniarum regnis; habetur *in compend. verb. conceptio*, §. 11. & *verb.interd.*2.§.8.& referũtur à Rodr. in ſuo Bullario, Bulla 14.Leonis X. quãuis autem Nauarr.*ſum.cap.*27.*num.*282. & Couarr. *d.*§.5.*num.*2. opinentur conceſſionem iſtam non fuiſſe abſolutam, ſed pro iis Eccleſiis, in quibus recitatur Officium Conceptionis quod incipit. *Egredimini*, *&c.* falluntur tamen, tum quia limitatio illa ſolùm intelligitur, quoad indulgentias per Pontificem ibi conceſſas, non quoad ſuſpenſionem interdicti; tum quia iam vniuerſali conſuetudine receptum eſt in tota Hiſpania, vt ibi ſeruetur dicta conceſſio in omnibus Eccleſiis, eſto in eis memoratum officium non recitetur, vt tradunt Henriq. *lib.*13. *de excomm.cap.*47. *numer.*4. Auila *vbi ſupra*, & Villalob. *num.*7.

4. His ſic præmiſſis. Reſpondetur quod eſto nonnulli DD. partem negatiuam amplectantur,nec immerito cum *in d.cap.Alma*, ſolùm fiat mentio de interdicto, quod à ceſſatione valde eſſe diuerſum oſtendimus *ſupra*; nihilominus dicendum eſt priuilegium *dict. cap. Alma*, intelligi etiam de ceſſatione;tum quia illa conceſſio non limitatur ad tempus interdicti, ſed ſimpliciter ibi ſtatuitur, vt in feſtiuitatibus ibidem expreſſis officia ſolenniter celebrentur, & conſequenter eſt veluti quoddam præceptum negatiuum,quod huiuſmodi recitatio nequeat illis diebus prohiberi; tum etiam,quia id non eſt contra aliquod ius, imo eſt valde conſonum ſanctitati illorum dierum: Vnde hanc partem ſequuntur Couarr.*vbi ſupra n.*3. Suar.*diſput.*39.*ſect.*2.*num.*13.& alij,quos refert Villalob. *tract.*20. *diffic.*2. *num.*5. atque ita in facti contingentia Salmanticæ anno 1584.in feſtiuitate Corporis Chriſti fuiſſe obſeruatum,tradunt Suarez, & Villalob.

5. Quæres ſecundo, an priuilegia Mendicantibus cõceſſa pro tempore interdicti,ac ceſſationis à diuinis ſint per Concilium Tridentinum renocata, aut per Bullam ſuſpenſa. Quoad priorem partem abſolutè dicendum eſt, non eſſe reuocata. Ita Med. *ſumm. lib.*1. *cap.*11. §. 13. & fuſe ſatis Rodr. *in explicatione Bullæ*,§.9.*n.*15. & *tom.*2. *qq.regul.q.*112. *art.*1.atque eſſe communem ſententiam tradit Villalob. *tract.*20. *diffic.*6. *num.*3. & tenet etiam Sorbus *in annotat. ad compend. verb. interdict.* 3. *verb. ſed altis.* Ratio eſt, quia etiam ſi in Trident. *ſeſſ.* 25.*c.*1.& *cap. fin. de regular.* dum ſtatuitur,vt religioſi in ſuis Eccleſiis debeant interdicta publicare, & ſeruare, excludantur priuilegia eiſdem in contrarium conceſſa, id non abſolutè intelligitur de omnibus, ſed de iis tantum, quæ aliquibus religionibus fuerant conceſſa, ne tenerentur interdicta quæcunque ſeruare, cuiuſmodi videntur, quæ Anaſtaſius IV. & Vrbanus III. ordini D. Ioannis conceſſerunt; vt habetur *ex compend.verb.interdictum* 1.§.26. & aliud per Leonem X. Minimis conceſſum, & refertur *vbi ſupra* §.22. Hæc itaque & ſimilia priuilegia reuocantur ſolùm per Tridentinum, *vbi ſupra*, vt latè probat Rodr. *locis citatis*.

6. Quo autem ad poſteriorem partem, priuilegia Mendicantium, quoad ipſos religioſos nequaquam per Bullam Cruciatæ ſuſpenduntur, vt conſtat expreſsè ex verbis Bullæ. Quæ vero ſint huiuſmodi priuilegia, & pro quibus diebus concedantur, latè refert Villalob. *difficult.*8. per totam, poſt Rodriq. *vbi ſupra*.

Dvbivm IX.

Qua ratione intelligatur facultas de edendis carnibus diebus prohibitis, ex conſilio vtriuſque Medici, & an ſit vere priuilegium.

1. Ratio dubitandi eſt, quia carens priuilegio Bullæ, poteſt ſuppoſita ſufficienti cauſa, veſci carnibus, abſque peccato, diebus prohibitis, ex licentia Medici, & Parochi. Ergo illa facultas non eſt priuilegium, cum alias id fieri poſſit iure communi, ſine tali priuilegio.

Reſpondetur tamen prædictam facultatem eſſe verè priuilegium, quia vt conſtat ex *cap. ſtatuimus, & cap. de eſu carnium*, *de conſecratione, d.* 3. *& cap.* 9. *dies, de conſecratione, d.* 5. & ex 6. Synodo generali *can.* 56. & aliis multis iuribus relatis à Couar. 4. *variar. cap.* 20. *num.* 15. & multis etiam Doctoribus relatis ab Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *fol.* 518. non ſolùm ex vniuerſali Eccleſiæ conſenſu, & conſuetudine; ſed ex iure ipſo tenentur omnes temporibus prohibitis à carnibus abſtinere; Bulla autem diſpenſat in iure iſto, cum hac limitatione, quod fiat de conſilio vtriuſque Medici, corporalis, & ſpiritualis. Nomine autem Medici ſpiritualis, non ſolùm intelligitur Epiſcopus, ſed Parochus, itavt hic poſſit auctoritatiue prębere facultatem, & diſpenſare in eſu carnium, & lacticiniorum: quod etiam intelligo verum ſecluſo priuilegio Bullæ, teſte D. Tho. 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *ad vltimum*, & Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *d.* 10. quod ſimiliter tenuerunt Vict. & Canus, & quidam alij moderni Thomiſtæ; & conſtat ex eo, quia ita habet conſuetudo recepta, quæ poteſt dare iuriſdictionem ex *cap. duo ſimul*, *de officio Ordinarij.* Intelligitur pręterea nomine Medici ſpiritualis quilibet Confeſſarius per Bullam electus.

2. Probatur igitur concluſio, quia ſi illo nomine ſolùm intelligerentur Epiſcopus & Parochus, nullum certè concederetur priuilegiũ in dicta clauſula: nam illi ex iuſta cauſa, & proprio officio poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuis in re dubia, & conſequenter nihil de nouo in hac parte concederetur ſumenti Bullam, & ſic ſolebat in aliis Bullis exprimi; & ſi modo non exprimitur, ideo certè eſt, quia relinquitur tanquam notum; non autem eſt neceſſe ad huiuſmodi diſpenſationem quod Confeſſor audierit, vel auditurus ſit confeſſionem illius; ſed ſufficit quod illam audire poſſit.

3. Hæc autem eſt differentia inter Medicum corporalem, & ſpiritualem, quod corporalis tantum declarat cauſam diſpenſandi iuxta qualitatem, & diſpoſitionem corporis: ſpiritualis verò cognita ſufficientia cauſæ diſpenſat authoritate Apoſtolica ſibi per Bullam conceſſa; quare ſi cauſa non ſit iuſta, vel ſaltem per Medicum corporalem approbata, diſpenſatio erit nulla, vt docent communiter Doctores, de quo, & de aliis hanc materiam concernentibus, videndus eſt Quintilianus Mandoſius *tit. licentia, fol.* 63. Imo alij addunt, quod ſi cauſa adhuc eſſet dubia poſt conſilium Medici, tunc non poterit veſci carnibus abſque diſpenſatione Confeſſarij, qui ſua diſpenſatione ſuppleat defectum neceſſitatis & cauſæ.

4. Sed id aliis non placet, quia Confeſſariis (inquiunt) non datur facultas diſpenſandi, vt conſtat ex verbis Bullæ, de conſilio vtriuſque Medici, ſed tantum requiritur eorũ approbatio vt conditio neceſſaria ad gaudendũ priuilegio. Quare dicũt illi quod ſi cauſa ſit dubia, & infirmus illam oſtendat vtrique Medico, ſine vlla eorum licentia poterit abſque ſcrupulo veſci carnibus, quia Papa tunc eſt, qui diſpenſat per Bullam.

Digitized by Google

Non omnino diſplicet hæc ſententia, quia ſicut cum datur facultas in Bulla ad habendum Oratorium cum approbatione Ordinarij, nemo dicit Ordinarium tunc diſpenſare, ſed approbare, ponendo conditionem, quam petit Papa diſpenſans ibi; ſic proportionaliter poſſe dici in propoſito.

5. Diſplicet tamen prædicta ſententia in eo, quod dicitur, quod exiſtente cauſa dubia ſufficit ſimplex oſtenſio illius vtrique Medico facta, non impetrata eorum licentia; quia cum Bulla exigat, vt conditionem neceſſariã, conſilium vtriuſque Medici, neceſſaria videtur eorum approbatio, niſi alias ipſi iniuſte, vel ex ſcrupulo nollent illam dare; quia tunc ipſo iure datur à Pontifice accipienti Bullam.

Id tamen, quod in Bullis ſolet addi, nimirum quod illi, quibus virtute Bullæ diſpenſatum eſt in eſu carnium, ſi in reliquis ſe habeant, vt ieiunantes conſequantur meritum ieiunij, ita explicandum eſt, vt ſenſus ſit, quod voluntas efficax ieiunandi, & effectus obediendi præcepto ieiunij, ſi poſſet, acceptatur à Deo, & Eccleſia, vt ſi reuera ieiunaſſet, in quo multi dicunt nullum inuolui priuilegium, & ideo iam non apponi illam clauſulam, ſed falluntur aperte, vt infra patebit dubio ſequenti in ſecunda probatione pro ſecunda ſententia.

Dubium X.

An qui ex diſpenſatione Bullæ, vel alio priuilegio, aut certe ex manifeſta neceſſitate veſcitur carnibus in die ieiunij, ſit excuſatus in totum à præcepto ieiunij.

1. Partem negantem tuentur Med. *Codice de ieiunio, q.5. & 9.* Ledeſma *2.part.4.q.17.art.3.dub.9.* Pedraza *in 3.mandato, notab.*14. Nau.*in Man.c.*21. *n.*22. Graff.*in deciſ.p.*1 *lib.*2. *cap.*37.*n.*58. Acoſta *in Bulla q.*80. & alij infra citandi, & probatur.

2. Primò, quia ille, qui ob aliquam iuſtam cauſam obtinet diſpenſationem ad pluries comedendum diebus ieiunij, non propterea intelligitur diſpenſatus in eſu carnium, vt omnes vnanimiter docent cum Caiet. & Angleſ. infra citandis. Ergo ſimiliter ille, cum quo diſpenſatur in die ieiunij in eſu carnium, non debet cenſeri diſpenſatus ad pluries comedendum. Patet cõſequentia, quia tam vnica comeſtio, quàm abſtinentia à carnibus pertinent ad ſubſtantiam ieiunij: ergo ſicut qui à primo excuſatur, non cenſetur excuſatus à ſecundo, ita nec è contra.

3. Secundò, quia præceptum Eccleſiæ, licet in totum ſeruari non poſſit, ſeruari tamen debet quoad illam partem, quæ ſeruari poteſt, vt probat optimus textus *in capite cum dilecti, de dolo, & contumacia*, cum aliis citatis à gloſſa, & Doctoribus ibi. Vnde qui non poteſt reſtituere totum, ſed partem, tenetur ad partem; & Sacerdos, qui nõ poteſt recitare omnes horas, tenetur ad partem, quam commode poteſt, teſte Nau. *de Oratione, notabili* 11. Ergo ſimiliter qui non poteſt implere totum, quod includit ieiunium, ſcilicet abſtinentiam à carnibus, & vnicam comeſtionem, tenebitur ad alterutram partem, quam poteſt.

4. Tertiò, quia in tantum alicui permittitur facere contra ieiunium cadens ſub præcepto, in quantum ſe extendit ipſius cauſæ indigentia: ſed ſtat aliquem indigere eſu carnium, non tamen cœna: ergo tunc diſpenſatus in eſu carnium, non cenſetur diſpenſatus ad cœnam. Imo Prælatus ſic diſpenſans in cœna peccaret, & diſpenſatus non eſſet tutus in conſcientia. Quia ſuppoſito quod non indiget cœna, certè diſpen-

Digitized by Google

diſpenſatio quoad cœnam eſſet ſine cauſa; diſpenſans autem ſine cauſa, peccat; & diſpenſatus inſufficientiam cauſæ agnoſcens, non manet ſecurus in conſcientia.

5. Quartò, quia ieiunium includit duo præcepta. Alterum de abſtinendo à carnibus. Alterum de non comedendo amplius, quàm ſemel; vnde in agricolis laborantibus, & opificibus, videmus ſeparari hæc duo præcepta, cum illi teneantur ad primum de abſtinentia ab eſu carnium, & nō ad ſecundum de vnica comeſtione: ſed diſpenſatus in vno præcepto, non cenſetur diſpenſatus in alio, quod poteſt integrum manere ſine primo. Ergo diſpenſatus die ieiunij in præcepto abſtinendi à carnibus, non cenſetur diſpenſatus in præcepto non cœnandi, cum hoc ſecundum rectè obſeruari poſſit ſine primo.

6. Oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, & ſecuram in conſcientia docent ſapientiſſimi, & piiſſimi Doctores Caiet. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 7. & 8. Med. *in ſum.* §. 10. Gabr. 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. Palacius *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *poſt concluſionem* 6. Abulenſis in Matthæum *c.* 6. Angleſ. *tit. de ieiunio, quæſt.* 9. Ouand. 4. *diſt.* 16. *propoſitione* 52. *corollario* 1. Onchala *in opuſculis, fol.* 113. & alij moderni, vt Gallus, Sotus, Moya, Deza, quos refert & ſequitur Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. *num.* 12. quibus accedunt plures recentiores, tam Societatis IESV, quam aliorum Ordinum. Ita Tolet. *lib.* 6. *c.* 3. *num.* 4. Azorius *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 3. Llamas *in ſum. p.* 3. *cap.* 5. §. 26. & nouiſſime Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 52. & Fagundez *in* 4. *præcepto, lib.* 1. *c.* 2. *num.* 5. cum aliis per ipſum citatis, & probatur.

6. Primò, quia ſæpe in Bullis ante Pium V. expeditis ponebatur hæc clauſula, *quod comedentes ex diſpenſatione Bullæ carnes de conſilio vtriuſque Medici, ſi in reliquis ſeruaſſent formam ieiunij, cenſerentur impleſſe præceptum, & conſequi eius meritum.* Ergo præſupponebant ſacri Pontifices, quod tales antea vere non ieiunabant, veſcendo carnibus, aliàs nihil ibi concederent.

7. Nec obſtat licentioſa valde quorumdam Iuniorum reſponſio, aſſerentium illam clauſulam, vt omnino inutilem, eſſe ſublatam. Nam in primis, licet de facto de ieiunij Eccleſiaſtici ſubſtantia ſit abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtio, tamen cum talis eſſentia conſtituta ſit iure poſitiuo: ita tenet communis DD. recte poteſt Papa ſua diſpenſatione efficere, vt quis veſcendo carnem vere ieiunet, ſeruando in reliquis formam ieiunij, & conſequenter quod ille impleat præceptum ieiunij. Deinde forſan Papa concedit per illa verba accipienti Bullam per modum indulgētiæ, vt ſatisfaciat tantum, quantum ſatisfaceret, ſi abſtinendo à carnibus ieiunaret, ita quod ſuppleat per ſuam indulgentiam, quod deeſt pœnalitatis in illo ieiunio. Nec multum refert vſum fuiſſe Pontificem nomine meriti, quia in indultis quæ ad manus vulgarium hominum deduci debent, non ita metaphyſicè accipienda ſunt verba; & tandem ex vi illius clauſulæ ſatis probabiliter quis exiſtimet, quod illud ieiunium deſeruire poſſet ad lucrandum Iubilæum, aſſerens ieiunium tanquam conditionem neceſſariam. Non ergo tam facile dicenda ſunt inutilia verba ſacrorum Pontificum, ſed prudenter & modeſte interpretanda, aut certe ſilentio prætereunda.

8. Secundò, quia abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia, & intrinſeca ratione ieiunij Eccleſiaſtici, vt docent communiter Doctores, & conſtat aperte ex *cap. de eſu carnium, diſt.* 3. & *cap. ſtatuimus, diſt.* 4. Ergo iſta ablata tollitur ratio ieiunij, ſicut ablata parte aliqua

Digitized by Google

eſſentiali compoſiti naturalis ſoluitur tale compoſitum,& conſequenter ceſſat obligatio ieiunandi. Vnde quando quis die ieiunij iterum comedit aduertenter notabilem quantitatem ſufficientem ad mortale,violat ieiuniũ,non tamen obligatur illo die amplius ieiunare,ſed quãuis ſæpius comedat, non peccat de nouo contra præceptum ieiunij,vt contra Med. *codice de ieiunio, vbi ſupra*, docent communiter Doctores, cum Caiet.2.2. *q*.14.5.*art*.7.& 8.eo quod tunc iã eſt illi impoſſibile ſeruare ieiunium, quia hoc petit ſecundum ſuam ſubſtantiam vnicam comeſtionem. Sic in propoſito cum ieiunium ſecundum ſubſtantiam importet abſtinentiam à carnibus,ablata iſta ſoluitur propria,& eſſentialis ratio ieiunij, & conſequenter obligatio ad illud.

9. Tertiò,quia non minus eſſentiale eſt ieiunio eccleſiaſtico abſtinentia à carnibus, quam vnica ſolum comeſtio: ſed iuſte diſpenſatus ad bis comedendum, cenſetur, vt omnes fatentur, diſpenſatus ad non ieiunandum, & ſic licet pluries comedat in illo die, non facit contra præceptum ieiunij. Ergo eadem ratione diſpenſatus ad veſcendum carnibus die ieiunij, cenſeri debet diſpenſatus ad non ieiunandum; atque adeo ad cœnandum. Maior cum conſequentia eſt nota, & minorem docent contra Maior. & Med. *codice de ieiunio quæſt*.5. Nauar. *in manuali hiſpano*, *c*.21. *num*. 17. & *in latino num*.15. cum Durando,Syluestro,& Caiet.*vbi ſupra*.

10. Quartò quia plus eſt comededere carnes, quam non ieiunare, vnde vſque ad 21. annum non tenetur quis ieiunare, vt infra oſtendemus, & tamen tenetur à carnibus abſtinere, hoc enim eſt ſtrictius præceptum, quàm illud: Ergo diſpenſatus in primo, etiam eſt diſpenſatus in ſecundo.Patet conſequentia, quia vt conſtat ex regula Iuris, in 6. cui licet, quod eſt plus, vtique quod eſt minus. Et ſi dicas id ſolum eſſe verum, quando res, de quibus agitur, non ſunt diuerſæ ſpeciei: Contra eſt, quia diſpenſatio, & commutatio voti differunt ſpecie, cum illa ſit relaxatio vinculi, hæc vero tranſlatio eiuſdem vinculi in aliud,& tamen Doctores ex illa regula communiter probant, & bene, in materia de voto, quod cui conceditur à Iure facultas ad diſpenſandum quod eſt plus, cenſetur data ad commutandum quod eſt minus:Ergo regula illa ſæpe habet locum etiam in rebus diuerſæ ſpeciei.

11. Quintò probari poteſt hæc ſententia, ex ratione quam adducit Med. *vbi ſupra in ſumma*, quia (inquit) infirmus non tenetur ieiunare, licentia autem comedendi carnes non datur niſi infirmo: Ergo cui diſpenſatur in eſu carnium, diſpenſatur in ieiunio.Verum hæc ratio eſt valde infirma, quia experientia conſtat multis licite concedi eſum carnis, non quia infirmitate aliqua laborent, ſed quia cibi quadrageſimales ſunt illis nociui,& magnum periculum imminet amittendi valetudinem, qua gaudent. Quamquam certe tantum abeſt quod noceat abſtinentia, quod interdum prodeſt, vt habetur in *cap. legimus*, & *in eius rubrica de conſecratione,diſt*. 5.

12. Adde pro maiori declaratione, quatuor requiri ad ieiunium. Primò requiritur vnica comeſtio, & non plures. Conſtat ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, qui ſic præceptum ieiunij interpretatus eſt, vt non niſi ſemel in die ſit comedendum. Sylu. *ieiunium*, *quæſt*. 3. Med. *de ieiun. quæſt*. 1. Leſſius *num*. 9. Requiritur ſecundò abſtinentia carnium in Quadrageſima *ex cit. cap. ſtatuimus*, & ex 6. Synodo generali in Concil. Tolet.4.*c*.40. extra Quadrag. *ex cap. de eſu carnium*, *de conſ. diſt*. 3. & ex

Digitized by Google

ex Conc. Gerund. *c.* 3. Requiritur tertiò hora certa refectionis *ex c. ſolent de conſec. diſt. prima.* Quæ tamen intelligitur, non poſitiue, quaſi neceſſe ſit ea hora cibum ſumere; poſſumus enim per totum diem abſtinere, ſed negatiue, ne notabiliter ſaltem dictam horam præueniamus. Ita communiter DD. Requiritur quartò abſtinētia ab iis quæ à carnibus ſementinam trahunt originem; quæ obligat in Quadrageſima *ex cap. Deniq. diſt.* 4. & ex præcit. Synod. general. extra Quadrag. oua, & lacticinia non ſunt de iure prohibita, ſed ex conſuetudine tantum, vt ex dicendis *dub.* 11. conſtabit.

13. Hinc colligitur ieiunium Eccleſiaſticum non eſſe aliquam vnam rem, & eſſentiam, vt res phyſicæ: ſed eſſe quoddam morale ex dictis quatuor integratum: quorum duo priora ſunt de eſſentia ieiunij & conſequenter omnino neceſſaria; ita vt ſine illis nequeat ieiunium conſiſtere; alia duo poſteriora non ſunt de eſſentia ieiunij, ac proinde quamuis ex ſe requirantur, poſſunt tamen ex cauſa, vel cum diſpenſatione omitti; abſque fractione ieiunij, vt ſi concedantur oua ex diſpenſatione, ſeu hora debita præueniatur, vt ex dicendis *dub.* 12. fiet manifeſtum. Hinc igitur poſterioris ſententiæ fautores abſtinentiam à carnibus docent eſſe præcipuam eſſentiæ ieiunij partem, & conſequenter ipſorum opinionem, non ſolum probabilem, ſed certam exiſtimant.

14. Vnde ad primum in contrarium negant conſequentiam. Et ad probationem reſpondent, quod abſtinentia à carnibus eſt magis intrinſeca, & eſſentialis ieiunio, & magis intenta ab Eccleſia, quam vnica comeſtio. Nam cum ieiunia, vt conſtat ex D. Tho. 2. 2. *art.* 8. inſtituta ſint ab Eccleſia ad reprimendas concupiſcentias carnis, quoad delectabilia, guſtus, & tactus, conſequens eſt illos tunc cibos præcipue prohiberi, qui maiorem habent delectationem, & magis ad venerem prouocant, quales ſunt carnes. Nec iuuat dicere, quod eadem ratione prohibendum eſſet vinum, cum conſtet ex Prouerbiorum ſecundo, eſſe maximè prouocatiuum ad luxuriam, quia vt tite D. Thomas *articulo* 8. *ad* 7. vinum ideo dicitur ad luxuriam prouocare, quia accendit calorem; quoniam tamen cito tranſit, non ita acriter prouocat, ſicut carnes, quarum virtus magis durat; adde fortè rationem fuiſſe, vt corporali ſaluti hominum conſuleretur: nam aquæ potus ſæpe eſt valde nociuus veſcentibus piſces, qui ſunt pituitoſi, & ideo opus erat potus vini, qui illorum cruditatem malitiámve corrigeret.

15. Ad ſecundam negatur conſequentia, quia in illis caſibus ad omnes illas partes eſt ſpecialis obligatio, etiam ſi non eſſet obligatio ad alias etiam partes, nec ipſæ coirent cum illis, vt inde coaleſceret vnum integrum debitum. Ad illam vero partem ieiunij, quæ eſt non pluries comedere, nemo obligatur Eccleſiaſtico præcepto, niſi ſecundum quod eſt pars ieiunij, & vt inducit rationem compartis cum alia parte, quæ conſiſtit in abſtinentia à carnibus, qua certe ablata non manet illa in ratione partis ieiunij, cum iam tunc ſoluta ſit eſſentialis ratio Eccleſiaſtici ieiunij, & conſequenter obligatio ad illud.

16. Sed obiicies, eadē ratione ablata obligatione non pluries comedendi, ceſſebitur etiā ablata illa pars de abſtinentia à carnibus, quia etiam dicam, quod hæc non obligat, niſi in quantū eſt pars ieiunij: ablata autem illa parte, nec ipſa manet in ratione partis ieiunij. Reſpōdeo ex dictis, quod cū abſtinentia à carnibus ſit eſſentialior ieiunio, & magis intenta

Digitized by Google

intenta ab Eccleſia, vt ſupra diximus, inde eſt quod non ſolum cadat ſub præcepto, vt eſt pars ieiunij, ſed etiam vt præſcindit ab hac ratione. Vnde videmus in Eccleſia in multis diebus eſſe præceptum de abſtinendo à carnibus, ſine obligatione tamen ieiunandi: non tamen è contra obligatio ieiunandi ſine obligatione abſtinendi à carnibus.

17. Reſpondetur, quod obligatio non pluries comedendi die ieiunij fundatur in illa obligatione non veſcendi carnibus, & ſic ablata fundamentali hac obligatione ruit illa alia, quæ in ea fundabatur, & conſequenter cauſa, quæ fuerit ſufficiens ad tollendam illam fundamentalem obligationem, cenſetur etiam ad tollendam illam aliam ſecundam, quæ in ea fundatur, non quidem per ſe, & primario, ſed per accidens, & conſequutiue; & ſic etiam patet tunc diſpenſantem non peccare, & diſpenſatum manere ſecurum.

18. Ad quartum petenda eſt ſolutio ex dictis ad ſecundum, diximus enim quod licet in re recte fieri poſſit, quod quis comedens carnes non indigeat amplius, quam vnica comeſtione, & ſic obſeruatio huius ſecundi non dependet in executione à primo: negamus tamen quod præceptum de hoc ſecundo non detur dependenter à primo, & vt partialiter concurrit cum ipſo ad conflandum adæquatam rationem ieiunij: Quare ablato primo præcepto per diſpenſationem, aufertur de facto ſecundum, licet non repugnaret manere, etſi alius nouus modus ieiunandi, quam qui modo eſt in Eccleſia, inſtitueretur à Pontifice.

Dvbivm II.

Quo opinio authoris ſtatuitur.

1. Poſterior opinio præcedenti dubio adducta valde plauſibilis eſt meo iudicio, non quia probabilior, ſed quia ſenſui conformior. Vnde quia in materia adeo graui, & neceſſaria non ſenſui, ſed veritati eſt conſulendum, idcirco vtraque præcedentis dubij opinione omiſſa, tertiam ſequendam omnino cenſeo, ſicut etiam cenſent DD. ſtatim citandi aſſerentes, quod diſpenſatus in eſu carnium, ratione infirmitatis actualis, vt ſalutem, & vires recuperet, excuſatur à ieiunio, diſpenſatus autem vt præſeruetur ab infirmitate imminenti, quia cibi quadrageſimales illi nocent, non deobligatur à ieiunio. Ita Vict. 2.2.*quæſt.*146. *art.*4. Leſſius *de iuſt. lib.*4.*cap.* 2. *dub.* 6. *num.*45. Cordub. *ſum. quæſt.*143. *&* 167. Angleſ. *in floribus quæſt. de ieiunio, art.* 1. *dicto* 3. *diff. c.* 9. Manuel *in ſum. p.* 1. *cap.* 24. *& in Bulla* §. 7. *num.* 4. Greg. de Valent. *tom.* 3. *in* 2. 2. *diſp.* 9. *quæſt.* 2. *p.* 5. Regin. *in praxi, tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. Comit. *lib.*4. *Reſp. moral. quæſt.*46. Candelab. aureum *cap.* 11. *num.* 52. Conrad. *caſu* 250. Cenedo *in ſuis qq. can. quæſt.* 4. *num.* 6. Ant. Gomez. *in Bulla, clauſ.* [illegible]. Ludou. Lopez *inſtruct. conſcientiæ* [illegible]. *cap.* 3. *de ieiunio, verſ. præterea.* Vega 1. *punct. cap.* 1. *caſ.* 3. *fine.* & Bonac. *de legibus, diſp.* 10. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 3. & poſſunt pro eadem opinione referri Authores pro priori allegati, ſicut etiam probationes illius ſuffragantur huic noſtræ ſententiæ, quam Filliuc. citatus pro ſecunda fatetur tutiorem, & vocat veriſſimam.

2. Sed iam probatur primò, quia eſto abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtio ſint de ſubſtantia ieiunij Eccleſiaſtici, vt omnes fatentur, ſubſtan-

tia

Digitized by Google

tia tamen, & eſſentia ieiunij præcipue conſiſtit in comeſtione vnica: ſed diſpenſatus in iterata comeſtione, non eſt diſpenſatus eo ipſo in eſu carnium: ergo à fortiori diſpenſatus in eſu carnium, non manet diſpenſatus in iterata comeſtione. Minor & conſequentia patent. Maior autem probatur, tum quia in lege veteri ieiunia vnicam requirebant comeſtionem ad veſperum, non autem abſtinentiam à carnibus. Ita Caietan. 2.2.*quæſt*.147.*art*.7. *ad finem*, & Ludou. Beja *part*.4. *caſu* 10. Tum quia Concilia generalia nomen ieiunij tribuunt vnicæ comeſtioni, non abſtinentiæ à carnibus; ita Conc. Agathenſe *cap. Placuit, de conſecr. diſt*.3. ait; *Placuit etiam, vt omnes Eccleſiæ filij (exceptis Dominicis) in Quadrageſima ieiunent*; ecce quomodo dicitur ieiunium diebus Dominicis ſolui, non ob diſpenſationem eſus carnis, ſed iteratæ comeſtionis. Concil. etiam Moguntiacum *can*.4. agens de ieiunio quatuor temporum inquit; *In menſe Iunio hebdomada* 2. *fer*.4.6. *& ſabbato ieiunetur ab omnibus vſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur*. Hinc Caiet. citatus vnicam comeſtionem in ieiuniis expreſse appellat partem magis eſſentialem, & Abulenſ. *in cap*.6. *Matth*. aſſerit Eccleſiam in ieiuniis magis principaliter vnicam comeſtionem intendere.

3. Secundò, quia is, cui Pontifex facultatem concedit edendi carnes diebus ieiunij, non frangit illud, eas ſemel comedendo, imo vere ieiunat, meritúmque ieiunij conſequitur, vt notat Nauar. *conſil*.6. *de obſeruatione ieiunij*. Id autẽ de diſpenſato in iterata comeſtione nemo affirmare audet; & ratio poteſt aſſignari, quia abſtinentia à carnibus, non eſt de eſſentia ieiunij ſimpliciter, vt conſtat ex ieiunio veteris legis iuxta ſuperius inſinuata, ſed tantum eſt de eſſentia ieiunij eccleſiaſtici; in quo Pontifex diſpenſare valet; vnica autem comeſtio non ſolum eſt de eſſentia ieiunij eccleſiaſtici, ſed etiam de eſſentia ieiunij ſimpliciter, atque ideo diſpenſatus in ea, nec vere ieiunat, nec poteſt ieiunij meritum conſequi.

4. Tertiò, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris ſecundum omnes, & tradit Nauar. *lib*.4. *conſil*.14. *de ſponſal*. & conſequenter non eſt extendenda ad alium caſum. arg. *cap*.1. *de fil. preſbyt. lib*.6. §. *illi vero*. Et ratio eſt, quia quæ exorbitant à iure communi, non ſunt trahenda ad conſequentiam, *cap. ea quæ, de regul. iur. in* 6. Vnde diſpenſatio vt quis promoueatur ad Archiepiſcopatum, non extenditur ad Epiſcopatum, *cap. fin. de tranſlat. Epiſcopi*. Diſpenſatio etiam in voto iuramento corroborato, voti tantum mentione facta, non extenditur ad vtrumque, eſt enim odioſa, ac proinde ſtricte interpretanda, vt recte Sanchez *lib*.8. *de matrim. diſput*.1. *num*.24. Ergo diſpenſatus in eſu carnium, non eſt eo ipſo diſpenſatus in iterata comeſtione; cum valde ſint diuerſa, & ſeparabilia; à diuerſis autem, ſeu ſeparatis non fit illatio, *l. Papinianus, ff. de minoribus*.

5. Quartò, ieiunium fuiſſe ab Eccleſia inſtitutum ad cohibenda peccata, & concupiſcentiam refrænandam docent communiter Doctores; ſed iterata comeſtio, maxime carnium, excitat concupiſcentiam, vt conſtat: igitur dum alicui vnica ſufficit comeſtio, iterata non eſt concedenda in diebus ieiunij. Probatur conſequentia, quia qui alicui in die ieiunij concedit, quod non eſt ſaluti corporis neceſſarium, Eccleſiæ menti aduerſatur, & carni contra ſpiritum pugnanti fauet. Vnde Gregor. *cap. denique, diſt*.4. adhuc in vſu piſcium incendium luxuriæ timet, dum ait; *Piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium*; *qui à carne abſtinet*,

Digitized by Google

nequaquam belluarum marinarum conuiuium præparet. Ergo à fortiori id timendum eſt in iterata carnium comeſtione.

6. Quintò, diſpenſatio requirit iuſtam cauſam,& cauſæ cognitionem,maxime dum diſpenſans eſt Papa inferior. Gloſſ.recepta *in cap.requiſitis* 1.*q*.7. cum notatis *in cap.at ſi.de iud.& innoc.in cap. Dudum de elect.* Vnde Rectorem multitudinis ſine ratione pro ſola voluntate diſpenſantem,infidelem, ſeu imprudentem appellat D.Thom.1.2.*q*.97.*art*.4.& Sotus *de iuſtit.lib*.1.*q*.7.*art*.3. Sylu.*verb. diſpenſatio*, *n*. 5. ait diſpenſatum (ab eo qui non eſt Papa) ſine iuſta cauſa quoad Deum tutum non eſſe. Fortunius *in l.Gallus*, *ff.de lib. & poſth.* docet diſpenſationē in lege humana ſine iuſta cauſa in foro interiori nullam eſſe : igitur diſpenſatus in eſu carnium, non intelligitur diſpenſatus in iterata comeſtione,ſi vnica ei ſit ſatis. Probatur conſequentia ex *cap.ieiunia.de conſecrat.diſt*.3. vbi ſic habetur. *Ieiunia ſane legitima non ſunt ſoluenda, niſi grandis aliqua neceſſitas fuerit.*

7. Sextò,quia eſto in rebus phyſicis, ſeu naturalibus, per ſolutionem vnius partis eſſentialis ſoluatur,& deſinat eſſe totum compoſitum, per ſeparationem enim animæ à corpore, deſinit eſſe homo; ſecus tamen contingit in moralibus, quorum eſſentiæ non conſiſtunt in indiuiſibili, ſicut in rebus phyſicis, imo ſunt diuiſibiles, & partibiles, vt ita dicam. Vnde lex plura continens, dum non poteſt ſeruari quoad omnia, ſeruanda eſt in eo,in quo poteſt. Hinc qui non poteſt in diebus feſtis abſtinere ab exercitio operum ſeruiliū, tenetur Miſſam audire, ſi poteſt, & qui votum ex toto implere nequit,tenetur ſaltem implere ex parte, qua poteſt; & qui non poteſt ieiunare totā Quadrageſimā, debet partem, quam poteſt; & is cui ob legitimum impedimentum, non ſufficit tunc vna refectio,tenetur à cibis vetitis abſtinere, vt recte tradit Caiet. *verb.ieiunium,cap.vltimo*;& Regin.*lib*.18.*n*.238. Ergo ſimiliter dicēdū eſt in caſu noſtro, nimirū quod diſpenſatus in eſu carniū, diebus ieiunij debet abſtinere ab iterata comeſtione, dum ei vna ſufficit; abſtinentia namque à carnibus, & vnica comeſtio,quæ ad integritatem ieiunij ſpectant, ſunt ſeparabiles, & conſequenter qui vtramque ſeruare nequit, tenetur alteram ſaltem ſeruare, ſi poteſt.

8. Quare ex dictis facile ſoluuntur probationes pro ſecunda opinione adductæ. Atque vtinam dicta etiam ſufficiant ad coërcendum temerariū abuſum aliquorum, qui leui ex cauſa diſpenſati in eſu carnium,diebus ieiunij ita crapulæ ſtudent,ac ſi nullum eſſet præceptum Eccleſiæ id interdicentis; putant enim ſibi ſatis eſſe conſenſum obtinuiſſe vtriuſque Medici, qui paſſim reſpectu potius profano,quam Chriſtiano ducti ſe in huiuſmodi conſenſibus præſtandis faciles præbent, cum tamen aliter ſit ſentiendum, niſi rationabilis, & legitima interueniat cauſa.

DVBIVM XII.

Qua ratione intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem ad veſcendum ouis, & lacticiniis, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam quadrageſimalibus,& an ſit licita talis diſpenſatio.

1. RAtio dubitandi poteſt eſſe primò, quia diſpenſatio petit ſufficientem cauſam, aliàs non eſſet diſpenſatio,ſed diſſipatio,ſed plerique eorum, qui accipiunt Bullā,non habent neceſſitatem aliquam, atque adeo nec cauſam ſufficientem ad veſcendum ouis, & lacticiniis

cticiniis in Quadrageſima contra ius cõmune,quia,vt ſuppono,ſunt robuſtiſſimi,& bene valent cum ſolo eſu piſciũ: ergo talis diſpenſatio cum illis non eſt magis licita, quã ſi daretur ad veſcendũ carnibus non habenti neceſſitatem.

2. Secundò, quia vt colligitur ex 6. Synodo *canone 56.* prohibitus eſt in die ieiunij omnibus eſus ouorum, & lacticiniorum,ibi enim dicitur; *Viſum eſt vt omnis Dei Eccleſia,quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe,vnum ordinem ſequens ieiunium perficiat, & abſtineat ſicut ab omni mactabili ,ſic ab ouis , & caſeo , quæ quidem ſunt fructus eorum,à quibus abſtinemus*;cui etiã fauet D.Tho.*2.2.q.147.art.4.* & D.Gregorius *Epiſtola ad Auguſtinum Epiſcopum Anglorum*,licet inter eius opera non inueniatur; & Gloſſa *c.admonere 33.q.2.* dicentes ideo in Quadrageſima abſtinendum à prædictis, quia à carne trahunt originem,& magnam cum illa habent affinitatem;atque adeo in Quadrageſima prohibita carne cenſentur etiam illa prohiberi;quæ ratio etiam procedit aperte in ieiuniis non quadrageſimalibus. Ergo ex iure ipſo tenentur fideles abſtinere ab ouis , & lacticiniis in diebus ieiunij.

3. Sed pro pleniori explicatione obſerua primò,quod priuilegiũ de veſcendis ouis,& lacticiniis,conceditur virtute Bullę cum duplici limitatione.Prima, vt non valeat extra regna Hiſpaniæ; Secunda , vt non proſit Primatibus , Archiepiſcopis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis,& Regularibus, necnon Sacerdotibus ſæcularibus in diebus quadrageſimalibus duntaxat.

4. Obſerua ſecundò,quod licet ad inducendã legem ſufficiat ſpatium decem annorũ,vt habetur ex cõcluſione tertia, & docet Filliuc.*n.45.* ad abolendam autem legem Eccleſiaſticã tenet cõmunis opinio requiri ſpatium 40.annorum.Ita Panor.*in cap.vlt.de conſuetudinibus, n.11.* Angel. *verbo conſuetudo , n.8.& 9.* Sylu. *eod.n.6.* & Nau.*lib.1.conſil.tit.de conſuet.* Ratio eſt, quia ad tollendam legem requiritur legitima præſcriptio , contra Eccleſiam autem non procedit præſcriptio, niſi 40.annis , & quamuis Leſſius *lib.2.& 6.dub.14.* prætendat minus tempus ſufficere,ſubiungit tamẽ *n.46.* tutius eſſe ſententiam communem amplecti.

5. Obſerua tertiò,non quamcunque conſuetudinem ſufficere ad huiuſmodi obligationem inducẽdam, nec ſimiliter vim habere ad relaxandum, ſeu reſtringendum Eccleſiæ præceptum de ciborũ delectu in die ieiunij.Nam ſi conſuetudo procedat ex iis quæ fiunt abſque exiſtimatione obligationis , vel abſque vlla intentione ſe ad eandem in poſterum obligandi , ſed ex mera libertate, ſeu deuotione operantis , non quidem ſufficit. Hinc ſi quis ex mera libertate, abſque vlla intentione ſe obligandi, peregrinos in domo ſua excipit ; officium paruum B. Virginis ex deuotione tantum ſingulis diebus recitat ; vel vrbanitatis cauſa duntaxat , quotannis munus aliquod hero ſuo exhibet , conſuetudinem ipſum ad huiuſmodi in poſterum obligantem nequaquam inducit. Vnde recte Sotus *de iuſt. q.7. art.2.* tradit conſuetudines introductas ſolum ex populi deuotione , & pro affectu non eſſe obligatorias,cuiuſmodi ab eodem authore æſtimantur conſuetudines ſeruandi geſta aliqua , ſeu ieiunia, quas ob defectum intentionis inducendi obligationem , ait Reginald. *tom.1. lib. 4. num. 149.* non obligare, niſi creſcente deuotione , poſtea tranſierint in præceptum conſenſu populi , vel Superioris Eccleſiaſtici mandato. Vt igitur huiuſmodi obligatio agnoſcatur, opus eſt , vel expreſſa Epiſcopi declaratio, ſeu approbatio ; vel quod puniri faciat tranſgreſſores , eos nimirum, qui ouis , & lacticiniis veſcuntur.

Digitized by Google

Sufficiet etiam communis exiſtimatio populi, vrbis, ſeu diœceſis, quam ſcit Epiſcopus,& non corrigit:ſemper enim præſumitur Epiſcopus conſuetudinem approbare, quam ipſe non reprobat, & ſemper præſumitur Princeps habere cognitam cõſuetudinem locorum vulgatam, vt docet Bart. *Extrauag. ad reprimendum*, *verbo*, *non obſtantibus*, *fine.* Bald. *lib.2.C.quæ ſit longa conſuetudo.* Iaſon *in L.Præſcriptione,num.*11. *C.ſi contra ius*, *vel vtilitatem publ.* & Felin. *in cap.vlt. de Iudicibus, col.*1.

6. His præmiſſis, ſit prima concluſio. Fideles tenentur iure ſcripto,ad non veſcendum ouis, & lacticiniis, diebus quadrageſimalibus. Ducor,quia ita habetur *cap. denique, diſt.*4. quod Gratianus,& alij tribuunt Gregorio,*dicta Epiſtola ad Auguſtinum Epiſcopum Aglorum.* Hanc concluſionem ſatis oſtendunt,quæ præcedenti 2. argumento inſinuauimus,& tenent eam Cord.*in ſum. quæſt.*60.Pedraza *in 3.mandato, c.*14.Armilla *verbo ieiunium in principio*; Ouandus *in 4.diſt.*16.*propoſitione* 52. Nau.*in man.cap.2.n.*15.Alcocer.*c.*14. Med.*ſum. lib.*1.*cap.*14.§.10. Archidiaconus *c.rogo, de cõſecratione,diſt.*3.Panor.*rubrica de obſeruatione ieiunij,n.*5.*&* 7.& plures alij.

7. Secunda concluſio. Extra Quadrageſimam diebus ieiunij nec oua,nec lacticinia ſunt prohibita de iure communi,ſed tantum ex conſuetudine. Ita D.Thom. 2.2.*quæſt.*142. *art.*8.*ad* 3. Palud *in 4. diſt.*15. *quæſt.4.art.*4. Richard. *ibidem art.*3. *in fine.* Maior *quæſt.*3. *col.*2. Gabr *diſt.6.quæſt.*3. *dub.*1. Angelus *ieiunium*, §.5. Sylu.*eodem* §.15.*verſu primum.* Nauar.*in Man. cap.*21.*num.*15. Med.*de ieiunio*, *quæſt.de iis,per quæ Eccleſiaſticum ieiunium frangitur.* Azor.*tom.*1.*lib.*7.*cap.* 8.*quæſt.*2.& communiter omnes. Ratio eſt,quia nullibi in iure talis prohibitio expreſſe facta reperitur. Vnde Palud. cit.ait, quod ſi alicui ieiunium ſimpliciter iniungatur, poteſt ouis,& lacticiniis veſci, & conſentiunt D. Anton. & Sylu. apud Fagundez *num.*11. allegati. Hinc etiam Maior *ſupra* inquit, quod quamuis frater Minimus comedens oua & lacticinia diebus ieiunij extra Quadrageſimam,peccat lethaliter contra ſuam regulam, non tamen frangit ieiunium, cum non comedat cibos in tali ieiunio ab Eccleſia vetitos.

8. Sed obiiciunt nobis Præpoſitus, & Alexander *in cap. Denique,diſt.*4.*n.*6. Dominicus *in cap. Rogationes,de conſecr. diſt.*3.& Couar.4.*variarum,cap.*20.*n.*15. aſſerentes etiam extra Quadrageſimam tempore ieiunij de iure communi non ſolum carnes prohiberi, ſed etiam quæ ab illis ſementinam originem trahunt. Ducuntur, quia ita colligitur ex verbis 6.Synodi generalis *can.*56.*viſum eſt,&c.* Vnde cum oua & lacticinia, & his ſimilia à carnibus ſementinam originem ducant, conſequenter videtur dicendum, quod prohibito eſu carnium in quouis Eccleſiæ ieiunio, prohibeantur etiam oua, & lacticinia. Reſpondetur tamen præcitata verba 6. Synodi generalis ſolum de ieiuniis quadrageſimalibus intelligi, & de illis loquuntur, non de aliis. Nec valet conſequentia,lex ieiunij prohibet eſum carnium,ergo prohibet omnia, quæ inde originem ducunt; conſtat enim oppoſitum de Sabbathis,& feriis ſextis, quibus prohibetur eſus carnium, non eſus ouorum, & lacticiniorum. Et quidem huiuſmodi argumentatio videtur fundari in illo iuris principio;qui vetat id quod maius eſt,vetat etiam quod minus.Hoc autem principium fallit omnino in odioſis; odioſa autem eſt omnis carnium, atque ouorum & ſimilium prohibitio: atque ideo niſi lex aliquando aliud expreſsè declaret, non eſt facienda extenſio de prohibitione maioris ad prohibitionem minoris.

9. Tertia

9. Tertia concluſio. Generatim abſtinendum eſt tempore ieiunij ab iis cibis, quos conſuetudo, ſaltem decem annorum non permittit, modo Prælati, præſertim S. Pontifex eam ſciuerint, & non contradixerint cum poſſint; dicto enim ſpatio præſumitur ſcientia & tolerantia: vnde pluribus in locis conſuetudo induxit abſtinétiam ab ouis, & lacticiniis. Sic plerumque in locis maritimis, vel parum à mari diſtantibus; vel eſto diſtent, eſt tamen piſcium abundantia. Ita in tota fere Vmbria, Piceno, & Hetruria, teſte Filliuc. *tom.2.tract.27. cap.3. num.48.* Idem in magna parte Hiſpaniæ, & in quibuſdam locis Galliæ, teſte Nauar. *vbi ſupra.* E contrario conſuetudo 40. annorum, etiam tempore Quadrageſimæ, induxit in aliquibus locis vſum ouorum, vt de nonnullis Luſitaniæ Diœceſibus teſtatur Fagundez *num.11.* in aliis induxit lacticiniorum vſum, vt in Belgio ex Leſſio *lib.4. cap.2. dub.2. num.8.* in aliis vſum butyri, vt in Lombardia; ex Filliuc. *ibidem:* & in aliis vſum omnium iſtorum ciborum, vt de Germaniæ prouinciis referunt aliqui. Atque ideo conſuetudini præſcriptæ cuiuſcunque regionis, aut loci ſtandum erit, conſuetudo enim ſicut poteſt legem inducere, ita eam reſtringere, vel relaxare, vel etiam abrogare, eſt communis opinio, & multis citatis probat Bonac. *vbi ſuprà.*

10. Ad primam rationem dubitandi reſpondetur licitam eſſe prædictam diſpenſationem, tum quia ſufficiens illius cauſa eſt exhibitio duorum argenteorum in ſubſidium contra infideles datum. Tum quia vſus ouorum, & lacticiniorum non eſt de eſſentia ieiunij, vt dictum eſt *dub.10.* Et licet Papa peccaret in huiuſmodi diſpenſatione, in qua certum eſt non peccare, diſpenſatus tamen in his præceptis, quæ ad ius poſitiuum pertinent, tutus eſt in conſcientia, de quo latius Theologi in materia de legibus contra Iuriſtas, aſſerentes diſpenſationem Pontificis circa aliquod præceptum poſitiuum non eſſe validam deficiente iuſta cauſa.

11. Ad ſecundam rationem dubitandi reſpondet Ouandus *vbi ſupra* Synodum illam loqui de Sabbathis, & Dominicis Quadrageſimæ, in quibus Armeni quidam vtebantur ouis, & lacticiniis, quos ſancta Synodus præcipit confirmari reliquis fidelibus, qui iuxta Gregorium *d. cap. denique*, tenebantur omnibus diebus Quadrageſimæ ab illis abſtinere. Vnde iuxta ſententiam Nau. *vbi ſupra*, in terris de nouo occupatis à Chriſtianis abſtinendum eſſet omnibus ieiunij temporibus ab ouis, & lacticiniis, vt ſic ius illud commune obſeruetur: tamen ſecundum communiorem opinionem, quam nos defendimus, ſolum in Quadrageſima, teſte Nau. *ibidem.* In terris autem iam diu poſſeſſis à Chriſtianis fatetur Couar. cum D. Thom. & Panor. *vbi ſupra*, quod ſtandum foret conſuetudini præſcriptæ, præſcribitur vero annis quadraginta, vt ſupra diximus, & docet Nau. citatus ex *lege 2. Cod. quæ ſit longa conſuetudo, & cap. finali de conſuetud.*

DVBIVM XIII.

An ſuppoſito quod eſus ouorum & lacticiniorum ſit de iure communi prohibitus, id ſub mortali culpa, aut veniali tantum obliget.

1. FAgundez *in 4 præcepto lib.1. cap.2. num.12.* cenſet nec in ieiunio quadrageſimali, nec in quouis alio prohiberi ſub mortali, ſed ſub veniali duntaxat. Allegat in primis ad ſui fauorem, Innoc. *cap. ex parte, in rubr. de obſeruatione ieiunij*, qui tamen oppoſitum potius ſentire videtur, vt indicat Panor. *ibidem*

Digitized by Google

num.5. Allegat etiam Gloſ. *in d.cap.Denique,diſt*.4. quæ (ait ille) poſt textum ſic habet. *Hæc etſi legibus conſtituta ſint, tamen quia communi vſu approbata non ſunt, ſe non obſeruantes tranſgreſſionis reos non arguunt, tamen ſine cauſa erit veniale*. Hæc autem vltima verba, quibus Fagundez nititur, nec in textu, nec in gloſſa reperire potui; at verba præcedentia nihil ipſi ſuffragantur, quia ſolum indicant legem circa prædicta non obligare, vbi contraria conſuetudo viget, quod nos etiam concedimus.

2. Ducitur deinde idem Auctor ratione; tum quia S. Pontifex facile diſpenſat in eſu ouorum, & lacticiniorum, quouis tempore; in eſu autem carnium non niſi difficile, & iudicio vtriuſque Medici, vt conſtat ex Bulla Cruciatæ: igitur non eſt veriſimile S. Pontificem velle ſub lethali culpa eſum ouorum, & lacticiniorum prohibere, ſicut prohibet eſum carnium. Tum etiam quia ſi ſub eodem præcepto, & rigore teneremur abſtinere ab eſu ouorum, & lacticiniorum, ſicut tenemur abſtinere ab eſu carnium, ſequeretur inde quod ſicut diſpenſatus in eſu carnium non tenetur ieiunare, prout opinantur grauiſſimi authores; ita nec diſpenſatus in eſu ouorum, & lacticiniorum teneretur ieiunare, quod eſſe falſum nullus ambigit.

3. Hæ autem probationes nullius ſunt momenti. Prima enim ſolum conuincit eſſe grauius peccatum comedere carnes diebus vetitis, quam oua, aut lacticinia, quod nos libenter fatemur, non tamen quod ſit peccatum veniale, maxime in Quadrageſima. Secūda nullatenus eſt admittenda, tum quia ſupponit falſum, nempe diſpenſatum in eſu carnium, eo ipſo eſſe diſpenſatum omnino in ieiunio, vt habetur ex dictis *dub*.11. tum quia dato, & non conceſſo quod ita ſit, adhuc neganda eſt ſequela; abſtinentia namque à carnibus eſt de eſſentia ieiunij, non ita abſtinentia ab ouis & lacticiniis. Atque ideo difficile Pontifex tempore ieiunij in eſu carnium diſpenſat.

Opinio Authorum.

4. Hac igitur opinione omiſſa, dicendum eſt eſum ouorū & lacticiniorum in Quadrageſima de iure communi prohibitum eſſe ſub culpa lethali. Ducor in primis, quia ſub eodem verborum tenore prohibetur in iure eſus carnium, ac eſus ouorum, & lacticiniorum, vt habetur ex ſexta Synodo generali *can*.56. *Viſum eſt, vt omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe, vnum ordinem ſequens ieiunium perficiat, & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic & ab ouis, & caſeo, &c*. Ergo ſicut eſus carnium, ita ouorum, ac ſimilium prohibitus eſt ſub culpa mortali.

Obiectio.

5. Sed obiicit nobis Fagundez citatus, oppoſitum deduci ex *cap. Denique, diſt*. 4. vbi ſic habetur. *Par eſt nos qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque qui ſementinam trahunt originem carnis ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis*. Nam verbum illud, *Par*, non videtur inducere æqualem obligationem peccati in abſtinentia carnium, atque ouorum, ſeu lacticiniorum in ieiuniis Quadrageſimalibus, ſed potius quandam congruentiam, vt ibi explicat Gloſ. inquiens, *Par, id eſt æquum*, quaſi (ſubiungit Fagund.) de æquo, & bono id ſit, non de ſtricta obligatione, & conſequenter videtur qnod verba textus ibi inducāt obligationem venialem duntaxat. Reſponderur, verbum illud, *Par*, iuxta Gloſ. potius nobis ſuffragari; ait enim Gloſ. *Par*, id eſt æquum, & iuſtum, & mox ſubiungit. *Ex quo caro prohibetur, ergo & omnia quæ de carne procedunt*. Hinc autē potius videtur deduci, quod ſicut ſub lethali eſus carnium prohibetur, ita, & eſus ouorum, ac ſimilium.

Reſponſetur.

6. Ducor

Digitized by Google

6. Ducor ſecundò, quia qui facit cõtra legẽ in re graui, grauiter peccat; ſed ſi quis in Quadrageſima comedat oua, aut lacticinia, facit contra præceptum Eccleſiæ, vt patet ex dictis, idque in re graui, vt conſtat ex praxi ipſius Eccleſiæ, quæ nemini, etiam pueris, poſt rationis vſum, permittit in Quadrageſima etiam diebus Dominicis edere oua, aut lacticinia; igitur qui eo tempore prædictis veſcitur ſine iuſta cauſa, grauiter facit contra Eccleſiæ præceptum, & conſequenter peccat mortaliter. Atque hinc Bonac. vir doctus, & pius *diſp.* 10. *quæſt.* 1. *de ieiunio, punct.* 2. *num.* 2. colligit comedentem carnes, & alium cibum vetitum in die ieiunij grauiter peccare, ſed excuſari aliquando à mortali ex paruitate materiæ, ſi quid valde modicum comedat.

7. Si omnes Chriſti fideles docti, vel indocti, quotquot Dei timorem præ oculis habent, ſciſcitarentur, an eſus ouorum & ſimilium in Quadrageſima ſit ſub lethali culpa prohibitus, omnes credo, vel paucis exceptis, affirmatiue reſponderent; imo ſi in his interdum delinquere contingat, ſe poſtea tranſgreſſionis reos in confeſſione ſolent arguere. Facit ad hoc id, quod tenet Nau. *in man. c.* 21. *num.* 15. ibi enim expreſſe ait, vnica comeſtione ciborum vetitorum, cuiuſmodi ſunt (addit ipſe) carnes, oua, & lacticinia in Quadrageſima frãgi ieiunium. Et quãuis id aliquibus durum videatur, nec immeritò; fatentur tamen grauiter peccare, qui eo tempore prædicta comedit. Igitur ex hac Nauarri, & aliorum doctrina, & ex communi fidelium opinione, haud obſcure infertur reneri omnes de iure communi in Quadrageſima abſtinere ab eſu ouorum & lacticiniorum ſub culpa lethali, atque ita aliis citatis tenet expreſſe Filliuc. *to.* 2. *tract.* 27. *c.* 5. *num.* 63. Vnde cum Caiet. *ſum. verb. ieiunium*, inquit non licere in ieiunio Quadrageſimæ oua, & lacticinia comedere, vbi non eſt conſuetudo in contrarium; videtur exponendus, quaſi dicat, id non licere, imo prohiberi ſub culpa lethali, cum ſit contra præceptum Eccleſiæ, & in re graui, vt dictum eſt ſupra.

DVBIVM XIV.

An virtute Cruciatæ poſſit quis edere lacticinia, & oua in ieiunio, vel Iubilæi, vel voti, vel pænitentiæ ſacramentalis.

1. PArtem negantem tuentur Nauar. *lib.* 3. *conſil. tit. de obſeruat. ieiunij, in* 1. *edit. toto conſil.* 4. *in* 2. *toto conſil.* 5. Graff. *in deciſ. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *num* 60. Ducuntur primò, quia Bulla ſolum lacticiniorum eſum concedit in ieiuniis ab Eccleſia indictis, & cum ſit priuilegium à iure exorbitans, non eſt ad plura extendendum, & conſequenter non eſt extendendum ad ieiunia per Iubilæum, votum, aut à Confeſſario impoſita. Priuilegia namque eſto ſint ita interpretanda, vt aliquid operentur vltra ius commune, vt per Panor. *in cap. certificati, de ſepult.* late Deci. *in c.* 1. *de reſcript. num.* 16. non ſunt tamen ad alios effectus vltra expreſſe conceſſos extendenda.

2. Secundò, ieiunia per Iubilæum, votum, ſeu à Confeſſario iniuncta; ſunt diuerſa ab iis, quæ ab Eccleſia de iure communi conſtituta reperiuntur, à diuerſis autem & ſeparatis nõ fit illatio, *L. Papinianus, ff. de minor.* præſertim quia diſpenſationes, quæ aliquem deobligant à iure communi, ſunt ab eodem iure exorbitantes, atque illud vulnerare dicuntur, *c. ipſa pietas, c.* 24. *quæſt.* 4. *fine.* & ideo ſunt reſtringendæ,

tanquam

tanquam odioſæ, *c. ea quæ, & c. odia, de reg. Iur. in 6.*

3. Tertio, quia generi per ſpeciem derogatur, *cap. generi, de reg. Iur. lib. 6. reg. in toto, ff. eod.* & conſequenter ieiunia prædicta, vt ſpecialia derogant priuilegio generali ſatisfaciendi ieiunio Eccleſiaſtico, virtute Cruciatæ.

4. Verum his non obſtantibus contrarium ſimpliciter tenendum eſt, & omnino dicendum, virtute Cruciatæ poſſe quempiam ſatisfacere prædictis ieiuniis edendo oua, & lacticinia extra Quadrageſimam in Quadrageſima autem ſi ieiunans ſit de numero eorum quibus Cruciatæ priuilegium tunc ſuffragatur, & probatur.

5. Primò, quia non aliter Pontifex, Confeſſarius, aut vouens intendit ieiunium imponere, quam lege Eccleſiaſtica indicitur; ſed eccleſiaſtico ieiunio ſatisfit edendo oua, & lacticinia, cum Bulla, etiam tempore Quadrageſimæ: ergo cuicunque ex prædictis ieiuniis ſimiliter ſatisfit edendo oua aut lacticinia cum Bulla. Probatur conſequentia, quia prædicta ieiunia non requirunt maiorem rigorem, quam ieiunium eccleſiaſticum.

6. Secundò, quia Confeſſarius niſi aliud exprimat, dum pœnitenti ieiunium iniungit, non de chimerico, aut imaginario ieiunio, ſed de eccleſiaſtico, ſeu inſtar illius eſt interpretandus. Dixi *niſi aliud exprimat*, quia poſſet pœnitenti iniungere ieiunium in pane, & aqua, aut cum herbis duntaxat, vel quid ſimile iuxta modum culpæ, & qualitatem perſonæ; ſimiliter ſi quis ieiunium ſimpliciter voueat, procul dubio, niſi quid peculiare intendit expreſſe, de eodem vt ſupra interpretandus eſt. Demum ſi Pontifex dum Iubilæum concedit cum onere ieiunandi, interrogaretur de quo ieiunio intelligat, reſponderet quidem ſuæ intentionis exiſtere, non aliud imponere ieiunium, niſi eccleſiaſticum, ſeu inſtar illius, & certum eſt pro lege habendum fore reſponſum legiſlatoris, dum in caſu ſpeciali interrogatur iuxta gloſ. communiter receptam in *l. tale pactum, §. fin. ff. de pact.* Igitur cum in ieiunio eccleſiaſtico poſſit quis virtute Cruciatæ, etiam tempore Quadrageſimæ veſci ouis, & lacticiniis, idem erit ſentiendum in prædictis ieiuniis.

7. Tertiò, quia Bulla non concedit dictum priuilegium pro ieiuniis determinatis, ſed quibuſcunque totius anni. Ergo abſque vlla violentia, imo cum omni rigore & proprietate extendi debet ad ieiunia prædicta. Conſequentia patet, & Antecedens probatur ex verbis Bullæ latinæ, quæ ſic habet. *Præterea carnibus de conſilio vtriuſque Medici temporibus ieiuniorum, tam quadrageſimalium, quam quorumlibet aliorum totius anni veſci, ac pro eorum libito ouis, & lacticiniis, ita quod qui carnes non comedunt, ſeruata in cæteris ieiunij forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur, apoſtolica authoritate concedimus.* Atque ex dictis patet etiam ſolutio ad probationes in contrarium adductas.

8. Vnde noſtram concluſionem tradunt abſolute Rodr. *in ſum. tom. 1. in 2. edit. cap. 184. n. 10. & in Bulla, §. 6. num. 8.* Sanch. *ſum. lib. 4. cap. 11. num. 59.* Filliuc. *tom. 2. tract. 27. cap. 3. num. 58.* Nugnus *in 3. parte, tract. de Bulla Cruc. §. 8. dub. 3.* Villalob. *tom. 1. tract. 27. clauſ. 6. num. 5.* necnon Lud. Lop. *2. p. Inſtruct. tract. de pœnit. cap. 112. de ieiunio, &* Pet. de Led. *tom. 2. ſum. tract. 27. cap. 2. poſt 3. concluſ. diffic. 3.* Idem de ieiuniis Iubilæi, etiam tempore Quadrageſimæ, docent Angles *floribus 2. p. in addit. q. 9. de abſtinentia à cibo, art. 1. diffic. 9. dub. 5.* Met, *ſum. lib. 1. cap. 14. §. 10.* & Fernandez *in exam. Theol. moral. p. 3. cap. 9. §. 2. num. 2.* & alij.

9. Sed

Digitized by Google

9. Sed quæres, quid ſit ſentiendum de non habentibus Bullam. Dubium iſtud grauius vrget DD. Sed communis fere opinio tenet, quod ſi ieiunium fiat extra Quadrageſimam, ipſi ſatisfit veſcendo ouis, & lacticiniis, niſi legitima conſuetudo alicubi aliud requirat. In Quadrageſima autem à lacticiniis, & ouis abſtinendum, niſi conſuetudo alicubi huiuſmodi cibum permittat. Ita Azor. qui *tom.* 1. *lib.* 7. *inſtit. moral. c.* 10. *q.* 2 *fine*, inquit. *Ieiunia ex voto, pœnitentia, vel Iubilæo præſcripta, ſeruanda eſſe eo modo, quo Ciuitas ſeruat ieiunia 4. temporibus, & vigiliis.* Et *lib.* 11. *c.* 20. *q.* 6. ait, vouentem ieiunare, teneri conſuetudini patriæ ſe accommodare, & ſubiungit; *quia ab his* (id eſt lacticiniis & ouis) *abſtinetur in Quadrageſima; extra vero, iuxta patria vſum.*

10. Et quidem ſi ſermo ſit de ieiunio extra Quadrageſimam, idem videntur ſentire, Angel. *verb. ieiunium, n.* 5. Sylu. *eod. q.* 5. *dicto* 1. Tab. *eod. q.* 7. *n.* 8. Metina cit. & Filliuc. *ſupra n.* 59. *fine*. Imo loquẽtes in ſpecie de ieiunio Iubilæi id tradunt Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 10. *n.* 4. & *c.* 13. *n.* 13. & Rodr. *in ſum. vbi ſupra*, ac de ieiunio pœnitentiæ ſacramentalis id docet Ouandus *in* 4. *diſt.* 16. *poſt propoſit.* 52. *corollario* 1. Et de vouente ieiunare ſingulis quartis feriis per annũ, id tradit etiã Henriq. *eod. c.* 13. *n.* 13. *in comm. lit. D.*

11. In Quadrageſimæ autem ieiunio eſſe à lacticiniis, & ouis abſtinendum, docet idem Angel. *verb. ieiunium initio, & ibi* Sylu. *q.* 3. Tab. *q.* 1. Armilla *n.* 1. & Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 17. *art.* 1. *paulo poſt principium.* Imo loquentes in ſpecie de habẽte votum ieiunandi in Quadrageſima, idẽ ſentiũt Cord. *ſum. q.* 108. *punct.* 2. & Lud. Lopez cit. de ieiunio ſimiliter Iubilæi idem tradũt Metina *ibid.* & Angles *dub.* 5. Fundamentum præcipuum huius opinionis quoad primam partem inde deſumitur, quod Eccleſia, extra Quadrageſimam non interdicat oua, & lacticinia. Et quoad ſecundam, quia ſupponunt præcitati Authores abſtinentiam ab ouis, & lacticiniis in Quadrageſima eſſe integralem ieiunij partem.

12. Nihilominus oppoſita ſententia aſſerens nõ ſolum extra Quadrageſimã, ſed etiam intra, prædictis ieiuniis ſatisfieri, edendo oua, & lacticinia abſque Bulla, mihi pia, & ſatis probabilis videtur. Huic ſententiæ ſuffragantur Palud. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *n.* 33. & D. Anton. 2. *p. tit.* 6. *c.* 2. §. 3. dicentes eum, cui eſt iniunctum ſimpliciter ieiunare, nõ teneri abſtinere à lacticiniis, & tenet expreſſe Sanch. *vbi ſupra, n.* 52. & 53. poſt Angles *Florib. præcit. art.* 1. *poſt* 7. *diffic. dub.* 2. *propoſitione* 3. vbi ait vouentem ieiunare Quadrageſimam, dubium tamen an intenderit abſtinere lacticiniis, nõ eſſe vt reum voti iudicandum, ſi illis abſque Bulla veſcatur. Fundamẽtum huius ſententiæ eſt, quia probabilior opinio tenet, nec iure, nec conſuetudine interdici lacticinia in ieiuniis, vt ſic. Vnde qui ex voto, pœnitentia, vel Iubilæo ad ieiuniũ obligatur, ſolum tenetur ad ieiuniũ eo modo, quo ab Eccleſia inſtitutum fuit, id eſt ad id duntaxat tenetur, ad quod obligat præceptũ ieiunij vt ſic: præceptum autẽ ieiunij, etiam quadrageſimalis vt ſic, non obligat ad abſtinentiam à lacticiniis, ſed eſt præceptum omnino diſtinctũ, & independens ab illa, vt patet experientia; Dominicis nãque Quadrageſimæ nõ ieiunatur, abſtinẽtia tamẽ à lacticiniis obligat omnes, etiã pueros, & alios à præcepto ieiunij immunes.

13. Dices, eo ipſo quod voto, pœnitẽtia, vel Iubilæo ieiuniũ iniungitur, cenſetur ieiuniũ eo modo, quo ab Eccleſia inſtitutum eſt, non ſolum quoad eſſentialia, cuiuſmodi ſunt vnica comeſtio, & abſtinentia carnis, ſed etiam quoad circunſtantias ieiunio annexas, quæ ſunt, hora certa, & determinata refectionis, vt

Digitized by Google

vt habetur ex *c.ſolent.de conſecr. diſt.* 1.& abſtinentia ab iis,quæ à carnibus ſemẽtinam trahunt originem, vt habetur ex *c.Denique,diſt.*4. Vnde nõ ſolum peccatur, & ieiunium ſoluitur per transgreſſionem eorum, quæ ſunt eſſentialia,ſed per tranſgreſſioné etiam eorũ, quæ ſunt ieiunio annexa; vt de hora certa refectionis cõſtat.Si enim quis abſque iuſta cauſa horam refectionis notabiliter anticipet, ieiuniũ ſoluere, & peccare DD. fatentur:igitur idem videtur dicendum, ſi quis non abſtineat à lacticiniis, & ouis, tam in quadrageſimali ieiunio, quam quouis alio,ſi talis ibi vigeat cõſuetudo. Reſpondetur tamen negando conſequentiam, & quidem valde diſpar eſt ratio:nam obligatio de hora nõ anticipanda ex vi ſolius præcepti ieiunij iniungitur,& cõſequenter eo ipſo,quod quis non tenetur ieiunare,nec etiam ad illam tenetur. At obligatio abſtinentiæ à lacticiniis pendet, vel ex alio iuris præcepto,vt in Quadrageſima,vel extra illam, ex cõſuetudine legitime præſcripta,vt in vigiliis & 4. temporibus. Atque ideo poteſt quis ieiunio ſatisfacere abſque abſtinentia à lacticiniis, etiam in Quadrageſima,vel extra illam in locis,vbi dicta conſuetudo introducta eſt. Ad hæc nec per anticipationem horæ frangitur ieiunium propriè, quia non frangitur quoad eſſentialia, ſed ſolum quoad conditionem de præcepto requiſitam,quæ ad plurimum eſt ſolum violatio ſecundum quid.Vnde ſi quis notabiliter horam præueniret, adhuc teneretur ieiunare, vt ex communi tradunt Caiet.2.2.*q.*147.*art.*7.& Azor.*d.lib.*7.*c.*12.*q.vlt.*& ſequitur Filliuc. *ſupra c.*4.*n.*66. Adde quod etiam per eiuſmodi anticipationem, tenent plures,& grauiſſimi DD. non peccari lethaliter, vt late oſtendunt Leſſius *n.*13. & Filliuc.*n.*70. quidquid in contrarium reclament. Nauar. Couar.& alij apud eoſdem.

14. Ex dictis infero primò,quod ſi quis cũ lacticiniis ieiunet in Quadrageſima abſque Bulla,ſatisfacit ieiunio,ſed peccabit lethaliter contra præceptum Eccleſiæ id tunc interdicentis. Similiter ſi ieiunet extra Quadrageſimã,die,quo ibi viget conſuetudo abſtinendi à lacticiniis,ſatisfaciet etiam ieiunio,ſed peccabit contra conſuetudinem,id prohibentem. Si auté ieiunet extra Quadrageſimam die, quo ibi non viget huiuſmodi conſuetudo, tunc ſatisfaciet ieiunio, & nullum peccatum committet.

15. Infero ſecundò, quod ſi quis die ieiunij in Quadrageſima edat carnes, frangit ieiunium,cum abſtinentia à carnibus ſit eſſentialiter requiſita ad ieiunium, & duplex peccatũ lethale cõmittit,vnum cõtra præceptum Eccleſiæ eo tempore eſum carnium interdicentis;& aliud contra præceptum ipſius ieiunij, cum in eius præcepto indirecte etiam interdicatur. Qui autem edit lacticinia eodem Quadrageſimæ tempore, vnum duntaxat peccatum committit contra præceptum abſtinendi ab eis, ſed non ſoluit ieiunium, cum nec abſtinentia à lacticiniis,& ouis ſit de eſſentia ieiunij, nec etiam præcipiatur in omni ieiunio, vt ex dictis habetur, & recte obſeruat Sanch. *ibid.* Vnde videntes aliquem die ieiunij carnes edere, ſtatim concipiunt eum non ieiunare; at videntes aliquem lacticinia edere,non inde concipiunt eũ non ieiunare ob rationem aſſignatam.

15. Fundamentum prioris ſententiæ facile ſoluitur. Nam quoad prioré partem nobiſcum ſentit, & quoad poſteriorem, reſpondetur abſtinentiam à lacticiniis, & ouis proprie non eſſe partem,etiam integralem ieiunij, cum non concurrat ad ſubſtantiam eius, ſed potius eſſe circunſtantiam quandam accidentalem, ſicut de hora refectionis refert Leſſius *lib.*14.*c.*2. *dub.*2.*n.*13. Vnde ſicut manente ſubſtantia ieiunij variari

poteſt,

poteſt, & de facto in Eccleſia ſucceſſu temporis magnam habuit varietatem hora refectionis, ita manente etiam tota ieiunij ſubſtantia, dicta abſtinentia non ſemper requiritur, ſaltem extra Quadrageſimam, imo intra; in aliquibus etiam locis conſuetudo oppoſitum introduxit, vt ſatis conſtat ex dictis.

Dvbivm XV.

Vtrum abſque Bulla liceat in diebus veneris, & ſabbati veſci ouis, & lacticiniis.

1. PLerique Doctores aiunt obligari fideles iure communi ad abſtinentiam prædictorum tam ſextis feriis, quàm ſabbatis, & diebus Rogationũ, & conſequenter ſine Bulla non poſſe veſci ouis, & lacticiniis in illis diebus. Ita Couar. 4. *variarum cap.* 20. *n.* 15. Richardus 4. *diſt.* 5. *ar.* 3. *q.* 5. Ioannes Firmianus *lib.* 4. *de Epiſcopo, p.* 2. *caſu* 107. *num.* 131. Mandoſius *in praxi ſignaturæ, titulo, licentia*, & Cord. *in ſum. q.* 6. *puncto* 4. licet non ita expreſſe ſicut alij. Fundamentum eorum eſt, quia olim tam diebus Veneris, quam Sabbati, & Rogationum ieiunabatur. Ergo licet ſublata fuerit obligatio ieiunandi, non tamen obligatio abſtinendi ab ouis, & lacticiniis, quæ illi erat annexa, cum hæc ſint diuerſa præcepta, & non obſeruato vno poſſit obſeruari alterum. Conſequentia eſt nota, & antecedens docet de diebus Veneris, & Sabbati Innocentius I. *in cap. Sabbato, de conſec. diſt.* 3. & de triduo Rogationum ante Aſcenſionem, habetur *cap. Rogationes, ſimiliter de conſecr. diſt.* 3. & ex Conc. Aurelianẽſi, *canone* 26. & ex Cou. *dict. cap.* 20. *num.* 6.

2. Verum his non obſtantibus dicendum eſt iure communi nõ obligari fideles ad abſtinendũ ab ouis, & lacticiniis diebus Veneris per annũ. Ita docent Abulenſis *in Confeſſionario cap. de gula*, vbi ait oua licere in ſextis feriis per annum, ſumpto argumento *cap. poſt Paſcha* 76. *diſt. ſicut in Hiſpania*; licet inter Paſcha, & Pentecoſten, teſte Palud. 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 3. Palac. *q.* 3. Cord. *in ſumma, q.* 168. & multi etiam Epiſcopi habita cõſultatione ſapientiſſimorum virorum dixerunt id licere, teſte Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. Quare ſi quæ prouinciæ ſunt, vbi diebus Veneris non liceat vſus ouorum abſque Bulla, id certe eſt non iure, ſed cõſuetudine, vt docent D. Thom. 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 4. & cum eo Caiet. & recentiores 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. Sylu. *verbo ieiunium*, §. 5. & 10. & ibi Arm. *in principio*; Panormitanus & Oſtienſis *in rubrica de obſeruatione ieiunij, n.* 5. cum aliis innumeris, quos refert & ſequitur Henriq. *vbi ſupra*.

3. Pro ſecunda verò & 4. feria Rogationũ certum eſt etiã licitum eſſe in illis ſine Bulla comedere oua, & lacticinia, quia ita habet vſus, teſte Cou. 4. *variarũ, c.* 20. vbi dicit. In his diebus ab eſu carniũ tantum abſtinemus, licet olim ieiunare teneremur, vt cõſtat ex Iuribus ſupra citatis pro ratione dubitandi. Imo nec id vbique obſeruatur: ſunt enim in diuerſis prouinciis diuerſæ conſuetudines, quibus ſtandũ eſt. Nam in quibuſdã prouinciis eo triduo à carnibus abſtinetur, nõ tamẽ iterata comeſtio interdicitur; in aliis abſtinetur à carnibus tantũ feria ſecunda, & in vigilia Aſcenſionis; in aliis eadem vigilia ieiunium etiam nunc retinetur; in aliis vero per totum illud triduum carnes comeduntur: publicæ tamen Rogationes, & Litaniæ vbique celebrantur, vt recte Azor. *vbi ſupra lit. D.* & communiter omnes.

4. Huiuſmodi autẽ celebris & laudabilis cõſuetudo originẽ duxit à Mameto Epiſcopo Viennenſi, qui, cũ ea Ciuitas luporũ, ac vrſorum incurſibus valde infeſtaretur, atque ædificia illius aſſiduis quaterẽtur terræmotibus, publicas ſupplicationes, quas Græci Letanias vocãt,

Digitized by Google

id eſt Rogationes, & ſimul publica ieiunia indixit per tres illos dies ante Dominicam Aſcenſionis, vt his votis, ac ieiuniis ira Dei placaretur.

5. Hinc non ſolùm tota Gallia, ſed Anglia, etiam Germania, & Hiſpania, Rogationes huiuſmodi, & ieiunia pro quodam Religionis ſtudio colere & obſeruare cœperunt: imò & in alias regiones exinde mos iſte dimanauit, quia eo veris tempore ſolent populi morbis plerumque vexari, & gemmantes, ac erumpentes fructus periclitari. Hinc igitur prædicta conſuetudo initium habuit, nec adhuc eſt omnino abolita, ſed permanent etiam nunc veſtigia illius, magis, minúſve pro diuerſitate prouinciarum, vt dictum eſt ſupra.

Maior dubitatio occurrit circa abſtinentiam in die Sabbati ſeruandam. Nihilominus abſolutè dicendum eſt, in Sabbatis per annum fideles ad ſolam carnium, non ouorum, aut lacticiniorum abſtinentiam teneri.

6. Pro huius difficultatis pleniori declaratione obſeruare oportet, olim in diebus Veneris, & Sabbati totius anni fuiſſe ieiunium omnibus iure communi indictum, vt conſtat ex *d.cap.Sabbato,de conſecr.diſt.*3. vbi Innoc. I. ſic ait. *Si diem Dominicum ob venerabilem Domini noſtri Reſurrectionem in Paſchate celebramus, verum etiam per ſingulas hebdomadas ipſius Dei imaginem frequentamus; & ſicut ſexta feria cuiuſque hebdomadæ propter Paſſionem Domini ieiunamus, nullum etiam Sabbatum prætermittere debemus, in quo triſtitiam Apoſtolorum non iteremus.* Hinc autem colligunt DD. in primitiua Eccleſia ieiunium diebus Veneris, & Sabbati fuiſſe in præcepto, & plenè, ac perfectè ab omnibus obſeruatum. Nunc tamen non eſt in vſu adeo perfectum ieiunium, ſed imperfectum, & ſemiplenum potius; vſus enim carnium, non ouorum, aut lacticiniorum, imo nec iterata comeſtio interdicitur, itaque ſic eſt iam vſu vbique receptum, vt rectè tradit Azor. *tom.*1. *inſtit.mor.lib.*7.*cap.*26. Nihilominus ſi alicubi contraria vigeat cõſuetudo, ea obſeruanda eſt, quia conſuetudo vim legis habet, vt patet ex ſæpius dictis; & ſicut conſuetudine iura, & leges firmantur, ita vſu, & diſſuetudine relaxantur, vel abrogantur.

7. Fauet D. Hieronymus, qui in Palæſtina commorans per Epiſtolam à Lucinio Bætico ex Hiſpania circa obſeruationem ieiunij in Sabbato, conſultus reſpondit inter alia; *Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario humore ſubuerti.* Tandem concludit; *Sed vnaquæque prouincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta maiorum, leges Apoſtolicas arbitretur.* Hæc Hieronymus, & habetur *in cap.vtinam, diſt.*76. Auguſtinus etiam *in Epiſtola* 118. *ad Ianuarium*, ſic refert. *Mater mea Mediolanum me ſequuta, inuenit Eccleſiam Sabbato non ieiunantem, cœperat fluctuare quid ageret: tunc conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ Ambroſium Epiſcopum, at ille ait; Cum Romam venio, Sabbatum ieiuno, cum Mediolani ſum, non ieiuno; ſic & tu, ad quamcunque forte Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri meæ renuntiaſſem, libenter amplexa eſt.* Ita Auguſtinus, & refertur *in cap.illa.diſt.*12.

8. Cæterum circa ieiunium in die Sabbati ſeruandum variæ extiterunt aliquando Eccleſiarum conſuetudines. Græci namque olim Sabbatum tanquam feſtum coluerunt, vt colligitur ex Socrate *lib.*6. *Eccleſ. Hiſtor. cap.*8. & ex Nyſſeno *in oratione aduerſus eos, qui reprehenſiones ægrè ferunt.* Imo nec illud ieiunio cõſecrant, vt habetur ex *can.*55.

Concilij

Concilij Conſtantinopolitani 6. Nec mirum; Græci enim ſequuntur canonem Apoſtolorum 64. vbi dies Dominicus, & Sabbatum à ieiunio ſoluuntur. E contra vero Romana Eccleſia omne Sabbatum ieiunio conſueuit ſemper deputare. Vnde Innoc. I. *in Epiſt. ad Decentium Epiſcopum*, vt habetur *in d.cap. Sabbato*; oſtendit eo die eſſe ieiunium colendum; atque idem ſentit Gregor. VII. vt habetur ex *cap.quia dies.de conſecrat.diſt.5.*

9. Hunc igitur Romanæ Eccleſiæ morem ſecutæ ſunt Hiſpaniarum Eccleſiæ, vt conſtat ex Concilio Eliberitino *cap.26.* atque ex præcit. Epiſt. Diui Hieronymi ad Lucinium Bęticum. Eundem morem ſecutæ ſunt etiam Galliarum Eccleſiæ, vt habetur ex Concil. Agathenſi, *canon.12.* & refertur *in cap. placuit.de conſecrat.diſt.3.* & ex Concilio Aurelianenſi 4. *canon.* 2. Ex Africanis ſimiliter Eccleſiis, quædam Romanorum, aliæ Græcorum vſum ſequebantur, vt fiet manifeſtum legenti Epiſtolam Auguſtini 86. ad Conſulanum. Mediolanenſis vero Eccleſia Græcorum retinuit ritum. Vnde Ambr. *in lib. de Elia, & ieiunio, cap.* 10. arguit; Quadrageſima totis, præter Sabbatum, & Dominicam, ieiunatur diebus, atque ideò idem Ambroſius Auguſtino illum hac de re interroganti reſpondit id, quod ſupra retulimus.

10. Si autem inquiras, vnde inter Romanos, ac Græcos originem duxerit adeo varia de ieiunio Sabbati conſuetudo. Communis reſponſio eſt, id ortum fuiſſe ex varia Apoſtolorum traditione. Nam Apoſtoli, qui ſolum apud Orientis prouincias Euangelium Chriſti annuntiarunt, tradidere Sabbatum eſſe ſolenniter potius colendum, vt eos qui ex Iudæis ad fidem conuertebantur, facilius cum Gentilibus ſimiliter conuerſis conciliarent. Nec ideo ſunt Græci (teſte Auguſtino *præcit. Epiſt.*) Iudaicæ ſuperſtionis rei æſtimandi, quoniam non ritu, aut more Iudæorum Sabbatum vnquam obſeruarunt; ſed coluerant potius, tanquam ſymbolum quietis in cœleſti patria perfruendæ; Romanos vero Sabbatum ieiunio deputaſſe creditur, ob mœrorem, & luctum, quo Apoſtoli ex Chriſti morte affecti ſunt. Vnde Auguſt. *loco cit.* ait; hinc exorta eſt iſta in regia veſte diuerſitas, vt alij ſicut maxime populi Orientis ob requiem ſignificandam æternam, malint in Sabbato relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Nunc autem temporis (vt habetur ex dictis) Sabbati ieiunium non eſt in vſu, niſi quoad carnium abſtinentiam.

Ad fundamentum autem contrariæ opinionis initio adductæ negatur conſequentia, imo vſus ipſe interpretatur etiam ablatam fuiſſe obligationem abſtinendi illis diebus ab ouis, & lacticiniis.

DVBIVM XVI.

Vtrum diſpenſatus virtute Bullæ, vel alterius priuilegij ad oua & lacticinia, poſsit comedere lardum, quod eſt pinguedo ſuilla ſale condita, & non liquata; & ſagimen, quod eſt pinguedo liquata.

1. Ratio dubitandi eſt, quia eſt valde probabile iuxta multorum Philoſophorum ſententiam, ſanguinem, & lac non differre ſpecie ſubſtantiali. Ergo qui obtinet virtute Bullæ diſpenſationem ad lac, etiam ad ſanguinem. Ariſtoteles etiam 2. *de generatione*, ait pinguedinem non eſſe carnem, cum conſtet quod finito naturali

augmento carnis in animali augetur pinguedo, vt experientia conſtat. Igitur ſub prohibitione non comedendi carnem, non comprehenditur pinguedo ſuilla, ſiue ſit liquata, ſiue non; quod probabile putat Ouandus 4.*diſt.*16.*propoſitione* 52. idque affirmaſſe Victoriam de hoc conſultum refert Rodr.*in Bulla*, §.6. *num.*2. cum Med. 1.*ſumma*, *cap.*14. §.10. & affirmant Baltañas *in confeſſionali*, & Archiepiſcopus Blanco, teſte Henriq.*lib.*7.*cap.*13.*fol.*521.

2. Verum his non obſtantibus. Reſpondetur loquendum eſſe in præſenti cum diſtinctione. Nam vel ſermo eſt de iure, vel de conſuetudine; ſi ſermo ſit de iure, videtur ſatis probabile quod diſpenſatus ad oua, & lacticinia, poſſit veſci ſanguine, lardo, vel ſagimine; ita docent grauiſſimi Doctores, tam Theologi, quàm Iuriſperiti. Ang. *verb. ieiunium*, §.5.*fine*, Tabiena *ibi* §.7. Sylu. *quæſt.*5.*num.*16.*dict.*2. Hoſtienſis *in ſumma, de obſeruat.ieiunij*. Graff. *in deciſ.p.*1. *lib.*2.*cap.*37. *de ieiunio*, *num.*12. Ananias, Felinus, & Abb.*in cap.conſului.de Iudæis.* vbi expreſſe dicunt licere eſum ſanguinis. Bertachinus *tractatu de Epiſcopo*, 1.*parte*, *membro* 4. *num.*79. Auiles *in capitulis Prætorum*, *cap.*21. *num.*29. Corſetus *in ſingularibus*, *verbo caro*, *lit.C.* & alij relati *ſupra*, pro ratione dubitandi; pro quo etiam facit gloſſa *cap. Preſbyter*, *verb. ſanguine. diſt.*82. & gloſſ. *cap. admonere*, *verb.carnem*, 33.*q.*2.

3. Ducuntur, tum quia appellatione carniũ in Iure nõ venit lardum, &c. nec econtra, vt ex Bart. & aliis probat Viual.*in ſuo candelabro*, *cap.*11. vbi de ieiunio quadrageſimali, *num.* 39. Tum quia ſanguis & pinguedo re vera non eſt caro, licet ex carne originem trahat. Vnde inferunt, quod cui conceditur vſus ouorum, caſei, &c. conceſſus etiam intelligitur vſus ſanguinis, ſeu lardi, vt refert & ſequitur Paulus Layman *libro* 4. *tractatu* 8. *capite* 1. *num* 5.

4. Si vero ſermo ſit de conſuetudine, dicendum eſt iam ex receptiſſima conſuetudine non licere per ſe loquendo, diſpenſatum ad oua, & lacticinia veſci ſanguine, lardo, vel ſagimine. Ita recentiores cum Henriq. *lib.* 7. *cap.*13. *fol.*521. Viual. Layman, & Med. *vbi ſupra*. Filliuc.*tom.*2 *tract.*27.*cap.*3.*num.*61. & alij. Et ratio ipſa ſuadet, tum quia lardum, ſagimen, & ſanguis multo magis accedunt ad carnem, quam oua, & lacticinia: ergo diſpenſatus ad hæc, non debet cenſeri diſpenſatus ad illa; bene tamen econtra. Tum quia ſi nunc temporis præberetur hominibus talis facultas veſcendi lardo, & ſanguine in diebus ieiuniorum, paulatim eam extenderent ad ſimilia, v. g. farcimina & iuſculum ex carnibus, non abſque graui ſcandalo, & ieiunij eccleſiaſtici tranſgreſſione.

5. Dixi notanter *per ſe loquendo*, quia in aliquibus prouinciis, vt Compoſtellana diœceſi, & quibuſdam aliis partibus Galitiæ, vſus eſt veſcendi in diebus veneris ſanguine, ſeu pinguedine ſuilla iam liquata, ſicut & lacticiniis in diebus ieiunij, etiam quadrageſimalibus, vt mihi ex relatione à perſonis fide dignis data ſatis conſtat. Sicut in Peru etiam, & aliis Indiæ partibus, cibi præparantur ſagimine in diebus veneris & ieiunij propter inopiam olei; quæ conſuetudo iam omnino à peccato excuſat, ſicut excuſat conſuetudo quorundam locorum Hiſpaniæ, quibus mos eſt veſci in Sabbatis ſanguine & lardo; & in Maiorca, & Minorca, vbi fuit quondam conſuetudo veſcendi carnibus die Sabbati, teſte Angles *quæſt.*9. *de ieiunio*; quam etiam viguiſſe in Cathalonia referunt Sylu. & Armil. *verb. ieiunium.* Sed iam in contrarium omnino verſa eſt illa conſuetudo, cum Sabbatis non liceat

ibi

Digitized by Google

ibi aliis cibis vti quam die veneris, quod etiam obſeruatur in Regnis Aragoniæ, Luſitaniæ, Valentiæ, Nauarræ, & in Italia, de quo videndus eſt Nau. *cap.* 13. *num.* 120.

6. Ad rationem dubitandi, Reſpondeo nullam eſſe conſequentiam, quia in his rebus moralibus, & maxime circa ciborum materiam, non opus eſt attendere ad phyſicam & eſſentialem materiam illorum, cum accidentalis ſolum ſufficiat. Ad id vero quod ibidem obiicitur de pinguedine, reſpondetur, quod etiam ius carnium prohibetur die veneris, & non eſt caro, vt recte docuit Med. *in ſum. c.* 14. §. 10. atque ita tenet etiam Rodr. *vbi ſupra*, cum Couar. 4. *variarum, cap.* 20. *num.* 15.

Dvbivm XVII.

Quænam perſonæ veniant intelligendæ nomine Regularium & Prælatorum in prohibitione, quæ habetur in Bulla circa eſum ouorum, & lacticiniorum in diebus quadrageſimalibus.

1. RESpondeo nomine Regularis, ibi intelligi omnes perſonas, quæ in Religione aliqua approbata à Sede Apoſtolica tria vota ſolennia emiſerunt. Veniunt etiam intelligendi omnes illi, qui in Societate Iesv tria vota non ſolennia, ſed ſimplicia, ſubſtãtialia tamen Religionis poſt probationis biennium emiſerunt, quos omnes fuiſſe, eſſe, ac fore vere, & eſſentialiter Religioſos declarauit Sedes Apoſtolica, præcipue tamen id præſtitit Gregor. XIII. in Extrauaganti, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, de quo iam abſque manifeſto fidei errore non licet dubitare, iuxta ea quæ tradit Sanch. *ſum. lib* 5. *cap.* 1. *a num.* 14. *vſque ad* 29.

2. Hinc colliges non comprehendi nomine Regularis Eremitas, qui non emittunt votum obedientiæ in Religione: nec ſimpliciter comprehendi illas, quæ vulgò vocantur *Beatæ*, ſeu *Tertiariæ*, licet ſimplicia quædam vota emittant, inſufficientia tamen ad conſtituendam perſonam Religioſam: nec etiam comprehendi Nouitios cuiuſcũque Religionis, cum non ſint verè, & eſſentialiter Religioſi, ſed in via ad Religionem, & conſequenter non comprehenduntur in rebus odioſis, atque ideò poſſunt per Bullam veſci ouis, & lacticiniis in Quadrageſima, vt bene docuit Rodr. §. 6. *num.* 9.

3. Nomine Prælatorum, hoc loco intelliguntur omnes, qui dignitatem habent Eccleſiaſticam cum iuriſdictionis ſpiritualis adminiſtratione, cuiuſmodi ſunt illi, quibus ex officio incumbit authoritas excommunicandi & abſoluendi ſeu confeſſiones excipiendi, concionandi, & quid ſimile præſtandi, facultatem concedere. Ad hæc, Epiſcopi etiam qui munus ſuum renuntiarunt, adhuc ſub nomine Prælati comprehenduntur, ſufficit enim conſecratio, atque ordo Epiſcopalis, vt vere Prælati ſint, & dicantur. Excipiuntur tamen Cardinales, cum de illis in Bulla nulla mentio fiat. Imo & Epiſcopi electi, & confirmati, non tamen conſecrati, modo non ſint preſbyteri: Nam licet poſt confirmationem habeant iuriſdictionem Epiſcopalem, non tamen ſunt vere Epiſcopi vſque ad conſecrationem, ac ſubinde in odioſis nomine Epiſcopi non comprehenduntur.

4. Sed quæres, an Regulares ſexagenarij excipiantur, atque etiam Equites Commendatarij. Reſpondetur affirmatiue, attento Summario vulgari, vbi prædicti omnes expreſſe excipiuntur, etiamſi preſbyteri ſint, & robuſtiſſimi, vt notauit Rodr. *in Bulla*, §. 6. *num.* 5.

& tenet

Digitized by Google

& tenet Doctor Martinez Societatis Ieſu *in materia de ieiunio.* Id autem magnum priuilegium eſſe conſtat, quia ſine Bulla etiam ſexagenarij tenerentur à prædictis cibis in Quadrageſima abſtinere; vt tradunt Caiet. 2. 2. *quæſt.* 147.*art.*4. Palacius 4.*diſt.* 15.*quæſt.*8.& Med. *ſum. lib.* 1. §. 10. Equites ſimiliter Commendatarij militarium ordinum, niſi in dicto Summario exciperentur, profecto nec conſuetudine, nec alio priuilegio excuſarentur, non ſolum ij qui intra clauſtra degunt, ſed alij etiam Commendatarij, tam Diui Ioannis, imo & Diui Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, iuxta opinionem illorum, qui prædictos omnes vere, & eſſentialiter Religioſos eſſe exiſtimant, vt *cap.ſeq.dub...* latiùs agendum erit.

Attento autem tenore Bullæ Pij V. aliter dicendum eſſet, cum in ea, nec ſexagenarij, nec Equites Commendatarij excipiantur, vt legenti expreſſe conſtare poteſt.

5. Ex dictis colliges, quantũ differant quoad hoc indultũ, Bulla pro Luſitaniæ Regno, & Bulla pro Hiſpaniarum, Siciliæ, & Sardiniæ Regnis per Sedem Apoſtolicam conceſſa: illa namque abſque vlla limitatione dictum priuilegium concedit; iſta verò cum limitationibus prædictis, vt ex vtriuſque tenore apparet.

6. Sed quæres, an is, cui ex vi Bullæ licet comedere oua, & lacticinia in Quadrageſima, poſſit tunc ſimul piſcibus veſci. Nau. *tom.* 1. *conſil. de obſeruat. ieiunij, conſ.*5. negat id licitum eſſe, ſaltem eodem prandio, bene tamen diuerſis. Rationem aſſignat, quia aut ei eſus piſcium nocet, & tunc illos comedendo peccat; aut non nocet, & tunc eſus cibi alias prohibiti, abſque legitima cauſa conceditur. Hæc autem ratio diſplicet Azor. *tom.* 10. *lib.*7. *cap.* 20. *q.* 5. quia eſto piſces alicui noceant, non tamen ex talium eſu quis peccat, ſaltem contra præceptum ieiunij, ſed contra Ius naturale, dum comedit quod ſibi nociuum eſt. Atque ideo probabilius cenſet cum Med. *ſum. lib.*1. *cap.*14. §. 10. & mihi etiam placet, quod eodem prandio poſſit quis ouis ac piſcibus ſimul vti; tum quia accidere, poteſt, vt oua & lacticinia duntaxat, aut etiam piſces tantum, non ſufficiant alicui ad integrum prandium, maxime in die ieiunij. Tum quia eſus piſcium nullo iure poſitiuo nobis interdictus eſt. Ergo niſi ius diuinum, aut naturale obſtare contingat, licite poſſumus ouis ac piſcibus ſimul vti.

DVBIVM XVIII.

Vtrum liceat virtute Bullæ omnibus tam regularibus, quam ſæcularibus presbyteris veſci ouis, & lacticiniis in diebus Dominicis Quadrageſimæ.

1. PArtem negantem tuentur quidam recentiores Societatis Iesv cum Ouando *in* 4.*diſt.*14.*propoſitione* 52. Angles *quæſt.* 9. *de ieiunio, dub.* 1. *difficultate* 7. Henriq. *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.*13.*fol.*520. Rodr. *in Bulla*, §.6.*num.* 4. & probatur.

2. Primò, quia Summus Pontifex intendit in hoc fieri diſcrimen inter laicos, & presbyteros, quod presbyteros vult ſeruare prohibitionem iuris cõmunis toto tempore Quadrageſimæ, vt docent præcitati Doctores cum Cord. infra citando, & conſtat aperte ex *cap.denique, diſt.*4. Ergo eadem prohibet Pontifex in Bulla presbyteris.

3. Secundò, quia ex commiſſione Papæ Commiſſarius declarauit id non licere presbyteris per Bullam, vt ſibi fatetur conſtare Rodr. *vbi ſupra*, ex Commiſ

Commiſſario generali Cruciatæ, quod publice ait euulgatum fuiſſe ex mandato illius.

4. Tertiò, quia licet olim id liceret, quando etiam in Summario vulgari excipiebantur pro preſbyteris ieiunia quadrageſimalia, quorum nomine non veniunt intelligendi dies Dominici, cum non ſint dies ieiunij, tamen modo excipiuntur dies Quadrageſimæ, in quibus ſatis conſtat comprehendi dies Dominicos. Ergo etiam in illis non licet preſbyteris, nec Religioſis, veſci ouis, & lacticiniis per Bullam.

5. Verum his non obſtantibus ſatis probabile exiſtimo, licitum eſſe omnibus etiam preſbyteris tam Regularibus, quam ſæcularibus poſſe veſci ouis, & lacticiniis virtute Bullæ in Dominicis Quadrageſimæ. Ita quidam recentiores *in expoſitione Bullæ* cum Palacio 4. *diſt.* 15. *dicto* 8. *fol.* 127. & Cord. *in ſum. quæſt.* 168. valdeque in eamdem propendet Rodr. *vbi ſupra.* Anton. Gomez. *in Bulla, fol. mihi* 70. *n.* 7. *&* 8. & inclinat Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 6. *num.* 11. Nugnus *in* 3. *p. tom.* 2. *tract. de Bulla Cruciata,* §. 8. *dub.* 9. Llamas *ſum. p.* 3. *cap.* 5. §. 26. Fernandez *in exam. Theol. mor. p.* 3. *cap.* 9. §. 5. *num.* 5. & probatur.

6. Primò, quia preſbyteris etiam regularibus conceditur facultas pro omnibus anni temporibus extra quadrageſimalia ieiunia ad veſcẽdum ouis, & lacticiniis, vt declarauit Gregorius XIII. in Bulla anni 1574. ſed Dominicæ quadrageſimales non comprehenduntur, vt de ſe conſtat, in quadrageſimalibus ieiuniis, ergo in eis licitum eſt preſbyteris veſci ouis, & lacticiniis virtute Bullæ, cum exceptio firmet regulam in contrarium, vt omnes fatentur. Dices iam non licere, quia loco illius clauſulæ in Bullis, quę his temporibus expediuntur, dicitur non poſſe ouis veſci preſbyteros in diebus Quadrageſimę, dies autẽ Dominici dies ſunt Quadrageſimæ. Sed contra, quia excluſis diebus Dominicis recte impletur Quadrageſima, pro quo eſt textus expreſſus *cap. ſtatuimus, & cap. Quadrageſima, & cap. Denique, diſt.* 4. nomenque ipſum *Quadrageſima,* ſatis indicat, quod numerum quadragenarium importat, qui abſque Dominicis ſaluatur. Ergo in rigore iuris ſtando, etiam ſi Bulla excipiat dies Quadrageſimæ, ſufficienter, & prudenter poteſt explicari non loqui de Dominicis, cum ſine illis impleatur Quadrageſima. Adde quod dies Dominici non ſunt proprie dies Quadrageſimæ, ſed abſtinentiæ, vt determinatur in *cap. in qua, de conſecratione, diſt.* 5.

7. Secundò, quia in Bulla latina dum preſbyteris prohibetur facultas comedendi oua, & lacticinia, ſolum excluduntur ieiunia quadrageſimalia: Ergo Commiſſarius in Summario vulgari etiam intelligit nomine dierum Quadrageſimæ ieiunia ipſa quadrageſimalia, alias mutaret in aliquo ſubſtãtiali Bullam originalem, quod eſt graue peccatum, & caſus reſeruatus in Bulla Cœnæ, teſte Nau. *c.* 27. *num.* 62. quem ſequitur Rodr. *vbi ſupra.*

8. Tertiò, quia preſbyteris etiam Regularibus conceditur in ipſa Bulla, facultas ad veſcendum ouis & lacticiniis, in aliis debus ieiunij, vt vigiliarum & 4. temporum. Ergo ſatis prudenter credi poteſt concedi etiam in Dominicis Quadrageſimæ. Patet conſequentia, quia ex regula Iuris in 6. cui licet plus, vtique quod eſt minus; quod intelligi debet in eadem materia, & ſpecie: plus autem eſt concedere facultatem ad oua, & lacticinia in diebus ieiunij, quam non ieiunij, cuiuſmodi ſunt dies Dominici Quadrageſimæ.

9. Quartò, quia prohibitio prædicto-

Digitized by Google

rum ciborum facta eſt in Quadrageſima ob reuerẽtiam,& venerationem ieiunij Chriſti Domini,vt docet D.Thom.2.2. *quæſt.3.art.3.ad finem*,quem ſequitur Palacius *vbi ſupra*;ſed dies Dominici Quadrageſimæ non repræſentant ieiunium Chriſti Domini, cum in illis non ieiunetur: ergo vel in illis non eſt talis obligatio abſtinendi ab ouis, vt viri docti tenent,teſte Palud.cum Rodr.*vbi ſupra*, vel ſaltem, quod verius eſt, per Bullam in ea diſpenſatur cum Preſbyteris tam regularibus, quam ſæcularibus.

10. Ex quibus colligo primò, certum eſſe in omni opinione, quod ſi Preſbyter virtute alterius priuilegij poſſit in Quadrageſima veſci ouis, & lacticiniis, & accipiat Bullam, non priuatur prædicto priuilegio: quia licet ſuſpendantur per illam priuilegia ſpecialia, tamen ſumenti illam ſtatim reualidantur.

11. Secundò colligo, quod ſi quis ex ſpeciali priuilegio haberet,quod qui ad eius menſam ſederent, poſſint in diebus Quadrageſimæ veſci ouis & lacticiniis, etiam id poſſent Preſbyteri tam ſæculares, quàm regulares ibi ſedentes; cuius ratio eſt, quoniam aſſumenti Bullam reualidantur omnia priuilegia. Ergo ſicut antea omnes ad mẽſam illius priuilegiati ſedentes, ſiue ſacerdotes, ſiue non, poterant veſci ouis, & lacticiniis diebus prohibitis; ita etiam id poterunt poſt Bullam. Et patet etiam à ſimili, quia ſi quis ante Bullam haberet ſpeciale priuilegium ducendi ſecum ad Miſſam tempore interdicti 10.perſonas etiam carentes Bullâ, idem priuilegium reualidatur poſt acceptionem per illam, licet fuiſſet ſuſpenſum: ergo ſimiliter in propoſito.

12. Ad primum reſpondetur, ſatis magnum fieri diſcrimen in eo quod per Bullam liceat laicis veſci ouis & lacticiniis in ieiuniis Quadrageſimæ,& non Preſbyteris, in quo ſanè iam ſeruatur ius commune in totum: vel ſaltim in præcipua, & maiori illius parte, quæ conſiſtit in abſtinentia ab ouis,& lacticiniis in ieiuniis quadrageſimalibus.

13. Ad ſecundum fatemur, quod ſi Commiſſarius ex facultate Apoſtolica declararet non licere Preſbyteris veſci ouis in Dominicis, eius declarationi ſine dubio ſtandum eſſet pro tunc, tamen hæc nobis non conſtat iuridice, licet Rodr.dicat ſibi conſtare, cum nullibi facta fuerit eius promulgatio, quare quoad vſque oppoſitum conſtet,ſine ſcrupulo poteſt hæc ſententia practicari, vt vſus ipſe ſatis explicat.

14. Ad tertium reſpondeo, quod in diebus quadrageſimalibus, vt ad præſens inſtitutum ſpectat, non includuntur Dominicæ quadrageſimales, tum quia verba Summarij vulgaris regulanda ſunt per verba Bullæ Latinæ;in Bulla autem excipiuntur, vt ſupra dixi, ieiunia quadrageſimalia, atque adeo intelligendum eſt eadem ſolum in Summario excipi; tum quia olim Quadrageſima incipiebat à Dominica prima poſt Cineres vſque ad Cœnam Domini incluſiue, vt ait Speculator *in rationali diuinorum officiorum lib. 6. de Dominica prima Quadrageſima*; pro ſex autem Dominicis ad complendum numerum quadragenarium, additæ fuere 4. dies hebdomadæ Quinquageſimæ, & duo vltimæ hebdomadæ ſanctæ, & ſic iam à Quadrageſima ſunt excluſæ Dominicæ, eo quod non ſunt dies ieiunij, ſed abſtinentiæ tantum.

DVBIVM

DVBIVM XIX.

Qua ætate pueri incipiant indigere Bulla ad edendum oua & lacticinia diebus vetitis.

1. RAtio dubitandi poteſt eſſe, quia nulla obligatio,ſub mortali poteſt comprehendere puerum, niſi habeat vſum rationis,at vſus rationis non eſt penſandus ex ætate, ſed ex diſcretione,vt docent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Henriq. *lib.*4. *cap.*5.*fol.*255. Ergo non poteſt deſignari certa ætas, à qua incipiant pueri indigere Bulla ad veſcendum ouis, & lacticiniis diebus prohibitis.

2. Reſpondeo nihilominus dicendum, quod præcepta Eccleſiaſtica non incipiunt obligare pueros eodem tempore, ſed alia citius, alia vero tardius: præceptum enim ieiunij non obligat vſque ad 21.annum completum, vt docet D.Thom. 2.2.*quæſt.*147.*art.*4.*cap.in* 4.*diſt.*13.*quæſt.*3. *art.*2. Palud. *q.*4.*art.*1. Gabr. *diſt.*16.*quæſt.*3.*art.*1. D.Antonin. 2.*p.tit.*6.*cap.*2.§.4.Palac.*diſt.*16.*diſput.*8. *pag.*120. Nauar.*cap.*21.*num.*15. Vict. 2. 2.*quæſt.*147. *art.*4. Med. *tract.*4. *de pœnitentia*, & Thomiſtæ communiter, licèt Cord. *in ſumm. quæſt.* 60. cum aliis Doctoribus à ſe ibi citatis, dicat obligari ante 21.annum ad partem Quadrageſimæ, & ad vigilias anni. Sed hanc limitationem non addit D.Thom. eo quod (inquit)ante illud tempus habēt homines naturam debilem, & ideo indigent frequenti ſumptione cibi, & quia tunc ſunt in ſtatu augmenti. Sed hæc ratio ſolum conuincit non teneri ad omnia ieiunia,non tamen nō teneri ad aliqua, cum euidens ſit ob pauca ieiunia,vt vigilias anni, non impediri eorum augmentum. Quare conuincens ratio deſumitur ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine apud viros probos, & doctos recepta, Papa & aliis Prælatis videntibus & tacentibus.

3. Præceptum deinde communionis non obligat ante 12. annum, vt docent D.Anton.2.*part.tit.*9.*cap.*5.§.1.Caietan. *verbo communicatio.* Med. *in ſum.fol.*210. Nau.*c.*21.*n.*57. Henriq.*lib.*4.*c.*5.*fol.*225. Præceptum prætcrea confeſſionis obligat poſt 7. vel 8. annos, quia licet non omnibus æqualiter eluceſcat vſus rationis,regulariter tamen eo tempore pueri incipiunt ratione vti,vt docet Nauar.*d. c.*21.*n.*3. Vict. *de confeſſione,q.*128. Sylu. *Confeſſor* 2.*q.*5. Cord.*in ſum.q.*60. & alij cōmuniter: ergo ſimiliter quoad cibos prohibitos tenentur pueri illos euitare temporibus vetitis, poſtquam excedunt 7.vel 8. annum, & alias tam ipſi,quam parentes id conſentientes vel offerentes tales cibos,peccabunt mortaliter per ſe loquendo. Ita Ang. *q.*9.*de ieiunio,art.*1. *diffic.*4.Cord.*q.*60.*in ſum.*Rodr.*in Bulla,* §.6.*n.*2. Pedraza,& Vict.ſtatim citandi, & Henriq.*vbi ſupra*; quorum ratio eſt, quia habetur ita ex vſu Eccleſiæ,& quia tunc communiter incipiunt pueri habere diſcurſum, & facultatem ad eligendum bonum, & reprobandum malum. Quare ſi tales pueri non venerunt ad vſum rationis etiam poſt 7.annum,itavt id clare conſtet, & non obſtet conſuetudo in contrarium, bene poſſunt veſci ouis,& lacticiniis diebus prohibitis, vt docent Caiet.2.2.*q.*147.Vict.ibi,Pedraz. *præcepto* 3.§.4.*lit.F.*Angles *q.*9.*de ieiunio, art.* 1. *difficultate* 4. & reliqui Doctores præcitati. Atque etiam Regin. *tom.*1. *lib.*4.*c.*17. *n.*208. & Filliuc. *tom.*2.*tr.*27. *cap.*6.*n.*111. vbi addit quod ſi pueri expleant 21. annum in media Quadrageſima, tenentur ieiunare reliquam medietatem, cum iam peruenerint ad ætatem debitam. Atque idem dicendum putat,ſi vnus tantum dies ieiunij ſupereſſet poſt expletum tertium ſeptennium.

Digitized by Google

4. Ad rationem dubitandi reſpondetur, quod licet certo, & determinate non poſſit ſignari ætas, in qua pueri incipiant vti ratione, poteſt tamen ſignari illa, in qua frequenter, & vt plurimum id accidit, & hanc dicunt Doctores præcitati eſſe 7. vel 8. annos, quod rationi conforme eſſe experientia ipſa conſtat.

CAPVT VI.

De commutatione votorum.

DVBIVM I.

Quomodo intelligatur priuilegium Bullæ concedentis facultatem Confeſſario ad commutandum vota, exceptis caſtitatis, religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ.

1. PRo intelligentia huius priuilegij præſuppono mihi eſſe certum, Confeſſarium teneri ad commutandum virtute Bullæ vota pœnitentis id poſtulantis, nam Confeſſarius eſt Iudex delegatus in fauorem eligentis ipſum. Ergo quamuis non teneatur eius audire confeſſionem, tamen ſuppoſito quod eam audit, tenetur ipſo petente vota illius commutare. Et prætereа quia Epiſcopus graui exiſtente cauſa, & vrgenti, tenetur diſpenſare in eo quod iuſte ab eo poſtulatur, aliàs peccat mortaliter, tanquam infidelis diſpenſator, vt conſtat ex *cap. quanto, 26. d.* Ergo, &c. Tandem quia alias ſi iuſta exiſtente cauſa non teneretur Confeſſarius commutare, inutile redderetur tale priuilegium.

2. Hoc ſuppoſito Reſp. in primis 5. eſſe vota Papæ reſeruata, ſcil. caſtitatis, Religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. Ita communiter recentiores cum Soto 7. *de iuſtitia, q.4. art.3.* & Nauar. *cap. 12. num.75.* quorum tria prima excipiuntur expreſſe in Bulla, duo autem vltima excipiuntur, non tam iure ipſo, quam ex ſtylo Curiæ Romanæ. Nam teſte Sylueſt. *verb. votum 4. quæſt.3. dicto 4.* & Nauar. *cap.12. num.5.* in Iure præter votum Religionis, & votum caſtitatis, ſolum reſeruatur Hieroſolymitanum, vt patet ex *cap. quod ſuper his*, & ex *cap. ex multa, de voto.* Nunc vero tenent aliqui eſſe etiam reſeruatum votum peregrinationis Lauretanæ. Ita Nauar. *cap. non dicatis 12. quæſt.1. num.10.* Rodr. *in Bulla, §.9. num.104.* Henriq. *lib.7. cap.30. fol.576.* vbi ait fuiſſe reſeruatum à Gregorio XIII. Id tamen inter hæc vota habent ſpeciale caſtitatis, & Religionis, quod quamuis non exciperentur expreſſe in Bulla, ipſa tamen iure intelligerentur expreſſa, quia iure antiquiſſimo ſunt Papæ reſeruata; ſecus vltramarinum, quia moderno tantum iure eſt reſeruatum, vt docent Sotus 7. *de iuſtitia, quæſt.4. art.3. fol.625.* Rodr. *§.9. n.126.* Poteſt igitur Confeſſarius virtute Bullæ commutare omnia prædicta vota, & alia quæcunque, exceptis his votis abſolutis, caſtitatis, Religionis & Hieroſolymitanæ peregrinationis, vt recte docet Rodr. *ſupra num.114.* Dixi notanter, *abſolutis*, quia etiam illa poterit commutare, cum fuerint pœnalia, aut conditionalia, de quo infra; & à fortiori poterunt Confeſſarij commutare votum nunquam petendi commutationem: nam certe cum fiat virtute Bullæ, & Bulla non apponat talem conditionem, nec nos eam ponere debemus.

3. Id vero quod dicunt Sot. 7. *de iuſtitia, quæſt.4. art.3.* Angles *quæſt. de voto, pag.125.* ſcilicet vota emiſſa poſt ſumptionem

Digitized by Google

ptionem Bullæ commutari non poſſe virtute illius, abſque vllo prorſus fundamento dicitur. Nam ſi peccata poſt acceptionem Bullæ commiſſa poſſunt virture illius abſolui, etiam vota emiſſa poſt eius acceptionem poterunt commutari. Deinde, quia illa facultas eſt priuilegium Principis. Ergo eſt latiſſime interpretanda, & non reſtringenda ad vota ante acceptionem Bullæ emiſſa; & prætereа quia Papa in aliquibus Bullis ſolet apponere illam reſtrictionem, ſcilicet vt commutatio fiat de votis ante Bullam emiſſis, vt conſtat ex Bulla Pij IV. & Iulij III. Ergo quando non ponitur, ſignum eſt non limitari illam facultatem; ita Iuniores cum Cord. *in ſum. quæſt.* 149. *& lib.* 5. *de indulg. quæſt.* 37. *propoſitione* 2. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 111. *&* 116. Nauar. *de indulg. notabili* 27. *num.* 4. Mandoſius *in praxi ſignaturæ.* Henriq. *lib.* 7. *cap.* 30. *fol.* 575. pro quo adducit gloſſam *in Extrauag.* 1. *de pœnit. & remiſſ.* & alios DD. Quod idem dicendum eſſe reor, quando alicui conceditur facultas diſpenſandi in votis, licet in hoc maiorem inueniat difficultatem Cord. *vbi ſupra*, ſed nulla eſt, vt recte docet Nau. *ſuprà.*

4. Sed quæres, an commutatio voti virtute Cruciatæ facienda, debeat neceſſario fieri in confeſſione. Pro cuius explicatione notandum eſt primò virtute triplicis priuilegij poſſe vota commutari, videlicet ex priuilegio Cruciatæ, ex priuilegio Iubilæi, & ex priuilegio Religionis. Clauſula Cruciatæ eſt hæc. *Poſſint eligere Confeſſorem ex approbatis ab Ordinario, & ab eo quorumcunque peccatorum, & cenſurarum, &c. abſolutionem recipere, & illis vota omnia, vltramarino, caſtitatis, & Religionis duntaxat exceptis, in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eundem Confeſſorem commutari.* Clauſula Iubilæi, qui duplici hebdomada conſequitur, plerumque ſic ſe habet; *Poſſint approbatos presbyteros eligere, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, licite valeant ipſos à quibuſuis peccatis, criminibus, cenſuris, &c. abſoluere, ac vota quæcunque ab eis emiſſa, caſtitatis, & Religionis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.* Clauſula autem priuilegij per Paulum III. Religioſis Societatis IESV conceſſi, eſt huiuſmodi. *Conceditur facultas illis, qui ex vobis presbyteri fuerint, quorumcunque vtriuſque ſexus Chriſti fidelium, ad vos vndecunque accedentium confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, &c. & à quibuſuis ſententiis abſoluendi, &c. necnon vota quæcunque per eos pro tempore emiſſa (vltramarinis, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.* Hoc autem priuilegio gaudent alij Regulares communicationem priuilegiorum habentes.

5. Nota ſecundò, hæc tria priuilegia quoad facultatem commutandi vota conuenire, ac differre inter ſe. Nam in primis conueniunt, quod ſolum commutandi vota facultatem concedunt, vnde virtute illorum nec in partem, nec in totum licet vota diſpenſare. Ita Sayr. *in claui regia lib.* 6. *c.* 11. *num.* 120. agens de priuilegio Bullæ, & Iubilæi, Pet. de Ledeſma *ſum. tom* 2. *tract.* 10. *c.* 8. *in fine* 3. *partis*, loquens de Bulla, & Sanc. *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 94. *num.* 13. vbi de vtroque, & de priuilegio ordinis etiam agit. Differunt autem, quia in Iubilæo amplior conceditur facultas, cum in ipſo duo vota excipiantur duntaxat, in Bulla tria, & in priuilegio ordinis quinque, at Bulla differt à Iubilæo, & priuilegio ordinis, quod

Digitized by Google

in his ponitur ille ablatiuus abſolutus, *auditis diligenter confeſſionibus*; ſecus in Bulla.

6. His ſic prænotatis nonnulli DD. ſtatim citandi partem affirmatiuam amplectuntur, tam reſpectu Cruciatæ, quam Iubilæi, & priuilegij Regularium. Ducuntur, tum quia ſaltem in priuilegio Iubilæi, & Regularium expreſſe additur ablatiuus ille abſolutus, *confeſſionibus diligenter auditis*, vt conſtat; ablatiuus autem abſolutus conditionem importat, arg. *l.à teſtatore.ff. de condit. & demonſtrat.* & ad vtrumque membrum præcedens videtur referri, atque idem etiam ſentiendum eſt de priuilegio Bullæ, cum vtrobique eadem ratio militet. Tum quia dicta facultas in triplici illo priuilegio conceditur Confeſſario per Ordinarium approbato; & conſequenter videtur in ſola ſacramentali confeſſione concedi, cum in ea ſola Confeſſarius ſit iudex. Ita de prædicto triplici priuilegio Say. *eodem c.11.num.105. & lib.5. c.60. n.10. in fine*, & loquens de Bulla, & priuilegio Regularium Sorb.*in compend.priuil. Mendic.verb. votum, in ſuis annot. notab.* 7.ſed agens de Bulla Cruciatæ Rod. *in Bulla*, §.9. *num.* 113. Lud. Lopez 2.*p. inſtruct. conſc. cap.* 9. *verſic. hic dubitatio hæc obuia fit.* Vega *t.2.c.* 129.*caſu* 34.*fine*, & Fernandez *in exam.p.* 3. *cap.9.ſec.2.*§. 17. *num.5.*

7. Nihilominus verius, ac probabilius cenſeo, poſſe vota commutari per Confeſſarium ab Ordinario approbatum virtute Cruciatæ extra ſacramentum Confeſſionis. Ducor, tum quia in dicta Bulla nullatenus dicitur quod fiat commutatio auditis confeſſionibus; tum quia facultas commutandi vota nihil ad forum pœnitentiæ ſpectat, imo potius eſt diſtincta à facultate abſoluendi, eſto vtramque Pontifex concedat Bullam ſuſcipienti, atque ideo hanc ſententiam tuentur Sanch. *loco cit.num.* 15. Henriq. *lib.7.de Indulg.cap.30. num.6.*fauet Sotus 7.*de iuſt. quæſt.*4. *art.* 3. *verſic. poſt hæc*; dum ait diſpenſationem voti nil ad forum pœnitentiæ pertinere, ſed eſſe diſtinctam facultatem. Fauet etiam Suar. *tom.2.de Relig.lib.6.c.16.num.*4. dum inquit non opus eſſe confeſſione ad commutationem voti faciendam, quando priuilegium id non explicat, & tenet expreſſe Villalob. *ſum tom.* 1. *tract.*27. *clauſ.*9. §. 3. *num.* 36. Atque idem ſentire debent, qui cenſent abſolutionem à cenſuris poſſe virtute Cruciatæ extra Confeſſionem impendi, vt dictum eſt *c.*4.

8. Inſuper valde probabile etiam exiſtimo, adhuc virtute Iubilæi, ſeu priuilegij Regularium non requiri confeſſionem ad vota commutanda. Ita Henriq. citatus, & Sanch. *num.* 16. Naldus *ſum. verb.indulg. num.* 8.& alij, quidquid in contrarium ſentiant Vega, Say. & Lopez *vbi ſupra.* Nauar. *ſum.c.* 26.*num.*31. Sanctarellus cum aliis per eum, falſo tamen maiori ex parte citatis *tract. de Iubilæo*, *c.* 8. *dub.* 8. Ducor, quia duo iſti actus, nempe abſoluere à peccatis, & commutare vota, adeo inter ſe differunt, vt alter ab altero nullatenus dependeat, imo diuerſam requirunt facultatem vt conſtat: igitur etiam ſi in vtroque prædicto priuilegio ponatur ablatiuus abſolutus, non ideo cenſendum eſt, quod dictus ablatiuus referatur ad facultatem abſoluendi, & commutandi ſimul, ſed ad facultatem abſoluendi à peccatis duntaxat, quæ immediate ſequitur poſt dictum ablatiuum.

9. Neque obſtat regula illa, clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis, ſiue ponatur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cenſetur referri ad omnia contenta in ea clauſula, arg.*cap. ſecundo requiris. de appellat.*& ibi DD. Reſpondetur

Digitized by Google

detur enim, id intelligi, quando omnium eadem eſt ratio, vt multis allegatis docet Menoch. *de præſumpt. l. 4. præſumptione* 181. *num.* 2. quod aliter euenit in caſu noſtro, abſolutio namque à peccatis exigit neceſſario confeſſionem ſacramentalem, ſecus votorum cómutatio. Sunt igitur hoc loco ſingula ſingulis referenda, & conſequenter ablatiuus ille *auditis confeſſionibus*, referendus eſt ſolum ad abſolutionem à peccatis, quæ poſt illum immediate ſequitur, & non ad voti commutationem, quæ ex natura rei non requirit confeſſionem. Atque ideo huic ſententiæ adhærent permulti ex neotericis, vt obſeruat Sanch. *ibidem.*

Dvbivm II.

An virtute Cruciatæ ſint neceſſario commutanda vota in temporale aliquod belli ſubſidium contra Infideles.

1. Circa hanc difficultatem varia extant D D. placita. Nam quidam opinantur nomine ſubſidij, quod pro belli expeditione in Bulla requiritur, intelligi aut temporale, cuiuſmodi eſt eleemoſyna pecuniaria; aut ſpirituale, cuiuſmodi ſunt orationes, aliave opera pia pro belli proſpero exitu. Ducuntur, quia Bulla abſolute requirit conferri aliquid in belli ſubſidium, ſpirituale autem non minoris, ſed maioris eſt efficaciæ, quam temporale. Ita Anton. Gomez. *in Bulla Cruciata, clauſ.* 10. *num.* 54. Llamas *methodo curationis* 3. *p. cap.* 4. *§.* 42. *ad finem,* id limitat cum vota ſunt perſonalia, & vouens adeo pauper, vt non ſit illi copia erogandi ſubſidium temporale. Viual. 3. *par. ſui candelabri, cap.* 14. *num.* 4. ait eſſe probabile, & Suar. *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *c.* 19. *num.* 18. inquit hanc opinionem in pauperibus locum habere, quoniam debet conditio illa morali modo interpretari, & quatenus fuerit poſſibilis, & ſuauiter fieri queat, ita vt pauperes orationibus ſatisfaciant; atque idem ſentit Ioannes à Cruce *in director. Conſcientiæ p.* 1. *præcepto* 2. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 5.

Alij opinantur in omnibus requiri ſubſidium temporale. Tum quia praxis ipſa id abunde teſtatur; tum quia quando Bulla eſt orationibus contenta id explicat, ſicut in aliis indulgentiis conſequendis præſtare ſolet. *Secunda opinio.*

2. Imo aliqui exiſtimant totam commutationem debere fieri in temporale belli ſubſidium. Ducuntur primò, quia generalia priuilegiorum verba interpretanda ſunt iuxta tenorem petitionis ibi adductæ ad impetrationem priuilegij, arg. *cap. inter dilectos. §. cæterum.* vbi Felin. *col.* 4. *de fide inſtrum.* Dec. *conſ.* 10. *num.* 8. & Iaſ. *in l. Gal. §.* idem credendum *num.* 10. *ff. de liber. & poſthum.* Tenor autem petitionis ſolum corporale ſubſidium pro felici exitu belli contra Infideles reſpicit: Ergo verba illa Bullæ, *in aliquod ſubſidium*, de temporali ſunt interpretanda.

3. Secundò, quia cum lex non diſtinguit, ex altera lege, ſeu ex alia parte eiuſdem legis diſtinctio petenda eſt, vt late probat Iaſ. *in l. triticum, num.* 8. *ff. de verb. oblig.* & colligitur ex notatis per Bart. *in l. vn. circa principium. C. quorum.* & Paulum Caſtrenſ. *in l. ſciendum in princ. ff. qui ſatisdare cogantur.* Vnde verba illa, *in aliquod ſubſidium*, eſto in ſua generalitate videantur vtrumque ſubſidium temporale, & ſpirituale comprehendere, ex aliis tamen eiuſdem Bullæ verbis deducitur reſtringenda fore ad ſubſidium temporale duntaxat; ſic enim in Bulla Latina habetur: *Item conceditur eidem Epiſcopo, & Commiſſario, ne Chriſti fideles ſemper in dubio ſint, an ſufficientem*

Digitized by Google

ſufficientem ex eorum bonis ſubuentionis quantitatem, iuxta eorum ſtatum, & conditionem contulerint, vt poſſit dictam ſubuentionem pro perſonarum qualitate arbitrari.

Nec obſtat id quod prima opinione allegatur, nempe ſubſidium ſpirituale maioris eſſe efficaciæ, quam temporale, etiam in ordine ad felicem belli expeditionem. Reſpondetur enim plures alias gratias, & fauores concedi virtute Cruciatæ ſub intuitu ſubſidij ſpiritualis duntaxat, cuiuſmodi ſunt viſitatio Eccleſiarum, ſeu altarium pro conſequendis indulgentiis, facultas celebrandi, ſeu Miſſam audiendi in Oratorio tempore interdicti, & aliæ eiuſmodi, cum onere tantum preces fundendi.

4. Nec etiam obſtat, ſi dicas inde ſequi, quod pauperes votis adſtricti, cũ pecuniis careant, cogentur abſque beneficio cõmutationis manere. Reſpondet Man. ſtatim citandus, pauperes huiuſmodi remittendos fore ad Confeſſarios Ordinum Mendicantium, qui virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt ſimilia vota in orationes, & ieiunia commutare, etiam ſi pœnitentes Bulla Cruciatæ careant, iuxta communem opinionem; & ſi cui contraria magis placuerit, poterit Diœceſanum adire, & ab illo obtinere facultatem commutandi, & diſpenſandi ſimilia vota. Hæc enim authoritas competit DD. Diœceſanis ex iure communi, & conſequenter poteſt per ipſos delegari; nec ſuſpenditur per Bullam Cruciatæ. Quapropter his rationibus ducti tenent hanc opinionem Sotus 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *verſic. rurſus circa eadem.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſic. & ad argumentum.* Lopez 2. *part. inſtruct. conſcientiæ, cap.* 10. *verſic commutatio voti.* Nauarr. *ſumm. cap.* 12. *num.* 80. *verſic. admonemus.* Cord. *ſumm. quæſt.* 149. & 150. Garnica *in expoſit. Cruciatæ, fol. mihi* 44. Vega *ſum. tom.* 2. *c.* 129. *caſu* 106. Ledeſma *ſum. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. *in fin.* 3. *partis*, & fuſius omnibus Man. *in addit. ad Cruciatam*, §. 9. *num.* 109. atque idem expreſſe ſentit Raphaël à Turri 2. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 88. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 3. vbi ſic habet; De intentione Bullæ dubitari non poteſt, eſſe intelligendam de ſubſidio temporali. Et tenet etiam Angles *Floribus*, 2. *part. quæſt. vnica de voto, art.* 8. *diffic.* 7.

5. Tertia opinio, quæ mihi magis probatur, & abſolute tenenda videtur, aſſerit virtute Cruciatæ poſſe vota commutari, partim in temporale belli ſubſidium, & partim in quæuis alia pietatis opera. Et ſuadetur primò, quia id non obſcure indicant verba ipſius Bullæ, ibi; *in aliquod ſubſidium huius expeditionis commutari.* Quaſi dicat aliquam commutationis partem compenſandam fore in eelemoſynam pro belli expeditione. Nam ſi dixiſſet *in ſubſidium*, indefinite, inſinuaret quidem omne ſubſidium futurum eſſe temporale, attenta diſpoſitione iuris, quo verbum indefinitum æſtimatur vniuerſale. Cum igitur dicat, *aliquod ſubſidium*, aperte indicat commutationem fieri debere partim in temporale, & partim in ſpirituale ſubſidium.

6. Secundò, quia hanc eſſe intentionem tam Regis Hiſpaniarum Bullam impetrantis, quam Summi Pontificis illam concedentis, inde conſtat, quod vterque intendit magnam fieri pecuniæ congregationem in ſubſidium belli cõtra Infideles: vtriuſque autem mens notabiliter defraudaretur, ſi tota voti commutatio fieri debuiſſet in ſubſidium temporale; pauci enim huiuſmodi priuilegio vti vellent, aut quoniam præ paupertate ipſi non habent pecuniam ſoluendam ea in quantitate, quam voti materia requirit; aut ſi diuites ſint, habeántque numeroſam familiam, nolint

tantam

Digitized by Google

tantam expendere pecuniam, præſertim, quia iuxta probabilem aliquorum opinionem poſſent vel virtute priuilegiorum Mendicantium, vel Diœceſanorum authoritate dictam commutationẽ conſequi, vt ex dictis pro ſecunda opinione conſtat.

7. Tertiò, quia in eadem Bulla Pontifex concedit beneficium compoſitionis pro debitis incertis, contentus multo minori ſumma, quam eſt debita, vt vel ſic illa remiſſione attracti debitores, facilius, ac libètius eo priuilegio vtantur, & partem in eiuſdem belli ſubſidium contribuant. Et quidem ita ſentiunt Henriq. *lib.7.de indulg.cap.30.n.6.* Viual. *ſupra num.31.* Suar. *eod. num.18.* Sanch. *loco cit.num.58.& lib.8.de matrim. diſp.15.num.1.* Rodr. ſuam priorem ſententiam corrigens, ſeu explicans *ſum. tom.4.cap.88.num.41.* & videntur tenere Azor. *tom.1. inſtit.mor. lib.11.cap.18. quæſt.9. fine*, & Sayr. *in claui regia lib.6. cap.12. n.10. & 17. fine*; dum inquiunt pauperem etiam voti commutationem petentem, debere eleemoſynam ſaltem exiguam in id ſubſidium contribuere, quæ ſuæ paupertati æqualis ſit. Vnde ſi quis adeo pauper ſit, vt pecuniis omnino careat, non poſſet eius votum virtute Cruciatæ commutari, ſicut nequit aliis Bullæ priuilegiis frui, ſi pecuniis ad eam capiendam neceſſariis ſimiliter careat. Imo addit Sanch. non ſatis eſſe, ſi nimiam pecuniæ quantitatem contribuat, facta reliqua commutatione in alia opera pia, id namque intentioni Bullæ videtur aduerſari, quæ potius commutationem in id ſubſidium ſpectauit. Atque hinc infert ipſe Author, Confeſſoris prudentiæ, & arbitrio id librandum eſſe, attentis voti qualitate, & vouentis facultatibus. Et in hunc ſenſum facile poſſent DD. omnes pro vtraque præcedenti opinione adducti, in concordiam reduci.

DVBIVM III.

An abſque priuilegio Bullæ, vel authoritate Prælati poſſit quis ſuum votum commutare propria authoritate.

1. PArtem negantẽ ſequuntur Sylu. *votum 4.quæſt.7.* Richard. *4.d.38. art.8.quæſt.1.* D. Bonauentura *eadem diſt. art.2.quæſt.2.* Gabr. *ibi quæſt.1.art.5.* Palat. *diſputat. 3. pag.875.* Panormitanus *cap. Scriptura, de voto, num.2.& cap. peruenit, de iureiurando.* Anchar. *num.2* & Felin. *ibidem.* Innoc. *num.1.* Ioan. Andr. *in principio.* Hoſt. *num.1.* Bald. *num.2.* Plures etiam Theologi, licet concedant poſſe fieri commutationem voti in maius bonum propria authoritate, non tamen in æquale; hi ſunt Angles *d. q. de voto, art.8. diffic.4.* Caietan. *2.2.quæſt.88. art.12. & in ſumm. verbo votum, cap. vlt. verſic. rationabilis autem.* Nauarr. *cap.12. num.75.* Couarr. *cap. quamuis pactum, p.1. §.3. num.4.* Angelus *votum 4.n.2.* Sotus *7.de iuſt.quæſt.4.art.2. verſ. at vero.* Cord. *ſum.quæſt.149.* Tolet. *ſumm.lib.4.cap.18. num.penult.* Sanch. *ſum.lib.4.c.49.n.12.* & alij, quos ipſe citat.

2. Et primò probant ex D.Thom. *in 4. diſt. 38. q.1. circa 4. quæſtiuncula 3. ad 4.& 2.2.quæſt.88. art.12.* vbi ſic ait. *In commutatione, vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati authoritas*; ecce indiſtincte loquitur de commutatione, & diſpenſatione. Dices, explicandum eſſe de commutatione in melius. Sed contra, quia ratio Diui Thomæ ſi quid probat, de omni commutatione conuincit, quia votum (inquit) eſt promiſſio facta Deo, de eo, quod ſibi acceptum eſt: ſed quod ſit alicui gratum, vel acceptum, quod ei offertur, ex eius pendet voluntate: ergo ad Prælatum vicem Dei gerentem, & non ad quemlibet parti-

Digitized by Google

cularem pertinet declarare, quid Deo acceptum,& gratum erit in hac,vel illa commutatione.

3. Secundò,quia nemo poteſt ſe ſua voluntate eximere à lege Superioris; ſed eſt lex diuina, & naturalis de reddendo votum. Ergo nemo poteſt propria auctoritate ſe à reddendo id, quod promiſit eximere, commutando illud in aliud; alias eximeret ſe ab obligatione, ad quam tenebatur iure naturali, & diuino. Dices, illum non ſe eximere tunc abſolute à voto, cum idem voti vinculum permaneat,ſed ſolum mutare materiam,eligendo aliam meliorem,vel æque bonam. Sed contra, tum quia,vt ait Richard. *vbi ſupra*,nullus debet eſſe Iudex in propria cauſa. Ergo non poteſt propria authoritate liberare ſe ab illo voto, vt reſpicit illam ſpecialem materiam; tum quia votum, quo antea ſe ligauerat, in indiuiduo terminabatur ad hanc materiam,& in ordine ad illam ſumebat ſuam indiuiduationem; per commutationem autem tollitur vinculum talis voti in indiuiduo, atque adeo ſe ipſum ſoluit ab illo,vt ait Sylueſt.*vbi ſupra*, quod eſt abſurdum; tum tandem quia commutare votum pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis, nemo autem habet ſupra ſe iuriſdictionem, vt de ſe conſtat. Ergo nemo poteſt propria authoritate commutare ſuum votum.

4. Tertiò probatur, tum ex iure diuino,quia,*Leuitici vltimo;ſi quis vouerit, ſanctum erit,& mutari non poterit*, & *Eccleſiaſtici* 5. dicitur, *quodcumque voueris redde*; tum ex iure Canonico,quia *cap. 1.de voto*,dicitur;*in arbitrio eius,qui præſidet, pendet animaduertere cauſam commutationis*. Tum ex iure Ciuili,vt patet *ex cap. ſine tunc.ff.ſi certum petatur*. vbi habetur,quod aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt; quod idem dicitur,*inſtitut. quibus modis tollitur obligatio.§.1*. ſed vouẽs debet Deo obſequium promiſſum per votum.Ergo ſine authoritate eius, quæ reſidet in Prælato, non poteſt illud in aliud commutari.

Pro reſolutione huius difficultatis, ſupponendum eſt vt certum. Primò, commutationem in minus bonum non poſſe fieri propria authoritate, quia in illa admiſcetur nonnulla diſpenſatio, cùm fiat partialis relaxatio eius, quod Deo debebatur; ad diſpenſationem autem requiritur authoritas Prælati.

5. Secundò ſupponendum eſt, quod quando eſt dubium, an res, in quam ſit commutatio, ſit æque bona, non poteſt fieri propria authoritate, ſed requiritur authoritas Prælati,propter periculum errandi in tali commutatione. Ita Caiet.Couar. Sot.& alij *infra* citandi, & habetur *cap.1.de voto*.

Hoc ſuppoſito, reſpondeo ad quæſtionem, non ſolum licitum eſſe cuicunque propria authoritate commutare ſuum votum in maius bonum, ſed etiam in euidenter æquale. Primam partem huius aſſertionis docent Rodr. *§.9.num.* 105. *& ſum.tom* 2. *cap.* 100.*n.* 4. Med. *in ſum. lib.*1. *cap.*14.*§.*7.Couar. *relectione de pactis*, 1. *p. §.* 3. *num.*4. Leſſius *de iuſt.lib.*2.*c.*40. *dub.* 16. *num.* 101. Imola *cap. Peruenit, el* 2. *num.* 2. Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 3. *verſic. tertio arguitur*, Cord. & Tolet. *vbi ſupra*.Sotus 7. *de iuſtitia*, *quæſt.* 4. *art.* 3. *dub.* 1. Angles *art.* 8. *difficultate* 4.Aragon. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. Caiet. *ibi.* Valentia etiam *diſp.*6.*q.*6. *punct.* 7. *verſic. Hac ipſa ratione.* Henriq. *lib.*5. *de pœnit. c.* 20. *num.* 5.*& lib.*7. *de Indulg. c.* 30. *num.* 5. Azor.*tom.*1. *lib.*11. *cap.*18. *quæſt.*1. Say. *in claui regia, lib.*6.*cap.* 12.*num.* 5. Petr. de Ledeſma *ſum.tom.* 2.*tract.* 10.*c.* 8. *in fine tertiæ partis.* Suar. *tom.*2. *de Relig. tract. de voto*, *lib.* 6. *cap.* 18. *à num.* 4. Sanch. citatus *num.* 4. Ouandus *in* 4. *diſt.* 38. *diſp. vnica*, *propoſitione* 27. Anton. Gomez. *in Cruciata*, *clauſ.*10.*num.* 11.Lud.

Digitized by Google

11. Lud. Lopez. 1. *p. inſtruct. c.* 49. *fine*, & Manuel Sà *verb. votum*, *num.* 10. & communiter recentiores, & probatur.

6. Primò *ex cap. licet de Regularibus*, vbi habetur, quod votum Religionis propria authoritate poteſt quis commutare in melius, ſcilicet in religionem ſtrictiorem, & *ex cap. peruenit*, *el ſecundo*, *de iureiurando*, vbi dicitur quod non infringit promiſſum, qui in in melius commutat, quod idem colligitur *ex cap. Scriptura, de voto.*

7. Secundò, quia vt optime dicit Aragon. *vbi ſupra*, votum ideo obligat, quia eſt promiſſio de re grata Deo, ſed qui commutat votum in rem melioré, reddit rem Deo gratiorem, ergo ſatisfacit voto. Alias dicendum eſſet, non ſatisfacere voto dandi Eccleſiæ ceteum, ſi dediſſet calicem aureum, quod eſt valde ridiculum. Atque hoc idem dicendum iudicāt multi Doctores de votis reſeruatis, reſpectu quorum exiſtimant habere locum prædictam commutationem in melius; quod etiam nobis placet, quia reſeruatio illorum ſolum intelligitur, quando commutatio exigit authoritatem Prælati. Vnde, cum *in c. ex multa, de voto*, reſeruatur Papæ commutatio peregrinationis Hieroſolymitanæ, eſt intelligendum, ſermonem eſſe de commutatione, ad quam neceſſaria eſt authoritas Prælati, quia vel res eſt dubia, vel facienda eſt in minus.

8. Secundam verò prædictæ aſſertionis partem ſequuntur D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. Med. *in ſum. c.* 14. §. 7. *fol.* 91. *colum.* 2. Rodr. §. 9. *num.* 106. Alcocer. *in ſum. cap.* 16. Caiet. *verb. voti commutatio in fine*, Lud. Lopez, Pedraz. Manuel Sà, Aragon. & Sot. *vbi ſupra*, licet cum aliquali dubio, Suar. *loco cit. cap.* 20. *num.* 4. *initio*, & Maior ſimiliter citatus; imo Leſſius idem ſentit *num.* 105. vbi oppoſitum duntaxat vocat tutius, & alij quos refert, & ſequitur Henriq. *lib.* 7. *cap.* 30. & probatur.

9. Primò, *ex cap. Scripturæ, de voto, & cap. Peruenit, de iureiurando*, vbi clare inſinuatur fieri poſſe propria authoritate commutationem in euidenter æquale.

Secundò, quia cum in commutione, non ſoluatur vinculum voti, ſed idem permaneat circa aliam materiam, non ob aliud deſiderari poteſt authoritas Prælati ad faciendam commutationem, niſi vt diſcernat, an materia in quam fit commutatio, ſit æque bona, & grata Deo. Ergo ſi euidenter conſtat eſſe æqualiter bonam, non opus erit vt intercedat authoritas Prælati, aut priuilegium Bullæ.

10. Tertiò, quia cum res ſint æquales, æque placent Deo. Ergo non erit peccatum reddére vnam pro alia. Patet conſequentia, quia inter homines cordatos non dicitur violare fidem, qui ſoluit rem eiuſdem prorſus valoris ad eoſdem vſus prorſus aptam, pro alia quam acceperat. Ergo &c.

Aduerto tamen cum Caietano *verbo votum*. Armil. *num.* 14. ſemper tutius eſſe, quòd commutatio, quæ fit propria authoritate, fiat ſemper in aliquid melius, quantumcunque parum. Aduerto etiam cum Soto *vbi ſupra*, quod non debet quis propria authoritate commutare caſtitatis, aut Religionis votum, quia non ita facile reperiri poteſt euidenter æquale, & ſic exponit ſe periculo grauiter errandi. Vera tamen eſt hæc conditionalis, quod ſi aliquid detur euidenter melius, aut euidenter æquale, recte poſſunt prædicta vota commutari, iuxta dicta.

11. Ad primum reſpondetur ſolum conuincere, quod quando res eſt dubia, requiritur authoritas Prælati, vel priuilegium Bullæ; ſecus tamen cum euidenter conſtat materiam, in quam

Digitized by Google

ſit commutatio, eſſe euidenter meliorem, aut æquè bonam.

Ad ſecundum bene ibi, non enim qui in melius commutat votum, eximit ſe à lege, ſed melius illam implet; nec etiam qui in euidenter æquale, quia licèt cum commutatur votum, non maneat, metaphyſicè loquendo, idem votum in indiuiduo, & vt determinatur ad talem materiam in particulari, manet tamen idem moraliter, quia reſultat ex illa commutatione ſimilis obligatio in alia materia æquè bona. Res autem morales, moraliter ſunt tractandæ; & per hoc reſpondetur ad vtramque impugnationem, quæ in eodem argumento fiebat. Secundò reſpondeo, quod in omnibus votis iure naturali inuoluitur tacita quædam conditio, ſcilicet, *niſi voluero illud commutare in euidenter melius, vel æquale*, & ſic ruit omnino difficultas illius argumenti.

12. Ad tertium ex *Leuitici loco.* Reſpondeo ibi ſolum prohiberi mutationem in peius; vel ſi omnimodam mutationem, id eſſe, ne quod Deo ſemel ſacratum eſſet, in alios vſus conuerteretur. Ad locum verò ex *Eccleſiaſtico.* Reſpondetur illud præceptum impleri, licèt propria authoritate fiat commutatio, cum moraliter loquendo idem votum reddatur.

Ad Capitulum autem primum de voto reſpondetur cum Aragon. *vbi ſupra*, tantum definire id, quod regulariter debet fieri, quia re vera regulariter commutationes non fiunt, niſi in bonum, de quo eſt dubium, an ſit æquale, in quibus iam diximus eſſe neceſſariam Bullam, vel Prælati authoritatem. Ad id tamen, quod ex iure ciuili adducitur, reſpondeo eſſe diſcrimen magnum inter Deum, & hominem, cui aliqua fit promiſſio. Nam Deo id quod eſt euidenter melius, ſemper eſt gratius, & quod eſt æquè bonum, eſt æquè illi gratum, quia re vera æſtimat res tanti, quanti ſunt à parte rei; homini autem non ſemper eſt gratius, quod eſt melius; aut æquè gratum quod eſt æquè bonum, quia plerumque homines non tam reſpiciunt ad rerum bonitatem in ſe, quàm peculiares ſuas commoditates; & ideo reſpectu hominis, cui aliquid debetur, non ſemper ſatisfit, ſi offeratur melius, aut æquè bonum; bene tamen reſpectu Dei. Atque his rationibus coactus Sanchez *num.* 14. in noſtram declinauit ſententiam.

13. Cæterum obſerua, id hoc loco vocari melius, non quod ex genere ſuo eſt præſtantius, ſed quod omnibus rectè perpenſis Deo gratius eſt, quempiam præſtare. Quamuis enim ex ſe, & ſuo genere oratio ſit melior, quam ieiunium, & eleemoſyna, quam carnis afflictio per cilicium; qui tamen ieiunium, vel cilicium vouit, non poteſt ſuo arbitrio iſta in eleemoſynam aliquam, ſeu orationem commutare: quoniam non ſemper Deo gratius eſt, nos id præſtare, quod ex ſe excellentius eſt; ſed quod pro tempore, loco, & diſpoſitione noſtra, plus expedit noſtræ ſaluti. In hoc igitur poterit fieri commutatio; ſufficienter namque promiſſioni ſatisfacit, qui loco rei promiſſæ ſoluit promiſſario id, quod eſt ei gratius, vt rectè tradit Leſſius *ſupra num.* 101.

14. Ex dictis infero primo, non poſſe quempiam propria authoritate votum ſuum ingrediedi religionem, commutare in Epiſcopatus ſuſceptionem. Ratio eſt, quia eſto Epiſcopi ſtatus ſit, & dicatur, ſtatu Religionis perfectior, vtpote perfectionis acquiſitæ; tum quia ſecundum rectum ordinem perfectionem in promouendo ſupponit, poſtulat enim perfectam charitatem, qua animam ſuam ponat pro ouibus ſuis, eaſque ad perfectionem nitatur adducere; tum

Digitized by Google

tum quia ad Epiſcopum ſpectat conferre confirmationis, atque ordinis ſacramenta, quibus perfecti Eccleſiæ miniſtri efficimur; Vnde non abſque temeritatis, arrogantiæve nota aſpirant nonnulli ad Epiſcopatum promoueri, cum videantur perfectionem, quam ſtatus ille ſupponit, ſibi arrogare, ſéque idoneos tanto muneri iudicare. Non tamen eſt, aut dicitur ſtatus ille perfectior, quaſi hominem reddat perfectiorem, aut Deo gratiorem, quam Religio: ſtatus enim Religionis, ſicut ſtrictiora habet inſtituta, ita eius profeſſores ad perfectionem facilius adducit, & conſequenter eſt Deo gratius, vt illum hic, & nunc potius amplectaris; vel ſaltem, ſi in aliquo caſu gratius ſit Deo, vt quis Epiſcopatum aſſumat, id non conſtat. Imo oppoſitum expreſsè habetur *cap. penult. de voto*, vbi Pontifex inquit; eum qui ſolenniter emiſit votum ſuſcipiendi habitum regularem, & poſtea electus fuit Epiſcopus, debere Eccleſiæ regimen reſignare, & votum implere, ſi conſcientiæ ſuæ conſultum velit. Atque ita docent paſſim DD. cum Abulenſi *cap 30. Numerorum, quæſt. 94.*

15. Infero ſecundò, quod ſi quis Deo promittat eleemoſynam certo pauperi elargiendam, dum ipſi non eſt ius acquiſitum per acceptationem, poterit propria vouentis authoritate alteri pauperiori erogari, modo cætera ſint paria, id eſt, modo non concurrat peculiaris aliqua circumſtantia in minus paupere, quæ Eleemoſynam illi collatam reddet Deo gratiorem, nam cæteris paribus præſtantior quidem, & Deo gratior eſt Eleemoſyna, quæ pauperiori confertur. Hinc autem non eſt inferendum, poſſe quempiam ſibi etiam pauperiori dictam Eleemoſynam applicare. Nam eſto res incertas furto ablatas, pauperibus reſtituendas, poſſit, qui eas reſtituere tenetur, ſi pauper ſit, ſibi applicare; & ſimiliter, qui iuſſu alterius tenetur Eleemoſynam aliquam inter pauperes in certos diſtribuere, poſſit partem illius ſibi pauperi aſſumere, iuxta aliquorum probabilem opinionem. At in caſu noſtro abſolutè dicendum eſt, nec propria, nec Prælati authoritate poſſe huiuſmodi commutationem fieri, quia nullam Eleemoſynæ rationem habet, ſicut conſtat etiam de Eleemoſyna per Confeſſarium pœnitenti iniuncta, quam nequit pœnitens ipſe, etiam pauper, ſibi applicare; nec ſunt ſimiles caſus adducti. Ratio eſt, quia in iis diſtribuitur pecunia nomine veri domini incerti, aut iubentis diſtribuere, ac ſi dominus ipſe erogaret. Sed in caſu de quo agimus, vouens erogat nomine proprio; Imo etſi Prælatus applicet, applicat tamen nomine vouentis pecuniam; qua ſic retenta, ſeu applicata, conſequenter non impletur votum. Poſſet autem Prælatus, vel ſub paupertatis intuitu vouentem diſpenſare, vel illius votum commutare in alia opera pia; vel poſſet etiam ipſemet pauper votum ſuum in opus aliud Deo gratius commutare, vt doctè tradit Sanch. *vbi ſupra, num. 6.*

16. Infero tertiò, regulariter commutationem voti, etiam in rem æquè bonam, non debere fieri abſque ſuperioris authoritate; tum quia, niſi in commutatione vtilitas aliqua eluceat, non eſt certum, quod Deo ſit grata, & accepta; & conſequenter oportet intercedat authoritas Prælati, qui vice Dei voluntatem ipſius interpretetur; tum quia difficillimum eſt, imo fere impoſſibile, hanc æqualitatem attingere, ac ſubinde non eſt credibile, id eſſe à Deo commiſſum cuilibet vouenti, præſertim in propria cauſa; tum etiam quia promiſſio ſoluenda eſt in propria ſpecie, quantum eſt ex vi fidelitatis, aliàs nullum votum intelligeretur magis

Digitized by Google

factum de materia determinata, quam de qualibet æquali; quod videtur abſurdum, & contra communem ſenſum promiſſionum; ac propterea non poteſt propria authoritate mutari, niſi in materia ſubrogata ſit aliquis exceſſus, ratione cuius promiſſio non cenſeatur obligare;in ipſo enim voto, ſubintelligitur ſemper exceptio melioris.Hinc,ſi quis promittat, ſeu voueat certam Religionem, non poterit propria authoritate aliam diuerſam,etiam æqualem ingredi, ob rationes iam inſinuatas: & iuxta hanc doctrinam ſunt exponendi fere omnes DD.pro priori ſententia allegati, & tenent inſuper Rodr. *ibidem.* Suar.*cap.*19.*num.*3. Pet.de Ledeſma *vbi ſupra dicto* 3.Graff.1.*p.deciſ.lib.*2.*cap.*30. *num.* 6. Say. *ſupra num.* 8. & Azor. *ibidem quæſt.*2.

Dvbivm IIII.

An ad puram commutationem, hoc eſt in maius, vel æquale bonum, requiratur aliqua cauſa.

1. Ratio dubitandi eſt, quia commutatio eſt actus iuriſdictionis, qui non debet fieri, niſi ex legitima cauſa. Ergo commutatio petit cauſam aliquam obſtantem voti executioni, vt teſtantur Angelus *verbo votum, num.* 10. Sylu. *votum* 4. *quæſt.*8. Innoc. *cap.*1. *de voto, num. vnico.* Panor. *ibi. num.*3. & Archid.*c. preſbyter,*2.*diſt.num.*3.ſed neuter declarat, an id opus ſit; cum commutatio ſit in melius.

2. Quare reſpondeo dicendum,quod in commutatione in melius non requiritur alia cauſa, quam ipſa maioritas boni,in quod fit commutatio; in commutatione autem in æquale, vel non requiritur aliqua cauſa, cum eadem obligatio maneat circa æquale bonum, vt rectè notauit Henriq. *lib.* 7. *c.*30.*fol.* 575. vel ſi requiritur, ſufficit pro cauſa commutationis ipſa maior promptitudo vouentis ad aliam materiam; ita quod alacrius votum ſuum implebit, ne aliàs leuitatis arguatur, ſi ſine cauſa illud mutat. Primam partem huius aſſertionis docent D.Bonauentura *in* 4. *diſt.* 38. *art.*2.*quæſt.*2.& ibi Richard.*art.* 8. *quæſt.* 1. Caiet. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſic.in cõmutatione autem,* Sotus *ſupra, verſic. ex iſtis conſequitur.* Nau.*vbi ſupra* qui ait eſſe de mente omnium Doctorum, & eam colligit *ex c. quod ſuper his. de voto*, vbi votum mulierum viſitandi terram ſanctam commutatur in Eleemoſynas, non quia eſſet aliqua cauſa obſtans executioni voti, ſed quia in ſubſidium terræ ſanctæ plus coram Deo mulierum pecunia, quam præſentia conferret, Abb. *cap. Magna,de voto, num.*16. Say. *in claui regia lib.* 6.*c.*12.*n.* 25. Azor. *tom.*1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 18.*q.*3. Leſſius *de iuſt.lib.* 2.*c.*40.*dub.*11. *num.* 96. Suar. *tom.* 2. *de relig. tract. de voto, lib.*6.*c.*18. *num.*9. Sanch.*ſum.lib.* 4. *c.*50.*num.*15.Roſella *verb. votum* 5.*num.* 6. *& ver. Papam,* & Sylu. *votum* 4.*fine,* & alij per ipſos relati.

3. Secundam autem partem ſequitur Caiet.citatus,& Leſſius *vbi ſupra.*Cord. *in ſum, quæſt.* 149. Angl.*diffic.*10. *dub.*3. *propoſitione vlt.* Armil.*verb. votum.* §.14. Sylu.*votum* 4.§.6. *fine.* D.Th.4. *diſt.*38. Sot 7. *de iuſtitia q.*4.*art.*3. Say. Azor. & Roſella *loc.cit.* Anton. Gomez *in Cruciata clauſ.*10.*n.*105.Valent.2.2.*diſp.*6.*q.* 6.*punct.*7. *verſic. ex commutatione autem,* Suar. *eod. lib.*6. *cap.*19. *num.*10. Sanch. *ibidem num.*23. &Henriq.*lib.*7.*c.*30.cum aliis, quos ibi refert, & ſequitur. Et probatur, quia commutatio illo modo facta cedit in maiorem Chriſti honorem, in maioremque vouentis vtilitatem, cum ſic promptius, & hilarius votum ſuum impleat; *hilarem autem datorem diligit Deus; ad Corinthios* 1. Ergo

recte

Digitized by Google

recte poteſt fieri commutatio prædicta.

Ad rationem vero dubitandi reſpondeo, quod commutatio in æquale bonum, non eſt actus iuriſdictionis, vt viſum eſt dubio præcedenti; ſecus autem eſt de commutatione in minus, quia hic eſt actus iuriſdictionis, & conſequẽter fieri nõ poteſt ſine legitima cauſa; quia habet nonnihil admixtum diſpenſationis. Ita Sot. *vbi ſupra* & Angles *difficul.* 7. cum aliis.

4. Hinc infero primò, quod tunc commutatio indiget cauſa, cum indiget Prælati eccleſiaſtici authoritate, vt legitime fiat. Et probatur, tum quia, cum eo caſu commutatio non fiat poteſtatẽ dominatiua, cuius vſus eſt liber, ſed poteſtate ſpirituali à Deo tradita Prælatis, tanquam ſuis œconomis, atque eius vicem gerentibus, nequit vſus illius eſſe ad libitum, ſed rationi conſonus eſſe debet, & conſequenter cauſam requirit: tum quia Prælatus in ea commutatione interpretatur Dei conſenſum. Vbi autem nulla interuenit ratio, ſed libera ſua voluntas, non datur legitima cauſa diuinam voluntatem interpretandi. Atque id euidenter probant verba textus *cap.* 1. *de voto, num.* 12. & ſupponit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *corpore*, & tenent Gloſ. *eo. cap.* 1. *verb. cauſam*, Abulenſis *c.* 30. *Num. q.* 103. *fine, ac q.* 104. *initio.* Et à fortiori requiritur cauſa, dum cõmutatio fit authoritate delegata, nempe per priuilegia Regularium, ſeu Iubilæum, aut Cruciatam; & merito, quia ſi habens poteſtatem ordinariam, id eſt, Prælatus nequit abſque cauſa commutare; minus ſane id poterit, qui ab eo habet poteſtatem delegatam. Ita Suar. *ſupra cap.* 18. *num.* 10. & Sanch. *cap.* 50. *num.* 19. Limita tamen, niſi delegatio fiat cum aliquo onere ob bonum commune, vt fit per Bullam, ſeu Iubilæum, tunc enim nulla alia requiritur cauſa, quàm eleemoſynã in Bulla præſcriptam conferre in belli ſubſidium; ſeu exequi opera in Iubilæo ſimiliter præſcripta: quippe ob eam cauſam Pontifex dictam facultatem concedit, & ſic tradunt Rod. *in addit. ad Bullam*, §. 9. *num.* 107. & Suar. *ibidem*, & alij.

5. Infero ſecundò, non eſſe admittendam opinionem eorum, qui aſſerunt ad commutanda vota in rem æqualem, requiri cauſam executioni voti obſtantem, vt ſi vouens peregrinari ſit debilis; aut vouens eleemoſynam ſit pauper, & quid ſimile. Ita Abb. *cap.* 1. *de voto, n.* 3. & 5. Roſella *verb. votum* 5. *n.* 6. Sylu. *votum* 4. *fine.* Angel. *votum* 4. *n.* 10. Abulenſis *c.* 3. *Num. q.* 105. Ouandus 4. *diſt.* 38. *diſp. vnica, propoſitione* 26. Say. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 26. & alij, quorum opinione omiſſa, dicendum eſt ad huiuſmodi commutationem non requiri cauſam executioni voti obſtantem: quoniam diuerſa ratio eſt in mera commutatione, & diſpenſatione, ſiue totali, ſiue partiali, admixtam commutationem habente. Per totalem namque diſpenſationem tollitur omnino vinculum voti, & materia promiſſa: per partialem tollitur vtrumque, non omnino, ſed partim: in mera autem commutatione idem prorſus vinculum manet, & materia etiam æqualis ſubrogata. Atque ideo cum parum, aut nihil lædatur diuinus cultus, conſequenter non requiritur cauſa obſtans. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſic. in commutatione autem votorum*, & *in ſum. verb. votum, cap. vlt. verſic. rationabilis autem cauſa*, & ibi Armilla *num.* 14. Arag. *eod. art.* 12. in dubio quod mouet circa ſecundam concluſionem, *in* 1. *dicto.* Valentia etiam 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſic. ex commutatione autem*, Nauar. *lib.* 3. *conſil. tit. de voto, in priori editione, conſil.* 16. *num.* 4. *in poſteriori, conſil.* 36. *n.* 4. Cord. *in ſum. quæſt.* 149. & alij cum Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 5.

6. Infero

Digitized by Google

6. Infero 3. quod ſi fiat commutatio in melius, nulla alia requiritur cauſa, vt conſtat ex dictis, ſi in æquale & authoritate ſuperioris, ſufficit maior voluntatis in illud propenſio. Si autem dubitetur an ſit æquale, ſufficit notabilis moleſtia, quam ſentit vouens circa voti impletionem, vel fragilitas eiuſdem cum periculo violandi, vel repugnantia parentis, ſeu mariti, aut quid ſimile, prudentis iudicio æſtimandum, vt recte docet Leſſius *de iuſt. lib.* 2.*cap.* 4. *num.* 110. Ad commutationem igitur voti in rem æqualem, ſufficit quæcunque cauſa, etiam leuis, & parua, cum parua ſit etiam remiſſio per illam facta, vt recte Sanch. *d.cap.* 40. *num.* 23. ſequutus Suar. *tom.* 2. *de Religione lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 5. Imo interdum ſufficiens cauſa erit, ſi vouens ipſe commutationem poſtulet, tunc enim non ſolum concurret cum petitione promptior vouentis voluntas ad materiam ſubrogatam, ſed cedit etiam in Chriſti honorem, quia dum Prælatus, ſeu Delegatus vice Dei gratificatur illis, qui ſua ſe ſponte Deo obligarunt, alij in poſterum facilius ad vota Deo dicanda inducuntur. Ita Caiet. *vtroque loco.* Armilla, Valentia, Suar. & Henriq. *ſupra.* Sanch. *ibidem, num.*23. Anton. Gomez *in Bulla clauſ.* 9. *num.* 105. & Petr. de Ledeſma *ſum. tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. *in* 4.*p.*

Dvbivm V.

Vtrum virtute Bullæ concedentis facultatem ad commutanda vota poſsint commutari iuramenta pia.

1. Mvlti recentiores tuentur partem affirmatiuam cum Sot. *lib.*8.*de iuſtitia,quæſt.*1. *art.* 9. D. Anton. 2.*p.tit.*11. *cap.*2. §. 2. *ex cap.peruenit, de iuramento*, Rodr. *in Bulla*,§.9. *num.*110. *& in addit. ad eandem*, §.9. *num.*111. *& alibi.* Aragon. 2. 2. *quæſt.*88. *art.* 12. vbi citat Didac. Lopez *libello de voto*; Henriq. *lib.* 7. *c.* 30. vbi teſtatur id tenuiſſe Gallum, Peñam, & alios graues D D. idem ſentiunt Villalob.*tom.*1. *tract.* 27. *clauſ.*9. §.3.*num.*29. Portel *in addit. reg. verb. voti commutatio,num.*98. Suar. *eod. lib.*6. *cap.* 14. *à num.* 6. quem ſequitur Sanch. cum aliis per eum citatis *lib.*4. *cap.*53.*à num* 9. & probari poteſt eorum ſententia. Primò, quia iuxta communem Doctorum intelligétiam Summus Pontifex eo ipſo quod reſeruat ſibi vota circa aliquam materiam, intelligitur conſequenter reſeruare iuramenta circa eandem: Ergo ſimiliter quando concedit alicui poteſtatem commutandi, aut diſpenſandi vota, intelligitur illam concedere circa iurameta de eadem materia.

Secundò, quia votum eſt fortius, & ſtrictius vinculum, quam iuramentum, vt expreſſe docent Doctores cum D. Thom. 2. 2.*quæſt.*89.*art.*4. Ergo qui habet facultatem commutandi, aut diſpenſandi vota, à fortiori illam habebit circa iuramenta, ex regula Iuris *in* 6. *cui licet quod eſt plus, vtique quod eſt minus.*

2. Verum his non obſtantibus. Dico primo, probabilior eſt oppoſita ſentétia, quam defendunt Nau. *cap.*27.*num.*275. *in fine*, Caiet. 2.2. *quæſt.*89. *art.* 9. Azor. *tom.*1. *inſtit. mor. lib.*11. *cap.*10. *quæſt.* 2. *& cap.* 18.*q.*16. *& cap.*19.*q.*19. Leſſius 2. *de iuſt. cap.*42.*dub.*12. *num.* 60. Petr. de Ledeſma *ſum.tom.*2. *tract.* 11.*cap.* 4. *diffic.*4. *verſic. quinto.* Barthol. à ſancto Fauſto *in Theſauro Relig. lib.* 4. *quæſt.* 41. Sed probatur primo, quia obligatio voti differt ſpecie ab obligatione iuramenti, cum votum innitatur fidelitati Deo debitæ de implenda promiſſione, iuramentum vero reuerentiæ diuini

Digitized by Google

diuini nominis, in cuius honorem fit iuramentum; ſed non eo ipſo quod alicui conceditur facultas in ordine ad vnum, intelligitur concedi in ordine ad aliud diuerſæ ſpeciei: ergo, &c.

3. Secundò, quia in Bullis antiquis Pauli III. & Pij IV. ponebantur tanquam diuerſæ facultates in ordine ad vota, & ad iuramenta, nam vltra facultates in ordine ad commutanda vota, dabatur etiam ad iuramenta.

Tertiò, quia cum priuilegia ſint ſtrictiſſimi iuris, vt conſtat ex *cap. porro, tit. de priuilegiis*, non poſſunt operari vltra ſuum tenorem, vt notant Gloſſ. & DD. ibi: ergo cum tenor facultatis Bullæ ſolum ſit in ordine ad vota, non poterit extendi ad iuramenta.

Quartò, quia in voto iurato ſunt duo vincula, quæ fortiora ſunt, quam vnum; Bulla autem ſolum dat facultatem tollendi vinculum voti, quod eſt minus, nihil prorſus dicens de iuramento. Vnde tanquam ſpeciale priuilegium conceſſum fuit Societati IESV à Greg. XIII. vt Confeſſarius commutet ſæcularibus vota, etiam iurata. Quæ ex duplici vinculo ſunt firmiora, teſte D. Thom. 2.2. *quæſt.* 89. *artic.* 8. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 275. §. 16.

4. Ad primum reſpondeo eſſe diſparem rationem, quod quia Summus Pontifex de iure & ex officio ordinario poſſit diſpenſare, tam in voto, quàm in iuramento; Hinc eſt quod quando ſibi reſeruat vota, videatur etiam reſeruare iuramenta de eadem materia. Qui tamẽ habet non ex iure, ſed ex priuilegio facultatem commutandi, aut diſpenſandi vota, non eo ipſo habet illam in ordine ad iuramenta, quia eſſet explicare priuilegium contra eius tenorem, vltra quem nulla ratione extendendum eſt; quare prædictum argumentum tantum conuincit, quod qui ex officio habet prædictam poteſtatem, eam ſimiliter habeat in iuramento, non vero qui illam habet ex priuilegio; & iuxta hunc ſenſum ſunt interpretandi Caietan. & Sotus, qui ab aliquibus falsò allegantur in oppoſitum: nam eſto *locis cit.* dicant votum eſſe arctioris vinculi, quam iuſiurandum, & conſequenter eum, qui poteſt illius vinculum ſoluere, poſſe etiam iſtius. Ibi tamen loquuntur de eo, qui de iure, & ordinaria authoritate poteſt voti vinculum ſoluere, cuiuſmodi eſt Epiſcopus; non de eo, qui ex priuilegio, & authoritate delegata id poteſt, cuiuſmodi ſunt Confeſſores virtute Bullæ deſtinati.

5. Ad ſecundum reſpondeo negando conſequentiam, quia in his, quæ ſunt diuerſæ rationis, non ſemper habet locum; qui poteſt in maius, poteſt in minus, diuerſum in ſpecie; Imo apud Philoſophos nulla prorſus eſt conſequentia, qui poteſt in maius, poteſt in minus, niſi illud minus contineatur in maiori, ſicut ſpecies in genere, vel pars in toto. Vnde hanc ſententiam ſentiunt etiam probabilem *vbi ſupra, num.* 5. & Sanch. *num.* 6.

6. Obiicies, quia diſpoſitum in vno æquiparatorum, cenſetur diſpoſitum in altero, *argum. l. tantum, ff. de ſeruo corrup. iunct. l. ſi quis ſeruo, C. de furtis.* Et docent Gloſſ. *cap. ſi poſtquam, verb. confirmatione de elect. in* 6. quam commendat Abb. *cap.* 2. *num.* 10. *de mutui petit.* Sed quo ad hæc priuilegia æquiparantur iuramenta, & vota: ergo facultas conceſſa ad vota, extenditur etiam ad iuramenta. Probatur minor, quia in eis priuilegiis conceditur facultas remittendi, aut cõmutandi obligationem ex virtute religionis ſoli Deo, tanquam creditori acquiſitam: Certum autem eſt tam voti, quam iuramenti ſoli Deo præſtiti obligationem, Deo duntaxat acquiri.

7. Confirmatur, quia cum alicui conceditur facultas ad actum maiorem;

Oo cenſe

Digitized by Google

cenſetur conceſſa ad actum minorem, argum. *cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Atque ex eo probatur, quia poteſtas teſtandi ex priuilegio, extenditur ad codicillum faciendum, & donationem cauſa mortis, vt tradit Nauarr. *ſupra*, & licentia donandi extenditur ad mutuandum; & facultas audiendi Miſſam tempore ceſſationis à diuinis, extenditur ad tempus interdicti. Imo etiam è conuerſo in rigore iuris, vt plures referens inſinuat Couarr. *in cap. Alma mater, 2. part. §. 4. n. 7.* At in voto, & iuramento ita contingit. Quia tota ratio tam voti, quàm iuramenti pij pertinet ad religionem, & Deum, qui vtriuſque ſolus eſt creditor; & conſequenter in diſpenſatione, ſeu commutatione vtriuſque ſolũ cõſideratur, quid Deo ſit gratius, & in vtroque intẽditur, vt Deo ſatisfiat. Igitur eſto in rigore ſpeculatiuo ſint diuerſarum rationum, moraliter tamen quaſi paria iudicantur.

8. Ad obiectionem reſpondetur, dicendo maiorem non eſſe ſimpliciter veram; quia eſto in diſpoſitionibus, quæ pertinent ad ordinarium ius, valeat argumentum ab æquiparatis, dum euidens differentiæ ratio non occurrit; in delegatione tamen id locum non habet, quia res eſt facti, & pendet ex delegantis voluntate; & conſequenter poteſt vnum actum, & non alium committere, quamuis ſimiles eſſe videantur; modo inter ſe non habeant neceſſariam connexionem, cuiuſmodi contingit in caſu noſtro, vt conſtat. Adde non eſſe verum ſimpliciter, quod iuramentum, & votum etiam eiuſdem materiæ æquiparantur omnino; tum quia alias priuilegium conceſſum ad diſpenſandum in iuramentis, poſſet extendi ad vota, etiam ſi mentionem eorum non faceret, quod nonnulli cenſent abſurdum apud Suar. *d. c. 14. n. 2.* tum quia ſub periurio venit violatio voti eiuſdem materiæ.

9. Ad confirmationem reſpondetur, diſpoſitionem Capituli, *per venerabilem,* ſolum procedere in per ſe connexis, vt pars, & totum; vel vt principale, & acceſſorium; quod non habet locum in caſu noſtro. Et facit regula Canoniſtarum aſſerentium, in diſpenſationibus non fieri extenſionem, etiam ad caſum minorem, & habentem in ſe maiorem rationem, quam caſus conceſſus. Atque ita tradunt Hoſtienſ. *in cap. Poſtulaſti, de reſcript.* & ibi Felin. *num.* 8. *§. circa tertiam*, & Dec. cum aliis per eum relatis *conſil.* 250. & patet ex poteſtate conceſſa ad diſpenſandum in irregularitate grauiori; quæ ſi in ſpecie conceſſa eſt, non extenditur ad minorem, & eſt communis opinio. Imo fauet etiam *cap. cui de non Sacerdotali, de præbend. in 6.* vbi habetur poteſtatem ex priuilegio datam ad prouidendum de maiori præbenda, non extendi ad minorem. Neque obſtant exempla in contrarium adducta; tum quia ſunt de rebus inter ſe ſubordinatis, ſeu connexionem habentibus; tum quia neutrum eorum tangit materiam diſpenſationis, ſeu commutationis. Neque etiam obeſt ratio tandem inſinuata, quia licet votum, & iuramentum Deo præſtitum, ad religionem ſpectant, & vtrumque reſpiciat Deum creditorem; nihilominus ſunt diuerſæ ſpeciei, vt dictum eſt ſupra. Atque vnum eſt ſatis ab alio diſtinctum; imo adhuc ſub iudice lis eſt, quod eorum ſit grauius vinculum, & plus obliget.

10. Dico ſecundò, nihilominus eſto hæc opinio probabilior, ac tutior ſit, priorem tamen ſatis probabilem, & in praxi etiam tutam cenſeo. Nec intendo ſolum poteſtatem ordinariam circa vota extendi ad iuramenta pia, ſed idem ſentio etiam de poteſtate delegata, de qua eſt præſens difficultas: & quidem duplici ratione potiſſimum ducor. Prima,

ma, quia cum iuramentum ordinatur ad Deum duntaxat, perinde reputatur ac votum; Vnde ſub nomine voti ſolet iuramentũ comprehendi,& è conuerſo, præſertim iuxta communem loquendi modum. Atque ideo Canoniſtæ interdum aſſerunt huiuſmodi iuramentum eſſe quoddam votum. Ita Abb. *in cap. ſi vero, de iureiur. fine*, & D Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 2. inquit, iuramentum promiſſorium de iis, quæ pertinent ad Dei honorem, includere votum. Hinc autem in communi æſtimatione tale iuramentum quomodocunque fiat, pro voto reputatur, & ſub ea voce comprehenditur; ita vt votum ſic generatim ſumptum ſignificet debitum voluntarie contractum ex religione ad Deum.

11. Secunda, quia huiuſmodi iuramẽtum & votum æquiparantur omnino in hoc, quod tota obligatio, & materia vtriuſque vinculi ordinatur ad Dei honorem, & Deus ſolus exiſtit eius obligationis creditor, ac proinde habent eundem diſpenſationis, & commutationis modum; imo & eandem rationem, & connexionem, attento talium conceſſionum fine, & huiuſmodi iuramentorum vſu, vt recte tradunt *vbi ſupra* Suar. *num.* 13. Sanch. *num.* 8.

12. Ex his itaque infertur primò, quod ſicut poteſtas delegata circa diſpenſationem, & commutationem votorum extenditur ad diſpenſationem, & commutationem iuramentorum, quæ ſoli Deo fiunt, ita è conuerſo poteſtas delegata circa diſpenſationem & commutationem iuramentorum huiuſmodi extenditur ad diſpenſationem, & commutationem votorum. Vtrumque enim probant rationes adductæ, & tenent expreſſe Suar. *num.* 24. & Sanch. *num.* 10. qui addit id eſſe verum, etiam ſi iuramenta illa nullam includant promiſſionem, quia quomodocunque ſoli Deo fiant, reputantur tanquam vota, cum ſoli Deo obligatio inde quæratur ex virtute religionis.

13. Infertur ſecundò, non eſſe admittendam opinionem eorum, qui poteſtatem delegatam ad vota extendunt ad iuramenta adiecta contractui, in quo eſt turpitudo, & iniuſtitia in creditore, cuiuſmodi eſt iuramentum factum homini ſoluendi vſuras, aut metu iniuſto extortum. Ita opinantur Barth. à Ledeſma *ſum. tract. de matrimonio, dub.* 23. *poſt* 3. *concluſionem.* Man. Rodr. *tom.* 1. *ſummæ; in* 2. *edit. cap.* 231. *num.* 4. *& cap.* 244. *num.* 4. Ducti, quia per hæc iuramenta nullum ius acquiritur homini, cui fiunt, ſed ſolum Deo, & conſequenter rationem voti induere videntur, non aliter, quam ſi ſoli Deo fierent. Oppoſitum tamen tenendum cenſeo, quoniam eſto per illa iuramenta nullum ius acquiratur homini cui fiunt: nihilominus cum nec intuitu pietatis, ſed humani contractus fiant; proinde nec vllam voti, ſed meræ promiſſionis humanæ rationem induunt: Atque ideo nec votorum voce comprehendi ſolent. Ita Suar. *ſub n.* 13. *& eodem tom.* 2. *de religione tract. de iuramento, lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 13, & Sanch. *loco cit. num.* 13. *& tom.* 1. *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 32. *num.* 17.

14. Infertur tertiò, prædicta iuramenta, nec per Bullam Cruciatæ, nec per priuilegium Societ. Ieſu, concedens vota iuramento firmata, poſſe relaxari ſeu commutari. Quia talia iuramenta nullo modo ſunt vota ob rationem aſſignatam, poſſent tamen relaxari, ſeu commutari per priuilegium, ſeu diploma concedens relaxationem iuramentorum abſque tertij præiudicio: quia cum ex huiuſmodi iuramentis non acquiratur ius tertio, proinde nec ex illorum relaxatione infertur ei præiudicium. Ita *ibidem* Suar. & Sanch. & Petr. de Ledeſma *ſum. de matrim. quaſt.* 47. *art.* 3. *dub.* quod mouet circa 3. arg.

Digitized by Google

§. *ſed adhuc eſt aduertendum.* Poſſunt etiam relaxari per Iudicem, compellendo creditorem, vt remittat huiuſmodi iuramentum. Vnde cum hæc ſit materia ſpiritualis, poteſt quidem Iudex Eccleſiaſtiucs ad id compellere, non ſolum Eccleſiaſticus, ſed etiam laicos, arg. *cap. 1. de iureiur.* ibi. *Mandamus quatenus creditores ad iuramenta ſuper vſuris ſibi ſoluendis præſtita, relaxanda, Eccleſiaſtica diſtrictione cogatis.* Atque ita tradunt ibi Abb. *num.* 3. & Couar. 1. *variarum, cap.* 4. *num.* 5. Imo poteſt etiam Iudex ſæcularis ad id compellere laicos, cum enim ſit competens ad cogendum ſeruare iuramentum, per *tex. in cap. 2. de ieriur. in 6.* eadem ratione poteſt compellere ad relaxandum, & ſic indicant *d. cap.* 2. Abb. *num.* 3. Alex. de Neuo *num.* 10. & aliis citatis Felin. *cap.* 1. *de iureiur. num.* 22.

14. Id tamen limita primò, vt intelligatur, cum conſtat de recipientis turpitudine, & teneri ipſum relaxare; nam ſi dubium ſit, ſolus Iudex Eccleſiaſticus erit competens. Ita Abb. *loco proxime cit.* Tabiena *verbo iurare, quæſt.* 20. *num.* 2. & Mol. *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 149. §. *Aliud accipere.* Limita ſecundò, vt intelligatur, cum materia, circa quam iuramentum præſtitum fuit, eſt mere temporalis ad forum ſæcularem ſpectans; ſecus, inquit, Iudex ſecularis de hoc cognoſceret. Ita Molina citatus.

His tamen duabus conditionibus ſuppoſitis, poteſt Iudex laicus id præſtare, adhuc nolente parte remittere. Hoc enim nõ eſt abſoluere, nec proprie relaxare, ſed decernere, non poſſe iurantem aſtringi per aduerſarium ſub illius iuramenti prætextu, vt aliis per eum relatis late probat Mol. *d. diſp.* 149. *fol. mihi* 844. *& ſeqq.* vbi docet poſſe poteſtates laicas iuramenta relaxare, dum id bono publico expedit, & ſequitur Sanch. *d. diſp.* 32. *num.* 18.

DVBIVM VI.

An virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi poſsint commutari vota iurata, ſeu iuramento firmata.

1. PRo declaratione huius dubij obſerua, hic non agi de iuramentis factis homini, cum hæc non veniant nomine voti; ſed agitur de iuramentis Deo præſtitis, quæ includunt implicitè votum, & proinde voce voti etiam comprehenduntur. Hæc autem iuramenta aliquando fiunt ſine voto, iurando tantum facere hoc, vel illud opus pium, & de his actum eſt dubio præcedenti. Aliquando autem fiunt cum voto; & tunc interdum votum præcedit, & ſubſequitur iuramentum in confirmationem voti emiſſi; interdum etiam præcedit iuramentum, & deinde additur votum ad confirmandum iuramentum. In præſenti igitur dubio agitur de votis, quæ per ſubſequens iuramentum firmantur.

2. Obſerua inſuper, quod ſi priuilegium ſit expreſsè ad vota iurata commutanda, ſeu diſpenſanda, cuiuſmodi eſt illud, quod Societati IESV conceſſit Greg. XIII. tunc certiſſimum eſt, poſſe virtute illius commutari vota iurata, ſiue iuramentum accedat voto acceſſorie tantum, ſiue ſit etiam principale, & quaſi concomitans, vt ex ſtatim dicendis magis fiet manifeſtũ. Dictum enim priuilegium indiſtinctè loquitur, & nulla ratio cogit ad illud limitandum, vt notat Sanch. *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 16. Priuilegium autem Cruciatæ, ſeu Iubilæi ſolum concedit facultatem commutandi vota abſque vlla mentione iuramenti, vt conſtat.

3. Circa præſentem igitur difficultatem tres opiniones exiſtũt. Prima abſolutè negat facultatem delegatam ad

vota

Digitized by Google

vota ſimpliciter commutanda extendi ad vota iurata. Ita Henriq. *lib.7.de indulg. cap.30. num.5.* Azor. *lib.11. inſtit. Mor.cap.10. quæſt.2. & cap.18.quæſt.16.* Filliuc. *tom.2. tract. 26. cap.9. num.255.* Man.*in Bulla Cruc.§.9. num.110.& ſum. tom.2.cap.100.fin. & in quæſt. Regul.tom. 1.quæſt.63.art.5.*Sorbus *in compend.verb. Abſolutio 2. quoad ſæculares, in annot.ſuis, concluſ.8. & verb. votum, in annot. notabili 5.* & Say. *in claui regia lib.5. cap.8. num.9.verſic. Dixi abſque priuilegio.* Ducuntur primò, quia in votis iuratis continentur duo vincula expreſſa; duo autem apertè maiora ſunt vnico expreſſo,& conſequenter facultas delegata ad vnum ſimpliciter, non debet extendi ad duo. Et confirmatur ex D. Thom.qui 2.2.*quæſt.89.art.9.ad* 2.inquit iuramentum addi voto, vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur, & Sotus *de iuſt. lib. 8. quæſt. 1. art.8. ad 2.* ait,licet vinculum iuramenti ſit minus, additum voto nexum reddit implicatiorem.

4. Secundò,quia ſi priuilegium commutandi vota extenderetur ad vota iurata, fruſtranea eſſet conceſſio Gregor. XIII. facta Societati IESV ad commutanda vota iurata, cum iam illam habuerit à Paulo III. ad commutationem votorum ſimpliciter faciendam, vt conſtat ex *Compend.priuil. verb. commutatio,*§.1.

Secunda opinio abſolutè affirmat eum, qui poteſt vota commutare,poſſe etiam, eſto ſint iuramento firmata. Ita Emmanuel Sà, *ſumma, verbo votum,* vbi de voti irritatione, & diſpenſatione, *num.16.* Rodr. *in addit.ad Bullam,* §.9. *num.111.*cuius oppoſitum tenuit in eadem Bulla §. 9. *num.110.* idem ſentit Suar. *tom.2.de Relig. lib.6.cap.14.à num. 191.* Ducuntur primò, quia virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi poſſunt commutari tam vota, quam iuramenta pia in diuerſis perſonis, vt conſtat ex dictis *dub. præcedenti.* Ergo poterunt etiam commutari, ſi in eadem perſona concurrant. Probatur conſequentia, quia per coniunctionem voti, & iuramenti, néc mutatur natura eorumdem, ita vt non reſeruatum fiat reſeruatum, nec eſt cur vnum poſſit impedire poteſtatis vſum erga aliud:igitur ea conditio nec etiam impediet,quin virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi poſſit vtrumque tolli, vel ſimul,vel diuiſim,ſicut ſi alterutrum eſſet ſolum,poſſet per illam auferri.

5. Secundo, qui delegatam poteſtatem habet vota commutandi, ſeu diſpenſandi,poteſt non ſemel tantum,ſed ſæpius cum eadem perſona diſpenſare, ſeu commutare vota. Ergo poſtquam delegatus commutationem voti conceſſit, poteſt eandem concedere circa iuramentum, & ſimiliter poterit ſimul tollere vtrumque,quaſi duas diſpenſationes, ſeu commutationes ſimul concedendo.

Tertiò,quia eſto iuramentum,& votum ſint duo vincula, & inter ſe ſpecie diſtinguantur, per conſortium tamen, ſeu coniunctionem vnius ad alterum, nulli eorum additur noua grauitas intenſiua, ſed extenſiua duntaxat, id eſt plura vota: igitur qui poteſtatem habet diſpenſandi,ſeu commutandi vnum, poteſt & aliud diſpenſare, vel commutare diuiſim,vel ſimul.

6. Tertia opinio, quæ mihi magis probatur, ſic diſtinguit.Si iuramentum præſtetur ad voti emiſſi confirmationem, tunc priuilegium diſpenſationis, ſeu commutationis circa vota extendetur ad ea ſic iureiurando munita.Si autem non præſtetur in voti confirmationem, ſed independenter ab illo, vt ſi quis prius vouit ieiunium,& poſtea iurauit illud, non quaſi votum confirmans,ſed vel eius immemor, vel omnino independenter; tunc priuilegium

Digitized by Google

commutandi votum ſimpliciter non extenditur ad commutationem voti, & iuramenti ſimul. Hanc ſententiam quoad priorem partem tenent quotquot tuentur ſecundam opinionem præcedentem; & quoad poſteriorem, tenent eam Authores pro prima opinione citati, & quoad vtramque eam amplectitur Sanchez *lib.8. de matrim. diſputat.2. num.23. & in ſumm. tom.1. lib.2. cap.53. num.20.*

7. Atque prior pars ſic ſuadetur. Nam votum, etſi iuramento firmetur, non deſinit eſſe votum, quippe iuramentum voto additum non deſtruit illud; ſicut promiſſio ad hominem iurata, vera promiſſio eſt; & conſequenter votum, non obſtante iuramento, poterit tolli per poteſtatem delegatam tollendi vota; ſed voto ablato iuramentum per ſe cadit, & deſinit obligare abſque alia diſpenſatione, ſeu commutatione: ergo per illam facultatem poteſt vtrumque tolli, votum nimirum directè, & iuramentum indirectè. Conſequentia eſt bona, & minor probatur. Quia ſublato fundamento, ruit quod in illo nitebatur; & ablato principali auffertur acceſſorium. Hic autem votum eſt principale, & iuramentum acceſſorium; & ſimiliter votum eſt fundamentum, cui iuramentum adhæret, ac proinde illo ablato, iſtud ceſſare oportet. Poteſt etiam confirmari, ac declarari exemplo promiſſionis humanæ iuramento confirmatæ. Etenim ſi is in cuius fauorem facta eſt promiſſio, remittat illam, conſequenter ceſſat iuramentum, quod illi adhærebat: igitur in caſu noſtro ſimiliter diſpenſato, ſeu commutato voto, ceſſat iuramentum in illius confirmationem factum. Vnde infert Suar. *num.15.* quod ſuppoſita poteſtate, non requiratur maior cauſa ad tollendum tale votum, quam ſi iuratum non eſſet; tum quia nullatenus iuramentum læditur ex illa voti ablatione, cum illud ſit de ſeruanda Deo fidelitate, quæ inde nequaquam violatur; tum quia iuramentum illud eſt quodammodo conditionale; nam dum quis ait, iuro ſeruare votum, intelligitur ſi durauerit, vel niſi remittatur; atque ideo non impleta conditione, nihil iuramento derogatur.

8. Poſterior pars probatur ex eo, quia cum votum, & iuramentum ſint duo vincula diuerſæ ſpeciei, nec vnum pendeat ab alio, conſequenter illo per diſpenſationem, ſeu commutationem ablato, non ceſſabit iſtud; duo enim fortiora ſunt vno ſolo, quód per priuilegium conceditur.

Confirmatur, quia quando duo concurrunt impedimenta, tenet probabilior ſententia vtrumque eſſe in eadem diſpenſatione narrandum, vt valeat; vnde ſi alterum eſſet ex iis, in quibus poteſt Epiſcopus, & alterũ, in quo Pontifex ſolus, non poſſet Epiſcopus in altero diſpenſare ob concomitantiam alterius ſimul narrandi; & tollendi, vt multis citatis latè probat Sanchez 8. *de matrim. diſputat.23. num.2.* Et quidem abſurdum videtur admittere validam eſſe diſpenſationem laborantis octo impedimentis dirimentibus, petitis à Pontifice octo diſpenſationibus ſeorſim, & ex induſtria. Id enim eſſet Pontificem decipere, cum facile eas octo perſonis concederet, vni autem nullatenus: quoniam (vt rectè tradunt Bal. *l. Barbarius, num.8. verſ.4. contra hoc, ff. de offic. Prætor.* & Ripa *Reſponſ.14. de reſcript. num.11.*) non præſumitur Principem velle promouere odioſos, ac multipliciter criminoſos, quod ad multiplex iuris impedimentum habentes, eſto ex delicto non naſcatur, rectè adaptari poſſe docet Sanchez *ibidem.*

9. Sed quæres primò, an commutando votum iuratum, commutetur etiam

Digitized by Google

etiam iuramentum, vel potius relaxetur. Reſpondetur quod in rigore,& per ſe non commutatur, ſed relaxatur. Vnde etſi per commutationem talis voti, maneat obligatio voti circa aliam materiam, id tamen votum quod manet, non eſt iuratum, ſicut prius erat. Ratio eſt, quia iuramentum non patitur extenſionem, ſeu tranſlationem, (vt ita dicam) ab vna materia ad aliam, iuxta *cap. Clericus, de iureiur.* Atque ideo ſi quis (v. g.) iurauit ſeruare votum ieiunandi, non poteſt ex vi talis iuramenti obligari ad recitandum roſarium, in euentu quo prior materia in iſtum cõmutata ſit, argum. *d. cap. Clericus.* Neque obſtat ſi dicas quod quamuis iuramentum nõ poſſit extendi, ſeu transferri ad aliam materiam, poteſt nihilominus commutari. Reſpondetur id verum eſſe, in præſenti tamen non commutatur iuramentum, ſed votum duntaxat, vt ſupponimus. Cæterum, qui tale votum commutat, poſſet etiam nolle id commutare, niſi vouens acceptet nouam materiam ſub eadem obligatione voti iurati; & in eo caſu obligabit iuramentum: virtute namque de nouo emittitur ſuper nouam materiam, & obligationem.

10. Quæres ſecundò, quæ ſit differentia inter extenſionem, ſeu tranſlationem iuramenti, ac eiuſdem commutationem. Reſpondetur quod extenſio, ſeu tranſlatio, vt ſic, non dicit repetitionem iuramenti, ſed applicationem eiuſdem ad nouam materiam; quæ applicatio impoſſibilis eſt, vt habetur ex *textu citato*, vbi dicitur Clericum, qui iurauerat ſeruare edita ſtatuta,& poſtea promiſit per idem iuramentum ſeruare ſtatutum de nouo conditum, non obligari ex vi iuramenti, ſed ex vi promiſſionis ad ſeruandum nouum ſtatutum. Commutatio autem dicit virtualem repetitionem iuramenti, ſicut commutatio voti dicit virtualem repetitionem, ſeu emiſſionem voti circa nouam materiam. Vnde ſi extenſio latè ſumatur pro virtuali, ſeu formali repetitione ſimilis iuramenti, ſic verum eſt extenſionem in iuramento locum etiam habere.

11. Ex dictis infero primò, quoties commutatur iuramentum, ſiue ex conſenſu partium, ſiue ex authoritate Superioris, ſiue ex poteſtate delegata Confeſſoris, id in quod fit commutatio, cadere ſub obligationem iuramenti: tum quia alias non eſſet commutatio, ſed extinctio prioris iuramenti, & noua promiſſio, ſeu pactio, quod eſt abſurdum: tum quia id probatur à ſimili de voto, quod dum commutatur, nouam materiam cadere ſub obligationem voti omnes fatentur,& conſequenter idem eſt dicendum de iuramento, cum vtrobique eadem ratio militet.

13. Infero ſecundò, quod eſto tertia ſententia ſit probabilior, & tutior in conſcientia, nihilominus ſecunda opinio probabilis etiam mihi videtur, & ſatis pia, quam etiam amplectitur Sanchez *d. cap. 53. num. 20.* Ducor, quia ſatis probabile etiam cenſetur diſpenſationem vnius vinculi non impediri per coniunctionem alterius, vt *ibidem* fatetur Sanchez, & ait Suar. *loco cit.* tum quia nullo iure cauetur, vt in impetratione diſpenſationis vnius impedimenti fiat mentio de aliis: tum quia valet impetratio abſolutionis ab vna excommunicatione, non facta mentione de aliis, quibus idem pœnitens irretitur; vt communiter tradunt DD. cum gloſſ. *cap. ex parte, verb. redire, de offic. ordin.* tum etiam quia paſſim in Curia contingit impetrari diſpenſationem in quodam matrimonij impedimento, non facta mentione de alio, & vtraque reputatur valida; quem ſtylum refert Nau. apud Sanch. *lib. 8. de matrim. diſput. 23. num. 1.* vbi

Digitized by Google

vbi multos recenſet Authores pro hac ſententia. Vnde probabiliter etiam videtur deduci, eum, qui poteſt vota commutare, poſſe, eſto ſint iuramento firmata; & parum referre vtrumuis ex illis præcedat, & an ſit alterum acceſſorium; an vtrumque principale. Imo ſimiliter videtur dicendum, quod ſi facultas illa ſit ad iuramenta Deo præſtita, extenderetur etiam ad vota de eadem materia, ſiue ſeorſum, ſiue ſimul concurrant, cum iuramentum Deo præſtitum, virtute ſemper votum includat, vt ex dictis conſtat.

14. Verum quia tertiam ſententiam & probabiliorem, & tutiorem cēſemus, ſupereſt argumentis in fauorem primæ & ſecundæ adductis ſatisfacere. Atque ideo ad primum pro prima opinione factum reſpondetur, id minimè conuincere ſaltem de vinculis quorum vnum eſt acceſſorium reſpectu alterius, tunc enim non eſt neceſſaria directa poteſtas in vtrumque; ſed in illud duntaxat, quo ſublato ceſſat aliud. Vnde ad confirmationem fatemur quidem maiorem eſſe obligationem, vbi votum, & iuramentum ſimul concurrunt, quamuis iuramentum ſit voto acceſſorium, quia tamen in eo caſu ſublata voti obligatione, tollitur & iuramenti, idcirco ſufficit poteſtas ad votum.

Ad ſecundum reſpondetur, merito fuiſſe id priuilegium obtentum; tum ad tollendos ſcrupulos, qui ex opinionum circa hęc varietate ſuboriri fortaſſe poſſent, tum vt virtute illius queant commutari vota iurata, etiam dum vtrumque vinculum æqualem inducit obligationem.

15. Ad primum ſimiliter argumentũ pro ſecunda opinione factum reſpondetur, id ſolum concludere de habente poteſtatem æque in votum, ac iuramẽtum; aut dum hoc eſt acceſſorium illius, ſecus verò dum non ex æquo quis habet poteſtatem in vtrumque; ſed ratione æquiparationis inter votum, & iuramentum, potens in vno poteſt in alio: tunc enim cum vtrumque vinculum non æquiparetur alteri ſoli, ſed illud excedat, nec iuramentum ſit voto acceſſorium, ſed ab eo independens, qui poteſt in alterutrum ſeorſum, nequit in vtrumque ſimul, & conſtat exemplo; nam qui poteſt ex priuilegio diſpenſare in ſecundo gradu conſanguinitatis, poteſt à fortiori in tertio, nequit autem dum vterque gradus ſimul concurrit. Et ratio eſt, quia non habebat poteſtatem in vtrumque directè, ſed per quandam conſequentiam duntaxat.

16. Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam, quia eſto quis poſſit commutare ſæpius vota alicuius, & conſequenter ſemel votum, & poſtea iuramentum, non tamen dum ſimul concurrunt, vt à ſimili conſtat in rebus phyſicis; etenim poterit quis mille libras ſupra dorſum portare, non tamen ſimul, ſed diuiſim, nunc centum, & poſtmodum alia centum, & ſic de ſingulis. Similiter Confeſſarius poterit commutare votum, ſeu iuramentum virtute Bullæ, non tamen dum ſimul concurrunt, niſi vnum ſit alterius acceſſorium: tunc enim ſolum commutat votum, cum ex iuramenti conſortio non mutet naturam, & iuramentum abſque alia authoritatis applicatione relaxatur, vt notat Rodr. *in addit.* §. 9. *n.* 111. *fine.* Atque ex his patet etiam ſolutio ad tertium.

Dvbivm

Digitized by Google

Dvbivm VII.

An delegata poteſtas commutandi vota extendatur ad diſpenſandum in eis, & è contra, an delegata poteſtas diſpenſandi extendatur ad commutandum.

1. Circa præſentem difficultatem pro certo habendum eſt, eum qui ordinariam habet poteſtatem diſpenſandi vota, poſſe etiam commutare. Sed dubium eſt, an qui habet poteſtatem delegatam commutandi, poſſit diſpenſare, eſto diſpenſare ſit maius, quam commutare, vt conſtat: & multo plus controuertitur, an poteſtas delegata ad diſpenſandum, extendatur ad commutandum. Quapropter circa hanc poſteriorem partem affirmatiue reſpondent Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *art.* 3. *concluſ.* 5. *num.* 35. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *paulo poſt verſ. Ex his ſit conſequens*, Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 5. Emanuel Sà *verb. votum, num.* 19. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *dict.* 2. *& quæſt.* 89. *art.* 9. *propoſitione* 2. Suar. *tom.* 2. *de religione, tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 12. *à num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 40. *dub.* 16. *num.* 108. Say. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 15. Man. Rod. *in Bulla*, §. 9. *num.* 115. *& tom.* 2. *ſum. cap.* 100. *ad finem*, Lud. Lopez 2. *p. inſtruct.* vbi de clauibus, *cap.* 9. *verſ. Præterea ex prædictis.*

2. Ducuntur primò, quia cui licet quod plus eſt, licet quoque minus, vt habetur ex *regula* 53. *cui licet, de reg. iur. in* 6. quæ vera eſt iuxta communem ſententiam, quando minus continetur in maiori, tanquam pars in ſuo toto, vel tanquam ſpecies in genere: ſed commutatio continetur in diſpenſatione tanquam pars in ſuo toto; diſpenſatio enim remittit omnino vinculum voti, commutatio vero remittit partem, nimirum vt non impleatur in materia promiſſa, ſed in alia æquali. Ergo habens poteſtatem delegatam diſpenſandi, habet & commutandi vota.

3. Secundò, quia Commiſſarius ad totum debitum remittendum, non excedet ſuæ poteſtatis limites; imo fidelius aget rem committentis, ſi illud in aliam rem æqualem commutet. Igitur cum per diſpenſandi poteſtatem committatur facultas remittendi totum votum, non excedet Delegatus ſuæ poteſtatis limites. Imo fidelius aget Dei negotium, commutando illud in rem æque gratam Deo.

Tertiò, quia potens remittere totum debitum, à fortiori poteſt remittere partem eius; ſed potens ex priuilegio diſpenſare, poteſt totum voti debitum remittere: igitur & poterit partem, videlicet vt id in alia ſpecie æquali ſoluatur, quod eſt commutare.

4. Confirmatur, quia in commutatione duo continentur. Alterum eſt ablatio vinculi à priori materia, & hoc præſtat etiam poteſtas diſpenſandi. Alterum eſt transferre vinculum in materiam æqualē, & ad hoc ſufficit prudens iudiciū transferentis. Ergo poteſtas diſpēſandi nō excedit limites cōmutandi, præſertim quia diſpenſandi poteſtas, tanquam fauorabilis, amplianda eſt.

5. Negant alij delegatam poteſtatem diſpenſandi extendi ad commutandum. Ita Nauar. §. *in Leuit. notab.* 27. *num.* 1. *& in ſum. cap.* 12. *num.* 79. Palatius *in* 4. *dist.* 38. *diſp.* 3. *verſ. Et ſane ſi amicus.* Met. *ſum. lib.* 1. *cap.* 1. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſ. deniq.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *inſtit. Mor. cap.* 10. *quæſt.* 4. *& cap.* 18. *quæſt.* 7. Sanch. *tom.* 2. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 15. *& ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 4. Lud. Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 50. *paulo poſt principium*, & Beja *in ſuis reſponſis* 2. *p. caſu* 9. *in ordine*. Ducuntur primò, quia priuilegia non plus valent, quam ſonant; & conſequenter ſi vnum

Digitized by Google

tantum actum concedunt, non poſſunt extendi ad alium diſtinctum, ſiue ſit maior, ſiue minor, modo non ſit pars alterius. Ergo poteſtas delegata ad diſpenſandum non poteſt extendi ad commutandum. Antecedens conſtat, quia priuilegia quantumuis fauorabilia, non ſunt extendenda vltra verborum proprietatem, vt fatetur Suar. *eodem lib.6.cap.19.num.*8. ac ſubinde non ſunt extendenda niſi ad actum expreſsè conceſſum; vnde potens diſpenſare ex priuilegio ſuper irregularitatem grauiorem, non ideo poteſt tollere diuerſam, etiam minorem. Probatur autem Conſequentia, quia diſpenſatio eſt ad tollendum vinculum voti, commutatio vero non tollit illud, ſed transfert duntaxat ab vna materia in aliam: igitur poteſtas delegata ad diſpenſandum, quantumuis ſit fauorabilis, non eſt extendenda ad commutandum: cum commutatio pura, nec ſeruata verborum proprietate, nec iuxta communem modum loquendi, ſub diſpenſatione comprehendatur.

6. Secundò, quia eſto in commutatione reperiatur aliqualis diſpenſatio, hæc tamen eſt valde impropria, & ſecundum quid, vt fatetur Suar. *ibidem n.* 14. Et probatur, tum quia commutatio valet abſque legitima cauſa, vt dictum eſt *dub.*4. non ſic diſpenſatio ſiue partialis, ſiue totalis, vt fatentur fere omnes; tum quia ad commutandum maior requiritur peritia, quam ad diſpenſandum: igitur commutatio nullatenus continetur in diſpenſatione, ſaltem ſi de diſpenſatione propria, & ſimpliciter ſit ſermo. Sicut pars hominis picta, etſi dicatur pars hominis ſecundum quid, non tamen ſimpliciter. Atque ideo non verificatur hic ea regula; cui licet quod plus eſt, licet quod minus; ea namque requirit vnum in alio contineri, tanquam partem ſimpliciter in ſuo toto.

7. Tertiò, quia quamuis commutatio ſit diſpenſationis pars, adhuc non procedit dicta regula, quoniam vt potens quod plus eſt, poſſit quod minus, requiritur vt prior poteſtas ſit omnino abſoluta, vel ſi cum limitatione aliqua, reperiatur etiam eadem limitatio in illo minori: idque exemplo declaratur ſic; ſi quis ſuo committat œconomo, vt liberè queat aliquod remittere debitum, aut inuenta tali debitoris paupertate; tunc in priori caſu certum eſt poſſe liberè partem illius remittere, vel totum commutare, cum hîc etiam ſit partialis quædam remiſſio, permittendo ſolutionem in alia ſpecie. In poſteriori autem caſu, certum ſimiliter eſt, quod inuenta ea debitoris paupertate poſſit vtrumque præſtare, & in vtroque euentu rem Domini fideliter aget. Secus ſi non inuenta ea paupertate remitteret partem debiti, aut illud in rem æqualem commutaret; quippe ſuæ poteſtatis limites excederet, & conſequenter non ſuffragaretur illa regula; cui licet quod plus eſt, licet quod minus, quia quod plus eſt, non licebat abſolutè, ſed cum limitatione, atque ideo nec etiam licebat illud, quod minus eſt, niſi eadem limitatione exiſtente. Idem igitur contingit in delegata poteſtate diſpenſandi, non enim cenſetur commiſſa alicui libere, ſed legitima cauſa exiſtente. Vnde certum quoque videtur, quod ſi exiſtat cauſa ad totalem voti remiſſionem ſufficiens, poſſit non ſolum diſpenſari, ſed commutari etiam votum ab habente poteſtatem delegatam: & tunc habebit locum regula; cui licet quod plus eſt, licet quod minus, & qui poteſt remittere totum, poteſt & partem. Si autem deficiat ea ſufficiens diſpenſandi cauſa, non poterit delegatus commutare, eſto id minus ſit, cum in ea diſpenſandi poteſtate non includatur.

8. Quartò,

8. Quartò, quia cum valet argumentum à maiori ad minus affirmatiue; valet quoque à minori ad maius negatiue: vt ſicut valet, Petrus poteſt dare decem ſcuta, ergo poteſt dare quinque: ita etiam valet, non poteſt quinque,igitur nec decem. Sed à negatione poteſtatis commutandi,non valet ad negationem poteſtatis diſpenſandi:igitur nec valet affirmatiue à poteſtate diſpenſandi, ad poteſtatem commutandi. Minor probatur, quia eſto alicui auferatur poteſtas commutandi vota, non eo ipſo cenſetur ablata poteſtas diſpenſandi, vt indicat expreſsè Nauar. *loco cit.*

9. Neque obſtat, ſi reſpõdeas ex Suar. *ſupra*, *num.*16.negando Maiorem: ſuſpenſus enim ab inferiori actu, cenſetur etiam ſuſpendi à ſuperiori, ſi cum inferiori neceſſariam habeat connexionem, ſeu illum includat; vt ſuſpenſus à Diaconatu, cenſetur quoque à Sacerdotio. Huic tamen reſponſioni ſe opponit Sanch. *num.* 4. *fine*, dicens commutationem non habere neceſſariam connexionem cum diſpenſatione. Quia nec ex iure naturæ,nec ex iure eccleſiaſtico habetur talis cõnexio:imo poſſunt ab inuicem ſeparari. Nihil enim repugnat, ſi Prælatus concedat facultatem diſpenſandi, & deneget commutandi, eſto legitima cauſa exiſtat.

10. Vtraque prædicta opinio mihi videtur ſatis probabilis, attentis rationibus, quibus nititur, & authoribus qui eam ſequuntur. Poſterior tamen vt tutior mihi magis probatur; tum quia priuilegia ſunt ſtricti iuris, atque ideo non ſunt vltra proprietatem verborum extendenda; tum quia valor priuilegij pendet ex voluntate concedentis, & conſequenter niſi aliud exprimatur, non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum. Rationes autem in contrarium adductæ facile ſoluuntur. Fateor nihilominus, habentem delegatam diſpenſandi in votis facultatem, poſſe partim diſpenſare,& partim commutare: vt etiam fatetur Azor. *ſupra*, & Sanch. *num.* 5. Ratio autem potiſſima eſt voluntas concedentis rationabiliter præſumpta. Nam delegans diſpenſandi poteſtatem rationabiliter pręſumitur, quod velit eam delegare quoad meliorem, tutiorem, & magis communem vſum. Nec dubium eſt, quin melior, tutior, & magis communis diſpenſationis vſus;imo ab omnibus plerumque DD. conſultum ſit, dum aliqualis admiſcetur commutatio;& conſequenter diſpenſandi poteſtas ita cenſetur conceſſa, vt liceat etiam partim commutare.

11. Sed quæres circa priorem huius dubij partem, an ſimiliter poteſtas conceſſa ad commutanda vota extendatur etiam ad diſpenſationem? Ratio dubitandi eſt, quia commutatio non fit ſine diſpenſatione. Ergo poteſtas delegata ad commutandum,extenditur ad diſpenſandum. Conſequentia eſt bona, & Antecedens probatur. Quia vel talis poteſtas reſtringenda eſt ad commutationem in melius, aut æquale, & huiuſmodi reſtrictio videtur valde rigoroſa; vel extẽditur ad commutationem in minus, hæc autem non fit ſine aliqua diſpenſatione, cum moraliter vix ſeparentur;raro enim diſpenſatio fit abſque vlla impoſitione. Hinc Innoc. Panor.& alij *in cap.* 5. *de voto*, ex poteſtate commutandi, quæ eſt in Epiſcopis, colligunt poteſtatem diſpenſandi Atque ideo Sylu. *verb. votum* 4. *queſt.* 3. *diſt.* 2. ait habentem commutandi poteſtatem, habere etiam diſpenſandi; cui ſententiæ adhæret Palat. in 4. *diſt.* 38. *diſp.* 3. *circa finem*, §. *& ſane.*

12. Cæterum, oppoſitum eſt abſolute tenendum, nempe ex poteſtate delegata commutandi non inferri po-

Pp 2 teſtatem

Digitized by Google

teſtatem diſpenſandi : eſt communis ſententia, quam vt certam tradunt communiter DD. *præcit. dubio...* pro vtraque opinione allegati, & Cord. etiam *lib. 5. de indulg. q. 57.* & Couar. *in cap. quamuis pactum, 1. part. §. 3. num. 4.* Imo & poſſunt pro eadem citari Abb. & Roſella, dicentes, etiam in Epiſcopo non verificari, quod habeat poteſtatem diſpenſandi, quia habet commutandi. Nec immerito, tum quia commutatio, ac diſpenſatio propriè, & in rigore ſunt actus diſtincti; commutatio quippe eſt quid minus, quam diſpenſatio. Hæc tollit vinculum voti, illa non tollit, ſed transfert in aliam materiam; tum etiam quia delegatio omnino fundatur in voluntate concedentis; ex voluntate autem dandi aliquid minus, non rectè infertur voluntas dandi aliquid longe maius. Hinc deducitur differentia inter poteſtatem ordinariam, ac delegatam : in ordinaria enim non ſeparantur poteſtas commutandi, & diſpenſandi; imo vtraque in paſtorali munere, & adæquata illius iuriſdictione includitur, per modum vnius ſimplicis poteſtatis ad tale munus neceſſariæ, & de hac poteſtate ordinaria videtur interpretandus Sylu. *vbi ſupra.* Poteſtas autem delegata ad beneplacitum delegantis conceditur, & conſequenter ſi minorem tantum exprimat, non poteſt, aut debet de maiori interpretari.

13. Ad rationem igitur dubitandi reſpondetur, diſpenſationem dupliciter ſumi poſſe. Primo modo ſumitur, quatenus ſignificat remiſſionem debiti, atque ita ſumitur, cum à commutatione diſtinguitur; & tunc negatur antecedens; falſum namque eſt, quod in omni commutatione includatur diſpenſatio. Secundo poteſt ſumi quatenus ſignificat diminutionem, ſeu lenitionem rigoris debiti ſoluendi, & tunc verum eſt quod in commutatione includitur aliqua diſpenſatio: Hæc tamen non ſimpliciter, ſed æquiuocè dicitur diſpenſatio, quatenus quod erat præcise debitum in vna ſpecie, permittitur in alia ſolui, & ſic negatur conſequentia. Et ad probationem antecedentis reſpondetur, priuilegium concedens duntaxat poteſtatem commutandi, proprie & in rigore intelligi de commutatione in æquale; id enim exigit verborum proprietas, & æqualitatis ratio. Hæc autem æqualitas non mathematice, ſed moraliter ſumenda eſt, ita vt nulla, aut parua differentia iuxta prudentis viri æſtimationem eſſe credatur. Vnde merito Suarez *ſupra num. 6.* exiſtimat credendum eſſe, extendi etiam ad commutandum in dubio an ſit maius, vel minus id, in quod fit commutatio; quia cum res eſt dubia, parua poteſt dari inæqualitas, & in moralibus parum pro nihilo reputatur; atque ita longè diſtat poteſtas commutandi à poteſtate diſpenſandi. Iura autem, ſeu Iuriſtæ in contrarium adducti, interpretari debent de diſpenſatione æquiuocè ſumpta.

DVBIVM VIII.

Vtrum virtute Bullæ poſsint commutari, & per Epiſcopum diſpenſari vota caſtitatis aut Religionis, tam pœnitentialia, quàm conditionalia ante impletam conditionem.

1. PRæmitto primò, votum pœnale eſſe, cum vouens minimè affectus eſt ad rem ſub pœna in voto promiſſam, ſed illam ſibi in pœnam proponit, vt eam incurrendi timore caueatur à crimine, quod vitare intendit; vt ſi quis ſe non luſurum promittat ſub pœna ingreſſus in Religionem, vel caſtitatis ſeruandæ; tunc enim animus directè

Digitized by Google

directè fertur ad vitandum ludum, & ſolum in pœnam ludi admiſſi vouet Religionem,ſeu caſtitatem. Et quidem dum ſub hac forma emittitur votum, omnes fatentur eſſe pœnale. Cum autem votum eſt de ſola pœna, & crimen ponitur quaſi ſub conditione, vt ſi luſero, ingrediar Religionem, aut voueo caſtitatem ſi luſero: tunc non omnes conueniunt num ſit pœnale votum, an potius mere conditionale; & ratio eſt, quia in huiuſmodi euentu videtur votum eſſe ſolius caſtitatis, aut religionis: atque ideo ſic vouentem ſi ludat, non eſſe voti reum, ſed ad religionem, caſtitatémve duntaxat teneri. Vnde nonnulli ſentiunt eſſe mere conditionale, cum aliorum votorum conditionalium formam habeat, ſuſpendatúrque obligatio pœnæ in euentum ludi ſub conditione poſiti. Ita Nauar.& Azor.infra citandi. Alij opinantur eſſe votum conditionale pœnale; ex eo quòd in vouentis animo non eligatur res illa in voto promiſſa, quaſi volita, & materia ſuæ intentionis directæ,ſed quaſi odioſa ſibi, & pœna, vt ſe contineat à crimine, quod cauere exoptat. Ita Ouandus *in 4. diſt. 38. quæſt. vnica, propoſitione 29.* Sotus 7. *de iuſt. quæſt. 2. art. 1. ad 4.* Gutier. & Toler. mox citandi. Cæterum alij vtramque opinionem conciliare nituntur, dicentes quod ſi vouentis animus non ſit ad Religionem,ſeu caſtitatem affectus, ſed proponit ea ſibi in pœnam, ſi crimen admiſerit, eſt vere pœnale, vt tenet ſecunda opinio. Si autem ex affectu caſtitatis, ſeu Religionis id promittat, caſu quo luſerit, tunc eſt mere conditionale, quia id videtur eligere, non vt quid ſibi odioſum, ſed potius gratum, animo abſtinendi à ludo, & pœnitentiam agendi, ac vitam quietam in eo ſtatu degendi;& in hunc ſenſum poteſt ſecunda opinio interpretari. Ita Cord. Rod. & Valent. ſtatim referendi. Hæc autem concordia placet Sanchez *tom. 3. de matrim. lib. 8. diſputat. 10. n. 3.* Addit tamen rariſſime huiuſmodi vota poſteriori modo emitti, & conſequenter fere ſemper eſſe pœnalia; imo eſto dubitetur de vouentis intentione, talia eſſe cenſenda, & mihi etiam idem videtur abſolutè dicendum.

2. Præmitto ſecundò, votum conditionale eſſe, cum vouens cupit rem aliquam, de cuius euentu dubius eſt, promittitque ſe tale, vel tale facturum, ſi obtineat, quod intendit, vt ſi quis morbo preſſus, ſeu in naufragio, vel quouis alio periculo conſtitutus, dicat; ſi incolumis euaſero, voueo Religionem, ſeu caſtitatem: tunc enim animus vouentis fuit, quaſi contractum cum Deo inire; id eſt ſi hoc mihi conceſſeris, promitto Religionem ingredi: voluntas enim non fertur directè in Religionem, ſed in conſecutionem incolumitatis. Vnde pro pleniori declaratione obſerua dictionem, *ſi*, interdum æquiualere particulæ, *quando*, vt ſenſus ſit, quando hoc euenerit. Ita Alberic. *in ſuo diction. litt. S. in dictione, ſi, verſ. ſi non ſemper fine.* Et tunc non eſt vera conditio, ſed potius eſt determinatio temporis, quo votum eſt executioni mandandum, ſolamque conditionis effigiem habet. Et ratio eſt, quia tunc vouentis animus omnino eſt erga religionem affectus, & habet conſenſum perfectum illam ingrediendi, & conſequenter reddit votum abſolutum, ſolúmque executionem illius differt in tempus, quo ceſſet impedimentum. Hinc Sotus *in 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1. poſt concluſ. verſ. Hinc colligitur*, & Bart. à Ledeſma *de matrim. dub. 25. concluſ. 1. fine*, aſſerunt in his verbis; *contraham tecum, ſi pater meus obierit*, illam dictionem, *ſi*, non videri adiunctam inſtar conditionis, ſed temporis præfinitionis, & ſen-

Digitized by Google

ſum eſſe;contraham tecum, quando pater meus obierit. Id autem conſtat eſſe contra naturam veræ conditionis, cum hæc perfectionem conſenſus ſuſpendat,atque ideo talis conſenſus imperfectus eſt, pendens ex futuro conditionis euentu.*cap.vnic.fine de ſponſal.in* 6.Quapropter tunc dictio,*ſi*, erit vera conditio, & reddet votum conditionale,cum affectus vouentis non fertur directe in rem promiſſam,ſed in aliud,quod ponitur in conditione,& vouens optat conſequi,ſeu vitare.

3. Nunc quidam D D. cum Soto *de cauendo iuramenti abuſu* 1. *p. c.* 9. *&* 7.*de iuſtitia,quæſt.*2.*art.*1.*ad quartum, & quæſt.* 4. *art.*3. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. Acoſta *quæſt* 73. *in Cruciata*. Rodr. ſimiliter *in Cruciata* , §.9. *num.*125. *& in addit. eod.n.*116.Nau.*in Man.c.*12.*n.*43. Cord.*in ſum.q.*112. Guttier.*in quæſt.can. lib.*2.*c.*22. *n.vlt.* Azor. *tom.*1. *inſt.mor.c.* 19. *quæſt.* 3. & videtur ſentire Valent. *tom.*3. *diſp.*6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſ. item poſſunt*, & Vega *ſum. tom.*2. *cap.*129.*caſu* 21. *&* 99. aiunt vota pure conditionalia, vt voueo ingredi Religionem, ſi Deus liberauerit me ab hac infirmitate , & ſimilia , non poſſe per Bullam commutari , nec per Epiſcopum diſpenſari,etiam ante impletam conditionem : ſecus vero eſſe de votis pœnalibus , vt ſi amplius commiſero hoc peccatum, promitto Hieroſolymam ire,vel intrare Religionem. Quia hæc , & ſimilia recte (inquiunt) commutari poſſunt per Bullam , & per Epiſcopum diſpenſari.Ratio eorum eſt, quia in votis primi generis animus vouentis directe fertur in materiam promiſſam, vt ingreſſum Religionis : in votis vero ſecundi generis non, ſed potius quia odio habet illa , ad ea ſe obligat , per modum pœnæ , vt ſic ratione vitandi talem pœnam fugiat illud peccatum.

4. Verum communis & receptiſſima Doctorũ ſententia aſſerit tam vota cõditionalia, quam pœnalia, caſtitatis, & Religionis ante impletam conditionem commutari poſſe per Bullam,& diſpẽſari per Epiſcopum. Ita multi viri doctiſſimi Alcocer. *lib. de ludo , cap.*13. *& in ſum. cap.* 18. *ad finem.* Med. *in ſumma, lib.* 1. *cap.* 14. §. 6. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 19. *fine*,Petr. de Ledeſma 2. *parte, tract.* 10. *cap.* 8. inſinuat Rodr. *ſum. tom.* 2. *cap.*97. *fine*,tenet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.*18. *num.* 130.Sanch. *tom.* 3. *de matrim. lib.* 8. *diſp.*15. *num.*8.*& ſum.lib.*4. *cap.*54.*num.*19. Suar. *tom.*2.*de Relig.lib.* 6. *cap.*22.*num.*4.& alij infra citandi *dubio ſequenti* pro noſtra ſententia , & quoad vota pœnalia vltra præcit.id affirmat Couar. *cap. quamuis pactum*,1. *p.* §.3.*num.*12. *de pactis, in* 6. Angles *floribus* 2.*p. vbi de voto,quæſt. vnica,art.*8. *diffic.*10. Graf. 1.*p.deciſ. lib.*2.*cap.* 28.*n.*3.& alij contra nonnullos , quos tacito nomine refert Philiarc. *de offic.ſacerd.tom.* 1.*p.*2.*lib.*3.*c.*22.*verſ.penult.*& probatur.

5. Primò, quando quis emittit votum non ludendi (ſub pœna intrandi Religionem) illicito aliquo ludo , duo vota implicite facit , primum non ludendi,& hoc eſt abſolutum ; ſecundum intrandi Religionem, non abſolute,ſed conditionaliter ſi luſerit. Sed poteſt Confeſſarius commutare per Bullam, & Epiſcopus ſua authoritate diſpenſare in primo , vt de ſe conſtat , cum non ſit reſeruatum. Ergo illo ſublato aufertur ſecundum, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis quantum ad poſſeſſionem & deſtructionem.

6. Secundò , quia ante impletam conditionem votum illud non eſt eundi Hieroſolymam , ſed non ludendi. Quia re vera non fertur directe in Hieroſolymam , ſed in illud proximum obiectum , ſeu materiam, quæ eſt non ludere,vel tale peccatum vitare.Ergo,&c.

7. Tertiò probatur de voto pure

conditio

Digitized by Google

conditionali, quia votum conditionale ante conditionis impletionem non eſt votum abſolute,& ſimpliciter,cum non ſtatim obliget, ſed cum addito, nempe conditionale. Ergo non eſt reſeruatum proprie, & conſequenter commutabile erit per Bullam, & diſpenſabile per Epiſcopum.Patet illa prima conſequentia, quoniam, vt conſtat ex materia reſeruationis caſuum, ſolum reſeruatur caſus ſimpliciter, & abſolute talis, vt infra magis patebit.

8. Ad rationem in contrarium reſpondeo primò negãdo Antecedens, vt conſtat ex dictis in ſecundo notando. Imo oppoſitum videtur dicendum. Vel Reſpondetur ſecundò, quod licet animus vouentis directe feratur in materiam promiſſam caſtitatis, aut Religionis,fertur tamen ſub conditione,& non abſolute,& ſimpliciter;& ideo ante impletam conditionem commutari poterunt talia vota per Bullam, & diſpenſari per Epiſcopum.

9. Prædicta noſtra ſententia ſuſcipienda eſt cum duplici limitatione Prima eſt, quod votum conditionale non ſit tale apparenter, ſed vere, & realiter. Nam ſi votum ſit conditionale apparenter duntaxat, cuiuſmodi eſt dum dictio *ſi*, æquiualet dictioni *quando*, vt habetur ex dictis in ſecundo notando; tunc nec Epiſcopus poterit diſpenſare, nec Confeſſarius per Bullam commutare, etiam ante conditionem completam.

10. Secunda, quod conditio ſit de futuro.Nam ſi ſit de præterito,aut præſenti,vt voueo Religionem, ſi ita res ſe habet nunc, aut habuit, non quidem ſuſpendit conſenſum; imo eſt votum omnino abſolutum, ſi conditio ſit vera, ſiue vouens ſciat, ignoretue conditionem exiſtere, vt habetur expreſſe, *l.cum ad præſens, & dupli i ſequenti, ff. ſi certum petatur*. Vnde eſto in his votis ſit aliqualis imperfectio conſenſus, quia tamen non talis, ac tanta, qualis, & quanta in voto vere conditionali reperitur.Idcirco nequeunt huiuſmodi vota per Epiſcopum diſpenſari, nec per Bullam commutari.

11. Sed obiicies primò,votum conditionale Religionis, ſeu caſtitatis etiã cum conditione de futuro, ſtatim obligat quoad vinculum voti,& quoad aliquos actus, vel omiſſiones, vt ad non nubendum ante expectatum conditionis euentum;peccabit enim quis contra votum antea contrahens, & conſummans matrimonium: & ſimiliter alia cum proportione obligant ad expectandum conditionis euentum, & vitanda impedimenta, quæ plenam voti executionem poſſent reddere impoſſibilem. Igitur huiuſmodi vota eſto ſint conditionalia, ſunt vere vota, & reſeruata. Reſpondetur concedendo votum conditionale eſſe vere votum, & inducere aliquam obligationem, etiam in ordine ad materiam promiſſam. Addimus tamen totam illam obligationem eſſe ſecundum quid, reſpectu talis materiæ,nõn ſimpliciter,quippe non obligat ad materiam ſub conditione promiſſam,ſed ſolum ad expectandum conditionis euentum :atque ideo non poteſt ſimpliciter dici votum caſtitatis, ſeu Religionis pro tunc, & conſequenter nec reſeruatum.

12. Obiicies ſecundò, votum iſtud, voueo Religionem ingredi, ſi pater meus obierit, eſt conditionale, ſed in tali voto non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia re vera eſt votum Religionis. Ergo nec poteſt per Bullam commutari. Hoc votum ſtatuit Sotus inter vota conditionalia, atque hinc ductus aſſeruit vota huiuſmodi non poſſe per Epiſcopum diſpenſari. Reſpondetur nihilominus concedendo non poſſe per Epiſcopum diſpenſari, negando autem

eſſe

Digitized by Google

eſſe conditionale, eſt enim abſolutum, cum dilatione tamen executionis, quod nequaquam eſt contra rationem voti abſoluti, vt recte tradit Suar. *num.* 6. etenim qui ſic vouet; nullatenus habet ſuſpenſum conſenſum, ſed potius eſt omnino reſolutus, ſtatum Regularem ſibi expedire, illumque abſolute promittit; ne tamen patrem contriſtet, executionem vult eo viuente differre, vt conſtat de eo, qui vouet Religionem ingredi intra biennium. Nam id procul dubio votum, eſt abſolutum Religionis, ſicut iuramentum ducendi aliquam intra biennium, eſt abſolutum iuramentum, *cap. commiſſum, de ſponſal.* & ſumitur à ſimili, ex *cap. Per tuas, de voto*; ſed de hoc voto omnes fatentur eſſe reſeruatum, eſto durante biennio ad executionem non obliget: igitur de illo ſimiliter eſt ſentiendum, quod ſit abſolutum, & reſeruatum.

13. Neque obſtat, ſi dicas non eſſe ſimile, cum terminus in poſteriori appoſitus ſit certus; in priori autem ſit incertus, ideoque explicatur per conditionem, *ſi pater meus obierit*, vnde legata ſic facta, conditionalia in iure cenſentur; dies enim incertus conditionem in teſtamento facit, vt habetur ex *l.75. ff. de condit. & demonſtrat. & l. ſi cum heres. ff. Quando dies leget.* Reſpondetur tamen ad conſcientiæ forum, & obligationem parum referre, quod dies ſit certus, vel incertus, modo vouentis animus ſit idem: in vtroque autem caſu animus, ſeu intentio vouentis eſt, terminum illum addere, non ad ſuſpendendam, minuendamve conſenſus determinationem, ſed ad commodam voti executionem duntaxat. Et idcirco vtrumque æquè abſolutum eſt. Nec intereſt quod explicetur per particulam, *ſi*, illam namque particulæ, *quando*, æquiualere oſtendimus ſupra, & conſequenter ponitur non ad obligationis ſuſpenſionem, ſed ad determinandum tempus executionis. Neque obſtant præcit. leges ciuiles, cum hæ ſolum procedant in ordine ad effectum ciuilem non tranſmittendi legata ad hæredem legatarij. Vnde in *l.1. de condit. & demonſt.* legatus ad diem certum diſtinguitur à conditionato, et ſi poſtea in illo effectu æquiparentur. Vel ſecundò Reſpondetur, huiuſmodi vota eſſe abſoluta quoad ſubſtantiam obligationis, eſto ſint conditionalia quoad temporis determinationem, ratione autem prioris obligationis reſeruata cenſeri.

DVBIVM IX.

Vtrum virtute Bullæ commutari poſſint, & per Epiſcopum diſpenſari vota conditionalia, & pænalia caſtitatis & Religionis poſt impletam conditionem.

1. PArtem negantem ſequuntur quoad vota conditionata omnes prædecedenti dubio pro priori ſententia allegati. Sotus, Angel. Couar. Nauar. Gutier. Angles, Cord. Azor. Valent. Vega, Rodr. tenent etiam Alcocer *lib. de ludo, cap.13. concluſ.9.* Suar. *ſupra num.11.* Filliuc. *tom.2. tract.26. cap.9. num.269.* Zanardus *in direct. Theol. p.2. cap.52.* Leſſius *loco cit. num.131. verſ. verum etſi.* Et probatur primò de voto pure conditionali, quia impleta ſemel conditione, votum v.g. caſtitatis, quod antea erat conditionale, fit abſolutum, & conſequenter materia eius directe, abſolute, & ex intentione volita; ſed votum abſolutum caſtitatis non poteſt per Bullam commutari, nec diſpenſari per Epiſcopum. Ergo, &c. Minor cum conſequentia eſt nota; & probatur maior, quia quod reddebat prædictum votum conditionale, erat conditio illi adiacens; ſed impleta

conditione

Digitized by Google

conditione tollitur talis conditio, vt de ſe conſtat: ergo votum ipſum definit eſſe conditionale, atque adeo redditur abſolutum.

2. Dices, quod ſicut ſi quis matrimonium contrahat ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, adhuc impleta conditione diſpenſationis, manet matrimonium conditionatum, & requiritur ad hoc vt fiat abſolutum, quod renouetur conſenſus, vt docent communiter Theologi; ita etiam impleta conditione voti adhuc manet votum conditionatum, niſi adſit nouus, & abſolutus conſenſus circa materiam promiſſam.

3. Sed contra, tum quia vinculum voti conditionalis ideo non erat abſolutum, quia erat dependens ab euentu futuro, ſed per aduentum talis conditionis fit iam illud vinculum independens à futuro: ergo reddetur abſolutum; tum quia ſponſalia conditionata, per aduentum conditionis fiunt abſoluta; vt ſi quis promittat conſanguineæ ſe contracturũ cum illa matrimonium, ſi Papa diſpenſauerit, facta diſpenſatione tenetur vinculo ſponſaliorum, quia talia ſponſalia de futuro, impleta conditione facta ſunt abſoluta. De matrimonio autem non eſt eadem ratio, quia hoc requirit per ſe conſenſum de præſenti, per verba, vel alia ſigna expreſſum.

4. Secundò probatur de voto pœnali, quia ea ratione dicunt oppoſitum, opinantes votum pœnale non eſſe abſolute, & ſimpliciter votum, & conſequenter nec incommutabile per Bullam, nec indiſpenſabile per Epiſcopum; quia tale votum non oritur ex affectu ad Religionem, vel ad peregrinationem Hieroſolymitanam, ſed potius ex odio ad illa; nam ex eo illa ſibi imponit vt ſupplicium, quia ſibi ſunt inuiſa, & odioſa. Sed hoc fundamentum eſt infirmum. Quia quod vouens ſit affectus ad Religionem, vel non, parum refert, dummodo ſponte ſciens, & prudens ſe obligauerit ad Religionem, vel peregrinationẽ Hieroſolymitanam in pœnam talis peccati, ſi illud commiſerit: ergo impleta tali conditione redditur votum pœnale abſolutum, atque adeo incommutabile per Bullam, & indiſpenſabile per Epiſcopum, eadémque prorſus eſt ratio de pœnali, ac de pure conditionali.

5. Cæterum ſit prima concluſio. Satis probabile, & ſecurum eſt in praxi vota pure conditionalia caſtitatis, aut Religionis commutari poſſe per Bullã, & diſpenſari per Epiſcopum, & per priuilegia Mendicantium. Ita Palat. *in* 4. *d.*39. Vict.2.2.*q.*88.*artic.*3. quem refert Alcocer.*in ſum. cap.*15. dicens hanc eſſe probabilem, & ſecuram. Med. 1.*ſumm. cap.*14. §.6. *&* 1.2.*quæſt.*96. *art.*4. *ad* 2. Tolet. *lib.*4.*c.*18. Petr. de Ledeſma *ſum.* 2.*part. tract.*10.*cap.*8. Anton. Gomez.*in Bulla Cruciata, clauſ.*10.*num.*99. Sanchez *tom.*3.*de matrim.lib.*8.*diſput.*10.*num.*13. *diſputat.*15.*num.*8. *& in ſum.tom.*1.*lib.*4. *cap.* 54. *num.*19. Leſſius *ibidem*, fatetur hanc ſententiam eſſe ſatis probabilem, ſicut etiam Caiet. *verb.votum, verſ.ſextò.* Sotus *ſupr. in prima impreſſione*, quos duos vltimos refert, & ſequitur Henriq. *lib.*7.*c.*30.*fol.*577. & dicit eſſe communem in praxi inter recentiores, Mantium, Chaues, Bañez, Gallum, Solis, Moyam, & alios Salmantinos; ob quorum authoritatem nonnulli Epiſcopi ſæpe diſpenſarunt, quibus accedit Perez *lib.*8.*ordinamenti, tit.*19.*c.*37.*pag.*388. *colum.* 2. vbi ait ſe ita conſuluiſſe anno 1574. & probatur. *Prima concluſio.*

6. Primò, quia in materia reſeruationis, vt omnes docent communiter, ſolum intelliguntur Superiori reſeruati actus completi, & perfecti in ea ſpecie, quia materia hæc eſt odioſa, atque adeo

Qq reſtrin

ſoluta ſponſalia, vt omnes Doctores fatentur.

10. Secunda concluſio. Probabile eſt etiam, & ſecurum in praxi vota pœnalia caſtitatis, & Religionis poſſe per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari, etiam poſtquam vouens tenetur ad pœnam. Ita Leſſius *loco cit.* Ouandus in 4. *diſtinct.* 38. *quæſt. vnica, propoſitione* 29. Rodr. *tom.* 1. *quæſt. regul.* *q.*63.*art.*7. Villalob. *ſum.tom.*1.*tract.*27. *clauſ.*9.§.3.*num.*42. Nugnus *in* 3.*p.tom.*2. *tract.de Bulla*, §.11. Ioan. à Cruce *in direct.conſc.part.*2. *præcept.*2. *art.*2. *dub.*10. *concl.*4.*fine.* Lud. Lopez 1.*p.inſtruct.c.*44. *verſic. ſi autem ſub forma:* & à fortiori omnes alij in prima concluſione allegati. Imo etiam nonnulli ex citatis pro priori opinione Arag. Sot. Veg. Gutier. Cou. & alij, qui noſtram concluſionem fatentur ſaltem eſſe probabilem. Inſuper Suar. *ſupra cap.*23.*n.*6. ait durum eſſe huic ſententiæ contradicere. Probatur primò, tum ex omnibus rationibus, quibus probata eſt prima concluſio, quæ eandem, vel certe maiorem vim habent ad probandum hanc ſecundam. Tum quia tale votum pœnale non eſt abſolute votum Religionis: ergo commutabile eſt per Bullam, & diſpenſabile per Epiſcopum. Antecedens probatur, quia per votum cum ſit Religionis, offertur Deo res illi grata, atque in eius cultum: in prædicto autem voto pœnali non offertur niſi remote in Dei cultum, ſed in pœnam ſui; & deinde votum Religionis procedit ex deuotione, & amore Religionis; qui vero illo modo vouet, certe imponit ſibi Religionem, vt pœnam tanquam rem ſibi inuiſam, & odio habitam, pœna autem eſt inuoluntaria, teſte D. Thom. 1. 2.*q.*88. *art.*2.*&* 6. ergo votum non ludendi, ſub pœna intrandi Religionem, non eſt ſimpliciter votum Religionis, ſed votum non ludendi.

11. Secundò probatur, quia Epiſcopus poteſt in caſibus reſeruatis Papæ, ſi ſint de communiter accidentibus, & frequenter, vt tenent communiter Doctores, & probat Couar. *lib.* 1. *quæſt.* 1. ſed vota hæc pœnalia ſunt de frequenter accidentibus; ergo poterunt ſaltem per Epiſcopum diſpenſari, imo & ab aliis, qui Epiſcopali vtuntur authoritate, vt Abbates Metinenſis, & Pincianus.

12. Tertiò, quia conſuetudo eſt optima legum interpres; ſed Epiſcopi habent in vſu diſpenſare in huiuſmodi votis pœnalibus, cuius rei (inquit Med. hic) ego do publicam fidem: ergo cenſendum eſt id poſſe licite fieri, ne alias dicamus tot grauiſſimos Patres ita grauiter errare.

13. Ad primum bene reſp. ibi. Ad ſecundam vero probationē in contrarium diſtinguo cōſequens; ergo redditur ſimpliciter abſolutum, nego; ex ſuppoſitione, concedo. Et ſi obiicias, ex ſuppoſitione eſt abſolutum tale votum; ergo ex ſuppoſitione erit incommutabile per Bullam, & indiſpenſabile ab Epiſcopo; negatur conſequentia, iuxta ſupradicta; quia vt votum ſit reſeruatum Papæ, non ſufficit eſſe abſolutum ex ſuppoſitione, ſed ſimpliciter.

14. Ad ſecundam probationem reſp. illa etiam ſponſalia non eſſe abſolute, & ſimpliciter talia, ſed ex ſuppoſitione impletæ conditionis, quod ſufficiens eſt ad obligandum ſic contrahentes, ſicut etiam obligat votum caſtitatis conditionale impleta conditione.

15. Ad ſecundum reſpondeo, quod etiā impleta conditione obligatio quæ relinquitur, nō habet ortū ex voluntate per ſe tendente ad religionē; & ideo tale votum non eſt abſolute votum Religionis, ſed ſimpliciter eſt votū non ludendi, vel non peccandi tale peccatum; & ſecundum quid Religionis; ſed melius

Digitized by Google

Reſpondeo quod licet ſit votum religionis,non tamen eſt ſimpliciter,& abſolute tale,ſed ex ſuppoſitione, & conſequenter non eſt reſeruatum iuxta ſupradicta.

16. Nihilominus etſi prædictam ſententiam duplici concluſione contentam, ſatis probabilem cenſeam, probabiliorem tamen, ac veriorem exiſtimo oppoſitam, ſaltem quoad vota conditionalia; & cum agatur de re adeo graui,& neceſſaria,eam tanquam tutiorem libenter amplector. Primò,quia huiuſmodi votum impleta conditione videtur arctius obligare, quam ſimile factum abſolute;eſt enim factum in modum contractus oneroſi, & Deus impleuit contractum ex parte ſua. Ergo niſi vouens etiam impleat, ingratum ſe præbet,& iniquum in Deum, & conſequenter videtur ex parte ſua magis reprehenſibilis, quam ſi gratis promiſiſſet. Probatur conſequentia, quoniam qui Deo ſacrificium promittit gratuitum,& voluntarium, non videtur tantum obligari, quantum ſi promittat ad impetrandum aliquod beneficium, ipſo iam impetrato.

17. Secundò, quia etiam ſi contractus fuerit à principio conditionatus, impleta tamen conditione purificatur, & manet adeo perfectus, ac ſi à principio fuiſſet ſine conditione factus. Igitur idem eſt ſentiendum de voto. Conſequentia conſtat à paritate rationis,& antecedens probatur ex *lege potior*, *ad fin. ff. Qui in pignore potiores*, vbi ſic habet. *Cum ſemel conditio extiterit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio impoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Nec obſtat ſi dicas, id verum eſſe quantum ad obligationem, non vero quantum ad radicem obligationis. Quamuis enim obligatio æqualis ſit,radix tamen obligationis non eſt æque perfecta. Non (inquam) obſtat, quia in aliis contractibus non ſolum obligatio, ſed etiam ipſe contractus eſt æque perfectus conditione impleta, vt patet in matrimonio, ſponſalibus, emptione, & venditione, imo & quacunque humana promiſſione. Igitur abſurdum videtur, vel ſaltem voluntarium duntaxat votum excipere, ac ſubinde tutius cenſeo Sedem Apoſtolicam in ſimili caſu adire.

18. Imo circa vota pœnalia, placet mihi moderatio quædam, quam inſinuat Suar. *eod. cap.* 23. *num.* 13. dum ait duplicem eſſe peccati pœnam, vindicatiuam nimirum, & medicinalem, vt conſtat ex materia de confeſſione. Eſtque inter vtramque latum diſcrimen; medicinalis namque magis neceſſaria exiſtit, ita vt nec ob indulgentias excenſetur, nec facile mutari queat. Vnde his duobus modis poteſt fieri votum pœnale, & quæ hucuſque diximus præſertim procedunt de voto pœnali,quod in peccati vindictam fieri ſolet, & de hoc eſt interpretanda prior ſententia, quæ ab aliquibus communis cenſetur, non tamen eſt ad pœnam medicinalem extendenda. Nam ſi quis voueat Religionis ingreſſum,ſi talia peccata patrare contingat, non in vindictam, ſed vt in Religione poſſit pericula & occaſiones ſic peccandi vitare. Videtur quidem votum illud ſufficienter fieri ex affectu ad Religionem, ſaltem quatenus eſt medium opportunum ad vitanda peccata, quod eſſe optimum voti motiuum ſatis conſtat. Hinc votum huiuſmodi videtur potius conditionale purum, quam proprie pœnale, nec videtur fieri ex affectu cauendi obligationem, ſed ex affectu ſolum cauendi peccata; conditio etiam pro tunc videtur ſolum apponi ad ſumendam neceſſitatis talis remedij experientiam. Atque ideo impleta conditione ſatis voluntarium, & conſummatũ manet Religionis

Digitized by Google

ligionis votum ; quod meritò eſt cenſendum tale ſimpliciter, & conſequenter reſeruatum.

19. Addit Suar. *ibidem*, idem eſſe ſentiendum, ſi actio pœnalis, & oneroſa in gratiarum actionem promittatur pro actu virtutis, vel pro peccato euitando ; vt ſi quis voueat Hieroſolymam peregrinari, niſi à lapſu carnis, ſeu à blaſphemando per tres menſes, ſaltem abſtineat, vel quid ſimile : eiuſmodi enim votum impleta conditione abſolutum eſſe videtur, ac ſubinde reſeruatum. Nec eſt propie pœnale, eſto opus ſit forſitan pœnale, & vt tale promittatur, ex directo enim affectu, & cum plena deliberatione pro tali euentu promittitur.

Dvbivm X.

Vtrùm vota non nubendi, caſtitatis coniugalis, continentiæ ad tempus, vel etiam ſuſcipiendi Sacros ordines, poſsint per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari.

1. Videtur quod non primò, quia votum non nubendi æquipollet voto caſtitatis : ſed votum abſolutum caſtitatis, non poteſt per Bullam commutari, nec per Epiſcopum diſpenſari. Ergo nec votum non nubendi. Conſequentia cum minore eſt nota, & maiorem docent Angles *2. p. quæſt. de voto, diffic.* 11. Pala. *in 4. diſt.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 1. & Caiet. *tom.* 2. *opuſc. tract.* 11. *de voto non nubendi, quæſt.* 1. Vbi aſſerit oppoſitum opinantes ignorare propriam vocem ; & probat, tum quia finis eius, qui vouit non nubere, eſt ad ſeruandam caſtitatem per ſe loquendo. Ergo qui ſic vouit, verè promittit caſtitatem: tum quia cum Papa diſpenſat in voto caſtitatis, ſolum diſpenſat in eo, quod vouens poſſit nubere. Ergo votum caſtitatis formaliter, & in quantum tale, ſolum importat obligationem ad non nubendum, quod pertinet ad caſtitatem ſupererogationis : nam illam aliam de non fornicando, etiam ſecluſo voto habet vouens ; igitur idem formaliter erit votum non nubendi, quod votum caſtitatis.

2. Secundò, quia caſtitas coniugalis, & caſtitas ad tempus, ſunt eiuſdem ſpeciei cum caſtitate abſoluta, & perpetua. Ergo votum caſtitatis coniugalis, vel ad tempus, ita eſt incommutabile per Bullam, & indiſpenſabile per Epiſcopum, ac votum caſtitatis abſolutæ, & perpetuæ. Conſequentia eſt nota, quia vota quæ habent idem obiectum in ſpecie, ſunt eiuſdem ſpeciei. Ergo æquè ſunt incommutabilia. Antecedens autem patet ; tum quia caſtitas ad tempus ſolum differt à perpetua ſecundum maiorem, vel minorem durationem temporis, quæ eſt mera differentia accidentalis, & ſubſtantiæ voti omnino extrinſeca ; tum quia votum caſtitatis abſolutæ includit abſtinentiam ab omni actu venereo, tam intra, quam extra matrimonium ; caſtitas vero coniugalis importat abſtinentiam ab omni actu venereo extra matrimonium. Hæc verò etiam eſt mera differentia accidentalis, & materialis penes maiorem, vel minorem extenſionem materiæ. Sicut abſtinentia ab omni carne, ſolum differt accidentaliter ab abſtinentia à certis carnibus duntaxat, non ab omnibus.

3. Tertiò, quia qui promittit eſſe presbyterum, promittit id quod iure communi annectitur presbyteratui; ſed presbyteratus includit obligationem

Digitized by Google

perpetuæ caſtitatis. Ergo qui vouit eſſe preſbyterum, vouit perpetuam caſtitatem; & conſequenter tale votum erit incommutabile per Bullam, & indiſpenſabile ab Epiſcopo, per ſe loquendo.

4. Sit tamen prima concluſio. Votum numquam nubendi commutari poteſt per Bullam, & diſpenſari per Epiſcopum. Ita Sot. 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 1. & ibi Palat. *diſp.* 1. *verſ. Porro, vt res hæc.* & ibi etiam Ouand. *quæſt. vnic. propoſ.* 7. D. Anton. 2. *p. tom.* 2. *cap.* 11. §. 1. Angel. *votum* 4. §. 9. Sylu. *vot.* 4. *quæſt.* 4. cum Archidiacono, Roſella, *impedimentum* 4. §. 13. Nau. *cap.* 12. *num.* 76. Angl. *quæſt. de voto, art.* 2. *diffic.* 11. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 121. Pedraza *ſum. præcept.* 6. §. 10. Barth. de Ledeſma *de matrim. dub.* 32. *fin.* Gutier. 99. *can. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 49. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *paulo ante ſolut. ad primum.* Valent. *etiam* 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſ. Ex quo ſequitur.* Sà *ſum. verb. votum,* vbi de voti irritatione, *num.* 11. *fine,* Azor. *lib.* 11. *Inſtit. mor. cap.* 19. *quæſt.* 5. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *num.* 13. & alij, quos refert & ſequitur Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 38. nec contrarium docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 6. *&* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiuncula* 2. vbi ait quod in votis perpetuis ſolus Papa diſpenſare poteſt, ſolum enim loquitur de votis perpetuis ex natura ſua, vt virginitatis, aut Religionis, vt recte notauit Henriq. *vbi ſupra.* Et probatur, quia ſi qua ratione votum numquam nubendi commutari non poſſet per Bullam, aut diſpenſari per Epiſcopum; maxime quia æquipolleret voto abſoluto caſtitatis, ſed non æquipollet. Ergo commutari, & diſpenſari poteſt. Minor probatur, quia votum non nubendi tantum habet pro obiecto non contrahere matrimonium, nec ponere obſtaculum ad ſtatum Religionis; ſed votum caſtitatis includit præter iſtud, abſtinentiam ab omni actu venereo. Ergo votum non nubendi non eſt votum caſtitatis. Vnde qui poſt emiſſum tale votum fornicaretur, non faceret contra votum, nec eſſet ſacrilegus, vt docent Nau. *cap.* 12. *num.* 43. & Henriq. *vbi ſupra*, dicens eſſe communem.

5. Secunda concluſio. Votum coniugalis caſtitatis, vel ad tempus, etiam poteſt per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari. Ita Palud. 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *art.* 4. *concl.* 5. Sotus 7. *de iuſtitia, quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. ex his fit conſeq. &* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in fine,* 1. *concl. ibi* Palat. *diſp.* 3. *fol.* 880. Ouand. etiam *quæſt. vnic. propoſitione* 7. *fine,* Arag. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *paulo ante ſolut. ad* 1. Valent. *eadem* 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſ. ex quo ſequitur,* Azor. *quæſt.* 6. Sanch. *num.* 6. Man. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 120. *& ſum. tom.* 2. *cap.* 96. *num.* 5. Anton. Gom. *in Bulla, clauſ.* 10. *num.* 109. Tolet. *ſum. lib.* 4. *c.* 18. *num.* 11. Imo & S. Thom. id ſatis indicat 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. *ad* 2. & tenent etiam S. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. Angelus *votum* 4. §. 9. Sylueſt. *votum* 4. §. 3. *verſ.* 6. Margarita Confeſſorum *fol.* 127. Armil. *verb. diſpen.* §. 18. Pedraza *in* 6. *præcepto, verſ.* 1. Nauar. *cap.* 12. *num.* 76. Caiet. *verb. voti diſpenſatio.* Angl. 4. *p.* 2. *de voto, art.* 8. *diffic.* 9. Gutier. *loco cit. num.* 49. & Henriq. *vbi ſupra.* Et ratio à priori eſt, quia in iure ſolum inuenitur reſeruatum Papæ votum caſtitatis. Ergo debet intelligi de voto, quod eſt abſolute tale, & non de aliis, quæ ſunt vota caſtitatis cum addito valde diminuente intra rationem caſtitatis, quale eſt votum caſtitatis coniugalis, vel ad tempus. Patet conſequentia, quia cum reſeruatio ſit odioſa, reſtringi debet, & non ampliari. Vnde recte dixit Henriq. *vbi ſupra,* quod exceptio intelligitur de eo, quod ſimpliciter eſt votum Religionis, aut caſtitatis perpetuæ.

6. Tertia

Digitized by Google

6. Tertia concluſio. Votum aſſumendi preſbyteratum, poteſt etiam commutari per Bullam, & diſpenſari per Epiſcopum. Ita Aragon. 2.2. *quaſt.* 88.*art.*12.Valent.*ibidem verſ.& quoad* 1. Azor.*quaſt.*9.Emanuel Sà *verb.votum in principio, num.*30. Sanch.*ſupra num.*13. Gambara *de authoritate legati, lib.*10.*n.* 484.Beja *in ſuis reſponſ.caſu* 28.Lopez 2. *p.inſtruct. c.*9.*col.penult.* Graff.1.*p.deciſ. cap.*18.*num.*23. Viuald.*candel.ſacram.*3. *p.cap.*14.*num.*43. Vega *ſum.tom.*2.*c.*129. *caſu* 34. Rodr.§.9.*num.*122.*& ſum.tom.* 2.*cap.*96. Sotus *lib.*7.*quaſt.*4.*art.*3.*verſiculo ex his fit.* Henriq.*lib.*7.*cap.*30.*fol.* 576.qui pro ſe refert Peñam, & Theologos, ac Iuriſperitos Salmantinos. Et probatur primò, quia ſi qua ratione non poſſet commutari, nec diſpenſari, maxime quia eſſet votum caſtitatis, vel ſaltem illud includeret; ſed votum aſſumendi preſbyteratum, non eſt votum caſtitatis, ſed promiſſio aſſumendi ſtatum cui annexum eſt facere votum caſtitatis. Ergo quouſque illud faciat, non intelligitur per ſe loquendo emiſiſſe votum caſtitatis. Secundò, quia votum intrandi Religionem, non eſt votum caſtitatis, licet alias Religio includat illud, vt recte docuerunt Nauar. *cap.*12.& Palat.4.*diſt.*32.Vnde qui ante talem ingreſſum fornicaretur, non violaret votum. Ergo ſimiliter licet preſbyteratus includat iure poſitiuo votum caſtitatis, non ſtatim fit conſequens quod votum preſbyteratus ſit votum caſtitatis, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui annexa eſt emiſſio voti caſtitatis. Atque ex his colligo votum aſſumendi habitum fœminarum, quæ vulgo dicuntur Tertiariæ, & quædam vota ſimplicia emittunt, recte poſſe per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari, vt docent Sot.*de iuſtitia, quaſt.*5.*art.* 3.Aragon. Sanch. Rodr.& Henriq *vbi ſupra*, & communiter Doctores. Quia ſtatus illarum non eſt vere Religio; & conſequenter votum illius non eſt reſeruatum.

7. Ad primum negatur maior, & ad primam eius probationem dicimus, quod aliud eſt loqui de obligatione voti non nubendi, quantum eſt ex natura ſua, & aliud quantum eſt ex intentione vouentis; poteſt enim vouens illo voto intendere ſe obligare ad perpetuam caſtitatem, tamen votum ipſum non nubendi ſecundum ſe, & ex propria ratione id non importat, ſed ſolum promiſſionem non contrahendi matrimonium.

8. Ad ſecundam vero probationem Reſpondeo, quod Papa diſpenſans in voto caſtitatis, non ſolum tollit obligationẽ, qua quis tenebatur non nubere, ſed etiã ſpecialem obligationẽ, qua tenebatur titulo religionis ratione voti nõ fornicari, quia reſpectu huius habebat duplicem obligationem, alteram ex 16.præcepto Decalogi, alteram ex voto, & prima manente tollitur ſecunda.

9. Ad ſecundum; quidam negant Antecedẽs. Sed mihi eſt certum, vt late oſtendam (fauente Deo) in tractatu de Iubilæo, quare concedo Antecedens, & negatur Conſequentia: quia ſola illa accidentalis differentia eſt ſufficiens, vt tale votum non habeatur pro reſeruato, quia reſeruatio, vt ſupra dixi, cum ſit odioſa debet reſtringi, & non ampliari. Ad tertium Reſpondeo, vt plurimum concludere, quod votum preſbyteratus includit in ſe promiſſionem efficiendi votum caſtitatis, eo quod illi ſtatui annexum ſit iure eccleſiaſtico votum caſtitatis; promiſſio autem efficiendi votum caſtitatis, non eſt votum caſtitatis, vt de ſe conſtat.

10. Ex dictis deducitur primò, poſſe per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari votum ſeruandi caſtitatem coniugalem; cum id non ſit votum

votum caſtitatis abſolutum, ſed partis: votum enim abſolutum omnimodam includit continentiam, itavt nec matrimonio copulari permittat; illud autem actus venereos illicitos tantum excludit. Henriq.7.*de indulg.cap.*30.*n.*6.& Sanch. *lib.*8.*de matrim.diſp.*9.*num.*14. & *ſum.tom.*1. *lib.*4. *cap.*40.*num.*50. necnon Sanctarellus *de iubil.cap.*9.*dub.* 3.

11. Deducitur ſecundò, idem dicendum de voto virginitatis ſeruandæ, modo vouens velit expreſsè ſe obligare duntaxat ad corporis integritatem ſeruandam; quæ in abſtinentia à primo luxuriæ actu conſiſtit, per quem virginitas deperditur. Et ratio poteſt aſſignari, quia etſi dum hæc expreſſa intentio non reperitur, ſit votum abſolutæ caſtitatis: ſecus tamen, dum illa adeſt. Ita Azor. *lib.*11. *inſtit. mor.c.*19. *quæſt.*14. Sanch. *de matrim. lib.*8.*diſput.*9. *num.*9. Sayr. *in claui regia*, *lib.*6.*cap.*11. *num.*55. Graff. *in deciſ.part.*1.*lib.*2.*c.*31. *num.*31. Gutier. *de matrim. cap.*123.*n.*8. & alij.

At ſi vouens dubius ſit, an eius intentio fuerit ad ſolam à primo actu venereo abſtinentiam, tunc nec per Epiſcopum, nec per Bullam commutari poteſt, quia tunc huiuſmodi votum cenſetur abſolutum continentiæ votum. Ita idem Sanchez *ſumm. lib.* 4. *cap.* 21. *num.*22. & Leſſius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*18. *num.*124.

12. Deducitur tertiò, idem ſentiendum eſſe de eo, qui votum emiſit de abſtinendo à quouis peccato venereo, etiam mollitiei. Huiuſmodi enim vota non ſunt abſolutæ caſtitatis, cum poſſit ſic vouens adhuc matrimonium contrahere. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*40.*num.*127. Regin. *tom.* 2. *lib.*18. *cap.* 21. *num.*331. Portel *in addit. ad dub. regul. verb. voti diſpenſatio,num.*78. Vgol. *de poteſt. Epiſc. cap.*58.§.3. *num* 3. Graff. *in deciſ. part.*1. *lib.*2.*cap.*31.*num.*30. & Moſeſius *in ſum. tom.*1.*tract.*11.*c.*15.*num.*50. qui omnes, & alij ſentiunt poſſe huiuſmodi vota per Epiſcopum diſpenſari. Vnde ſcilicet infertur poſſe per Bullam commutari. Et ſubiungunt Leſſius, & Regin. idem etiam dicendum eſſe de voto caſtitatis temporalis, id eſt decem, quindecim, aut viginti annorum; non autem centum aut tot, vt vouens videatur non poſſe longiorem vitam ducere, quia id cenſetur perpetuum: perpetuum autem caſtitatis votum vere abſolutum eſt.

DVBIVM XI.

An votum Religionis poſsit virtute Bullæ aliquando commutari.

1. EXplicuimus initio huius capituli quinque vota ſolum eſſe Summo Pontifici reſeruata, nempe votum Religionis, caſtitatis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. His itaque exceptis, poteſt vnuſquiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi vota omnia diſpenſare, & commutare. Eſt communis ſententia tam Theologorum, quam Canoniſtarum. Ita D.Thom. 2.2.*quæſt.*88.*art.*12.*ad* 3. Sotus *vbi ſupra,* Innoc. Hoſtienſ. & Panorm. *in d.cap.*1. *de voto,* necnon Nauar. *in Man.cap.*12. *num.*75. & ſolet colligi *ex eod. cap.*1. *de voto.* ibi, *ſed eius qui præſidet.* Nec immerito, cum hæc poteſtas ſit neceſſaria ad Epiſcopale regimen; imo facile hinc poteſt deduci, quam ſit vniuerſalis ex parte votorum: duæ enim ſunt regulæ in materia de Epiſcoporum poteſtate, vna affirmatiua, vt id poſſe dicamus, quod eis conceſſum inuenitur; & hac vtimur ad probandum quantum extendatur in conceſſione indulgentiarum; alia eſt negatiua, vt poſſint quidquid omnino inuenitur prohibitum; & hac

Digitized by Google

hac eſt in caſu præſenti vtendum. Nam hæc poteſtas non ſolum vtilis, ſed valde neceſſaria eſt ad ordinarium regimen, & conſequenter extenditur ad omnia ſpecialiter non reſeruata.

2. Deinde obſerua per Bullam poſſe commutari omnia vota, quæ per Epiſcopum poſſunt diſpenſari, aut commutari de iure ordinario. Sunt autem tria genera votorum, quæ per Epiſcopum diſpenſari, commutaríve poſſunt; quædam ſunt ea, quæ fiunt de materia non reſeruata, vt votum ieiunandi, non ludendi, &c. Alia ſunt, quæ licèt videantur cadere in materiam reſeruatam, ſed re vera non ſunt reſeruata; cuiuſmodi cẽſentur vota pœnalia in quolibet ſtatu; & conditionalia, ſaltem ante impletam conditionem; vel vota partialia, aut temporalia, & eiuſmodi. Alia ſunt quidem reſeruata, per accidens tamẽ in aliquo caſu ob extraordinariam neceſſitatem cenſentur non eſſe omnino ſublata ab Epiſcoporum iuriſdictione. De primo igitur, & ſecundo genere verum eſt, quidquid poteſt per Epiſcopum commutari, ſeu diſpenſari, poſſe ſimiliter per Bullam Cruciatæ commutari. At vero vota illa, quæ re vera ſunt reſeruata, & poſſunt in caſu aliquo ex benigna interpretatione per Epiſcopum commutari, ſeu diſpenſari, nequeunt per Bullam cõmutari, Compoſtellana, & Romana peregrinatione excepta. Ita Rod. *in Bulla, §. 9. num.* 118. quem Suar. *d. lib. 6. cap.* 25. *num.* 17. & alij poſtea ſequuti ſunt. Rationem autem reddit, quia nomine votorum, ſeu caſuum Epiſcopalium ſolum intelliguntur illi, qui ordinario iure Epiſcopis conceduntur; non tamen illi, qui per ſpecialem commiſſionem, vel in caſu neceſſitatis ad eos pertinere cenſentur, cum ipſorum prudentia tunc ſpecialiter deſideretur.

3. His præmiſſis, præſens dubium multiplicem includit difficultatem, atque adeo ſit prima, an votum ingrediendi Religionem ordinis militaris, poſſit per Epiſcopũ diſpenſari, ſeu cõmutari? Quapropter dico primò, Profeſſores ordinis Melitenſis, qui Cõmendatores, ſeu Equites S. Ioannis, alias de Malta nuncupantur, ſunt vere Religioſi, gaudentque priuilegio canonis, & fori; nam per eorum etiam profeſſionem dirimitur matrimonium ratum, non conſummatum; & cuncta alia ad vere Religioſos ſpectantia ipſis ſimiliter competunt. Ita ſentiunt Nauarr. *lib. 3. conſil. de regul. conſil.* 11. Cord. *in ſum. quæſt.* 148. *&* 178. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad vlt.* Sarmiento *de reddit.* 4. *part. cap.* 1. *num.* 13. & alibi. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 5. *art.* 3. *verſic. ex his ergo.* qui tamen *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *verſ. Quocirca.* addit quod non auderet affirmare matrimonium ratum dirimi per profeſſionem prædictam, ſi ſermo ſit de militibus ſæcularibus huius ordinis; quem ſequitur Sarmiento. Nihilominus vltra præcitatos, oppoſitum docent Rodr. *in Bulla, §. 9. num.* 123. *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 239. *num.* 2. *& in qq. reg. tom.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 6. Michaël Med. *de ſacrorum hominum continentia, lib.* 5. *cap.* 35. Ludou. Lopez *inſtruct. conſcientiæ, tom.* 2. *part.* 2. *cap.* 48. Henriq. *ſum. lib.* 11. *cap.* 8. §. 6. Petr. de Ledeſm. *de matrim. quæſt.* 61. *art.* 4. *ad* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. *q.* 4. & Sanchez multis allegatis idem tenet *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 18. *num.* 8. Et ratio potiſſima eſt, quia ſolenne caſtitatis votum ſufficiens ad dirimendum matrimonium ratum emittunt; ita habetur ex ſtatutis eiuſdem ordinis per Sedem Apoſtolicam approbatis, atque ex Bulla Innoc. Papæ apud Rod. *d. art.* 6. non comprehenduntur tamen ſub iure aliorum Religioſorum, quantum ad odia, & rigores, vt notant Rodr. *ibid.* & Aragon. *ſupra.* Vnde in Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 18. *de refor.* excipiuntur

ne teneantur pro ſeminario contribuere; & merito, quia hic ordo inſtitutus videtur ad inſtar, & exemplum Machabæorum, de quibus dicitur 1. *Machab. 3. quod præliabantur prælium Iſrael cum lætitia, & dilatauerunt gloriam populo ſuo.* Nam Equites, ſeu Milites huius ordinis pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione, ac conſeruatione indefeſſe contra Infideles bellum gerere nuſquam ceſſant.

4. Dico ſecundò, Equites ordinis diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, quos vulgo *Comendadores* vocant, non ita certum eſt, eſſe vere Religioſos. Nam ſi de Clericis Cruciatis, ſicut etiam de Monialibus Cruciatis apud dictos ordines profeſſis ſit ſermo, communis DD. opinio tenet eſſe vere Religioſos. Ita Aragon. Sot. & alij *vbi ſupra*; degunt enim vitã intra ſepta Monaſterij, & tria vota ſubſtantialia Religionis emittunt. Milites autem ſeu Equites dictorum ordinum poſſunt matrimonium contrahere, caſtitatem enim non abſolutam, ſed coniugalem duntaxat profitentur. Imo nec abſolutam obedientiam, & paupertatem vouent: Atque ideo inter DD. controuertitur num ſint vere Religioſi. Iuriſperiti communiter affirmant, ducti, quia tria vota etiam ſubſtantialia emittunt, non aliter ac emittere conſueſcunt communiter Religioſi; & conſequenter non ſolum eſſe perſonas Eccleſiaſticas, ſed vere Religioſos tenent Fortunius Garcia *in quodam conſil. pro militia S. Iacobi præſtito 2. p. verſ. Præterea.* Nauar. *loco cit.* Salzedo *ad Bern. Diaz, reg.* 331. Auendagno *de exequen. mandatis 2. p. cap. 26. num.* 11. Couar. 4. *decret. 2. p. cap.* 3. §. 1. *num.* 18. & latiſſime Mota *in tract. de confirmatione ordinis militiæ, lib. 2. tot. cap. 1. & 2.* vbi id comprobat multis Summorum Põtificum Bullis, & §. 29. adducit reſponſa plurium Iuriſconſultorum, & Theologorum etiam, qui conſulte ſcripto idem tradiderunt.

5. Oppoſitum ſentiunt communiter Theologi, dicentes dictorum ordinum Equites non eſſe vere, & proprie Religioſos. Ita Sot. Arag. Lopez *vbi ſupra.* Azor. *cap. 3. quæſt.* 2. Molina *de iuſt. tom. 1. diſp.* 141. *verſ. Eſt vero rigida, & tom. 3. diſp.* 623. *num.* 5. Valentia 2. 2. *tom. 3. diſp. 10. quæſt. 4. punct.* 2. Atque ex Iuriſtis idem ſentiunt Sarmiento citatus, Azeuedo *in l. 14. tit. 5. lib. 3. recop. num.* 3. Gutier. *lib. 2. pract. quæſt.* 111 *num.* 2. Laſſarte *de decima venditionis, cap. 19. num.* 92. Gironda *de gabellis p. 7. num.* 46. & alij. Fundamentum potiſſimum huius ſententiæ inſinuat Nicolaus Garcia *tract. de beneficiis, p. 1. cap. 4. num.* 19. vbi refert quod in vna Placentina de Medellin. coram Illuſtriſſimo Seraphino 4. Iunij 1582. fuit deciſum, *Milites de Alcantara (atque idem eſt de aliis ſentiendum) nõ eſſe vere, & proprie Religioſos, cùm in propriis domibus vna cũ vxore, & filiis habitent, & de eorum bonis ad libitum, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, diſponant, quæ ſunt de directo contra votum paupertatis.* hæc ibi.

6. Vtraque autem prædicta opinione, tanquam extrema prætermiſſa, videtur mihi dicendum Equites ſeu Milites dictorum ordinum, eſſe vere Religioſos, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vel non abſolutè, ſed cum additamento, id eſt Religioſos militares. Ita Rodr. *d. art. 6. verſ. in hac igitur opinionum varietate.* Zerola *in praxi Epiſcopali 2. p. verſ. Commendatarij*, §. 1. Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. quæſt. 6. art.* 15. *ad finem*, & videntur ſentire Authores pro vtraque opinione allegati, qui facile iuxta hunc ſenſum poſſunt in concordiam reduci, quidquid in contrarium opinetur Nicolaus Garcia *loco cit. num.* 20. Atque id expreſſe videtur etiam ſentire D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186.

art. 4.

Digitized by Google

Art.4 *ad* 3. vbi ait, illos viuendi modos, in quibus eſt matrimonialis vſus, non eſſe ſimpliciter, & abſolutè loquendo, Religiones, ſed ſecundum quid, in quantum ſcilicet aliqua participant, quæ ad ſtatum Religionis pertinent;& per conſequens profeſſores iſtarum Militiarum non eſſe ſimpliciter, & abſolutè Religioſos, ſed ſecundum quid. Cæterum eſſe vere Religioſos, probatur ex eo quod voueant caſtitatem, paupertatem, & obedientiam ſub regula à Sede Apoſtolica approbata;& quamuis hæc non ita perfectè, & abſolutè ab ipſis voueantur,ſicut in aliis Religionibus, nihilominus Sedes Apoſtolica,cuius eſt iuſtitiam Religionum confirmare, diſpenſauit ne ita ſtrictè emitterentur huiuſmodi vota. Nec immerito, ſicut enim ordines Monachales iuſte ſunt à Sede Apoſtolica approbati, vt miniſterio Eccleſiaſtico inſeruiant, ita ordines Militares iuſte ſimiliter ſunt per eandem Sedem approbati, vt fidei defenſioni, ac publicæ ſalutis conſeruationi maxime attendant. Sunt igitur vere Religioſi, licet non ſtricte,ſed large;non ſimpliciter,ſed ſecundum quid; non abſolute,ſed cum addito; & conſequenter ſunt vere perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudentque priuilegio canonis, *ſi quis ſuadente.*

7. Dico tertio, ſi quis voueat Religionem ingredi,non ſatisfacere huiuſmodi voto, ſi Equitum D. Ioannis habitum ſuſcipiat, quidquid in contrarium opinentur Aragon. *ſupra*, Azor. *c.* 4. *quaſt*.4. & Rodr. *ſum. tom*.2. *cap*.95. *num*.8. Ducor, quia quamuis præfati Equites abſque vlla controuerſia ſint vere Religioſi,vt habetur *ex* 1.*dicto*,nihilominus quia communiter Religionem promittentes intendunt ſtatum in communi viuentium, alienumque à faſtu, & à curis ſæcularibus ſemotum, votum Religionis interpretandum eſt de Religione pœnitenti, non militari. Idem à fortiori eſt dicendum, ſi quis Equitum Alcantaræ,ſeu Calatrauæ habitum ſuſcipiat. Atque ita tuetur Sanchez *ſum.tom*.2.*lib*,4.*cap*.16.*num*.12. ſequutus Cord. *in ſum.quaſt*.148. vbi addit ſatisfieri huiuſmodi voto, ſi vouens ingrediatur Religionem Clericorum Ordinum militarium in communi viuentium, quippe veram vitam regularem in cœnobiis, inſtar aliorum Religioſorum,traducunt.

8. Dico quartò, votum ingrediendi ordinem Militiæ D. Ioannis de Malta, non poteſt virtute Cruciatæ commutari, ſecus ſi quis voueat ingredi Religionem cæterorum Ordinum militarium.Prior pars probatur,quia Religio D.Ioannis, eſt vere & ſimpliciter Religio, cum in ea tria vota ſolennia emittantur, & per eiuſdem ingreſſum dirimatur matrimonium ratum, non conſummatũ. Ita Rodr. *in Bulla*,§.9.*n*.123. Lud. Lopez 2. *p.inſtruct.cap*.9. *ad finem*. Barth. à ſancto Fauſto *in Theſ. Relig.lib*. 3.*quaſt*.97.*num*.1.Sanch. *de Matrim.lib*. 8.*diſp*.9.*num*.16.& Acoſta *in Bulla,quaſt*. 73. *ad finem*. Poſterior pars probatur; tum quia cæteri ordines militares, eſto ſint vere Religiones; non tamen proprie, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quippe deficiunt à perfecta Religionis natura, vt habetur ex ſecundo dicto; & conſequenter huiuſmodi votum non videtur Pontifici reſeruatum, ſed poſſe per Epiſcopum, aut per Bullam commutari; tum etiam quia quoties de voto aliquo extat morale dubium,an ſit reſeruatum, ſiue dubium ſit iuris, ſiue facti, ſiue negatiuum ob circumſtantias, quæ non ſufficiunt ad determinandum iudicium, ſiue poſitiuum ex opinionibus probabilibus in contrarium exiſtentibus, id votum eſto ſit materiæ reſeruatæ, non cenſetur reſeruatum, ſed poteſt per Epiſcopum diſpenſari,

Digitized by Google

ſpenſari, & conſequenter per Bullam commutari. Ratio eſt, quia cum reſeruatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad caſus certos; controuertitur autem inter DD. an dicti ordines ſint vere, ac proprie religiones, vt conſtat ex dictis: igitum votum illos ingrediendi eſt per Bullam commutabile; atque ita tenet expreſſe idem Sanch. *d. diſp.* 9. *num.* 16. *& in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 40. *n.* 73.

9. Sed quæres, an votum ingrediendi religionem ſtrictiorem poſſit per Bullam commutari in laxiorem religionem. Nauar. *comment.* 4. *de Regul. num.* 10. *fine*, inquit ingreſſum huius in aliam religionem laxiorem, aut æqualem, reſeruari Pontifici, nam in hoc euentu ſi ingreſſus ſit in æqualem, commutatio fit; ſi in laxiorem, diſpenſatio commutationi admiſcetur; Pontifici autem voti religionis diſpenſatio, & commutatio reſeruantur. Nihilominus probabilius cenſeo poſſe Epiſcopum in huiuſmodi voto diſpenſare, atque idem poſſe per Bullam commutari. Ratio eſt, quia tunc non fit diſpenſatio, aut commutatio in ſubſtantia voti religionis, cum adhuc vouens maneat obligatus ad illam; ſed in quadam tantum qualitate ſubſtantiæ ipſius voti adiuncta, id eſt, in exceſſu vnius ad alteram, quod nullibi reſeruatur. Ita Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *art.* 4. *num.* 43. Palat. *ead. diſt. diſp.* 3. *verſ. ſexto*, tamen Sotus *de iuſt. lib.* 7. *quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. ſequitur ſubinde.* Angles *floribus* 2. *p. quæſt. vnic. de voto, art.* 8. *poſt* 4. *diffic. dub.* 2. *& diffic.* 9. *concluſ.* 5. Menoch. *de arbitrar. l.* 2. *centur.* 5. *caſu* 421. *num.* 16. Arag. 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 12. *paulo ante ſolut. ad* 1. Azor. *lib.* 11. *inſtit. moral. cap.* 18. *quæſt.* 8. Eman. Sà *ſum. vbi de voti irrit. n.* 11. Man. Rodr. *ſum. cap.* 96. *num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 124. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *n.* 171. *& diſp.* 15. *n.* 5. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. Say. *in claui regia, lib.* 6. *c.* 11. *num.* 63. & alij.

DVBIVM XII.

An ſi quis voueat non ſolum ingredi in ſtrictiorem Religionem, ſed perſeuerare etiam in eadem, poſsit id votum diſpenſari per Epiſcopum, aut per Bullam commutari, vt in laxiori vouens profiteatur.

1. Circa hanc difficultatem; Dico primo certum eſſe, hunc peccare mortaliter ingrediendo laxiorem, ſed poſt profeſſionem in laxiori emiſſam manere omnino liberum à voto ſtrictioris. Vtrumque expreſſe definitur *cap. penult. de Regul. in* 6. traduntque communiter omnes, & quoad priorem partem id docent Nau. *ſum. cap.* 12. *num.* 48. & Palat. *in* 4. *diſt.* 38. *diſp. poſt* 4. *concluſionem, verſic. Quamobrem clare.* Ratio eſt, quia minus præſtat, quam promiſerat, id autem in materia graui, cuiuſmodi eſt hæc, de qua agitur, mortale eſt, vt notat Sanch. *ſum. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 16. At quoad poſteriorem partem inſinuatur ratio in præcit. tex. quia per votum ſolenne profeſſionis in laxiori, cenſetur derogatum voto ſimplici ſtrictioris.

2. Hæc ratio nonnullis viſa eſt parum ſufficiens; cum hæc vota non ſint contraria, nec repugnent; profeſſio namque in laxiori obligat ad non deſcendendum ad inferiorem religionem, non tamen ad tranſeundum ad ſtrictiorem; ſi igitur non repugnant, conſequenter nec ceſſabit votum ſtrictioris poſt profeſſionem in laxiori emiſſam. Cæterum Caiet. 2. 2. *quæſt. vlt. art.* 8. *circa ſolutionem ad tertium*; reſpondet hæc vota repugnare quidem; quia per profeſſionem in laxiori tradit ſe profitens religioni, ita vt hæc ius acquirat in ipſum, dum vixerit: tradi autem alteri

in

Digitized by Google

in perpetuum cum obligatione id non implendi,ſed tranſeundi ad ſtrictiorem religionem repugnat, eſto non repugnet libertas ad illam tranſeundi, idque ob conditionem tacite in profeſſione incluſam, niſi placeat altior ſtatus. Imo cum hæc ratio æque procedat in voto ingreſſus in religionem ſtrictiorem, ac in voto perſeuerandi in eadem: dicendum eſt, vtrumque votum per profeſſionem in laxiori emiſſam extingui, ac ſubinde in neutro caſu teneri huiuſmodi profeſſum ad ſtrictiorem tranſire. Ita Palud. 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 1. *num.* 11. *& quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 32. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §.8.& Palat. *loc. cit.*

3. Dico ſecundò, *d. cap. penult. de Regul.* dum ait vouentem ingredi religionem ſtrictiorem, peccare ingrediendo, imo & profitendo laxiorem, interpretandum fore de vouente ingredi ſtrictiorem, non ſimpliciter, ſed cum obligatione perſeuerandi in ea; quamuis enim textus abſolutè loquatur de voto ingreſſus, nec voti perſeuerantiæ meminerit, Palud. tamen, & S. Anton. *vbi ſupra* dictum textum exponunt de eo, qui vouit in ſtrictiori perſeuerare, & merito; quia ſi quis voueat duntaxat ingreſſum in ſtrictiorem, & non perſeuerantiam, licite poſſet quandoque in laxiori profiteri. Et ratio eſt, quia plus eſt in laxiori perſeuerare, ſicut tenetur poſt profeſſionem, quam ſtrictiorem ingredi cum libertate non permanendi. At ſi voueat non ſolum ingredi, ſed perſeuerare in ſtrictiori, tunc peccat ingrediendo laxiorem, imo & profitendo, quia minus præſtat, quam promiſerat. Manet tamen poſt profeſſionem omnino liber à voto ſtrictioris, ob rationem in præcedenti dicto aſſignatam: atque ita docent Palud. & S. Anton. *vbi ſupra*; Sylu. *verb. votum* 4. *quæſt.* 7. *dicto tertio.* quibus adhæret Sanchez, *numero* 18.

4. Dico tertiò, eum, qui ſolum vouit ingreſſum ſtrictioris Religionis, licitè poſſe laxiorem ingredi cum propoſito vel in hac profitendi, vel ſi id non elegerit, ſtrictiorem ingrediendi ſicut promiſerat: quod tradit expreſſè Sanch. *num.* 20. & videntur etiam docere Palud.& S.Anton. *ſupra.* Ratio eſt, quia nulla inde priori voto irrogatur iniuria, cum adhuc illo non obſtanti liceat huic in laxiori profiteri; etenim melius eſſe in laxiori profiteri, quam ſtrictiorem ingredi cum libertate exeundi oſtendimus dicto præcedenti. Id tamen cum duplici limitatioue intelligendum fore exiſtimo. Prior eſt, modo ſtrictior illa Religio ſtatutum non habeat interdicens eos admittere, qui ſemel in aliam Religionem ingreſſi ſunt, quia in eo caſu redderetur incapax ſtrictiorem ingrediendi, qui laxiorem ingreſſus eſſet. Poſterior eſt, modo interim tempus præfixum prioris voti implendi non occurrat; tunc enim cum præciſe obliget votum ingrediendi ſtrictiorem, nec legitimè commutari valeat in ingreſſum laxioris abſque perſeuerandi obligatione, erit quidem culpa lethalis nō ingredi tunc ſtrictiorem, vel prius votum commutare in perſeuerantiam in laxiori. At his duobus ceſſantibus licitum erit vouenti ingreſſum ſtrictioris ſimpliciter, laxiorem ingredi, vt dictum eſt *ſupra.*

5. Dico quarto eum qui vouit non ſolum ingredi ſtrictiorem Religionem, ſed perſeuerantiam etiam in eadem, poſſe per Epiſcopum diſpenſari circa perſeuerantiam, & conſequenter per Bullam commutari in laxioris profeſſionem. Prior pars huius aſſertionis, ideſt, quod poſſit Epiſcopus diſpenſare circa perſeuerantiam. Probatur, tum quia votum perſeuerandi eſt virtute diuerſum à voto Religionis, hoc

enim obligat ad ingreſſum, & perſeuerantiam, niſi vouens ipſe iuſta cauſa ductus egrediatur, vt quod nequeat religionis auſteritates ferre, illud vero obligat in omni euentu ad perſeuerandum; tum quia in eo caſu non diſpenſatur in ſubſtantia voti Religionis, ſed in qualitate illi adiuncta, quæ nullibi reſeruatur; tum quia adhuc ſub Iudice lis eſt, an votum perſeuerantiæ præciſe obliget ad perſeuerandum omnino, vel potius liceat exitus iuſta de cauſa tempore nouitiatus, non aliter ac ſi eſſet votum ſolius Religionis, vt late oſtendit Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.* 41. *n.* 45. vide illum; atque ideo tunc habet locum regula illa *ſupra* inſinuata, quod in dubio morali poteſt Epiſcopus diſpenſare. Et ſic docet Hoſtien. *ſum. tit. de voto, num.6. fine.* Nec refert, quod vouens ſit iam ingreſſus religionem, aut ab illa egreſſus. Nam Epiſcopus poteſt diſpenſare ante ingreſſum, non quidem ne ingrediatur, id enim eſſet diſpenſare in voto religionis, ſed ne teneatur ad perſeuerandum, ſi iuſta diſpenſandi cauſa adſit: & ſimiliter poſt exitum, ſi iuſta extitit ſui egreſſus cauſa, poteſt diſpenſare, ne teneatur iterum ingredi; quippe iam religionis voto ſatisfecit; & ſi eo ſolo obſtrictum eſſe contingat, manet omnino liber ab iterato ingreſſu, ad quem ex ſolo perſeuerantiæ voto quiſpiam tenetur; in hoc autem poteſt Epiſcopus diſpenſare, ob rationes adductas. At ſi vouens abſque iuſta cauſa fortaſſe fuerit egreſſus, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ne iterum egrediatur, quia cum nondum voto Religionis ſatisfecerit, vt conſtat, idem eſſet ac diſpenſare in eo.

6. Poſterior pars aperte deducitur ex priori iuxta ſuperius dicta, quia vota, quæ per Epiſcopũ poſſunt diſpenſari de iure ordinario, poſſunt ſimiliter per Bullam commutari. Atque ita docent expreſſe Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *num.* 18. *& in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 40. 75. Molfeſius *ſum. tom.*1. *tract.* 11. *c.* 15. *n.*147. Malderus *in* 2.2. *tract.* 10. *c.* 5. *dub.* 10. *n.*8. & Sanctarellus *de iubil. c.* 10. *dub.*4. cum aliis, quos ipſi referunt.

Sed quæres primò, an ſimiliter poſſit per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari votum religionis quoad dilationem executionis, ſi iuſta interueniat cauſa, vt ſi quis voueat religionis ingreſſum ante annum, & adſit iuſta cauſa amplius differendi. Suar. *tom. 2. de religione, tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 11. *&* 12. negat Epiſcopos poſſe in hoc diſpenſare, niſi dicta ſuperueniente cauſa non eſſet aditus ad Pontificem intra pręfixum voti tempus. Id autem probat, tûm quia ſic habet conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, tum etiam quia talis circumſtantia multum attingit ſubſtantiam voti, cum totam obſeruationem voti differat pro aliquo tempore. Atque idem indicant Angles *floribus* 2. *p. quæſt. de voto, art.8. diffic. 9. concluſ.* 4. & Say. *in claui regia lib.6. cap.*11. *num.* 66. vbi inquiunt poſſe Epiſcopum non diſpenſare, ſed declarare differendam executionem votorum ob iuſtas cauſas, non ſolum inſtar priuati Doctoris, ſed declaratione authentica ſpiritualem iuriſdictionem exigente. Hæc opinio eſt ſatis probabilis, ſed probabilior videtur, quod poſſit Epiſcopus poteſtate ordinaria diſpenſare in hoc, dummodo non adeo differatur, vt ſit periculum quod vouens reddatur impotens ad votum implendum. Ita ſentiunt Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.9. n.*19. *& in ſum. lib.4. c.40. n.76.* Molfeſius *ibidem*, & Malderus *num.*9. Ratio eſt, tum quia id non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti reſeruati, ſed in eius qualitate; tum quia non minus attingitur religionis ſubſtantia cum vouetur ſtrictior religio, & Epiſcopus

Digitized by Google

pus diſpenſat ad laxiorem; quod eſt licitum, oſtendimus *ſupra*, quam dum in ſolo executionis tempore diſpenſat. Imò magis tunc videtur attingi, quoniam in eo caſu tota religio promiſſa mutatur, in noſtro autem tempus duntaxat, & manet illæſa tota ſuæ obligationis ſubſtantia, quod ſufficit, vt habeat locum reſeruatio, quæ cum ſit odioſa, conſequenter eſt reſtringenda. Nec contraria conſuetudo probatur, imo etſi daretur, deſeruiret ſolum maiori ſecuritati, & ad tollendos aliquorum ſcrupulos, vt notat Sanch. *dict. num.*76. Vnde iuxta ea quæ ſæpius dicta ſunt, conſequenter ſentiendum eſt, idem poſſe per Bullam commutari.

7. Sed quæres ſecundò, an ſi contingat quod Pontifex votum religionis commutet in aliam materiam non reſeruatam, vt in confeſſiones menſtruas, aut quid ſimile, poſſit materia ſubrogata per Epiſcopum ſimiliter diſpenſari, ac per Bullam commutari. Negatiuè nonnulli viri docti reſpondent, de quorum numero eſt Azor. *lib.* 11. *inſtit. mor.c.*18.*q.*11. inquiens dubiam ſibi videri contrariã ſententiam, & tenet Zanardus etiam *in direct.Theol.p.*2. *cap.*33. cum gloſ.*c.*1.*verb.viſum,de ſortilegis*, Archid.*c.latorem,fine* 33.*q.*2.& fauet etiam Gloſ. *eod. cap. latorem, fine.* Ducuntur; tum quia ſubrogatum ſapit naturam, & vim ſortitur illius, cuius loco ſubrogatur. *l.vn.C.de rei vxoria act.* quod eſſe verum, etiam ſi ſubrogatum ſit alterius naturæ ab eo, in cuius locum ſubrogatur, probat Euerard. *loco à vi ſubrogat. num.*1. tum quia licet materia illa non ſit ex ſe reſeruata, eſt tamen ex accidenti, ratione prioris materiæ reſeruatæ, in cuius locum ſuffecta eſt; quamuis enim prius votum per ſe non duret; perſeuerat tamen quaſi in virtute ſub illa materia, in quam commutatur. Tum denique, quia eo ipſo, quod votum eſt Pontificia authoritate tranſlatum in aliam materiam, materia illa eſt onus iuſſu Pontificis ſuſceptum: nemo autem poteſt ſuperioris legem, pœnam, ſententiámve immutare, *l.minor Magiſtratus,ff.de arbitris.*

8. Nihilominus oppoſitum eſt probabilius, & abſolutè tenendum. Ita ex Antiquis Syluest. *votum* 4.*quæſt.*4. *verſ. octauo.* ſequutus Lud. Rom. *ſingul.*460. fauet Gloſ. *cap. tempora, verb. tuo iudicio* 26. *quæſt.*7. Iaſon *l. prima, num.*5. *C. de precibus Imperatori offerendis*, & *l. omnes populi, num.*13. Felin. *cap. Accuſaſti, fine de accuſat.* & Hippol. *ſingul.* 18. *num.*3. ex neotericis autem idem ſentiunt Henriq. *lib.*7. *de indulgent.cap.*30. *num.* 5. *verſ.* 4. Manuel Sà *verb. votum, num.*8. Man.Rodr. *ſum.tom.*2.*cap.*96.*ad finem.* Arag.2.2.*quæſt.* 88. *art.* 12.§. *quando votum.* Sanch.*ead.diſp.*9.*num.*20. Suar. *tom.*2.*de religione,cap.*20.*num.*15. Leſſius *lib.*2.*cap.*40.*dub.*18.*n.*124. Filliuc.*tom.*2. *tract.*26.*c.*10.*n.*294.& alij.

9. Suadetur primò, quia votum illud reſeruatum fuit per Pontificiam commutationem extinctum, & aliud loco illius ſubſtitutum, quod non eſt reſeruatum. Ergo iſtud poteſt per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari. Antecedens patet, quia per commutationem obligatio voti transfertur in aliam materiam, reſeruatio autem voti non competit illi ex ſe, ſed ratione ſolius materiæ reſeruatæ: igitur ſublata obligatione circa materiam reſeruatam, & tranſlata in aliam non reſeruatam, ceſſat quidem voti reſeruatio, ſicut peccata ratione excommunicationis Pontifici reſeruata, per ſolam excommunicationis ablationem deſinunt eſſe reſeruata.

10. Secundò, quia obligatio voti commutati inducitur per nouam voluntatem faciendi, vel acceptandi illam circa aliam materiam, & conſequenter

commu

Digitized by Google

commutatio eſt virtualiter noui voti emiſſio loco alterius, quod extinguitur, vt ex dictis fit manifeſtum: igitur eſto prius fuerit reſeruatum, poſterius tamen non erit ſic; quia non eſt de numero eorum, quæ reſeruantur.

Tertiò, quia votum reſeruatur ratione materiæ ad quam obligat, vt dictum eſt: igitur mutata materia reſeruata in non reſeruatam tolletur reſeruatio. Probatur Conſequentia, quia ſi votum non reſeruatum commutaretur in materiam voti reſeruati, iam maneret reſeruatum; vt ſi quis emiſiſſet votum peregrinationis Lauretanæ; & commutaret illud in peregrinationem Compoſtellanam, ſeu Romanam, iam non poſſet iterum commutari, niſi per Papam, vt tenet communis opinio: ergo & è conuerſo.

11. Ad primam igitur rationem in contrarium reſpondetur, ſubrogatum ſapere naturam eius pro quo ſubrogatur, quo ad ea, quæ per ſe, & intrinſece pertinent ad talem ſubrogationem, non quoad ea quæ ſunt extrinſeca, vt ſumitur ex præcit. Iuriſperitis, ac præſertim Iaſone *in §. fuerat. inſtit. de action.* ad hanc autem ſubrogationem ſpectat, vt materia quæ loco alterius ſubſtituitur, ſit æqualis, vel proportionalis priori; ſit etiam ad cultum Dei apta, & ſub religionis obligationem cadat: at quod ſit reſeruata, néne, eſt quid extrinſecũ reſpectu ſubrogationis. Vnde cum per Pontificem nunquam fuerit declaratum, reſeruationem extendi ad materiam diuerſam ob ſolam ſucceſſionem in locum alterius, non eſt quidem extendenda, præſertim cum ſimus in odioſis.

12. Ad ſecundam reſpondetur, quod vinculum voti præcedentis non erat ex ſe reſeruatum, ſed ratione tantum prioris materiæ, & conſequenter ea ablata, ceſſat etiam reſeruatio.

Ad tertiam reſpondetur, negando Conſequentiam, quia pœna, lex, aut ſententia continet præceptum ſuperioris: præceptum autem huiuſmodi non poteſt tam facile ab inferiori mutari, vt rectè docet Suar. *ſupra cap* 20. *num.* 16. At in caſu noſtro ſemper obligatio eſt à voluntate vouentis acceptantis commutationem, atque ideo diſpenſatio eius ſequitur naturã voti, non præcepti.

13. Neque obſtat, ſi dicas quod poſterior illa obligatio ad talem materiam, non prouenit ex ſola voluntate vouentis, ſicut in aliis votis ordinariis contingit, ſed ex arbitrio etiam Papæ, vel eius delegati, idque ad prioris reſeruationis ſpectat ſoliditatem, vt commutatio illa immobilis permaneat. Reſpondetur enim, verum eſſe in commutatione interueniſſe Superioris authoritatem ad deſignandam commutationis materiam, ac propterea non poſſe illam mere voluntariè mutari; obligatio tamen inde reſultans, nòn eſt abſolutè ex imperio Papæ, ſed ex voluntate vouentis; ac idcirco ſubit voti conditionem, quod inde colligitur, quia in euidenter melius poteſt quidem commutari, etiam abſque vlla cauſa, vel Superioris poteſtate.

DVBIVM XIII.

An votum caſtitatis perpetuæ, ſaltem metu incuſſum, poſſit per Bullam commutari.

1. SVppono primò, valde inter ſe differre votum caſtitatis, & votum vouendi caſtitatem: Primum eſt Summo Pontifici reſeruatum, ſi ſermo ſit de caſtitate abſoluta, & perpetua: Secundum poteſt per Epiſcopum diſpenſari: nam ſi quis emittat votum ſimplex aſſumendi ordinem ſacrum, vel etiam Religionis, quorum cuilibet eſt

anne

Digitized by Google

annexum votum caſtitatis, adhuc non vouet caſtitatem; atque ſi ſic vouentes ante voti impletionem peccatum fornicationis patrarent, non peccarent tamen contra votum caſtitatis; & ſi contraherent matrimonium, peccarent quidem contra votum emiſſum, non tamen peccarent poſtea petendo debitum. Et ratio eſt, quia licèt huiuſmodi ſint vota promittendæ caſtitatis, non tamen caſtitatis immediate; aliud enim eſt vouere caſtitatem, & aliud velle vouere. Ita Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 21. n. 7.* Sanch. *ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 70.* Molfeſius *ſumm. tom. 1. tract. 11. cap. 15. num. 148.* & alij.

2. Suppono ſecundò, quod ſi contingat varia per aliquem voueri ad caſtitatem ſpectantia, ita vt ex omnibus illis ſimul conſurgat obligatio ad perfectam caſtitatem, adhuc poſſent per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari; vt ſi quis ſemel promittat ſe non contracturum matrimonium, & iterum ſe non fornicaturum, atque iterum ſe nullum peccatum venereum commiſſurum. Ratio eſt, quia cum in quolibet iſtorum poſſit Epiſcopus diſpenſare, vtpote quod non eſt abſolutæ caſtitatis votum, conſequenter poteſt in omnibus ſimul: vota enim poſteriora per accidens ſe habent ad prius. Ita Sanchez *ibid. num. 68.* vbi ſubiungit hoc eſſe intelligendum, niſi id vltimum votum, quo caſtitas perfecta completur, conſulto ipſe vouens præſtiterit, vt ea perfecta caſtitate maneat ligatus; tunc namque cenſetur priora cum hoc poſteriori coniungere, ac velle perfecto caſtitatis voto ligari. Hoc autem votum, nec Epiſcopus poteſt iure ordinario diſpenſare, nec Confeſſarius virtute Bullæ commutare.

3. Suppono tertiò, poſſe per Bullam, ac Iubilæum, necnon priuilegia ordinis commutari votum non petendi commutationem voti cuiuſcunque. Ratio eſt, quia votum huiuſmodi nullibi eſt reſeruatum. Atque ita ſentiunt loquentes de Bulla & Iubilæo Man. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 112. Acoſta *in Bulla, quæſt. 73. fin.* Villalob. *ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 3. num. 35.* & Sanch. *ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 23.* qui *cap.* 40 *num.* 79. ſequutus Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 19. quæſt. 15.* & Sayr. *in claui regia, lib. 6. c. 11. num. 67.* idem ſentit de voto non petendæ commutationis ab alio, quam à Romano Pontifice, quia non eſt ex quinque reſeruatis Pontifici, & conſequenter per Epiſcopum diſpenſari, ſicut à fortiori per Bullam commutari poteſt. Hinc Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 21. num. 16.* deducit numerum votorum reſeruatorum non poſſe augeri ex voluntate, ac intentione vouentis, ita vt votum ſuum efficere queat reſeruatum, etiam ſi aliàs non ſit reſeruatum, & obligatio illius à nemine niſi à Papa tolli poſſit. Ratio eſt, tum quia reſeruatio conſiſtit in ablatione, ſeu non conceſſione iuriſdictionis; ſubditus autem quantumcunque nitatur, non poteſt Epiſcopum ſua iuriſdictione priuare: tum quia aliàs poſſet etiam votum ſuum facere indiſpenſabile per Papam, ſi id intenderet: tum denique quia ſicut in peccatis non poteſt quis facere, vt peccatum ſuum ſit reſeruatum, eſto id intendat, ſeu promittat; ita in votis idem eſt ſentiendum, cum vtrobique ſit eadem ratio; vana igitur eſt intentio illa in hoc ſenſu, & ab ignorantia originem ducit.

4. Sed an votum non petendi diſpenſationem, ſeu commutationem validum ſit, agit Richard. *in 4 diſtinct. 38. artic. 9. quæſt. 3.* & idem referunt, & ſequuntur Ang. *votum 3. num. 20.* Sylu. *votum 2. quæſt. 14.* S. Anton. 2. *part. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Angles *quæſt. de voto, art. 8. diffic. 8.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 30. §. 6.*

Felin. *in cap. Cæterum, de reſcript. num.* 26. Ioann. Staſil. *tract. de gratiis in vlt. part. eius* §. *& primo.* Quare breuiter aſſero hanc negationem, nempe, non petere diſpenſationem, ſeu commutationem voti, non eſſe intrinſece malam, aut bonam, ſed ex cauſa, & circumſtantiis variari poſſe. Nam petere diſpenſationem ſine cauſa iuſta malum eſt, interueniente autem cauſa non eſt malum: poteſt autem interdum eſſe minus bonum, aliquando maius, & nonnunquam neceſſarium. Atque ideo prædicta negatio non eſt materia omnino incapax obligationis voti, & conſequenter obligabit votum illud ad non petendam diſpenſationem, ſeu commutationem voti, niſi vbi talis diſpenſatio, ſeu commutatio iudicata fuerit melior, ſeu magis conueniens ad bonum animæ. Addit inſuper Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. ſemper poſſe inchoari, petendo diſpenſationem, ſeu commutationem ab hoc vltimo voto, & regulariter non obſtante tali voto, poſſe rem totam cum hoc ipſo voto non petendi diſpenſationem vel commutationem, proponi Superiori, vt ipſe faciat quod magis expediens iudicauerit: ſecus votum non eſſet rationabile, quia non eſſet de re bonum ſpirituale concernenti; imo reſultaret quodam modo in præiudicium muneris, & poteſtatis ipſius Superioris.

5. His ſic præmiſſis, præſens dubium plures inuoluit difficultates, ſicut præcedens. Prima igitur eſt, an votum caſtitatis emiſſum metu leui, per iniuriam tamen incuſſo ad extorquendum illud, poſſit per Epiſcopum diſpenſari. Negatiue reſpondet Suar. *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *cap.* 26. *n.* 4. vbi duplicem metum diſtinguit, iuſtum quendam, ſeu cadentem in virum conſtantem; aliúmque leuem, & non iuſtum. De primo ait, quod vel votum eſt inualidum, vt tenet opinio probabilis, & ſic non requiritur diſpenſatio: vel ſi reputatur validum, vt tenet alia opinio, tunc poſſet æſtimari non reſeruatum, & conſequenter diſpenſabile per Epiſcopum; quia in votis, quorum valor eſt ſub opinione, poteſt Epiſcopus, non ſolum authentice declarare quid tenẽdum, ſed diſpenſare etiam, vt conſtat ex dictis. De ſecundo autem metu, id eſt leui, & non iuſto, inquit, per ſe non ſufficere; tum quia nullo iure cauetur: tum quia nulla ratione poteſt fundari, quippe inuoluntarium in eo voto repertum, eſt ſecundum quid, & per accidens; quod ſi ſufficeret, vt ceſſaret reſeruatio, ceſſaret etiam in votis emiſſis in periculo mortis, & naufragij, in quibus idem inuoluntarium reperitur.

6. Sanchez *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 31. aſſerit vota emiſſa metu cadenti in virum conſtantem nulla indigere diſpenſatione, quia communiſſima, & verior opinio tenet vota illa eſſe irrita, vt ipſe oſtendit *eod. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 8. *&* 9. votum autem emiſſum metu leui, non quomodocunque, ſed per iniuriam incuſſo ad extorquendum votũ ipſum, eſſe quidem validum, non tamen reſeruatum; quia inuoluntarium in eo voto repertum, eſto ſit tale ſecundum quid, minuit tamen notabiliter rationem voluntarij, & voti, ac proinde non cenſetur Pontifex velle quaſi iniuriam illam fouens, votum huiuſmodi reſeruare. Vnde iuxta regulam ſuperius traditam, poſſet per Bullam commutari.

7. Hæc opinio mihi videtur probabilior, & tenenda. Pro eius tamen pleniori declaratione obſeruare oportet, metum cadentem in conſtantem virum, quatuor requirere conditiones. Prima eſt, vt malum quod timetur ſit graue. Secunda, vt æſtimatio illius mali ſit prudens, id eſt, vt timens non leuiter, & vane credat malum illud ſibi immi-

nere,

nere, ſed rationabiliter, & probabiliter. Tertia, vt metum incutiens ſit potens, & ſolitus minas exequi. Quarta, ne timens facile queat occurrere illi malo, quod timetur. Timor igitur his conditionibus veſtitus dicitur cadens in virum conſtantem reſpectiue, ac proinde qui reſpectu vnius eſt talis, non ſic æſtimatur reſpectu alterius, qui vel fortior, vel iunior, vel non ita puſillanimis exiſtit.

8. Obſerua inſuper duplicem eſſe metum, quidam eſt incuſſus à cauſis naturalibus, vt à morbo, à tempeſtate, ſeu feris animalibus; & hic dicitur metus ab intrinſeco, quia non incutitur per actum liberum, ſed per modum naturæ, vt docte indicat Sotus *in 4.d.29. quæſt.1. art.3. verſ. Hinc primò colligitur.* Alius vero eſt ab extrinſeco, id eſt, à cauſa libera, vt dum vouenti minatur quis mortem, ſeu malum aliud eiuſmodi. Rurſus poſterior hic metus eſt etiam duplex. Quidam incuſſus cauſa voti extorquendi. Alter vero ob aliam cauſam. Imo priori modo prædicto incuſſus, poteſt incuti iuſtè, vt dum quis minatur alicui malum aliquod graue, quod iuſte inferre poteſt, cuiuſmodi eſt iuſta delicti accuſatio; vel poteſt incuti iniuſte, vt ſi iniuſtam accuſationem inferre intendat.

9. Quapropter dico primò, certiſſimum eſſe apud omnes, metum qui non eſt incuſſus gratia extorquendi voti, ſiue procedat à cauſa naturali, ſiue libera, quantumuis grauiſſimus ſit, non irritare votum. Ita habetur *ex cap. ſicut nobis, de regul.* vbi votum ægri, ex timore mortis emiſſum, iudicatur validum. Et ratio eſt, quia tunc vouens à nemine impellitur ad votum emittendum, ſed ſponte id medium eligit, vt tale periculum euadat. Imo etiam ſi animus incutientis metum, ſit votum extorquere, ſi tamen eo animo non ſignificato vouenti, nec per ipſum intellecto, is aliquid voueat, vt incolumitatem obtineat, validum erit votum, quoniam cum vouens prauæ illius intentionis inſcius ſit, non coactus eſt eo metu votum emittere, ſed potius ſponte illud tanquam ſuæ incolumitatis medium elegit; ac proinde idem omnino eſt, ac ſi quouis alio fine metus incuteretur. Ita Valent. *2.2. diſp.6. quæſt.6. punct.4. verſic. neque vero eadem eſt ratio*; & Sanch. *eodem lib.4. cap.3. num.6.*

10. Dico ſecundò, metum grauem, ſeu cadentem in virum conſtantem, incuſſum iniuſtè ad extorquendum votum, illud irritare, non quidem iure diuino naturali, vt tenet Sot. *lib.7. de iuſt. quæſt.2. art.1. ad 2. paulo poſt principium, & lib.8. quæſt.1. art.7. verſ. ſerioſius tamen*; ſed ſolo iure eccleſiaſtico. Ratio eſt, tum quia ſtando in iure naturæ, ea deliberatio requiritur, ac ſufficit ad voti valorem, quæ ad culpam mortalem. Hæc autem admittitur cum tali metu; eo enim coactus, ſi quem fornicari contingat, peccaret lethaliter; tum quia iuramentum tali metu extortum obligat omnino, vt habetur *ex cap. ſi vero, de iureiur.* cum nihilominus ita inuoluntarium exiſtat, ac votum; nec vlla diſcriminis ratio inter vtramque aſſignari queat, niſi quod ius eccleſiaſticum irritet votum, non iuramentum. Ita Aragon. *2.2. quæſt.88. art.3.* Azor. *lib.11. inſt. moral. cap.15. quæſt.6.* Vega *ſumm. tom.2. cap.129. caſu 17.* quos ſequitur Sanchez *ſum. lib.4 cap.3. num.9.* Nec admitto opinionem Cardin. *cap.2. quæſt.1. caſu 4. de his quæ vi.* & Sylu. *verb. metus, quæſt.8. fine,* aſſerentium votum tali metu emiſſum non eſſe irritum, ſed irritandum. Imo nec admitto opinionem aliquorum Neotericorum dicentium profeſſionem ſic emiſſam eſſe irritam, ſecus autem de votis ſimplicibus. Ducuntur, quia vnicus tantum textus votum ſic

Digitized by Google

emiſſum irritans reperitur, nempe *cap.* 1. *de his quæ vi.* ibi autem de ſola profeſſione fit mentio. At verius exiſtimo irritari eo metu omne votū, ſiue ſolenne, ſiue ſimpliciter. Et ratio eſt, quoniam eſto *in d.cap.*1. *de his quæ*, non fiat mentio de voto ſimplici; communis tamen Doctorum ſententia tenet eandem deciſionem ad votum ſimplex extendi, cum pariter ſit opus conſilij, & ſuam habeat perpetuitatem. Ita Gloſſa finalis *ad finem*, *cap.* 2. *de his quæ vi.* Abb. *ibi num.* 11. *& cap. ſicut nobis, num.* 5. *de Regul.* Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *verſiculo his rationibus.* Roſella *votum* 1. *n.* 4. *& verb. Metus*, *num.* 3. & ibi Angelus, *num.* 8. Sotus, *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 1. *in ſolut. ad* 1. *&* 2. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 4. Aragon. ſupra, Nauar. *ſum. c.* 12. *num.* 52. & plures alij per Sanchez relati *num.* 12.

11. Dico tertiò; votum metu viri conſtantis iuſte incuſſo ad extorquendum votum, validum eſſe. Ita docent, expreſsè Metin. *ſum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 6. Emanuel Sà, *verb. votum*, *num.* 8. & videtur tenere Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 1. *ad primum* paulo ante finem, dum ait ad irritationem voti requiri metum incuti ab homine per iniuriam, & multis citatis in ſimili, nempe de matrimonio latè probat Sanch. *lib.* 4. *de matrimonio, diſp.* 13. *n.* 3. Ratio eſt, tum quia quoties metus damni delicto debiti incutitur alicui, tunc metus ille potius ex lege, & natura delicti cenſetur oriri, & proinde ab intrinſeco, quam ab extrinſeco incuti, cum intra illum ſit iuſta timendi cauſa, & radix timoris. Vnde minans id malum non cenſetur metum inferre, ſed potius metum iam ex delicto conceptum auferre, offerendo immunitatem, ſi voueat: tum etiam quia nulla irrogatur iniuria, imo oppoſitum, nec labes aliqua ſimoniæ admittitur, offerendo delicti veniam, modo delinquens religionem voueat. Probatur, quoniam ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi rem ſpiritualem, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. quem omnes ſequuntur. Sed dum quis accepta venia, ſeu immunitate pœnæ delicto debitæ religionem ingreditur pacto inito, nec vendit religionem, vt conſtat, nec emit illam, cum nihil ſoluat. Similiter offerens veniam, nec vendit, nec emit, nam de ratione venditionis eſt, vt venditor aliquid tradat, & emptor aliquid accipiat; offerens autem veniam, nec tradit Religionem, nec recipit pretium aliquod, vt ſupponimus, & hac ratione vtitur Cardin. *cap. Dilectus, il* 2. *de Simonia*, *num.* 3. & Sylu. *verb. gabella* 5. *quæſt.* 2. ad probandum nullam hic interuenire ſimoniam.

12. Cæterum Man. Rodr. ſatis ambigue loquitur in hac materia. Nam *ſum. tom.* 2. *cap.* 95. *num.* 3. ait profeſſionem à fœmina in adulterio deprehenſa emiſſam ad inſtantiam mariti ſibi mortem minantis, niſi voueat, non eſſe validam: cuius oppoſitum videtur tenere ibidem *cap.* 8. *num.* 11. Dico primo loco agere de morte, quam maritus authoritate priuata illi comminatur, vnde cum id iure Canonico ſit omnino interdictum, conſequenter loquitur de metu iniuſte incuſſo. At ſecundo loco agere de morte authoritate Iudicis infligenda, ac proinde de metu iuſtè incuſſo. Hic enim metus (ait ille) non ſufficit ad annullandum, ſeu reſcindendum actum, vel contractum, vt habetur ex *l. ſi mulier*, & ibi Bartol. *ff. quod met. cauſa.* Nihilominus *præcit. cap.* 93. aperte à noſtra opinione diſſentit, cum aſſerat, quod ſi quis furi deprehenſo in delicto iuſtam accuſationem comminetur, niſi certam ducat, eſto metus iuſte incuſſus ſit, matrimonium tamen inualidum eſſe. Atque ideo

Digitized by Google

ideo non immerito à Sanch. adducitur pro contraria opinione, ſicut etiam Lud. Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 45. *verſ. ſed ibi addit.*& Vega *ſum.tom.*2. *cap.* 129. *caſu* 17. quorum opinionem cenſeo ſatis probabilem, ſed noſtram probabiliorem, quam vltra D D. ſupra allegatos,etiam tuentur in ſimili cum de matrim. agunt, Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 9. *num.* 1. & 2. Petr. Led. *de matr. quæſt.* 47. *art.*3. *dub.*1. *concluſione* 3.*initio* & Palat. *in* 4.*diſt.* 29. *diſp. vnica, verſ. ſexto die.*

13. Hinc autem manifeſte deducitur, votum caſtitatis ſeu religionis eo metu emiſſum, non eſſe Pontifici reſeruatum; tum quia huiuſmodi votum non cenſetur reſeruatum, niſi ſit liberum, & ſpontaneum; tum quia vota quorum valor eſt ſub opinione, poſſunt per Epiſcopum diſpenſari iuxta regulam ſæpius traditam, & conſequenter poſſunt etiam per Bullam commutari.

Dico quarto, probabilem eſſe opinionem aſſerentium metum leuem, dum eſt cauſa ſine qua non emitteretur, votum illud irritare in foro conſcientiæ, ſecus in foro externo.

14. Ducuntur primò, quia Eccleſia dum metus eſt leuis, non præſumit coactum,ſed ſpontaneum conſenſum:at in foro conſcientiæ aliquando conſtat oppoſitum, nempe dum quis eo metu perterritus emittit votum, quod alias non emitteret. Secundò, quia ideo metus grauis irritat votum, quod plenam conſenſus libertatem impediat in viro conſtanti. Igitur id ſimiliter irritabit metus leuis, dum eundem libertatis conſenſum impediens, cauſa exiſtit, vt votum emittatur: tunc enim videtur verificari ratio Pontificis *cap. eum locum de ſponſ.*ibi cum locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit. Atque ita ſentit Nau.alios referens *lib.*1. *conſil. in priori edit. in tit.de his quæ vi, conſil.* 1.*num.* 9. & *conſil.*3. *num.*4. & *conſil.*2. *n.*2. & *lib.*3. *tit. de Regul. conſil.* 84. *num.*4. *in poſteriori autem edit. lib.*1. *tit. de his quæ vi, conſil.*3. *num.*9. *conſil.*5. *num.*4. *conſil.*9. *num.*2.& *lib.*3. *tit de conuerſ. coniugat. conſil.*3. *num.*4.& loquens de profeſſione idem ſentit Man. Rodr. *ſum. tom.*2. *cap.*8. *num.* 10.ſecutus Nau. *ſum. cap.* 22. *num.* 51. Et loquentes de matrimonio, idem videntur ſentire Iacobatius *de conſiliis, lib.*4. *art.* 4. *num.* 133.134. & 135. & Veracruz 1. *p. ſpeculi, art.*8. *concluſ.*7. & ait eſſe probabile Petr. Ledeſma 2. *p.*4. *quæſt.*49.*art.*3. ſicut etiam Sanch. *dicto lib.* 4.*ſum.cap.*3. *num.* 23.

15. At multo probabilius cenſeo, eo metu leui non irritari votum aliquod; tum quia metus ſimpliciter non irritat votum, ex eo quod voluntarium quomodocunque impediat,ſeu auferat: ſed quod prudenter, & rationabiliter, vt contingit dum quis eligit rem adeo grauem, cuiuſmodi eſt votum caſtitatis ſeu religionis ſub prætextu vitandi cauſam illius timoris; qui tamen dum metus eſt leuis, non ita,ſed imprudenter potius, ac irrationabiliter ſe gerit; tum quia falſum eſt Eccleſiam in hoc caſu inniti præſumptioni, ſed cuidam naturali æquitati, quæ poſtulet ſubueniri patienti metum grauem, cum fecerit quod debuit, eligens ex duobus malis, id quod minus eſt. Non autem ſubuenit patienti metum leuem, cum inconſtanter ſe gerat, dum ex leui metu ad rem adeo grauem ſit motus. Sicut etiam Ius Ciuile iuſtiſſime fauet patiēti iuſtum, & grauem metum, contempto metu leui,*Regula vani timoris* 145.*ff. de reg. iur. lib.*7. *tit.*33. *p.*7. Atque ideo hanc ſententiam tuentur Sotus *lib.*7.*de iuſt.quæſt.*2. *art.*1. *ad* 2. *fine,* Lud.Lop. 1. *p. inſtruct.cap.*45. *verſic. non impedit,*Valentia 2.2. *diſp.*6. *quæſt.*6.*punct*... Azor.

Digitized by Google

*lib.*11. *inſtit.moral.cap.*15. *quæſt.*5. Emanuel Sà *verb.metus*, *num.*3. quos refert & ſequitur Sanch. *ſupra num.* 24. & faciunt pro hac ſententia loquentes de matrimonio D. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *q. vnica*, *art.*3. *quæſtiunc.*1. *corp.* D.Bonau. *ead.diſt. quæſt.*1.*num.*4. Dur.*quæſt.*2.*num.*5.*&* 8. Richard ibi *art.*1.*quæſt.*1.Palud. *quæſt.* 1. *art.*3. *concl.*2. *num.*20. & plures alij,quos referunt idem Sanch. *lib.* 6. *de matr.diſp.*17. *num.*3.

16. Ex dictis igitur deducitur primò,votum caſtitatis, ſeu religionis metu leui emiſſum,eſſe validum, diſpenſabile tamen per Epiſcopum;tum quia is metus minuit voluntarium, vt conſtat; reſeruatio autem intelligenda eſt de pure voluntario, ac ſpontaneo, non de coacto; tum etiã quia ſub opinione adhuc eſt, an ſit validum,& conſequenter poteſt per Epiſcopum diſpenſari, ſeu commutari per Bullam, iuxta regulam ſæpius repetitam. Imo is metus præſtat faciliorem diſpenſandi cauſam; quamuis enim votum ex cauſa talis metus non deſinat eſſe voluntarium, non tamen eſt ita voluntarium, ac ſi is non exiſteret. Atque ideo nobiſcum ſentiunt Angelus *votum* 4.*num.*9. Gloſ.*in cap.veniens* 5.*Qui Clerici, vel vouentes*, & Nau. *ſum. cap.*12. *num.*59. quos refert ac ſequitur Leſſius *lib.*2. *cap.*40.*dub.*18.*num.*127. & tenent idem Bonacina *de leg. diſp.*4. *quæſt.* 2.*punct.* 7.§. 4. *num.*17. & Leone *tract. de iubil.p.*2.*quæſt.*10. *ſect.*1*,num.*97.*fine.*

17. Deducitur ſecundò, tunc ſolum metu reuerentiali irritari votum caſtitatis, ſeu religionis, aut quoduis aliud cum cadit in virum conſtantem, nempe cum vltra reuerentiam adſunt minæ, & probabilis timor alicuius mali grauis. At cum dubium occurrit,an metus ſit grauis,& conſequenter ſufficiens ad irritandum votum ſolenne,vel ſimplex; præſumendum eſt in fauorem valoris voti,eum metum eſſe leuem,ac proinde non irritare. Vnde ſi conſtet de voto, & excuſatio dubia ſit, ſtabit poſſeſſio pro voto,vt notat Sanch.*ibidem n.*27.

Dubium XIV.

An poſsit per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari votum caſtitatis emiſſum à coniugatis, vel vtriuſque,vel vnius tantum coniugis conſenſu præcedenti.

1. SVppono hic agi de voto caſtitatis abſolute,atque ideo. Dico primò,ſi alterũ coniugẽ abſque alterius licentia caſtitatem vouere contingat, idque poſt matrimonium cõſummatum, certum quidem eſt, poſſe per Epiſcopum diſpenſari. Ratio eſt,quia eiuſmodi votum non eſt omnimodæ continentiæ,cum non poſſit vouentem obligare ad non reddendum debitum. Reſeruatio autem voti caſtitatis, tanquam odioſa,de integræ caſtitatis voto eſt intelligenda, vt ex ſæpius dictis ſatis ſit manifeſtum. Atque ita ſentiunt Man. Rodr.*ſum.tom.*2.*cap* 90.*num.*6. Aragon. 2.2.*quæſt.*88.*art.*8.*dub.vlt.* Sanch.*lib.*8.*de matrim.diſp.*11.*num.*4. *&* *ſum.tom.*1.*cap.* 40. *num.* 52. quidquid in contrarium opinetur Lud. Lop. 1.*p.inſtruct. cap.*47. *fine.* At ſi votum ſit emiſſum ante matrimonij conſummationem, tunc diſtinguendum eſſe cenſeo: nam ſi fuit emiſſum animo ingrediendi religionem, vt vbi vouens impleret votum, ſciens non poſſe aliter illi ſatisfacere, tunc nequit Epiſcopus diſpenſare. Quia cum cenſeatur tunc ſe velle ad religionem obligare, quatenus eſt id medium ad caſtitatem promiſſam ſeruandam neceſſarium, conſequenter eſt votum omnimodæ

Digitized by Google

omnimodæ caſtitatis, teneturque vouens illud implere religionem ingrediendo. Si tamen animus vouentis non fuit eiuſmodi, vel nec de ingreſſu, nec de oppoſito cogitauit; vel ſi cogitauit, noluit tamẽ ſe ad illam obligare, poteſt quidem Epiſcopus diſpenſare; id enim votum non eſt omnimodæ caſtitatis, cum abſque culpa poſſit, imo teneatur reddere debitum.

2. Dico ſecundò, ſi cum licentia alterius coniugis alter ſolus continentiam vouerit, ſimiliter eſt diſtinguendum. Nam ſi votum ſit emiſſum matrimonio nondum cõſummato, & animo religionem ingrediendi, conſtetque vouenti non poſſe aliter votum perfectè implere, quin potius ſi maneat in ſæculo teneri reddere debitum: tunc nequit Epiſcopus diſpenſare, etiam ad petendũ debitum, poterit tamen ad duntaxat petendum diſpenſare poſt matrimonij cõſummationem. Quia voluit id votum, vt omnimodæ caſtitatis, iuxta ea quæ tradit Sanch. *lib.9. de matrim. diſp.36. num.5.& 6.* Si autem id votum fiat poſt matrimonium cõſummatum, & animo etiam religionem ingrediendi, volenteque altero coniuge efficere iura requiſita, vt talis ingreſſus liceat, nequibit Epiſcopus etiam ad ſolum debitum petendum diſpenſare. Voluit enim vouens tacitè ad religionem ſe obligare, & conſequenter eſt votum perfectæ caſtitatis. At ſi alter coniux propoſitum mutet, ita vt hic non poſſit religionem ingredi, adhuc non poterit Epiſcopus omnino in eo voto diſpenſare, eo quod ſit abſolutæ caſtitatis; poterit tamen ad ſolum debitum petendum ratione periculi ſtatus. Si vero id votum abſque animo religionem ingrediendi fieri contingat, idque ſiue ante, ſiue poſt matrimonij cõſummationem, tunc poteſt Epiſcopus in eo voto omnino diſpenſare: cum enim hic poſſit, ac teneatur debitum reddere, manifeſte conſtat non eſſe votũ abſolutæ caſtitatis, ſed partis: Et in hunc ſenſum poſſunt interpretari Man. Rodr. *tom.1. ſum.2. edit. cap. 143. n.14.* Say. *in claui regia, lib.6.c.11.n.51.*& Vega *ſum. tom.2. cap.129. caſu 77.*

3. Dico tertiò, ſi vterque coniux continentiam voueat abſque alterius licentia, idem atque eodem modo eſt ſentiendum, ſicut in primo dicto iudicauimus, idque ob rationes ibi aſſignatas, quæ hic ſimiliter locum habent, vt rectè obſeruat Sanch. *lib.8. de matrim. diſp. 11. num.6. & in ſum. lib.4. cap.40. num.55.* At ſi vterque coniux ſeorſim caſtitatem, ſeu continentiam vouerit, habita ab altero licentia, non tamen per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, ſed independenter ab alterius voto. Ait Sanch. vtroque loco cit. *num. ſequenti* eſſe omnino idem ſentiendum, quod ſtatuimus in 2. dicto præcedenti, ob eaſdem rationes ibi traditas.

4. Dico quartò, ſi vterque coniux de communi conſenſu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis caſtitatem vouerit, id eſt, facio, vt facias. Tunc ſentiunt abſolutè aliqui cum Maiori *in 4. diſt.32. quæſt.1. in ſolut. ad 2. contra 2. concluſionem*, poſſe Epiſcopum in hoc voto diſpenſare. Ducti quod non ſit votum omnimodæ continentiæ, ſed vterque teneatur debitum reddere. Aliis autem potius placet poſſe tunc Epiſcopum diſpenſare ad ſolum debitum petendum. Ita Eman. Sà *ſum. verb. debitum coniugale, num.2.*& Man. Rodr. *qq. Regul. tom.1. quæſt.63. art.2.* Ducuntur, tum quia eſto huiuſmodi votum ſit abſolutæ caſtitatis, & conſequenter indiſpenſabile per Epiſcopum; id tamen non eſt propriè diſpenſare in voto caſtitatis, ſed in effectu illius ad tempus. Imo nec quoad omnes, cum vterque adhuc ſic diſpenſatus fornicando ſacrilegus ſit, nec

nec eo matrimonio ſoluto poſſit aliud contrahere: tum etiam quia in voto caſtitatis ante matrimonij contractionem emiſſo diſpenſat Epiſcopus ad petendum debitum: igitur ſimiliter poterit diſpenſare in eodem voto poſt matrimonium emiſſo, cum hoc non plus obliget, quam illud.

5. Neutra tamen iſtarum opinionum mihi probatur. Non prior, quia cum id votum ſit abſolutè caſtitatis, obligat omnino ad non petendum, nec reddendum, vt latè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 37. num. 10.* Nec poſterior. Vnde prima ratio in eius fauorem adducta falſa eſt; poſſet enim ſimiliter probari, quod Epiſcopus diſpenſare valeat ad eum ſolum effectum, vt ligatus voto caſtitatis matrimonium ſemel ineat, manente voto in ſuo vigore quoad cætera, quod nullus conceſſit vnquam. Nec ſecunda ratio alicuius eſt momenti, quippe non eſt ſimile de voto caſtitatis ante matrimonium emiſſo, ac de eodem poſt matrimonium, vt ſupra. Nam licèt vtrumque ſit ex natura rei Pontifici reſeruatum, diuturna tamen conſuetudo, quæ iuriſdictionem præbet *cap. cum contingat, de foro competenti,* obtinuit vt Epiſcopi paſſim diſpenſent in primo. Ita ex Iuriſperitis Ioan. Andr. *cap. rurſus, num. 6. qui clerici, vel vouerit.* & ibi Anton. *fine.* Anchar. *n. 2. oppoſit. 1.* Præpoſit. *num 6.* Alexand. de Neuo, *num. vlt.* ex Summiſtis Roſella, *verb. impedimentum, imped. 4. num. 5. fine,* Angelus *verb. matrimonium 3. imped. 5. num. 3. & verb. votum 4. num. 4.* Armil. *verb. diſpenſare, num. 18. & verb. matrimonium, num. 55.* & alij. Ex Theologis autem D. Anton. *3. part. tit. 1. cap. 22. §. 2. fin.* Maior *in 4. diſt. 32. quæſt. 2. arg. 2. contra 2. concluſionem,* Sot. *Cod. 4. diſt. 37. q. vnica, art. 1. & art. 2. verſ. & per hoc reſpondetur,* Palat. *diſt. 32. diſp. 2. verſ. ſuffragatur communi placito,* & plures alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſp. 11. num. 4.* Prædicta autem conſuetudo originem duxit ab euidenti incontinentiæ periculo, ſi coniunx petere non poſſit, cum tamen ratione matrimonij reddere teneatur.

6. At in voto poſt matrimonium emiſſo, de quo nunc agimus, id minime obtinuit; nec idem periculum militat; neuter enim tenetur, nec licite reddere valet. At propterea dicendum eſt; non poſſe Epiſcopum cum his coniugatis diſpenſare, vt petendo, reddendóve poſſint matrimonio vti, niſi incontinentiæ periculum occurrat in alterutro, nec Pontifex commodè adiri queat ex infirmitate, paupertate, aliáve ratione. Prior pars probatur ex ratione proxime adducta. Poſterior vero ex eo, quod in eius neceſſitate poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ſolutis ad contrahendum matrimonium, tenent Nau. *ſum. cap. 22. n. 76.* Palat. *4. diſt. 38. diſput. 2. verſ. & quidem Epiſcopus,* Henriq *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7. in comment. litt. P. & lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 6. comment. lit. B.* Valent. *2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 7. verſ. ex quo ſequitur,* Arag. *2. 2. quæſt. 88. artic. 12. verſic. ſi quis autem quærat,* Man. *ſumm. tom. 2. cap. 100. num. 3. concluſ. 3. & quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 63. art. 6.* & Anton. Gomez. *in Bulla Cruciata, clauſ. 10. num. 108.* cum aliis, quos ipſi referunt; & quidem deducitur ex doctrina Abbatis *cap. final. num. 8. de Eccleſ. ædificand.* & Cardin. *clem. 1. num. 27. quæſt. 29. de rebus Eccleſ. non alien.* necnon Felin. *cap. cum acceſſiſſet, num. 22. de conſtit.* vbi inquiunt in ſumma alienandi neceſſitate, quæ eam celeritatem requirat, vt ſuperior conſuli non valeat, poſſe abſque eius licentia fieri alienationem, eſto interuenerit iuſiurandum non alienandi abſque eius licentia. Igitur à fortiori cũ his cõiugatis poterit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitũ in caſu ſimili.

7. Adde

7. Adde quod etiam ſi Epiſcopus regulariter in lege Pontificis, aut Concilij nequeat diſpenſare, poſſet tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, cum ad Pontificem non patet aditus, vt rectè oſtendit Sanch. *lib.2. de matrim.diſp.*40. *num.*3. Atque ideo hanc partem ſuſtinent Sylu. *verb.votum 2.fine, & verb.diſpenſatio,quaſt.9.num.*15. Nauarr.*cap.*12. *num.*59. Palat.4.*diſt.*32.*diſp.*2.*verſ.Quod ſi votum.*Henriq.*lib.*11.*de matrim.cap.*15. *num.*8. Arag.2.2.*quaſt.*88. *art.*8. *dub.vlt.* Man.1.*tom.2.editione,cap.*243.*concluſ.*14. *num.*14. & alij. Vnde deducit Sanchez *lib.*8. *de matrim. diſput.*11.*num.*10. idem ſentiendum fore, cum etſi Pontifex adiri queat, ex mora tamen graue imminet incontinentiæ periculum. Ita D. Anton. 3.*part. tit.*1. *cap.*22. §.4. Sot. 4.*diſt.*27.*quaſt.*1.*art.*4. *verſ.Quod ſi contra arguas*, Angles *floribus,de voto, quaſt. vnic. art.*7. *diffic.*10. & Vega *ſum. 2.tom. cap.*129. *caſu* 68.

8. Limitat Lud. Lopez 2.*p. inſtruct.* vbi de clauibus *cap.9.col.penult.*inquiens in ſolis remotiſſimis Indiæ partibus id Epiſcopo licere. Non placet hæc limitatio; imo ob rationes præinſinuatas idem videtur dicendum, non ſolum ſi ex mora immineat periculum incontinentiæ, ſed etiam ſi immineat quodcunque aliud graue periculum, nempe grauis ſcandali, vel magni tertiæ perſonæ detrimenti. Fauent Sylu.*verb.votum.*4.*quaſt.*4.& Henriq.*loco cit.*qui non limitarunt periculum ad incontinentiam, ſed generaliter affirmarunt poſſe Epiſcopum diſpenſare,cum nequit adiri Pontifex, niſi periculo interuenienti ex mora. Vnde Sanchez *d. diſp.*9. *n.*22. *ad finem*, ait poſſe Epiſcopum diſpenſare cum iuuene,qui religionis voto aſtrictus virginem deflorarat, ac grauidam effecerat, cupiebat tamen eam ducere in vxorem, vt ipſius famæ conſuleret. Nam ſi Pontificia expectaretur diſpenſatio, imminebat periculum matrimonij impediendi, vel ob repugnantiam conſanguineorum viri, vel ob mutationem voluntatis ipſius viri, cum non adeo firma eſſet, quin facile mutari poſſet. Atque ideo non eſt admittenda opinio Rod. dum *in Cruciata* §.9.*dub.*1. *circa votum caſtitatis*, *num.*118. ait non poſſe Epiſcopum in huiuſmodi euentibus diſpenſare. Imo Palat. *vbi ſupra* docet in omnibus votis Papæ reſeruatis poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſi impotentia adeundi Pontificis præceſſerit; quod ſentit etiam Sanchez *num.*23. dicens id ſimiliter tenere viros doctiſſimos ex Neotericis.

9. Sed quæres primò,an ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum coniugatis illis, qui per modum contractus caſtitatem vouerunt, ſi renunciationem illam iuris petendi, & reddendi, quam vouendo fecerant, ſibi ipſis remittant; iterum ſibi mutuam corporum poteſtatem conferendo. Reſpondetur affirmatiue, tunc enim eſto dicta remiſſio ſit ſacrilega, quia contra votum, valet tamen, & tenebitur vterque (vt tradit Sanchez *lib.9.de matrim.diſputat.* 37. *num.*16.) debitum reddere. Ac proinde poterit tunc Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum duntaxat ratione illius periculi, quod imminere conſtat ſatis manifeſtè, ſi illis ſit interdicta petitio, cum reddere teneantur. Ratio eſt, quia per illam remiſſionem quaſi de nouo contrahitur matrimonium quoad licitam facultatē eo vtendi, petitio tamen debiti erit ratione illius voti interdicta; attenta autem obligatione redditionis, poterit per Epiſcopum diſpenſari ad petendum debitum, etiam ſi facilis ſit ad Pontificem recurſus.

10. Ex dictis igitur deducitur vota caſtitatis emiſſa à coniugatis poſſe per Bullam commutari, in iis caſibus, in

Tt quibus

Digitized by Google

quibus Epiſcopus poteſt omnino diſpenſare, ex eo quod deficiant à ratione voti caſtitatis perfecta, in his enim caſibus non ſunt vota abſolutæ caſtitatis; at in iis caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare ſolum ratione periculi, ſeu neceſſitatis, non poſſunt huiuſmodi vota, nec per iubilæum, nec per Bullam commutari.

11. Sed quæres ſecundò, an votum non nubendi in fauorem tertij, cuius intereſt emiſſum, per Epiſcopum poteſt diſpenſari. Reſpondetur, quod ſi huiuſmodi votum per ſe ſpectetur, diſpenſari poſſet per Epiſcopum, & commutari per Bullam, vt oſtenſum fuit dubio ſeptimo. At ſi in fauorem tertij petentis, & acceptantis emittatur, dicendum eſt non poſſe per Epiſcopum diſpenſari, nec per Bullam commutari. Vt ſi coniux à coniuge petat, quod ſub iuramento, vel voto ſe obliget ad abſtinendum ab alio matrimonio, ob ipſius honorem, vel commodum prolium, nec non vt amicitia cum conſanguineis, ac nomen familiæ felicius conſeruentur; tunc id votum eſt per Epiſcopum indiſpenſabile, & conſequenter per Bullam incommutabile. Ratio eſt, quia tunc ius tertio, id eſt coniugi petenti, & acceptandi acquiritur. Doctores autem aſſerunt non poſſe Epiſcopum diſpenſare votum in fauorē tertij emiſſum, & ab illo acceptatum, vt ex dicendis dub. vlt. huius capituli fiet manifeſtum. At ſi ille ius ſibi acquiſitum remittat, poterit Epiſcopus diſpenſare. Ita Leſſius 2. *lib. de iuſt. cap.* 40. *dubit.* 18. *num.* 114. & Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *n.* 12.

12. Si autem inquiras, an illa, in cuius fauorem emiſſum fuit votum, poſſit totam obligationem inde prouenientem remittere: diſtinctione vtendum eſt. Nam ſi non ſolum in fauorem ipſius fuit votum emiſſum, ſed intuitu etiam religionis, ad id offerendum Deo, non poteſt; ſecus autem ſi in gratiam eius duntaxat, quia habet tacitam conditionem, ſi ſibi placuerit, vouens enim cupit gratificari illi, in cuius gratiam vouet. Et in vtroque caſu, facta condonatione, ſeu remiſſione, poterit Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſarius per Bullam commutare, cum id votum non ſit caſtitatis, & ex tunc ceſſet præiudicium tertij. Ita Leſſius & Sanch. *ibidem.* Atque idem dicendum eſſe de iuramento cenſet Sotus *lib.* 8. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 9. *ad* 2.

13. Quæres tertiò, an virtute Cruciatæ poſſint commutari vota caſtitatis, ſeu religionis, emiſſa à perſonis alterius poteſtati ſubiectis. Partem affirmantem ſuſtinet Gutier. *qq. canon. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 49. Ducitur, quoniam Pater reſpectu filij, maritus reſpectu vxoris, & Dominus reſpectu ſerui poſſunt hæc vota irritare. Igitur à fortiori poteſt Epiſcopus ea diſpenſare, & Confeſſarius virtute Bullæ commutare. Refert autem Syluestrum, Nauar. Sotum, & alios, qui tamen de ſolis coniugibus loquuntur, de quibus adhuc ambiguum eſt apud aliquos, an poſſit Epiſcopus votum caſtitatis emiſſum poſt matrimonium conſummatum tollere, vel in toto, vel in parte. Cæterum quidquid ſit de opinione, id ſaltem non pendet ex poteſtate irritandi, qua coniuges ad inuicem potiuntur; imo nec per illam regulanda eſt poteſtas Epiſcopi.

4. Atque ideo oppoſitum cenſeo probabilius: tum quia poteſtas irritandi, & diſpenſandi ſunt longe diuerſæ, oriunturque ex principiis ſatis diſtinctis. Vnde eſto parens, vota filij, & maritus vota vxoris poſſit irritare; neuter tamen poteſt in illis diſpenſare, vt recte obſeruat Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 3. *art.* 1. & conſequenter ab vna poteſtate ad aliam non licet arguere. Tum etiam quia reſeruatio non opponitur irritationi, non

enim

Digitized by Google

enim derogat, aut tollit poteſtatem dominatiuam, ex qua facultas irritandi conſurgit; ſed opponitur, & derogat iuriſdictioni, quam ſubtrahit, & limitat; ac ſubinde licet facta reſeruatione pater poſſit vota filij impuberis irritare, non inde ſequitur quod eadem poſſit Epiſcopus diſpenſare. Vnde ſi contingat quod pater nolit votum caſtitatis, ſeu religionis à filio ſuo emiſſum irritare, non ideo poterit per Epiſcopum diſpenſari, nec per Bullam commutari, quia votum illud eſt validum, ac reſeruatum. Ita Sanch. *lib.8. de matrim. diſp.9. num.*4. Suar. *de Religione, tom.2. lib.6. cap.* 26. *num.*3. & Malderus *in* 2.2. *tract.*10. *cap.*5. *dub.*10. *num.*11. ſed de his latius dubio ſequenti.

DVBIVM XV.

An votum peregrinationis vltramarinæ poſsit aliquo modo per Bullam commutari.

1. DVbium iſtud multiplicẽ etiam inuoluit difficultatem. Prima igitur ſit, an virtute Bullæ poſſit commutari votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, non ſimpliciter, ſed quoad circumſtantiam, vt ſi quis voueat ſanctum ſepulchrum adire mendicando, vel nudis pedibus, poſſit Confeſſarius virtute Cruciatæ commutare huiuſmodi circumſtantiam, ita vt votum illud impleat, non tamen mendicando, ſed propriis expenſis, nec nudis pedibus, ſed calceatus. Reſpondetur affirmatiue, ita D. Anton. *p.*2. *tit.*11. *cap.*2. *§.*9. *notab.*4. *verſ. hoc autem videtur.* Palud. *in.*4. *diſt.*38. *quæſt.*4. *art.*4. *num.*43. Menoch. *de arbitr. lib.*2. *cent.*5. *caſu* 421. *num.*16. Lopez *inſtruct.* vbi agit de clauibus *c.*9. *fine*, & Leſſius *apud Sanch. in ſum. tom.*1. *lib.*4. *cap.* 40. *num.* 78. Ratio eſt, quia Epiſcopus tunc non diſpenſat in voto, ſed in circumſtãtia per accidens adiuncta. Id autem eſſe Epiſcopo licitum, multis citatis oſtendimus *ſupra dub.* 8. *quæſt.*2. & conſequenter dicendum eſt poſſe etiam per Bullam commutari.

2. Sed quæres, an in voto ipſo triplicis peregrinationis reſeruatæ poſſit Epiſcopus aliquando diſpenſare? Reſpõdetur affirmatiue, nam ſi vrgeret neceſſitas, quæ diſpenſationem peteret, nec præ paupertate, aliáve cauſa legitima poſſet Pontifex adiri, liceret quidem Epiſcopo diſpenſare, quod in ſimili de voto caſtitatis probaui *dub.* 9. *diffic.* 2. *dicto* 4. & vltra ibi allegatos DD. id tenet Petr. de Led. *ſum.*2. *tom... tract.* 10. *cap.* 8. *in* 3. *p.* vbi agit de potentibus diſpenſare *dicto* 4. Sed clarius id tradit Sanch. *ſum. eod. cap.*40. *num.*37. Solet autem id limitari, vt in ea neceſſitate poſſit Epiſcopus diſpenſare, cum ad Apoſtolicum Nuntium non eſt recurſus, ſic Aragon. 2.2. *q.*88. *art.*12. *verſ. ſi quis autem quærat*, & Man. Rodr. *ſum. tom.*2. *cap.*100. *num. ad finem.*

3. Et hæc limitatio non eſt admittenda, quippe quæ nullo fundamento legitimo nititur. Nam Nuntius, eſto ſit legatus à latere, tantum poteſt in tota ſua prouincia circa diſpenſationes, quantum Epiſcopus, & alij Ordinarij in ſua Diœceſi, vt docent ſpecialiter *tit. de diſpenſat.* §. *conſequenter aliqua*, & ibi Abb. *cap. fin. num.* 5. *de tranſact. & cap. Dilecto, num.* 5. *de præben.* Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap.*6. §.10. *num.* 11. Henriq. *lib.*12. *de matrim. cap.*3. *initio*, & Sanch. *de matrim. lib.*8. *diſp.*9. *num.* 25. & alij, quos ipſe refert. Cum igitur non gaudeat maiori poteſtate, quam Epiſcopi, parum intereſt, poſſit adiri Nuntius, nec ne. Libenter tamen admitterem dictam limitationem, ſi Nuntius haberet ſpecialem poteſtatem in his votis diſpenſandi, & commodè poſſet adiri. Imo idem admitto in euentu, quod

Digitized by Google

quicunque alius ex priuilegio Pontificio poſſet in eiſdem votis diſpenſare, vt fuſe oſtendit Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp.*40.*num.* 8. & nobiſcum ſentit Suar. *tom.2. de relig. lib.6. cap.26. num.*15.

4. Limitant alij, aſſerentes votum peregrinationis vltramarinæ, tunc ſolum eſſe reſeruatum Pontifici, cum ſit in ſubſidium terræ ſanctæ, non autem cum ſit ex deuotione duntaxat, tunc enim poſſe ab Epiſcopo diſpenſari arbitrantur. Ita Abb. *in cap. ex multa, de voto*, quem ibi ſequitur Rauennas. At oppoſitum eſt dicendum iuxta Romanæ Curiæ ſtylum, qui ſatis aperte colligitur ex extrauag. Sixti IV. *etſi Dominici, de pœnit. & remiſ.* vbi peregrinationes reſeruatæ numerantur; ibi enim ſic habetur. *Ad viſitanda Romæ limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, D. Iacobum Compoſtellæ & loca ſancta Hieroſolymæ.* Ecce quam apertè ibi ſit ſermo de votis ex deuotione prædictorum locorum emiſſis; atque ita docent Nauar. *ſum. cap.* 12. *num.*75. Sylu. *verb. votum* 4. *num.*5? Greg. Lopez *lib.*1. *tit.* 8. *p.*1. *verb. Roma.* Rodr. *ſum. tom.2. cap.* 99. & alij, qui omnes tradunt id votum, ſiue ex deuotione, ſiue in ſubſidium terræ ſanctę fiat, non poſſe niſi à Papa diſpenſari ſimpliciter, bene tamen quoad circunſtantiam, vel in caſu neceſſitatis, eo modo quo dictum eſt ſupra, & non aliter.

5. Secunda difficultas, an ſi peregrinatio terræ ſanctæ voueatur diſiunctiue, poſſit id votum per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari. Reſpondetur quidem affirmatiue, dum voti diſiunctiui ſola altera pars eſt reſeruata. Vt ſi quis dicat, voueo peregrinationem vltramarinam, aut ieiunium ſingulis feriis ſextis, obſeruandum per decennium, vel voueo peregrinari hinc Hieroſolymam, aut cẽtum aureos in eleemoſynam dare. Poſterior enim pars vtrobique non eſt reſeruata, & conſequenter votum ſimpliciter loquendo non eſt reſeruatum. Ratio eſt, quia dum res adhuc integra eſt, vouens poteſt eligere partem non reſeruatam per regulam in alternatiuis, *de regulis iur. in* 6. vbi habetur quod in alternatiuis electio eſt debitoris, ſatisfacitque quamcunque diſiunctionis partem præſtando. Ita Azor. *tom.*1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 10. Say. *in claui regia lib.*6. *cap.*11. *num.*62. Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.*40. *num.*106. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.*6. *cap.*24. *num.*1. Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp.*9. *num.* 14. & *ſum. tom.*1. *lib.*4. *cap.*40. *n.* 42. At ſi vtraque pars diſiunctionis ſit reſeruata, vt ſi quis dicat, voueo peregrinationem terræ ſanctæ, vel Religionem; tunc votum huiuſmodi eſt ſimpliciter reſeruatum Pontifici. Ratio eſt, quia obligat præciſe ad materiam reſeruatam, quamcunque partem eligat vouens. Ita Suar. *ibidem num.* 2. & Sanch. *ſum. eod. num.*42. ac proinde poteſt Epiſcopus in primo caſu diſpenſare, & Confeſſarius virtute Cruciatæ commutare, ſecus in ſecundo.

6. Sed quæres, an in voto diſiunctiuo, cuius ſola altera pars eſt reſeruata, ſi pars reſeruata reddatur impoſſibilis, poſſit Epiſcopus diſpenſare. E. g. ſi quis voueat peregrinationem terræ ſanctæ, aut certam eleemoſynam facere, & poſtea factus eſt impotens ad eleemoſynam impendendam; quæritur an vouens obligetur tunc ad peregrinationem determinatè, & conſequenter an votum illud ſit Pōtifici reſeruatum. Reſpondetur certum eſſe, quod ſi perſeuerante obligatione alternatiua, altera pars reddatur impoſſibilis, obligatio debet in altera parte impleri, votum enim obligat, vt impleatur eo modo quo poteſt. Nihilominus votum ipſum non ſit reſeruatum. Ratio eſt, quia id votum per ſe, & ex natura ſua nunquam obligauit ad partem reſeruatam,

ſed

Digitized by Google

ſed præciſa obligatio ad illam prouenit ex ſolo facto,ſeu ex impoſſibilitate materiæ, quæ eſt per accidens, non ex vi vinculi. Ita Suar. *num.*4. & Sanch.*num.* 44. Dixi *perſeuerante obligatione alternatiua*, quia ſi vouens voluntarie determinet ſuam obligationem ad partem voti reſeruatam, tunc id votum eſt ſimliciter reſeruatum, quia eſt quaſi noua voti reſeruati omiſſio, atque ideo ex vi voti tenetur iam vouens ad partem reſeruatam; & ſicut in alternatiuis debitor hominis,vbi ſemel elegit partem alteram, id creditori notum faciens, reſilire non valet, per regulam de regul. iur. in 6. *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*: Ita cum Deus corda omnium agnoſcat, vbi ſemel vouens elegit partem illam reſeruatam, manet ex vi voti aſtrictus ad illam. Ita Suar. *num.* 3. Sanch. *vtroque loco cit.* Say. & Azor. *vbi ſupra.*Vnde conſequenter dicendum eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare, & Confeſſarium per Bullam commutare id votum,dũ perſeuerat obligatio alternatiua, etiamſi pars non reſeruata ſit facta impoſſibilis, ſecus poſtquam obligationem ſuam vouens determinauit ad partem reſeruatam.

7. Tertia difficultas, an in caſu, quo Epiſcopus diſpenſare poteſt in peregrinatione terræ ſanctæ, iuxta ea quæ in vtraque difficultate pręcedenti diximus, ſi prius ſit aditus Pontifex, poſſit adhuc Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſarius per Bullam commutare. Ratio dubitandi eſt, quia dum diſpenſatio ſemel petitur à ſuperiori, videtur iam in ea cauſa præuentum per ſuperiorem,& ſic nihil poſſe inferiorem circa illam. Nihilominus Dico primo,quando Epiſcopus poteſt iure ordinario in aliqua re diſpenſare,vt in voto pœnali caſtitatis, ſeu circunſtantia peregrinationis prædictæ, quamuis à Pontifice ſit iam Epiſcopo, ſeu Confeſſori facta commiſſio vt diſpenſet, poteſt vouens ei renunciare, & Epiſcopum adire, vt poteſtate ſua ordinaria diſpenſet. Ratio eſt, tum quia cum ſit in fauorem,& gratiam vouentis conceſſa dicta commiſſio, non debet in eius damnum retorqueri. Regula, *quod ob gratiam, de reg. Iur. in 6. l. Quod fauore. C. de legibus*; tum quia Pontificem ad rem aliquam petendam adire, nullum præuentionis effectum operatur, ne liceat poſtea ab inferiori petere. *lib.*1 *& toto cit. C. quando libellus*, atque ibi DD.Imo Nau.*lib.*1.*Conſil.in* 2. *edit.tit.de offic. delegat.conſ.*1. *n.*2. ita generaliter tradit; etiam in iuſtitiæ reſcriptis.

8. Dico ſecundo, cum Pontifex de eo caſu conſultus diſpenſationem denegauit, iudicans non adeſſe cauſam legitimam, exiſtimo, quod niſi noua proponatur cauſa, non poſſit Epiſcopus diſpenſare. Ratio eſt,quia eo ipſo quod Pontifex denegauit, videtur inferioribus auferre facultatem diſpenſandi cum illo ſingulari, niſi ex noua cauſa emergenti. At ſecus eſſet, vbi huic ſingulari non denegaſſet, ſed conſtat ſolitum eſſe Pontificem aliis diſpenſationem denegare ob eas cauſas, reputando non eſſe iuſtas.Nam Epiſcopus poſſet tunc diſpenſare cum illo, cui denegata eſt diſpenſatio, iudicans eas eſſe cauſas iuſtas. Nec immerito, tum quia cum ſibi iure ordinario ea diſpenſatio competat, non aſtringitur ad diſpenſandum ex iis ſolis cauſis, ob quas dum exiſtunt, Pontifex vult diſpenſare; tum quia nec Pontificem aliis ex ea cauſa diſpenſationem denegaſſe, ligat ordinariam Epiſcopi facultatem, ne valeat diſpenſare cum illo, cui Pontifex non denegauit.

9. Dico tertiò, cum Epiſcopus diſpenſat ex commiſſione expreſſa, ac perpetuo dignitati ſuæ annexa, vt contingit in caſibus Trident. *ſeſſ.*24. *de re-*

Digitized by Google

*format.cap.6.*non quidem aſtringitur ad diſpenſandum ex ſolis cauſis,ex quibus Pontifex diſpenſare ſolet. Vnde etſi agnouerit Papam nolle ex aliquibus cauſis diſpenſare, & aliis denegaſſe, adhuc poteſt cum illo,cui non denegauit, diſpenſare ex eiſdem cauſis, ſi eas iudicat iuſtas; vt num. præcedenti dictum fuit de eodem, cum diſpenſat poteſtate ordinaria; cum hæc tanquam iure conceſſa, ac dignitati perpetuo annexa reputetur ordinaria. Imo idem mihi videtur ſentiendum tam de eodem, quam de quouis alio, qui ex ſpeciali commiſſione Pontificia diſpenſaret. Cum enim Pontifex non aſſignet cauſas,ex quibus Commiſſarius diſpenſat, videtur illum duntaxat obligare, vt ex iuſta cauſa diſpenſet, ipſius prudentiæ committens, vt quæ ſit iuſta cauſa diſcernat. At ſecus eſſet, dum Epiſcopus ex ſola Epicheia diſpenſat, vt in caſu neceſſitatis, aut ratione periculi,ex mora imminentis. Ratio eſt,quia cum ex ſola præſumpta Pontificis voluntate tunc diſpenſet, vbi de contraria voluntate conſtat, ceſſat præſumptio, cui Epicheia innititur.

10. Quarta difficultas, an ſi quiſpiam petiit diſpenſationem ab Epiſcopo, vel commutationem à Confeſſario virtute Cruciatæ, in caſu quo poterant,& noluerunt,ſed remiſerunt illum ad Pontificem; poſſint,ſicut prius Epiſcopus diſpenſare, ſeu Confeſſarius commutare, poſtquam hic ſic remiſſus ſe Pontifici præſentauit, petens ab eo diſpenſationem, ſeu commutationem. Ratio dubitandi eſt, quia præfati Epiſcopus, & Confeſſarius videntur quod deſinant iam eſſe Iudices, ex quo cauſam ad ſuperiorem remiſerunt, vt habetur *cap.licet de offic. legati*, & tradunt ibi gloſ.*verb.transtulerat.* atque *ibidem* Ant. *num.*8. Abb.*num.*3. Anchar.*num.*2. Imola *fine.* aſſeruntque hoc adeo eſſe verum, vt nec ex partium conſenſu poſſit ea cauſa ſemel iam ſuperiori præſentata, ad priorem Iudicem redire. Nihilominus oppoſitum ſentiendum eſt,poſſe nimirum adhuc Epiſcopum diſpenſare,& Confeſſarium virtute Cruciatæ commutare, etiam ſi iam Pontifex commiſiſſet diſpenſationem Ordinario, ſeu commutationem Confeſſario, etſi iam illam expediiſſent; vt recte docet Sanchez *lib.8.de matrim.diſp.*14.*num.*8.nam quod in fauorem alicuius conceditur, non debet in eius præiudicium retorqueri, vt habetur ex dictis *diffic.*3.*dicto* 1.textus autem *d.cap.licet*, & doctrina Authorum ibi allegata, intelligitur de iuriſdictione contentioſa, qualis non eſt iuriſdictio diſpenſandi, ſeu commutandi.

11. Quinta difficultas eſt, ſi quis peregrinationem terræ ſanctæ voueat cum onere erogandi quotidie pauperibus certam eleemoſynam, niſi voto ſatisfiat intra certum tempus; commiſit autem Pontifex alicui Confeſſario, vt huiuſmodi votum commutet; ſed quia vouens magnam pecuniæ quantitatem debebat, remiſit Pontifex partem, iniungens vt aliam ſoluat. Dubitatur an per Bullam, ſeu Iubilæum pars illa debita commutari poſſit. Azor.*tom.*1.*inſt. moral. lib.*11. *cap.*18. *quæſt.*11. *ad finem*, tenet poſſe commutari votum, quod in futurum refertur, & non poſſe ex toto, vel ex parte remittere eam pecuniæ partem, quam iuſſu Pontificis ſoluere cogitur; & generaliter tradit aliud eſſe commutare votum, & aliud remittere pœnam debitam, eo quod votum non ſit ſolutum, & conſequenter videtur ſentire pœnam ex violatione voti incurſam non poſſe virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari. Atque idem etiam expreſsè ſentiunt Nauar.*lib.*3.*conſ.tit.de voto in prima edit.conſil.*35. *per totum*; *in ſecunda conſil.*52. Sayr.*in claui regia,lib.*6. *cap.*12.

Digitized by Google

p. 12. *num.* 20. *verſic. præter hæc, fine.* & Graff. 1. *part. deciſ. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 5. Vnde ſi quis promittat ſe non luſurum ſub pœna erogandi certam eleemoſynam, & votum violare contingat; tenet Nauarr. non poſſe eleemoſynam illam ex violatione voti debitam commutari. Ducitur, tum quia hæc priuilegia ſolius voti commutationem indulgent; aliud autem eſt commutare votum, & aliud commutare pœnam ex voti fractione debitam; maxime quia non votum, ſed eius violatio produxit hanc pœnam; tum quia votum inſpicit futurum, non præteritum, & conſequenter poteſtas commutandi vota non extenditur ad pœnam ex præterita voti fractione contractam, ſed ad futuram eiuſdem voti obligationem.

12. Cæterùm circa hanc difficultatem. Dico primò, ſi Pontifex limitatam concedat facultatem Confeſſori, commutandi votum prout obligat ad futura, & non vt obligat ad ſoluendam pœnam ex præterita tranſgreſſione incurſam; tunc certiſſimum eſt, facultatem illam non extendi ad pœnam iam incurſam, nec à fortiori ad illam, in quam per Pontificem facta fuit commutatio: idque non quia illa pœna ſit à Pontifice impoſita, aut quia non debeatur ex voto, ſed quia facultas fuit expreſſe limitata ad aliud, vt ſupponimus; ita Sanchez *ſum. lib.* 4. *cap.* 52. *n.* 12. & Suar. *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 18. At ſi taceatur commutatio illa facta à Pontifice, & vouens confugiat ad habentem authoritatem, vel iure ordinario, vel per Bullam, ſeu priuilegium aliquod, tunc valebit diſpenſatio, ſeu commutatio totius voti diſtincte propoſiti quoad præterita, & futura. Ratio eſt, quoniam quoad hæc nihil refert illa circumſtantia; poteſt enim vouens priori commutationi cedens, ita ſe habere, ac ſi illam non obtinuiſſet. Ita Sanch. *eod. cap.* 52. *num.* 14. & Suar. *eod. cap.* 20. *fine.*

13. Dico ſecundò, ceſſante dicta limitatione poſſe Epiſcopum ſua poteſtate ordinaria, vel Confeſſorem virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi commutare, non ſolum obligationem voti pœnalis in futurum, ſed etiam pœnam pecuniariam, vel quamcunque aliam ex fractionibus eiuſdem voti incurſam; ita ſentiunt ibidem Suar. *num.* 19. & Sanch. *num.* 10. Ducor primo, quia ſi quis emiſit votum non pœnale, ſed directum, ſeu abſolutum erogandi quotidie pauperibus certam eleemoſynam, & illud eſt per longum tempus tranſgreſſus, poteſt virtute Cruciatæ, ſeu Iubilæi petere, & obſeruare commutationem totius voti, quo vouens ſe ad illam obligauit; & conſequenter potens votum commutare, poteſt etiam commutare totam ipſius voti obligationem: igitur à fortiori ſi quis votum pœnale emiſit, & pœnam incurrit, illa ſimiliter poterit commutari per ſimilem facultatem. Probatur conſequentia, tum quia in voto pœnali certiſſimum eſt pœnam non deberi ex mera voti fractione, ſed ex vi voti, quo vouens ſe ad illam aſtrinxit, dum ipſe violaſſet votum: eo namque ſecluſo pœnam illam nullatenus deberet. Tum quia votum magis videtur obligare ad directam materiam, in quam cadit, quam ad pœnam: ac proinde cum poſſit commutari quoad debitum iam contractum in materia directa, multo magis poterit commutari quoad pœnam.

14. Secundò, quia ferè communis DD. ſententia tenet poſſe virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari votum pœnale caſtitatis, ac Religionis, etiam poſt pœnam incurſam, non ſolum quoad obligationem in futurum, ſed etiam quoad pœnam iam ex voti tranſgreſſione contractam: & qui oppoſitum cenſent,

Digitized by Google

ſent, non ducuntur ex eo quod pœna ſit iam incurſa, ſed ex eo quod iam ſit votum abſolutum materiæ reſeruatæ, nempe caſtitatis, aut Religionis; igitur eſto pœna pecuniaria debeatur ex voti tranſgreſſione, nihil refert ad negandam huiuſmodi poteſtatem.

15. Dico tertiò, nihil obſtare huic commutationi, quod Pontifex commutauerit pœnam iam debitam remittendo partem, & iniungendo, vt alteram partem ſolueret; tum quia adhuc pars illa ſoluenda debetur ex ſolo voto; Pontifex enim non impoſuit vouenti nouum præceptum, ſed ſolum illam partem pœnæ non commutauit; atque ideo non ſoluens, non erit præcepti Pontificij tranſgreſſor, ſed ſolius voti, quo ad eam tenebatur; ac proinde per poteſtatem Epiſcopi ordinariam, ſeu delegatam, virtute Bullæ, ſeu Iubilæi, poteſt commutari. Tum quia, eſto vouens acceptauerit commutationẽ prius factam, adhuc illi integrum eſt redire ad priorem materiam, & relinquere commutationem, eſto facta fuerit in melius, vt conſtabit ex dicendis *dub. ſequenti, diffic. 1. dicto* 3. & conſequenter ſicut prius poterat per Bullam, ſeu Iubilæum petere commutationem prioris obligationis, ſi Pontifex nihil circa illam diſpoſuiſſet, ita etiam poſtea. Obſerua autem, quæ diximus, non intelligi de pœna, quæ ſit materia voti reſeruati, de hoc enim infra erit agendum.

16. Sed quæres, an ſi quis in caſu, de quo agimus, petat ab Epiſcopo, ſeu Confeſſario commutationem voti pœnalis, ſiue etiam abſoluti de certa eleemoſyna eroganda, non tamen ſpecialiter petat commutationem pœnæ, ſeu eleemoſynæ iam debitæ, & non ſolutæ, cenſendum ſit totum votum commutatum, etiam quoad præterita, vel ſolum quoad futura. Reſpondetur, commutationem illam non extendi ad præterita; idque non ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu intentionis: votum namque abſolute propoſitum, ſiue pœnale, ſiue abſolutum de facienda quotidie eleemoſyna, ſolum apprehenditur vt ex nunc obligans in futurum, atque ideo ſatis veriſimile eſt, Confeſſorem id duntaxat intendere in commutatione. Imo idem eſt de Epiſcopo, ac etiam de Pontifice, ſi à principio votum ſic fuiſſet illi propoſitum. Vt igitur talia vota quoad vtramque partem, præteritam nimirum, & futuram, commutentur, opus eſt vt diſtinctè proponantur.

17. Neque obſtat, ſi dicas in cõmutatione voti perſonalis nó requiri quod explicetur materia omiſſa, vt totum votum commutetur, & conſequenter idem videtur dicendum in voto reali. Non (inquam) obſtat, id enim ſolum eſt verum, quando fractio voti nullum implendæ obligationis quoad materiam omiſſam onus reliquit, vtpote quæ erat in honorem temporis: tunc enim cum nihil ſit commutabile circa præteritum, conſequenter impertinens eſſet ad commutationem id explicare. Vnde non valet ſimilitudo, violatio enim voti realis ſemper relinquit obligationem implendi quod omiſſum eſt, ac propterea oportet diſtinctè proponi. Secus contingit in voto perſonali, cuius tranſgreſſio nullam relinquit obligationem implendi, quod omiſſum eſt. Ita *ibidem* Suar. *num.* 21. & Sanch. *num.* 13. Imo circa triplicem aſſertionem prædictam, fere omnino nobiſcum ſentiunt etiam Raphaël à Turri *in* 2. 2. *tom.* 2. *queſt.* 88. *art.* 12. *diſp. vlt. num.* 4. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 10. *num.* 295. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 9. *§.* 3. *num.* 32. Ioan. à Cruce *in direct. conſc. p.* 1. *precept.* 2. *art.* 2. *dub.* 10. *cõncl.* 3. Malderus 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 11. & alij.

Digitized by Google

DVBIVM XVI.

An poſt factam commutationem liceat vouenti redire ad priorem materiam, & omittere commutationem.

1. CIrca hanc difficultatem omnes conueniunt, licitum id eſſe, cum commutatio facta eſt in minus, admixta aliquali diſpenſatione, quoniam cuicunque licitum eſt propria authoritate votum in melius commutare, vt habetur ex dictis dub... igitur à fortiori licebit omiſſa commutatione redire ad materiam meliorem prius promiſſam. Controuerſia itaque conſiſtit, an idem ſit ſentiendum, dum commutatio facta eſt in rem meliorem aut æqualem. Quare Dico primò, ſi commutatio facta ſit in æquale, licitum eſt vouenti redire ad priorem materiam promiſſam. *Ducor primo*, quia probabilis opinio tenet, poſſe quempiam etiam authoritate propria votum commutare in euidenter æquale, igitur multo veriſimilius eſt, poſſe vouentem in caſu ſimili redire ad priorem, & quaſi natiuam voti obligationem. Secundò, quia certum eſt poſſe fieri commutationem in hoc ſenſu, vt vouenti liceat, ſi velit, vti priori materia voti; eſto ad id non cogatur, in hoc enim nec repugnantia, nec iniuſtitia aliqua reperitur: igitur niſi aliter exprimatur, veriſimilius eſt ita fieri. Probatur conſequentia, tum quia hæc videtur communis commutantium intentio; tum maxime, quia id videtur cedere non ſolum in fauorem vouentis, ſed in fauorem etiam voti, quatenus ſemper poteſt in propria ſpecie impleri. Tertiò, quia dicta commutatio non fit in fauorem creditoris, ſed ſolius debitoris, id eſt vouentis, vt facilius queat votum implere in materia ſubrogata, atque ideo cēſetur facta modo magis fauorabili, & conſequenter non abſolute, ſed ſubintellecta conditione, ſi ei placuerit tali commutatione vti. Manet igitur vouēti libertas votum implēdi, vel in propria ſpecie, vel in materia ſubrogata. Atque ita ſentiunt Azor. *tom.* 1. *libro* 11. *cap.* 18. *quæſtiône* 10. & 12. Say. *in claui regia lib.6.cap.*12.*n.*22. Leſſius *de iuſt. lib.* 2.*c.*40. *num.*111. Suar. *tom. de voto lib.*6. *cap.*20.*n.*4. Filliuc. *tom.*2. *tract.*26.*cap.*10. *num.*89. poſt Sanch. *ſum. tom.*1.*lib.*4.*cap.* 55. *num.*26.

2. Dico ſecundò, ſatis probabile cenſeo, non poſſe vouentem redire ad priorem materiam, dum in meliorem facta eſt cōmutatio. Ducor primò, quia commutatio illa acceptata habet vim noui voti, quo vouens ſe obligat ad reddendum Deo aliquid melius, quam antea promiſerat, ac proinde iam non licet illi reſpicere retro, id enim virtute erit votum rei præſtantioris in minorem commutare, quod fieri poſſe nemo concedet.

3. Secundò, quia commutatio in melius differt à cōmutatione in æquale, quod hæc eſt quaſi conditionata, vt dictum eſt ſupra, atque ideo non inducit præciſam obligationem, ſed concedit potius tacitam licentiam redeundi ad priorem materiam; at commutatio in melius eſt quodam modo abſoluta, nec fit in fauorem vouentis, ſed Dei, id eſt ad augendum ipſius cultum; & conſequenter inducit præciſam obligationem non redeundi ad priorem materiam. Vnde qui prius vouit peregrinationem vltramarinam, & poſtea id commutauit in Religionis votum, tenetur ſtare poſteriori obligationi, nec poteſt retrocedere; poſterior namque obligatio potuit priori derogare. Atque id ſatis fit manifeſtum in contractibus humanis, cum ex partium cōſenſu obli-

gatio in fauorem creditoris augetur. Idem igitur eſt cum proportione in omnibus votis dicendum.

4. Tertiò, quia niſi talis induceretur obligatio, nulla fieret commutatio in melius, poteſtas namque faciendi melius loco minoris boni, ſemper interuenit in omni voto abſque vlla commutatione: igitur cum ſit commutatio, hoc additur, quod poteſtas illa tranſit in obligationem, ita vt prior obligatio voti reſpectu minoris boni transferatur in melius. Sic ſentiunt expreſſe *vbi ſupra*, Suar. *n.*1. & 4. Filliuc. *num.*288. atque id probabile cenſet etiam Sanchez *num.*25. *fine.*

5. Dico tertiò tutum eſſe in praxi, & probabilius, quod eſto commutatio facta ſit in rem meliorem, licet vouenti propria authoritate redire ad priorem materiam promiſſam. Ducor, tum quia commutatio ſiue facta in rem meliorẽ, ſiue æqualem, tota ſit in fauorem vouentis, vt facilius poſſit votum implere, ac proinde poteſt ei renuntiare, alioquin non tam eſſet fauor, quam onus; tum quia commutatio in melius (regulariter loquendo) non fit in fauorem creditoris, id eſt Dei, quaſi per illam intendatur cultum eius augere, & rem meliorem illi offerre, ſed fit in ſolam debitoris, id eſt vouentis vtilitatem, vt facilius impleat votũ. Vnde vouens eligit meliorem materiam vel quia exiſtimat ſe poſſe facilius in illa votum implere, vel quia probabiliſſima tenet opinio non poſſe fieri commutationem authoritate propria, niſi in rem euidenter meliorem: vel etiam ſi fiat authoritate Superioris, ad vitandos æqualitatis requiſitæ ſcrupulos. Atque hinc deducitur, quod ſi contingat votum ſæpe commutari, licitum ſit vouenti exequi votum, aut quamcunque materiam ex illis, in quas facta eſt commutatio, vt ſi peregrinatio aliqua ſit legitime commutata in menſtruam confeſſionem, & hæc in ieiunia aliquot, & hæc in preces aliquas, ſatisfaciat vouens exequendo peregrinationem, aut confeſſiones, aut ieiunia, vel preces; cum omnes iſtæ commutationes factæ ſint in vouentis fauorem. Ita ſentiunt Azor. *q.*12. Leſſius & Say. *ſupra*, Sanch. *etiam n.* 16. & 28. Malderus *in* 2.2. *tract.*10. *c.*5. *dub.*11. *q.*9. & cenſet probabile Filliuc. *n.*289.

6. Neque obſtant quæ in probationem ſecundæ aſſertionis adduximus. Vnde ad primum reſpondetur commutationem in melius factam non perinde eſſe, ac ſi nouum emittatur votum circa poſteriorem materiam ſubrogatam, independenter à priori, ſed ad hunc ſenſum, quod votum in aliam materiam commutatum extinguitur omnino, quatenus acceptans commutationem non teneatur in poſterum ad priorem materiam; ſub conditione tamen, & ad eum effectum, vt qualiſcunque ſit materia ſubrogata, liceat vouenti ad priorem materiam redire.

7. Ad ſecundum reſpondetur, quod ſi vouẽs dum acceptat commutationem in melius, renuntiauerit dicto fauori in ea incluſo, vel ipſam conſultò acceptauerit ad augendum Dei cultum, nullatenus poterit ad priorem materiam redire: tunc enim dicta commutatio, non in vouentis, ſed in Dei fauorem facta cenſetur. Secus autem eſſet dicendum, ſi commutatio facta ſit in fauorem vouentis, ſeu ad illum quodam modo exonerandum. Imo idem exiſtimo in caſu, quo dubitetur an ſit facta, hoc, vel illo modo, vt recte obſeruat Sanchez *num.* 28. quia frequentiſſime fit commutatio in gratiam vouentis; & conſequenter non ad illum grauandum, ſed potius exonerandum. Atque ideo à communiter contingentibus præſumendum eſt in dubio, ita fuiſſe factam, ac proinde licebit in eo caſu

tam

tranſitus ad priorem materiam. Adde, quod ſi commutatio facta ſit in bonum prorſus æquale,tunc etiam ſi conſulto fiat ad augendum Dei cultum, licitus erit tranſitus ſimiliter ad priorem materiam, quia dum talis exiſtit æqualitas, æque etiam colitur vtraque Deus, imo aliquantulum excedit materia prius promiſſa;cedit namque in voti fauorẽ, vt potius in propria materia, quam in alia etiam æquali impleatur.

8. Ad tertium negatur ſequela,quoniam non ſemper licet præſtare id quod melius eſt, omittendo materiam voti promiſſam, eſto ſit minus bona,niſi vel in euentu quod vtraque ſit incompatibilis;tum enim votum eſſet maioris boni impeditiuum;vel niſi id quod melius eſt, eligatur ſub prioris materiæ minus bonæ obligatione. Vnde ſi quis abſolute proponeret, aut voueret caſtitatem, non commutando in illam vnum, vel alterum ieiunium antea promiſſum, adhuc non eſſet immunis à priori ieiunij obligatione.

9. Sed quæres primò,an ſi Pontifex, ſeu Confeſſarius de ſpeciali Pontificis authoritate votum caſtitatis, ſeu Religionis alicui commutet in confeſſionem menſtruam, ſeu eleemoſynas, aut peregrinationes aliquas, vouens autem neutrum iſtorum impleuit; quæritur maneatne liber à voto caſtitatis, ſeu Religionis per ipſum emiſſo. Nonnulli opinantur non manere liberum, ſed teneri ad votum prius emiſſum, modo ſua culpa commutationem non impleuerit, vel non habuerit animum implendi, tempore quo votum commutatum eſt. Ita ex Soto *lib. 7. de inſt. quæſt. 2. art. 1. in ſol. ad 3. fine verſ. Quid autem ſi*; tenet Man.Rod. *in addit ad Bullã, §. 9. n.* 117. & ſequitur Arag. 2.2.*quæſt.* 88. *art.* 3. *in ſol. ad ſecundum fine.* Vega *ſum. tom. 2. c.* 129. *caſu* 19. & Corrad. *in ſuis reſpõſis* 1. *p. q.* 285. vbi omnes iſti Authores inquiunt eum, qui ſimplex religionis votum emittit in ſæculo, idque impleuit, profeſſionem in Religione approbata faciendo, ſi culpa ſua iam profeſſus expellatur, nec correctus admittatur, teneri ratione prioris voti aliam Religionem ingredi, & tamen conſtat omnia vota ſimplicia in Religionis profeſſionem commutari, vt habetur ex *cap. ſcripturæ, de voto.*

10. Ducũtur primò,quia prioris voti vinculum non eſt omnino extinctum, ſed in aliam materiam tranſlatum, fitque ea tranſlatio inſtar contractus conditionalis, id eſt commuto tibi votum, ſub conditione quod tenearis implere materiam ſubrogatam:igitur niſi illam impleat, tenetur implere ipſum votum, quod emiſerat. Antecedens probat Sotus *eod. lib. 7. de inſt. quæſt. 4. art. 1. verſ. circa hanc concluſionem*, ex differentia quam aſſignat inter diſpenſationem, & commutationem; per illam namque vinculum voti prorſus tollitur, per hanc vero minime, quippe eodem vinculo, quo vouens ad caſtitatem v. g. tenebatur, tenetur ſubinde ad peregrinationem, ſeu orationem, in quam votum commutatum eſt. Vnde infert ipſe Sotus, non teneri vouentem ad peregrinationem, ſeu orationem illam, virtute præcepti illius, qui commutauit, cum is nec iubeat, & ſæpe nec poteſtatem iubendi habeat, ſed tantum tenetur ad illam prioris voti virtute, quæ in materia ſubrogata manet, ac proinde eadem eſt religio ſeruare votum in ſecunda materia atque in priori.

11. Ducuntur ſecundò,quia vouenti adhuc poſt commutationem factam, & acceptatam, liberum eſt ad priorem voti materiam redire, vt habetur ex dictis difficultate præcedenti, quidquid nonnulli in contrarium opinentur:igitur votum circa priorem materiam non quidem extinguitur ſimpliciter, ſed

ſub conditione commutatum eſt: ac ſubinde niſi vouens materiam ſubrogatam exequatur intra terminum præfixum, ad priorem voti materiam tenetur. Vnde infert Rodriq. *ibidem numer.* 118. eum cui votum caſtitatis commutatum eſt in aliam materiam, nempe eleemoſynas aliquas, ſeu ieiunia, factúſque eſt impotens adeo, vt nec eleemoſynam facere, nec ieiunare queat; non teneri vllatenus, nec ad votum, cum iam ſit per commutationem extinctum, nec ad materiam ſubrogatam, cum abſque culpa ſit factus impotens: eum autem, qui commutationem acceptauit, & culpa ſua illam executioni non mandauit intra tempus præfixum, teneri ad votum ipſum, ob rationem iam aſſignatam, & tranſgreſſores peccare lethaliter contra illud. Quæ opinio mihi probatur, & tenenda videtur.

12. Nihilominus contraria etiam non caret probabilitate, eum nimirum, qui ratam habuit commutationem, etiam ſi culpa ſua omiſerit materiam ſubrogatam, nequaquam ad priorem voti materiam, caſtitatem v.g. vel Religionem, teneri. Ita ſentiunt expreſſe Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 9. num.* 11. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. c.* 20. *à num. 9. vſque* 12. Graff. 1. *part. deciſ. lib. 2. cap. 30. num.* 3. Sayr. *in claui regia, lib. 6. cap. 12. num.* 24. & Viuald. *cand. ſacram. 2. part. cap. 14 num.* 27. qui tamen *num.* 28. & Graff. citatus id limitant, vt intelligatur quando commutatio fit ab homine; ſecus de facta à iure, qualis euenit in votis ſimplicibus, quæ iure commutantur in Religionis profeſſionem; ſed abſque vllo fundamento; tum quia d. cap. Scripturæ, de voto, nulla talis limitatio, exceptióve in hac commutatione apponitur, vt ex contextu facile conſtat; tum etiam quia per profeſſionem vota omnia penitus extinguuntur. Vnde conſequenter reprobat Sanchez doctrinam Soti, & aliorum aſſerentium teneri profeſſum culpa ſua eiectum, aliam ingredi Religionem, vt votum Religionis in ſæculo emiſſum impleat; cuius oppoſitum eſſe probabile iidemmet Authores fatentur.

13. Quapropter prædicta opinio ſuaderi poteſt, tum ex eo quod eſto acceptanti commutationẽ liceat ad priorem voti materiam redire, non tamen tenetur, ſed integrum eſt ei vtramuis materiam eligere: & in hoc ſenſu verum eſt quod votum per commutationem extinguitur, & eius obligatio ſit prorſus tranſlata in materiam ſubrogatam, vt fatentur omnes cum Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art. 10. notab.* 2. Ergo acceptans commutationem, vel nolit, vel non poſſit illam implere, adhuc non teneretur ad priorem voti materiam redire; tum quia nullo iure probatur eam commutationem inſtar contractus cõditionalis, ſeu ſub eiuſmodi conditione fieri, nec quãdo commutatur votum, & conditio apponitur: ſi enim apponeretur, aut tacite ineſſet, nihil ſane referret, quod culpate, ſeu inculpate materiam ſubrogatam omitteret, quippe in vtroque euentu voti obligatio reuiuiſceret.

14. Neque obſtat ſi dicas, ſicut iuxta noſtram ſententiam commutatio claudit in ſe tacitam conditionem, qua vouenti integrum ſit, vel commutationem acceptatam implere, vel ad prius votum redire; ita videtur dicendum quod dicta commutatio fiat ſub alia conditione, nempe quod niſi vouens exequatur materiam ſubrogatam, teneatur priorem voti materiam implere. Non (inquam) obſtat, quia commutatio fit in fauorem vouentis. Ratio autem fauoris petit commutationem ſub ea conditione intelligi, vt liberum ſit poſtea vouenti vtramuis materiam eligere,

Digitized by Google

gere, vt dictum eſt ſupra, & docet Azor. *lib.* 11. *inſtit. moral. cap.* 18. *quaſt.* 10. At ratio iſta nullatenus probat commutationem ſimiliter fieri cum tacita conditione, vt culpate omittens materiam ſubrogatam, teneatur ad priorem: id enim non vouentis fauor, ſed onus potius eſſet. Atque ex dictis manent ſolutæ probationes in contrarium adductæ.

15. Sed quæres ſecundò, an ſi quis commutationem fictè acceptauit, non intendens ad illam obligari, maneat votum commutatum. Reſpondetur negatiuè, cum tamen ex parte commutantis fuerit omnino valida commutatio, ſi eam quandocunque vouens ipſe internè acceptet, ſatis erit, vt ea vti valeat; ſicut de ficto profeſſo latè probat Sanchez *lib. 2. de matrim. diſput.* 32. *num.* 14. At ſi vouens vere acceptauit commutationem, non tamen intendens eam executioni mandare, valuit quidem, ſed tenetur ſiniſtram illam intentionem mutare, & dictam commutationem explere, ſicut tradunt communiter DD. de eo qui animo promittendi, ſed non implendi profeſſionem emiſit.

Dvbivm XVII.

An reuiuiſcat in aliquo caſu obligatio voti commutati.

1. Circa hanc difficultatem aſſero primò. Certum eſt, commutato voto in aliam materiã extingui prorſus vinculum voti circa priorem materiam, & transferri idemmet in aliam loco prioris ſubrogatam, & conſequenter hanc obligare ſub eodem voto. Nam Prælatus, ſeu Confeſſarius non condonat nomine Dei priorem voti obligationem, ſed ſolam materiam mutat ea lege, vt vice ipſius acceptet vouens aliam ſub eiuſdem voti obligatione. Atque ita docent D. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. Sylu. *votum* 4. *q.* 1. Caiet. *vbi ſupra, & in ſumm. verb. votum, cap. vlt. verſ. Rationabilis autem cauſa*, & ibi Armil. *n.* 14. Palat. *in* 4. *diſt.* 38. *diſp.* 3. & ibi Ouandus *diſp. vnica, propoſitione* 25. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *in dubio circa primam concluſionem, dict.* 1. Valent. ſimiliter 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. *verſic. Reſpondeo*, Suar. *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *cap.* 20. *c.* 1. *&* 5. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 40. *dub.* 11. *n.* 68. Man. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 116. *& addit. ad eandem*, §. 9. *num.* 105. & alij. Hinc autem prouenit, quod prioris voti obligatio non reuiuiſcat, etiamſi commutatio facta ſit in minus, vel æquale. Imo etſi poſterior materia non impleatur, vel ſine culpa, vel cum illa. Ratio eſt, quia obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit, vt habetur in iure, & notat Gloſſ. *in cap. quaris, verb. contrahatur, de conſecr. diſt.* 4. *ex cap. illic*, 23. *quaſt.* 5. *& ex leg. Qui res*, §. *Arcara, ff. de ſolut.* Atque id potiſſimum conſtat in obligationibus, quæ propria voluntate, & non aliter contrahi poſſunt, cuiuſmodi eſt obligatio voti. Nam ſemel ſublata huiuſmodi obligatio, niſi propria voluntate iterum aſſumatur, non poteſt reſurgere; ideſt, niſi quis denuo votum emittat, non reuiuiſcit.

2. Aſſero ſecundò. Si commutatio voti recte, & rite fiat, & impleatur, certum eſt quod obligatio omnino extinguitur. Nam per commutationem tollitur obligatio voti à priori materia, & transfertur in aliam, vt ex ſæpius dictis abunde conſtat; per executionem autem commutationis extinguitur ſimpliciter, & omnino dicta obligatio. At non eſt adeo certum, quæ ſit rite, & recte facta cõmutatio, ea excepta, quæ ſit in melius; hãc namque ſiue ſuperioris, ſiue propria authoritate fiat, omnes fatentur eſſe validam; ſicut è conuerſo fatentur eſſe

Digitized by Google

omnino inualidam illam, quæ in minus, & propria authoritate facta eſt. Vnde eſto executioni mandetur, in rigore tamen, & iuxta veram ſententiam non extinguit voti obligationem, imo reuiuiſcit talis obligatio; & vouens, non obſtante illa commutatione, tenetur ad ſuum votum implendum. Nam commutatio illa cum facta ſit abſque poteſtate, & conſenſu creditoris, merito inualida æſtimatur; ac ſubinde executio illius proprie non fuit ſolutio voti. Quod enim non debetur, non ſoluitur. Illud autem opus non erat debitum ex voto, cum obligatio voti non fuerit rite in illud tranſlata. Atque hæc ratio (teſte Suar. *loco cit. num. 6.*) videtur procedere, tam in commutatione, quæ fit in æquale, quàm quæ fit in minus; de hac tamen poſteriori eſt certior, cum extra controuerſiam ſit, & certum apud omnes commutationem in minus propria authoritate factam eſſe omnino inualidam, de æquali autem eſt tantum opinio, vt dictum eſt ſupra. Et quidem videtur ſatis probabile, vt ſaltem poſt factam voti ſolutionem per æquiualens, non maneat obligatio iterum ſoluendi votum. Neque enim eſt veriſimile Deum eſſe tam rigidum exactorem, vt eum, qui æquale opus fecit ad votum implendum, velit obligare vt iterum ſoluat.

3. Cæterum ne res adeo grauis ſub opinione maneat, cenſent aliqui ſufficere quod vouens ab habente poteſtatem petat, vt commutationem illam approbet, & quaſi denuo faciat, ratam habendo priorem ſolutionem nomine Dei. Mihi tamen id non placet, quia commutatio debet obligationi voti proportionari. Vnde ſicut votum obligat ad nouum opus, ita commutari debet in opera futura, per quæ nouus cultus Deo tribuatur, ſicut tribuendus fuiſſet per voti ſolutionem. Neque admittenda eſt ibi ratihabitio, quoniam vt dicitur *reg. iur. 9. in 6. Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine non eſt geſtum.* illud autem non fuit authoritate ſuperioris factum, & quod vouens id præſtiterit tali intentione, vel ſpe, non mutat naturam illius. Atque ideo in eo caſu tutius exiſtimo, quod diſpenſationem quis petat ab habente diſpenſandi authoritatem, & tunc onus ſuſceptum occaſione ſeu intentione implendi votum, poterit ſaltem magna ex parte conferre ad complendam diſpenſationis cauſam, vt recte docet Suar. *vbi ſupra num. 6. fine.*

4. Aſſero tertiò, cum commutatio fit ab habente authoritatem, contingit autem defectus in cauſa; tunc ſi talis defectus vouenti non euidenter conſtet, impleueritque opus ſibi iniunctum, poteſt ſcrupulum deponere, & tuta conſcientia credere, ſe voto ſatisfeciſſe. Imo eſto defectus cauſæ ſit notus, modo commutatio ſit facta in æquale, & bona fide iam executioni mandata, credendum eſt id Deo fuiſſe acceptum, cum in æquè bonum, & authoritate Vicarij ipſius Dei ſit factum. Et in hoc caſu communiter reputatur ſatis probabilis opinio eorum, qui huiuſmodi commutationem aſſerunt eſſe validam, etiam ſi Superior forſitan circa modum peccauerit. At ſi commutatio ſit facta in minus, & abſque vlla cauſa legitima, tunc quidem nec valida fuit, nec per ſolutionem eius extinguitur votum: ſi tamen ſufficiens interueniat cauſa ad commutationem, eſto non ad diminutionem, tunc executio commutationis valebit ſaltem in partialem ſolutionem, manebitque obligatio duntaxat ad ſupplendum, quod defuit, & requirebatur ad æqualitatem commutationis. Id autem poſſe in eo caſu fieri ad arbitrium boni viri, & abſque nouo Superioris cõſenſu, cenſet Suar.

Digitized by Google

Suar.*ibid.n.*7.& merito;quoniam quantum eſt ex parte ſua, iam Prælatus in commutationem pręſtiterat conſenſum ex iuſta cauſa, vt rationabiliter ſupponere debemus.

5. Sed quæres, an ſi quis obtinens commutationem ſeu diſpenſationem illi renuntiet, poſſit mutata voluntate iterum ea vti. Sit prima concluſio. Quandiu ſuperior non acceptauerit priuilegij, ſeu diſpenſationis renunciationem, ſed in eadem voluntate perſtiterit, poterit mutata voluntate is, cui conceditur diſpenſatio, eſto impetrationi contradixerit,vel poſt conſecutionem renuntiauerit, ea quidem vti, modo tamen diſpenſatio non ſit circa votum vel iuramentum. Atque in primis id ſuadetur ex *cap. litteris, de procur. in* 6. ibi, *licet is qui procurator conſtituitur ab abſente,dixerit præſentatum ſibi ſuſcipere nolle mandatum:hoc tamen nequaquam obſtante, quandiu conſtituens in eadem perſtiterit voluntate,ipſum acceptare poterit, quandocunque placuerit.* Per quem textum Gloſ. finalis *ibi.* Ioann. Andr. Archid. Dominicus & Francus *ibidem fine*,& alij inquiunt electum electioni cōſentire renuentē poſſe mutata voluntate, eandem acceptare,electoribus in priori voluntate perſiſtentibus. Deinde quia ius priuilegij, & diſpenſationis pendet à voluntate ſuperioris, concedentis, & acceptatione eius, cui conceditur: igitur quandiu voluntas concedentis manet, & renunciationem nondum aceptat, poteſt is, cui conceditur, non obſtante priori contradictione acceptare. Et confirmatur, tum quia omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Cum igitur ad priuilegij acquiſitionem requiratur voluntas concedentis, & eius cui conceditur, ſimiliter ad eius deſtructionem vtraque exigitur; tum etiam quia nihil ita duorum conſenſum deſiderat, ac contractus matrimonij, & nihilominus cum alter coniux vere conſenſit, alter autem ficte, ſatis eſt vt matrimonium conualeſcat, ſi altero in priori conſenſu permanente, is fictus conſentiat, vt late probat Sanch. *lib.2.de matrim.diſp.*32. Igitur, vt conualeſcat priuilegium, cui quiſpiam renuntiauit, ſufficit noua renunciantis voluntas, Superiore in priſtina voluntate perſiſtente, vtpote quia nondum renuntiationem acceptauit. Ex his ductus rationibus iſtam ſuſtinet ſententiam Loazes *de matrimonio Regis Angliæ, dub.* 12. *num.* 18. quem ſequitur Sanch. *lib.*8. *de matrim.diſp.*32.*num.*2.

6. Secunda concluſio. Si de diſpenſatione circa votum, vel iuramentum loquamur, tunc ſi diſpenſatione ſemel perfectè conceſſa,is cui conceditur,renuntiaret illi, etiam ſolo actu interno, non poſſet amplius ea vti, ſed teneretur ad prius votum,vel iuramentum. Ratio huius eſt, quoniam cætera vincula non poteſt ſibi imponere is, cum quo in eis diſpenſatum eſt, niſi authoritas Superioris accedat: atque ideo quantumuis ipſe nolit acceptare diſpenſationem, vel ea ſemel acceptata nolit vti, poteſt quidem ſuperiore in priſtina voluntate perſiſtente reſilire. At quamuis ſemel diſpenſatio in voto, ſeu iuramento conceſſa ſit, poteſt ſua duntaxat voluntate interna his vinculis iterum Deo obligari: id autem præſtat, cum diſpenſationi renuntiare deliberata voluntate eligit; nullus enim alius eſt huius renuntiationis ſenſus, niſi volo ad priorem voti obligationem redire; ſeu voto illo quod per diſpenſationem extinctum erat, volo denuo obligari, quod perinde eſt, ac ſi tunc denuo id voueret. Cum igitur prior diſpenſatio non ſit conceſſa, niſi ad votum ante illam emiſſum, inde prouenit non eſſe huic renuntianti integrum.

tegrum ea diſpenſatione vti.

7. Vbi Sanch. *num.3.* notat non immeritò dictum fuiſſe, cum diſpenſatio perfecte conceſſa eſt, quoniam niſi ſit perfecte conceſſa, cuiuſmodi eſt commiſſio, quæ ſolet à Pontifice expediri, vt Ordinarius in voto caſtitatis, ſeu Religionis diſpenſet; vel à ſummo Pœnitentiario, vt Confeſſor idem præſtare valeat. Tunc enim etſi is, cum quo diſpenſandum eſt, ei priuilegio renuntiet, poteſt tamen mutata voluntate eadem vti, antequam ſuperior renunciationem acceptet. Quia eſt priuilegium quoddam cum hoc diſpenſandi in eo voto, quod etiamſi ſæpe multiplicetur antequam Ordinarius, ſeu Confeſſor ea vtens commiſſione diſpenſet, non eſt noua obligatio, ſed eadem repetita, ac propterea virtute illius commiſſionis in eo diſpenſari poteſt; eiuſmodi vero commiſſio, ſicut non à ſola mea voluntate pendet, ita nec ſola mea renunciatione poteſt extingui, antequam ſuperior illam acceptet.

8. Hinc fit, quod eſto integrum ſit vouenti, cui votum commutatum eſt, omiſſa commutatione, ad prius votum redire, vt dictum eſt ſupra; at vbi iam prius votum elegit, non eſt ei integrum iterum commutationem illam eligere. Ratio eſt, quia cum iam priori voto denuo ligatus ſit, non poteſt illud authoritate propria commutare, niſi duplici conditione concurrenti; id eſt niſi votum illud eſſet ex non reſeruatis, & commutatio prius facta eſſet in rem meliorem, aut euidenter æqualem; tunc enim poſſet ad priorem commutationem redire: poſſe namque propria authoritate quempiam votum in melius, ſeu euidenter æquale commutare oſtendimus dubio...

9. Sed obiicies, quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, *reg. quod ſemel 25. de reg. iur. in 6.* is etiam quem pœnitet, iurique ſuo renuntiat, ac contradicit, non auditur amplius, illud allegans, *cap. prohibetur 2. quæſt. 1. & cap. quam periculoſum 7. quæſt. 1.* vbi gloſſa alios textus concordantes referens, verb. *Quam periculoſum*, inde colligit renunciantem iuri ſuo id repetere non poſſe; ex eo enim quod quis impugnauit, fructum conſequi non debet, *regula ex eo, de reg. iur. in 6.* Demum, quia priuilegium amittitur per non vſum, quaſi is ſit renunciatio tacita: igitur à fortiori per renunciationem expreſſam.

10. Reſpondetur tamen præcitata iura ſolum procedere, cum renuntiatio eſt perfecta, & conſummata, & conſequenter à ſuperiore acceptata. Ad vltimum dico, per non vſum legitime præſcriptum amitti priuilegium, non quaſi per renuntiationem, ſed per præſcriptionem legitime inductam.

Dvbivm XVIII.

An Prælati poſſint ſua, ſicut & ſubditorum, per ſe, aut per Confeſſarios ab ipſis electos vota commutare, ac diſpenſare.

1. Dvbium iſtud triplicem continet difficultatem. Prima eſt, an Prælati etiam regulares poſſint ſecum recte, ac proprie diſpenſare in iis omnibus, in quibus ipſi cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſunt. Pro cuius determinatione; Dico primo. Non eſt dubitandum, poſſe Prælatos ſuis Confeſſariis committere, vt cum ipſis diſpenſent in prædictis omnibus, ne peioris ſint conditionis, quam ſubditi: vnde cum ſubditi præ manibus fere habeant Prælatum cum illis diſpenſare potentem; duriſſimum ſane eſſet Prælatos ſaltem ſoli Summo Pontifici ſubditos cogere, ipſum pro quauis diſpenſatione obtinenda adire. Et poteſt aſſignari

Digitized by Google

gnari ratio, quia non repugnat quempiam huiuſmodi iuriſdictionem in ſemet ipſum exercere, committendo confeſſario, vt ipſum Prælatum abſoluat, & cum eo diſpenſet, vt conſtat tum ex communi & veriſſima ſententia aſſerente confeſſarium Pontificis, ab ipſomet iuriſdictionem accipere, vt eum abſoluat. Et à fortiori idem videtur dicendum de diſpenſatione; tum quia dum *cap. fin. de pœnit. & remiſ.* indulgetur Epiſcopis, ac Prælatis exemptis, poſſe eligere ſibi confeſſarium: etſi textus ibi de ſola abſolutione ſacramentali mentionem faciat, mens tamen illius fuit his Prælatis proſpicere per eum Confeſſarium in omnibus, quæ ipſi poſſunt in ſibi ſubditos exercere. Atque ita loquentes de Epiſcopo fatentur Palud. *in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 4. concl. 4. num. 41.* Gabr. etiam *4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 3. dub. 2. initio*, D. Anton. *3. p. tit. 17. cap. 1. §. 2. ſtatim in princip.* Angel. *verb. confeſſio 3. num. 7.* Sylu. *confeſſor. 1. quæſt. 9.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 4. num. 3. in coment. lit. I. & cap. 7. num. 5. in cõment. B.* Anton. Gomez *in Cruciata, clauſula 10. num. 85.* Say. *in theſauro caſuum, tom 1. lib. 7. c. 14. num. 5.* cum aliis, quos ſequitur Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 3. num. 3.* & idem de Prælatis regularibus tradunt Henriq. *ibidem*, & Emanuel Sà *verb. confeſ. num. 16. verſ. Confeſſor Epiſcopi, & verb. Religio, num. 47. verſ. Prelati in Religione.* Imo Maiolus *lib. 2. de irregul. cap. 3. num. 12. & lib. 5. cap. 15. num. 7.* & Suar. *de cenſ. diſp 41. ſect. 2. num. 9.* addunt Congregationem Cardinalium decreuiſſe idem eſſe dicendum de caſibus occultis Epiſcopo conceſſis in Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform. cap. 6.* ſi namque Epiſcopus in eos incidat, poteſt ſui Confeſſarij ad id per ipſum electi abſolutione, & diſpenſatione vti.

2. Dico ſecundo, quidquid ſit de aliorum opinione, mihi magis probatur poſſe Romanum Pontificem erga ſe ipſum diſpenſare in iis omnibus, in quibus poteſt cum ſubditis. Et ſuadetur primo, quia quod iuri naturæ nequaquam repugnat, non eſt denegandum Summo Pontifici, qui nulli iuri humano ſubditur: ſed nullatenus repugnat iure naturæ hanc diſpenſandi iuriſdictionem ab aliquo erga ſe ipſum exerceri; Ergo talis iuriſdictio non eſt Summo Pontifici deneganda. Minor probatur, tum quia iuriſdictio hæc ſecum diſpenſandi non eſt contentioſa, quæ teſtium probationem, ac partis citationem exigat, vt vel ſic perſonarum diſtinctionem requirat, cum iniquum æſtimetur in propria cauſa ſibimet ius dicere contra ius ab aduerſario intentum, *l. vnica, C. ne quis in ſua cauſa.* ſed ſolam poſtulat directionem ex prudēti iudicio ad perpendendā diſpenſationis cauſæ iuſtitiam; quod eſto magis foret expediens alieno iudicio ſtare, non tamen repugnat erga ſe ipſum ab aliquo haberi. Tum quia nec hæc iuriſdictio eſt punitiua aut coactiua, quam in ſemet exerceri repugnat. Tum denique quia nec pertinet ad abſolutionem ſacramentalem, quæ iure diuino diſtinctionem poſtulat perſonalem inter abſoluentem, & abſolutum. Vnde S. Th. *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 5. quæſt. 4. ad 3.* & ibi Dur. *quæſt. 4. num. 10.* & Ledeſ. *2. p. 4. quæſt. 29. art. 4 fine*, aſſerunt actum, qui inſtar iuriſdictionis exercetur, vt excõmunicare, non poſſe ab aliquo erga ſe ipſum exerceri, ſecus de actu, qui per modum diſpenſationis fit. Sotus etiam *in 4. d. ſt. 21. quæſt. 1. art. 4. ad finem.* Lud. Lopez *2. p. inſtruct. vbi de indulgentiis, cap. 5. ante verſ. Præterea circa illam quæſtionem*; reſpondentes argumento probanti non poſſe Prælatum conſequi indulgētias, quas generaliter populo concedit, cum hæc conceſſio ſit actus iuriſdi

riſdictionis, quam nequit quiſpiam exercere erga ſe ipſum; inquiunt neminem poſſe vti iuriſdictione in ſe ipſum, cogendo ſe, aut ſacramentaliter abſoluendo; quoniam hic actus eſt perſonalis vnius in alterum, & conſequenter extra hos duos caſus videtur admittere vſum iuriſdictionis in ſemetipſum.

3. Secundò probatur, quia in iuriſdictione voluntaria, cuiuſmodi eſt hæc, de qua agimus, poteſt quis plurium vices ſuſtinere, dummodo exercitium vnius non obſtet exercitio alterius; quod late probat Abb. *cap. ex litteris, num.* 11. *de probat.* & conſtat *ex l. ſi conſul. ff. de adopt.* vbi habetur, quod ſi filius familias præſes ſit, poteſt ſemetipſum emancipare, vel in adoptionem tradere. Neque obſtat deciſio *cap. fin. de inſtitut.* vbi habetur, eum, ad quem dignitatum collatio ſpectat, non poſſe ſe ipſum inſtituere. Et ratio redditur, quia inter dantem, & accipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis. Nam dicendum eſt rationem illam non eſſe generalem, vt conſtat ex variis textibus per Abbatem in contrarium adductis, *vbi ſupra, & d. cap. fin. n.* 5. Sed ratio prædicta eſt ſpecialis in illo caſu, vt vitetur iniquum ambitionis exemplum in Prælatis; ne beneficia, quorum ſunt diſpenſatores, ſibi conferrent. Atque ideo concludit Abb. in iuriſdictione voluntaria poſſe quempiam ſuſtinere vices duplicis perſonæ, niſi ſibi ſpecialiter interdicatur. Id enim neque etiam in naturalibus repugnat, quippe idem ſecundum diuerſas rationes poteſt eſſe agens, & patiens reſpectu ſui ipſius; vt potentia viſiua, quatenus exercet actum viſionis agit; & quatenus eſt ſubiectum eiuſdem actus, patitur. Imo nec in moralibus id repugnat, nam eſto appellatio diſtinctionem perſonarum, inter Iudicem à quo & Iudicem ad quem exigat: nihilominus *cap. ſi collatione, de appellat. in* 6. decernitur, à collatione facta per Epiſcopum cum Capitulo poſſe appellari ad ipſum Epiſcopum, ſi ibi vt Canonicus interfuerit, ſecus ſi vt Epiſcopus. Et Bal. *l. eos, in princ. num.* 2. *C. de appellat.* aſſerit appellatione facta ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, ſi Epiſcopus protinus creatur Archiepiſcopus illius Diœceſis, ad quam appellatum eſt, poſſe eum cognoſcere de appellatione inſtar noui hominis: igitur nec etiam repugnat Pontificem, vt hominem, ſibimet vt Pontifici ſubdi.

4. Tertiò probatur, quia eſto iuſtitiæ actus potiſſimum requirat diſtinctionem perſonarum, cum de eius ratione ſit eſſe ad alterum; datur tamen iuſtitia eiuſdem perſonæ ad ſemet ipſam diuerſis rationibus conſideratam, vt conſtat in debitore incertorum, qui ſi vere pauper eſt, & vt talis debitum ſibi aſſumat, de rigore iuſtitiæ ſoluit: nam vt debitor ſatisfecit de iuſtitia, & vt pauper eſt is, cui fit ſatisfactio. Cõſtat etiã in Chriſto Domino, qui vt Deus homo ſatisfecit de rigore iuſtitiæ, & quatenus vna erat de perſonis diuinis, ſibiipſi ſatisfecit. Ergo idem à fortiori eſt ſentiendum de diſpenſatione, quæ non iuriſdictioni punitiuæ, aut coactiuæ, ſed voluntariæ innititur, vt dictum eſt ſupra. Atque ideo huic aſſertioni ſuffragantur DD. in prima probatione relati, quatenus aſſerunt poſſe hanc iuriſdictionem ab aliquo erga ſemetipſum exerceri. Sicut etiam tradit Valent. 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 20. *puncto* 3. *verſ. Secundo aſſerimus*, & ſuſtinent illam in propriis terminis Felin. *cap.* 2. *num.* 20. *de ſponſal. & cap.* 1. *num.* 33. *de conſtit.* & ibi Decius *in* 2. *lectura in noua edit. num.* 24. Idem ſentiunt Sylu. *verb. lex, quæſt.* 14. *fine*, Tabiena *verb. iurare, quæſt.* 20. *num.* 21. Anton. Gomez *in expoſitione Cruciatæ, clauſa* 10. *num.* 87. & ſupponunt Couar. *cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 1. *num.* 7 & Cord. *in quæſt. lib.* 4. *quæſt.* 1. *verſ.* 4.

Digitized by Google

verſ.4. idem probatur, vbi inquiunt non poſſe Pontificem ſecum abſque cauſa diſpenſare, & conſequenter videntur à contrario ſenſu ſupponere, quod poſſit ex cauſa. Idem ſimiliter docent Palud. *in* 4.*diſt*.38. *quæſt*.4. *art* 4.*num*.41. & ibi Mayronis *quæſt. vnica fine*, Caiet. 1.2 q. 96.*art*.5.*verſ. ad hoc dubium præmittenda ſunt*, & Sanch.*lib.8.de matrim.diſp.3.n.6*. cum aliis per ipſum relatis.

5. Dico tertiò, Epiſcopi & Prælati omnes, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, cuiuſmodi ſunt Generales, & Prouinciales Religionum, poſſunt ſimiliter ſecum diſpenſare in iis omnibus, in quibus poſſunt ipſi cum ſibi ſubditis. Et ſuadetur primò, quia pro certo habendum eſt, quod quando Prælati cum aliqua communitate ſuæ iuriſdictioni ſubiecta diſpenſant in aliqua lege, diſpenſatio hæc ad ipſos Prælatos extendatur. Vt ſi religionis Prælatus iuſta ex cauſa diſpenſet, ne teneatur conuentus die aliqua ieiunare; vel Epiſcopus cum tota ciuitate, integrum ipſis erit eadem diſpenſatione vti. Vnde DD. communiter *in* 4. *diſt*. 20. admittunt Prælatos, qui indulgentias generaliter concedunt, poſſe eiſdem etiam frui, atque ita in propriis terminis ſuſtinent Sotus, Lud. Lopez, & Valentia *vbi ſupra*, eſto nonnulli id inficiari nitantur, ſed pauci, & abſque valido fundamento.

6. Secundo quia (vt rectè obſeruat Sanch. *loco cit. num.6. poſt medium*) ſi res maturè conſideretur, nil refert num Prælatus in communi cum ciuitate, ſeu conuentu diſpenſans, poſſit ea diſpenſatione frui, an ſeorſum cum ſingulis diſpenſans, ſecum quoque ipſe diſpenſet. Quia in vtroque caſu idem erga ſeipſum iuriſdictionem exercet, ac ſuperioris, & ſubditi vice fungitur. Superioris ſane, quatenus diſpenſat; ſubditi autem, quatenus ſecum diſpenſatur. Quod haud obſcure inde deducitur, quia nullus ex ea communitate, qui ſubditus non ſit, poteſt tali diſpenſatione gaudere.

7. Neque obſtat, ſi dicas prædictam generalem diſpenſationem non prodeſſe diſpenſanti ex vi voluntatis, aut poteſtatis illius, ſed ex poteſtate, ac voluntate Superioris, dum illum habet, vel Chriſti, ſi Papa ſit. Sicut cum Princeps legem condit, illa quidem ligatur quoad vim directiuam, non ex ſua voluntate, ſed ex naturali ac diuino iure. Non (inquam) obſtat; tum quia ex nullo iure diuino, aut Pontificio conſtat voluntas aliqua ſuperioris, ſeu Chriſti diſpenſandi cum Prælato, qui generaliter diſpenſat; tum etiam, quia nec ſimile adductum probat intentum, quippe in eo ſimili reperitur ius naturale dictans rationi diſſonum eſſe, quod caput, id eſt, Princeps, non ſit cum membris conforme in moribus, qui ex eius poteſtate, ac voluntate dependent. At in caſu noſtro non eſt principium naturale id dictans in diſpenſatione, præſertim cum facile queant Prælati ſibi conſulere, ſuis confeſſariis committendo, vt ſecum diſpenſent, quod communiter omnes admittere, oſtendimus aſſertione prima.

8. Tandem idem probant rationes pro ſecunda concluſione adductæ; Nec videtur poſſe ratio aliqua aſſignari, cur id Pontifici concedatur, & non Epiſcopis, cæteriſve prælatis, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus. Neque enim plenitudo poteſtatis Pontificiæ, eiúſve neceſſitas, ſeu textus aliquis id eſſe in Pontifice ſpeciale ſuadere videtur. Non plenitudo poteſtatis, cum hoc præ cęteris Prælatis in eo ſolo conſiſtat, quod ſit generalis in toto orbe, ab ipſaque Prælatorum omnium poteſtas deriuetur, poſſitque ex iuſtis cauſis per eam coarctari. Non etiam id ſuadet neceſſitas Pontificis ſuperiore ca-

Digitized by Google

rentis, vt illum adeat diſpenſandus; habet enim Confeſſarium, cui ſecum diſpenſandi poteſt authoritatem committere, vt patet ex dictis in prima concluſione. Nec denique eſt vllus textus, ſeu ratio probans ſolum Pontificem poſſe ſecum diſpenſare.

9. Et pro hac ſententia faciunt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. Turrecr. *cap. de Monachis,* 16. *quæſt.* 1. D. Anton. 3. *p. tit.* 10. *cap.* 2. §. 7. & Angel. *verb. Monach. num.* 7. Sylu. *verb. Religio* 6. *quæſt.* 10. *& Religio* 7. *quæſt.* 12. Tabiena *verb. Epiſcopus, quæſt.* 6. & ibi Armilla *num.* 8. Man. Rod. *in Bulla*, §. 8. *dub.* 6. *num.* 11. *& ſum. tom.* 2. *c.* 30. *num.* 4. Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 247. *verſ. Religioſus tamen.* Emanuel Sà *verb. Religioſus, num.* 47. *verſ. Prælati in Religione.* Azor. *lib.* 7. *inſtitut. moral. cap.* 29. *quæſt.* 6. quos ſequitur Sanch. *ſupra n.* 8. contra Suar. *tom.* 2. *de religione*, *tract. de voto*, *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 4. vbi id negat Prælatis Pontifice inferioribus. Imo Sanch. *ibid. & ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 45. id extendit, non ſolum ad Prælatos ordinariam diſpenſandi poteſtatem habentes, ſed ad habentes etiam delegatam diſpenſandi in vniuerſum cum aliqua communitate, cuius ipſi ſunt partes. Secus ſi ſolum haberent limitatam poteſtatem diſpenſandi cum certis perſonis: aut cum certo perſonarum numero; & merito, quia poteſtas non debet extendi vltra conceſſionis limites. Atque idem omnino eſt ſentiendum de poteſtate commutandi propria vota, quatenus ea commutatio eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis: poſſunt namque eam iuriſdictionem in ſemetipſos exercere, commutando propria vota, quę ſi à ſubditis eſſent emiſſa commutare poſſent; cum eadem prorſus ratio militet.

Dubium XIX.

Quibus Prælatis competat ordinaria poteſtas diſpenſandi in ſæcularium votis.

1. In primis certum eſt penes Summum Pontificem reſidere ſupremam hanc poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis ſaltem ſimplicibus, & quædam etiam reſeruandi. Dixi in votis ſimplicibus, cum de his tantum, & non de ſolennibus ſit noſtra diſputatio. Atque idem eſt de concilio generali ſentiendum, vt ex ſe ſatis conſtat, & recte tradit Sotus *lib.* 7. *de iuſtitia, quæſt.* 4. *art.* 2. *ad* 4.

2. Legatus Apoſtolicus, ſeu Nuntius poteſt in tota Prouincia ſibi commiſſa diſpenſare in votis, eodem modo, quo Epiſcopus in ſua Diœceſi: eadem namque poteſtate gaudet in illa, quo hic in ſua. Ita Speculat. *tit. de diſpenſat.* §. *conſequenter aliqua,* Abb. *cap. fin. num.* 5. *de tranſact. & cap. Dilecto*, *num.* 5. *de prabend.* Rebuffus *praxi benefic. tit. de vnionibus*, *num.* 24. Mandoſius *regul.* 17. *Cancellar. quæſt.* 7. *num.* 5. Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. *num.* 11. Henriquez *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *num.* 2. Anton. Gomez *in Cruciata*, *clauſ.* 10. *num.* 61. & Suar. *d. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. qui inſuper addit poteſtatem iſtam eſſe ordinariam; quamuis enim ex Pontificis commiſſione illam habeat, ordinaria tamen eſt, cum non perſonæ, ſed officio ſit perpetuo annexa; quoniam iuriſdictio ex Principis priuilegio, non perſonæ, ſed perpetuo dignitati, vel officio competens; non delegata, ſed ordinaria reputetur: vt late probat Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *n.* 14.

1. Tertiò, certum etiam eſt hac diſpenſandi poteſtate gaudere Epiſcopos in

Digitized by Google

in ſua Diœceſi; tum quia Epiſcopi, ſicut etiam Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ in ſuis Diœceſibus habent veram iuriſdictionem eccleſiaſticam, & ſpiritualem in vtroque foro; tum quia hæc poteſtas neceſſaria fuit in Epiſcopis ad ſuaue ſuarum Eccleſiarum regimen: ſæpe namque fragilitati vouentium non bene ſola commutatione proſpicitur; imo & ſæpe expedit non eo rigore vti.

4. At obiiciunt nonnulli ſtatim citandi, dum aſſerunt id differre inter Pontificem, & Epiſcopos, vt ille poſſit omnino voti obligatione liberare per diſpenſationem. Hi vero non, niſi in materiam Deo gratiorem commutare valeant. Ducuntur, tum *ex cap. 1. de voto*, vbi de Epiſcoporum poteſtate agendo, fit tantum mentio de commutatione in melius; tum quia *cap. Accedentibus, de exceſſibus Prælat. & cap. primo, diſt. 25. & cap. quamuis, diſt.* 68. referuntur quæ poſſunt Epiſcopi, & nihil habetur de diſpenſatione, ac ſubinde poteſtas diſpenſandi videtur ſoli Papæ reſeruari. Ita Abb. *cap. Propoſuit, num.* 12. *de conceſſ. præbend.* Roſella *in ſumma, verb. votum* 5. *num.* 5. *& verb. Papa, num.* 1. & alij, qui idem tradunt de Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis cum eadem iuriſdictione Epiſcopali in ſuis dœceſibus gaudeant.

5. Nihilominus aſſertio noſtra eſt vera, & abſolutè tenenda. Nec textus in contrarium adducti aliquid obſtant. Non primus, quia tum Pontifex de ſola commutatione conſultus fuit, ideoque de ea duntaxat reſpondit: tum etiam quia in fine ita concludit; *& ſecundum hoc debet exinde diſpenſare.* vbi inſinuat Pontifex, integrum eſſe Epiſcopo diſpenſare, aut commutare iuxta rei exigentiam. Nec ſecundus, quia in illo duplici decreti canone de ſolis ordinis actibus agitur, & *in cap. Accedentibus*, non recenſentur omnes actus iuriſdictionis Epiſcopalis, ſed quidam ab inferioribus Abbatibus vſurpati. Imo additur etiam, *& ſimilia*, ſub quo verbo poteſt diſpenſatio comprehendi. Quin potius poſſunt Epiſcopi huiuſmodi facultate vti, eſto nondum ſint conſecrati, modo tamen ſint à Pontifice confirmati, ſecus ſi duntaxat electi. Nam à tempore confirmationis æſtimantur veri Prælati, atque omnibus ad ſolam iuriſdictionem ſpectantibus gaudent, vt ex Leſſio refert, & tradit Sanchez *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 38. *n.* 7. vnde Abb. *cap.* 1. *num.* 7. *de voto*; palinodiam canere cogitur.

6. Sed quæres, an Archiepiſcopus poſſit cum ſubditis Epiſcoporum ſuffraganeorum diſpenſare. Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *artic.* 4. *concluſ.* 8. *num.* 46. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *verſ. Item non poteſt*; varij ſibi videntur, quoniam prius inquiunt non poſſe, & ſtatim in aliam partem inclinantes aiunt poſſe, & tenere factum, eſto diſpenſare non debeat, ſed tenet expreſſe Man. Rodriq. *ſum. tom.* 2. *cap.* 100. *num.* 3. & alij tacito nomine relati per Emanuel. Sà *verb. votum*, vbi de voti irritatione, *num.* 12. & poteſt ſuaderi ex eo, quod Archiepiſcopus poteſt in toto ſuo Archiepiſcopatu indulgentias concedere, vt habetur ex *cap. Noſtro, de pœnit. & remiſſ.* igitur & diſpenſare; cum vtrumque ſit iuriſdictionis actus, & ſpiritualem ſubiectionem requirat.

7. Cæterum negatiua pars abſolutè tenenda eſt. Nam Archiepiſcopus in ſua tantum diœceſi habet curam ordinariam: in cauſis autem ſuffraganeæ diœceſis ſolum eſt Iudex, cum ad eum per appellationem deducuntur. argum. *cap.* 1. *de officio legati, & cap. Duo, de officio Ordinar.* atque idem conſtat ex *cap. Paſtoralis, de officio Ordinar.* ibi, *cum in eum exceptis quibuſdam articulis nullam habeat*

poteſtatem. vbi agitur de Archiepiſcopo in ſubditum ſuffraganei. Imo id etiam deducitur ex *d.cap.Nouo*, pro contraria ſententia allegato. Cum enim ibi Archiepiſcopo tanquam quid ſpeciale cócedatur, poſſe in ſuffraganea diœceſi indulgentias concedere, conſequenter videtur deduci in aliis non ſpecialiter concéſſis nihil eum poſſe. Vnde hanc ſententiam tuentur Sylu. *votum* 4. *q.* 3. *dicto* 4. Sotus *lib.*7. *de iuſt. quæſt.*4.*art.*3. *verſ.Præter.* Aragon.2.2.*quæſt.*88.*art.*12. *concluſ.* 3. Angles *floribus*, 2. *part. quæſt. vnica de voto*, *artic.* 8. *difficult.* 4. *concluſ.*7. Ant. Gomez. *in Cruciata, clauſula* 10. *num.*58. Sayr. *in claui regia*, *lib.*6. *cap.*11. *num.*79. Suar. *d.lib.*6.*cap.*10.*n.*8. Henriq. *lib.*14. *de irregul. cap.*18. *num.*3. & alij, quibus aſſentit Sanchez *d.cap.*38. *num.*11.

8. Id autem limitant aliqui, vt intelligatur niſi Epiſcopus diſpenſationem in voto petitam deneget, cum diſpenſare tenetur, vel adeſt iuſta diſpenſandi cauſa; tunc enim poteſt Archiepiſcopus per appellationem aditus, vel officio eius implorato diſpenſare; quippe in hoc caſu eſſe legitimum Iudicem conſtat ex dictis *num.præcedenti.* Apponitur autem disiunctiue per appellationem aditus, vel officio eius implorato; quoniam cum inferior tenetur diſpenſare, & non diſpenſat, poteſt ſuperior per appellationem adiri: at cum non tenetur diſpenſare, iuſta tamen adeſt diſpenſandi cauſa, non poteſt eo modo adiri, ſed officio illius misericorditer implorato, vt ex miſericordia diſpenſet, vel cogat inferiorem ad diſpenſandum, vt multis citatis probat Sanchez *lib.*3.*de matrim. diſp.*10. *à num.*20. *vſque ad* 24.*incluſiue.*

9. Alij limitant dictam ſententiam aſſerétẽs intelligendam fore extra tempus, quo Archiepiſcopus viſitat diœceſim ſuffraganeam, tunc enim cum ſubditis Epiſcopi ſuffraganei nequit diſpenſare; ſecus autem cum illam viſitat, quia in eo caſu eſt legitimus illius diœceſis Superior. Ita Henriq. & Anton, Gomez. *loco cit.* Auila etiam *de cenſ.p.*7. *diſput.*10. *dub.*6. *notabili* 2. *circa primam concluſionem.* At oppoſitum ſentiendum eſt, nempe adhuc in eo caſu non poſſe Archiepiſcopum, namque nihil præter ſibi ſpecialiter conceſſa poteſt in ea diœceſi: nullibi autem ipſi conceditur diſpenſatio, ſed abſolutio à peccatis duntaxat, vt conſtat ex *cap.finali,de cenſibus in 6.* ibi, *Poteſt etiam idem Archiepiſcopus dum viſitat, ſubditorum ſuffraganeorum confeſſiones audire, ac abſoluere pœnitentes, ipſiſque pœnitentias iniungere.* Nec poteſtas diſpenſandi eſt coniuncta cum poteſtate abſoluendi, vt fit manifeſtum in parochis, quibus ſola poſterior competit: hinc dum viſitat, nequit ſui ſuffraganei ſubditis litteras dimiſſorias ad ordines concedere. Ita Francus *præcit.cap.finali, num.vlt.* Nec poteſt diſpenſare in denunciationibus, cũ vterque ſit iuriſdictionis ordinariæ actus, & conſequenter nec poteſt in votis. Ita Suar.*tom.*5.*de cenſ.diſp.*41.*ſect.*2 *num.*12. *& tom.* 2. *de religione*, *tractatu de voto*, *lib.*6. *cap.*10. *num.*9. Sayr. *in claui regia*, *lib.*6. *cap.*11. *num.*80. & Sanchez *ſumma tom.*1. *lib.*4. *cap.*38. *num.*14.

10. Quæres ſecundò, an Archiepiſcopus poſſit cum Epiſcopis ſuis ſuffraganeis diſpenſare in votis. Suar.*d.lib.*6. *cap.*11. *num.*3. inquit ex iure non conſtare huiuſmodi poteſtatem, nec Epiſcopos iſtos Archiepiſcopo ſubdi in ſpirituali ſuæ perſonæ regimine, ſed in nonnullis tantum actibus ad exrernam Eccleſiæ gubernationem ſpectantibus, vt conſtat ex *cap.Paſtoralis, de offic.ordinarij.* atque ideo concludit conſuetudinem eſſe conſulendam.

11. Oppoſitum cenſent probabilius permulti DD. aſſerentes Epiſcopos huiuſmodi

Digitized by Google

iuſmodi eſſe Archiepiſcopo immediate ſubiectos, ac propterea poſſe Archiepiſcopum eos abſoluere, & diſpenſare, ſicut hæc poteſt etiam cum ſuis ſubditis præſtare. Ita Palud. *in* 4. *diſt.*38.*q.*4. *art.*4.*concluſ.*8.*num.*46. D.Anton.2.*part. tit.*11 *cap.*2.§.9.*verſ Item non poteſt.* Angles *floribus*,1.*p.quæſt.vnic.de voto*, *art.*8. *diffic.*9. *concluſ* 9. Sayr. *eod. cap.*11. *n.*79. Henriq. *lib.*14. *de irregul. cap.*18. *num.*3. & Auila *loco ſupra cit.* inquiens ita tenere viros doctiſſimos, ſed ſubiungit id tantum fieri tempore viſitationis, reliqui tamẽ Authores indiſtinctè loquuntur, & ratio ab eis aſſignata, id etiam indiſtinctè probat. Imo Sylu. *verb.Archiepiſcopus*, *initio*, citato Hoſtienſi, aſſerit Archiepiſcopum maius ius in Epiſcopos ſuffraganeos, quam in eorum ſubditos habere, poſſéque de eorundem crimine cognoſcere, ac illos punire, iuxta *cap ſacro.de ſent.excomm.* Mihi autem res dubia videtur; nihilominus cum tot Authores non pœnitendi id affirment, nec in contrarium ſit ratio euidens, nec authoritas conuincens, exiſtimo poſſe hanc partem tanquam probabilem tuto amplecti, etiam extra tempus viſitationis, atque idem fatetur Sanchez *d.cap.*38.*num.*16.

12. Quæres tertiò, an Vicarius Generalis Epiſcopi, vel Capitulum Sede vacante diſpenſare queat in omnibus votis, in quibus poteſt Epiſcopus. Quoad Vicarium pars negatiua tenenda eſt, quia ex generali vicariatus officio non habet diſpenſandi poteſtatem, niſi ſibi ſpecialiter committatur, vt docent gloſſ.*cap.qua de cauſa,verb.quidquid* 1.*quæſt.*5. Cardin. *cap.Denique* 4.*diſtinct.* Domin.*conſil.*38. Calderin. *de offic.vicar. conſil.*3.*fine.* Felin. *cap.At ſi clerici*, §. *de adulteriis*,*num.*21. *de iudic.* Rebuff.*praxi benefic.in forma vicariatus*, *num.*44. Gutier. *lib.*1. *quæſt.canonic. cap.*19. *num.*15. & Anton.Gomez.*in Cruciata*,*cap.*4.*circa* 4.*q. num.*19. Et ratio eſt, quia diſpenſatio habetur inſtar reſtitutionis in integrum, quæ in generali mandato non continetur.*l.illud.ff.de minor.* Vnde eſto ſibi committatur poteſtas diſpenſandi, niſi ſubdelegandi poteſtas ei quoque concedatur, nequibit eam ſubdelegare, quia delegatus non poteſt ſubdelegare. arg.*l.fin.ff.de offic.eius*,& *l.iudice*, *C.de iudiciis*, duplici tamen caſu excepto. Primus, dum quis eſt à ſupremo Principe delegatus; hic enim ſubdelegare poteſt. arg. *cap.fin.de offic.deleg.initio.* & *cap.cum cauſam,de appell.* Secundus, cum quis delegatur ad vniuerſitatem cauſarum; is namque reputatur quaſi ordinarius, ac ſubinde delegare poteſt. Sic deducitur ex *l.*1. §.*ab eo. ff. quis*, & *à quo.* & tradunt Hoſtienſ. *cap.fin. de offic. ordin. paulo poſt princ.*& *cap.cum cauſam,de appellat. verb.delegare.* Ioan.Andr. *cap.omnis. de pœnit.* & *remiſſ.n.*31. *verſ.in gloſſa executionem.*Abb.*d.cap.cum cauſam*,*n.*12. & *cap.cum Bertoldus*, *num.*20. *de ſent.* & *re iudic.* Bartol. *l.more*, *num.*11. *ff. de iuriſdict.omn.iudic.* vbi Alexand. de Neuo *num.*26.*fine.* Bald. *l.ſolet*, *num.*1.*ff.eod.tit.* Maranta *pract.*4 *part.diſt.*5.*principali, an iudicium ſit ordinarium*, *num.* 27. & 55. Roſella *verb.delegare,init.*Angel.*verb.delegatus*,*num.*6.vbi Sylu.*quæſt.*8.*dicto* 3. & Couarr. alios referens 3. *variar. cap.*20. *num.*11.& eſt ſententia communiter recepta, eſto oppoſitum ſentiant Decius *d.cap.cum cauſam*, *num.*29 & 30. *de appellat.* Curtius *d l.more*, *num.*67. & alij. Vnde ſi Vicarij delegatio ſit abſoluta ad omnia vota, poterit in vno, vel altero voto facultatem diſpenſandi delegare, cum ſit tunc delegatus ad vniuerſitatem cauſarum.

13. Cæterum quoad Capitulum Sede vacante, pro certo habendum eſt poſſe diſpenſare in omnibus votis, in quibus poteſt Epiſcopus iure ordinario, cum in Epiſcopi iuriſdictionem ſuccedat,

Digitized by Google

cedat, atque ita ſentiunt Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *concluſ.* 5. Ant. Gomez. *in Cruciata, clauſula* 10. *num.* 62. Sayr. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 84. Man. Rod. *ſum. tom.* 2 *cap.* 100. *num.* 3. Henriq. *lib.* 14. *de irregularitate, cap.* 18. *num.* 2. *fine. & lib.* 6. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 1. quos ſequitur Sanchez *cap.* 38. *num.* 17.

14. Atque idem dicendum eſt de quibuſcunque aliis Prælatis diœceſim ſibi ſubditam cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali habentibus. Hi enim ſicut potiuntur eadē iuriſdictione, qua Epiſcopi, ita eodem prorſus modo poſſunt cum ſuis ſubditis in votis diſpenſare, quo poſſunt Epiſcopi cum ſuis. Ita Abb. *cap.* 1. *num.* 7. *de voto.* Angel. *verb. votum* 4. *num.* 6. Roſella *votum* 5. *num.* 2. Sylu. *votum* 4. *quaſt.* 3. *dicto* 4. Armilla *verb. diſpenſare, num.* 18. Nauarr. *ſumm. cap.* 12. *num.* 75. Palacius 4. *diſt.* 38. *diſput.* 3. *verſ. ſunt etiam alij*, Arag. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 12. *concluſ.* 4. Anton. Gomez. & Man. Rod. *loco cit.* Suar. *d. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 3. Valent. 2. 2. *quaſt.* 6. *diſput.* 6. *punct.* 7. *verſ. ſed cum conſtet.* Azor. *tom.* 1 *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 19. *quaſt.* 2. & alij per Sanchez *vbi ſupra, num.* 19. relati.

DVBIVM XX.

Quibus Prælatis competat ordinaria poteſtas diſpenſandi in votis Regularium.

1. CErtum eſt poſſe Prælatos Regulares, Generales ſaltem, & Prouinciales in votis ſuorum Religioſorum diſpenſare. Nam hi Prælati iuriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem in vtroque foro ratione ſui muneris erga Religioſos ſibi ſubditos; ex vi enim ſui muneris inſtituuntur, vt plenam ſpiritualem ſubditorum curam habeant, cum iuriſdictione ad hoc munus ſufficiente, quæ exigit vt huiuſmodi Prælati potiantur Epiſcopali iuriſdictione erga illos, ſuntque eiſdem loco Epiſcoporum, cum ab Epiſcopis priuilegio Pontificio eximantur; ita communiter DD. ſtatim citandi.

2. Obiicies, inde ſequi, quod talis poteſtas eſſet ſuperflua; nam vt vota ſunt ante profeſſionem emiſſa, & tunc profeſſione extinguuntur; aut poſt profeſſionem emittuntur, & tunc integrum erit Prælato ea per irritationem extinguere: igitur videtur potius dicendum quod Prælati Regulares nequeunt in ſuorum Religioſorum votis diſpenſare. Ita Palud. 4. *diſtinct.* 38. *quaſt.* 4 *artic.* 4. *concluſione* 7. *numer.* 45. & Diuus Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *verſicul. Item Abbas.*

3. Nihilominus non eſt recedendum à communi ſententia. Nam poteſtas irritandi dictis Prælatis competens, non excludit poteſtatem diſpenſandi, ſed vtraque ſimul ſtare poteſt, & reperitur in his Prælatis, cum illa ſit poteſtatis dominatiuæ, hæc autem ſpiritualis. Nec eſt ſuperflua; tum quia interdum iudicabit ſuperior quod ſit magis expediens diſpenſare; tum quia ſunt aliqua vota, quæ irritare nequit, poteſt tamen in illis diſpenſare, vt inſinuat Sanch. *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 3. Atque ideo hanc ſententiam ſuſtinent Rich. 4. *diſt.* 38. *art.* 9. *quaſt.* 1. & 2. & ibi Supplementum Gabrielis *quaſt.* 1. *art. vlt. concluſ.* 2. Sylu. *votum* 4. *quaſt.* 3. *dicto* 4. Angelus *votum* 4. *num.* 6. Nauarr. *Man. cap.* 12. *num.* 75. Sotus *lib.* 7. *de inſt. quaſt.* 4. *art.* 3. *verſic. Abbates.* Item Palat. 4. *diſtinct.* 38. *diſput.* 3. Aragon. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 8. *notabili* 2. & *art.* 12. *concluſ.* 6. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *quaſt.* 6. *punct.* 7. *verſ. ſed cum conſtet.* Man. Rodr. *qq. regul. tom.* 1. *quaſt.* 25. *art.* 7. Lud. Lopez 1. *part. inſtruct. conſc. cap.* 39. *verſ. de aliis votis.* Tolet. *ſum. lib.* 4. *c.* 18. *num. penult.* & alij, quo ibidem refert, ac ſequitur Sanch. vbi etiam ex Suarez,

tom. 2.

Digitized by Google

*tom.2.de Relig.tract.de voto,lib.6.cap.*11. *num.*105. obſeruat hanc poteſtatem eſſe ordinariam, cum competat ex vi muneris, & ei ſit perpetuo annexa,& conſequenter poſſe ab his Prælatis delegari.

4. Sed quæres primò,an Prælati Regulares poſſint in Nouitiorum votis diſpenſare. Nonnulli partem negatiuam amplectuntur, aſſerentes id ad Epiſcopum ſpectare. Tum quia Prælati Regulares non habent in Nouitios ſimpliciter iuriſdictionem Epiſcopalem, ſed regimen duntaxat pro tali tempore, & pro tali fine. Tum quia cum non ſint perfecte ſubditi, conſequenter nec fruuntur priuilegiis Religionis, vt habetur ex *cap.Religioſo,de ſent.excom.in 6.* vbi iure ſpeciali indultum eſt Nouitiis in reuerentiam habitus, quem geſtant, vt ipſorum percuſſores excommunicationi ſubiaceant,ac proinde ex eo colligitur ius commune in contrarium.arg. *l. ius ſingulare. & l.quid vero, ff. de legib.* Quare non poſſe Prælatum Regularem cum his diſpenſare tradunt Angles *floribus,2.p.quæſt.vnic.de voto,art.*8. *poſt* 10. *diffic.dub.*3. Azor.*tom.*1.*inſtit.mor.lib.*11. *cap.*19.*quæſt.*21. Sayr. *in claui regia,lib.6. cap.*11.*num.*92.Suar *tom.2.de Relig.tract. de voto.lib.*6. *cap.*11.*num.*9. Tum denique, quia ſi ad ordines eſſent promouendi nequirent dicti Prælati litteras dimiſſorias eis concedere, cum tamen ea conceſſio ſit etiam actus iuriſdictionis ſpiritualis. Atque idem opinarentur prædicti DD. de poteſtate commutandi vota Nouitiorum, cum is ſolus poſſit ordinaria poteſtate commutare vota, qui poteſt in illis diſpenſare.

5. Nihilominus eſto prædicta opinio ſit probabilis, oppoſita mihi videtur probabilior, & abſolute tenenda, nempe poſſe Prælatum Regularem in Nouitiorum votis diſpenſare; & ſuadetur,quia etſi Prælatus Regularis careat poteſtate dominatiua in Nouitios, & conſequenter nequeat eorum vota irritare, habet tamen iuriſdictionem ſpiritualem Eccleſiaſticam in illos, ac ſubinde poteſt in eorundem votis diſpenſare, vt docet Nauarr. *in Man. cap.*11. *n.*65. Atque ideo Nouitius dum in Religione viuit,eſt à iuriſdictione Epiſcopi exemptus, ita vt de Nouitij delicto, aliiſve illius cauſis nequeat cognoſcere, niſi Nouitius ſe illi ſubderet;ſed totum hoc ad Religionis Prælatum pertinere tradit Sanchez *d.cap.*39.*num.*17.vbi noſtram tenet ſententiam, ſicut etiam Henriq. *lib.*7. *de indulgen. cap.*21.*num.*7. Man. Rodr. *quæſt. regul. tom.*1. *quæſt.*25. *art.*8. *& in ſum.tom.*2. *cap.*89.*num.vltim.* Angel.*verb.diſpenſatio,num.*8.& ibi Sylu. *quæſt.*14.*dicto* 1. In euentu autem quod Nouitius ſe Epiſcopo ſubdat, poterit Epiſcopus cum illo in votis diſpenſare, aut ea commutare, vt tradunt Henriq. & Sanch. *ibidem,* & tenent DD. pro prima opinione adducti. Ratio eſt, quia cum Nouitij nondum plenã exemptionem,& Prælato Regulari ſubiectionem adepti ſint,conſequenter integrum illis eſt,ſe Epiſcopo ſubdere,vt cum ipſis diſpenſet, ſeu eorum vota commutet.

6. Ex dictis patet ſolutio ad primam rationem in contrarium.Ad ſecundã dicendũ eſt, verius eſſe Nouitios gaudere priuilegiis Religionis,vt docent Molin. *de iuſt.tom.*1. *diſput.*139. *verſ.Præter hos.* Henriq.& Sanch.*ſupra.* Azor.*tom.*1.*inſt. mor.lib.*7.*cap.*30.*fine,& lib.*12.*c.*2.*q.*10.& ſatis manifeſte Dominicus *cap.Religioſo, §.quamuis,n.*3.*de ſent.excom.in* 6. Ad tertiam concedo Prælatum Religionis non poſſe Nouitiis concedere litteras dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos, ſed hoc ſpectare ad Epiſcopum,vel originis,vel habitationis actualis, ſeu priſtinæ,vt ex ſtatim dicendis conſtabit.Ita tenet Suar. *d.c.*6.*cap.*11.*n.*9. & Sanch.*ibid n.*21. At non inde ſequitur Prælatũ Regularem

Digitized by Google

non poſſe cum Nouitiis diſpenſare in votis. Tum quia plus requiritur ad conferendas litteras dimiſſorias, quam ad diſpenſandum in votis. Tum quia bonæ Nouitiorum educationi expedit, ne vagari cogantur, & conſequenter, vt poſſit Prælatus Religionis cum illis diſpenſare; ſecus eſt de litteris dimiſſoriis prædictis, cum potius expediat tunc eos nullatenus ad ordines promoueri.

7. Cæterum, quidquid ſit de opinionibus, id certũ eſt Prælatum Religionis poſſe in Nouitiorum votis diſpenſandis, ſeu commutandis vti ea poteſtate delegata, qua per Religionis priuilegia gaudet erga ſæcularium vota, vt dub. ſequenti conſtabit, quippe Nouitij non debent æſtimari deterioris conditionis, quam ſæculares. Atque ita fatentur Azor. & Sayr. *loco cit.*

8. Quæres ſecundò, quis Epiſcopus cenſeatur proprius Nouitij, vt cum illo diſpenſet, ſeu ipſum ad ordines promoueat. Suar. *loco* proxime *cit.* inquit Nouitium per ingreſſum Religionis nõ cenſeri domiciliũ mutaſſe, & conſequenter Epiſcopum Diœceſis, in qua prius commorabatur, cenſeri propriũ illius. Huic opinioni ſuffragãtur DD. aſſerentes per Nouitiatum nõ cenſeri mutatum prius domicilium, & acquiſitum nouum in eo probationis loco. Nã ſicut domicilium non acquireret, qui à proprio domicilio migrans, nondum firmiter ſtatuit permanere in loco ad quem migrat, ſed ſolum experiri, an ſit ſibi expediens. Ita Nouitius non cenſetur domicilium acquirere, cum per Nouitiatum non intendat ibi perpetuo habitare, ſed experiri regulam, eaque experta ſtatuere, an permanſurus ſit, nécne. Ita Francus *c. 2. in pr. n. 2. de ſepult. in 6.* & ibi Domin. *n. 4.* Card. *cap. de his, q. 5. de ſepult.* & ibi Henriq. *n. 15.* Lelius Zeccus *de republica Eccleſiaſtica, tit. de regular. cap. 3. n. 9.*

9. Hæc opinio videtur ſatis probabilis, ſed mihi magis probatur, proprium Epiſcopum ad prædicta cenſeri Epiſcopum diœceſis, vbi durante probatione Nouitius reperitur. Ratio eſt, quia Nouitius quantũ eſt ex parte ſua animum habet prioris domicilij deſerẽdi, & perpetuo commorandi in Religione cuius habitum ſuſcepit, eſto nouitiatus ſit ad experiendam Religionis auſteritatem, ita vt ſi ferre nequeat, liberum ſit ei regredi. Vnde non poteſt tunc Nouitius æſtimari dubius circa perſeuerantiam, quippe dubius eſt, qui in neutram partem inclinans, eſt animo pendulus: ſicut non diceretur dubius, ſed domicilium re vera requireret, qui migrans alio, ibi quantum eſt ex parte ſua perpetuo commorandi animum haberet, quamuis habeat etiam animum illius loci deſerendi, ſi contingat cœli intemperiem ſibi eſſe incommodam, aut quid aliud fœlicius ſibi eueniat. Nec immeritò, quia cum Nouitij ea animi deſtinatione Religionem ingrediantur, vt ibi perpetuo maneant, ea quidem deſtinatio tanquam actus perfectus æſtimanda eſt, tametſi in aliquo caſu, ſeu impedimento occurrenti mutari queat. arg. *l. cum quidam 8. & l. etſi non ſint, §. infecta, verſ. quid ergo, ff. de auro & argento legato.* Atque ideo Nouitiũ ordinibus initiandum ab Epiſcopo loci, vbi eſt in probatione, docent Francus *cap. cum nullus, fine de tempor. ordin. in 6.* & ibi Anchar. *num. 4.* Henricus *d. cap. de his, num. 16.* & Anton. Cucus *lib. 3. inſtitut. maiorum tit. 1. num. 94.* Idem ſimiliter ſentiunt aſſerentes ex habitatione Nouitij acquiri domicilium, & prius cenſeri deſertum, ita Goffredus *ſum. tit. de ſepult. num. 7.* Hoſtienſis *eod. cap. de his ad finem, verſ. Quod ſi quis.* ibi Ioan. Andr. *in fine.* Anchar. *num. 3.* & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *vbi ſupra num. 20.*

Dvbivm

DVBIVM XXI.

Quæ, & qualiter per Religioſorum priuilegia poſsint vota ſæcularium commutari ac diſpenſari.

1. ADduximus *dub. primo huius cap.* clauſulas, quibus per Cruciatam, Iubilæum, & priuilegium Pauli III. conceditur facultas vota commutandi, & quomodo inter ſe conueniant, ac differant inſinuauimus. Nunc autem inſuper obſerua primò, prædicta tria priuilegia commutandi vota conuenire, quod virtute illorum, non ſolum vota emiſſa ante ea priuilegia, ſed emittenda poſtea, commutari poſſunt. Differunt tamen, quia de priuilegio Pauli III. certum eſt, de Cruciata autem, & Iubilæo, res verſatur ſub opinione. Ratio poteſt aſſignari, quia priuilegia perpetua extenduntur tam ad vota præterita, quam ad futura, amplectuntur enim omne tempus, & huiuſmodi ſunt priuilegia Regularium, & Pauli III. & aliorum Pontificum, & hoc eſſe certum inquit Suar. *tom.2. de Religione, tract. de voto, lib.6.c.3.n.2.* At quando priuilegia ſunt temporalia, vt Cruciatæ, & Iubilæi, extenduntur, non ſolum ad vota quæcumque emiſſa ante conceſſionem Romæ factam, ſed etiam poſtea, donec publicentur; quoniam cum ex tunc incipiant priuilegia ſuum ſortiri effectum, vota vſque tunc emiſſa cenſentur ante conceſſionem facta: idque eſſe ſimiliter certum tradit Suar. *ibidem*, cui adhæret Sanch. *ſum.tom.1.lib.4.cap.53.num.24.*

2. Obſerua ſecundò, prædicta tria priuilegia conuenire inſuper inter ſe, quod virtute nullius ex illis commutantur vota ipſo facto, ſed facultas duntaxat conceditur Confeſſario, vt commutet. Vnde ſi Confeſſor non commutet, retinebunt vota ſuam priſtinam obligandi vim, eſto vouens Bullam acceperit, vel per Iubilæum præſcripta excutioni mandauerit, vt conſtat ex tenore clauſularum, quas *dict. dubio 1. huius capituli*, adduximus. Ita Nau. *Man. 12.n.79.verſ.17.* Man. Rodr. *in Cruciata, §.9.n.108.* Lud. Lopez. *1.p.inſtruct. conſcientiæ, c.20.verſ. Adſiſtant ſimplices.* Say. *in claui Regia, lib.6.c.11. num.125.* Suar. *d.lib.6.c.16.n.2.* Hinc autem deducitur, ſi Cōfeſſor requiſitus vt commutet, non commutauerit vota, non manere commutata. Ita Nau. & Lud. Lopez *ſupra.* & Beja *in ſuis reſponſis, caſu 9.* Differunt tamen prædicta tria priuilegia, quod Confeſſor requiſitus per Bullam, aut Iubilæum vt commutet, ſi agnoſcens iuſtam commutandi cauſam exiſtere, non commutauerit, peccabit, cum ſit iudex delegatus in fauorem pœnitentis, ius ex priuilegio ſibi conceſſum petentis: ſicut iudex dicitur infidelis *cap.2.quæſt.5.* denegans diſpenſationem ſubdito petenti ex cauſa iuſta. Ita Aragon. *2.2. quæſt.88. art. 12. in dubio, quod mouet circa ſecundam concluſionem, paulo ante verſic. ſi quis autem quærat*, Viuald. *in Candelabr. Sacrament. 3.p. cap. 14. num.18.* Say *lib.6.cap.12.num.18.fine*, & Stunica *de voto, quæſt.1. num.38.* At per priuilegia Regularium Confeſſor requiſitus vt commutet, eſto non commutat, nullam committit culpam. Ratio eſt, quia nemo cogitur ſuo priuilegio vti.

3. Obſerua tertiò, per prædicta tria priuilegia ſolam commutandi vota facultatem concedi. Vnde virtute illorum nequaquam licebit in votis diſpenſare. Ita loquens de Bulla Petr. Ledeſma *ſum. tom. 2. tract. 10. cap.8. in fine tertiæ partis, verſic. Digo lo quarto*; & loquens de priuilegio eiuſdem Bullæ, ac Iubilæi Say. *dict.cap.11. num. 120.* & agens de prædictis tribus Sanch. *vbi ſu-*

pra num. 13. licet autem Religionis ab Ordinario iuxta præſcriptum ſacri Concilij Trid. approbatis ad ſæcularium confeſſiones audiendas, diſpenſare in eorumdem votis virtute priuilegij per Innoc. VIII. ordin.fratrum Minorum conceſſi, quo per priuilegiorum communicationem gaudet etiam Confeſſores aliarum Religionum, vt notat Rodr. *in Cruciata*, §.9. *num.* 141. & habetur *in comp.tit. abſolutio quoad ſaculares primo*, §.11. huiuſmodi itaque priuilegio conceditur Confeſſoribus regularibus poſſe diſpenſare in ſæcularium votis omnibus, in quibus ipſi Epiſcopi de iure ordinario poſſunt, demptis votis peregrinationis vltra duas dietas, ſunt autem duæ dietæ viginti leucæ, vt referunt Rebuff. *de priuil. ſcholaſt.priuil. ibi*. Rodr. *ibidem* Sanch. *d.lib.*4. *cap.*43. *num.*4. & Azeuedo aliis citatis *lib.*1. *recopil.regia*, *tit.*7. *lib.* 20. *num.*2. Idem priuilegium denuo etiam Benedictinis conceſſit Martinus V. quo ſimiliter per communicationem gaudent omnes mendicantes, vt teſtantur Rodr. & Sanch. *ibidem*.

4. Quare his ſic præmiſſis ſit prima concluſio. Epiſcopi poſſunt de iure ordinario diſpenſare in omnibus votis, quæ Pontifici non reſeruantur; diſſentiunt autem D D. circa numerum huiuſmodi votorum, Richard. 4. *diſt.* 38. *art.*9. *q.*2. & alij inquiunt ſola tria vota, nimirum caſtitatis perpetuæ, Religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ reſeruari Pontifici, & huic opinioni videntur ſuffragari D. Thom. 2.2. *quaſt.* 88. *art.* 12. *ad tertium.* & Hoſtien. *ſum. tit.de voto.* §. *vtrum & per quem in votis valeat diſpenſari*, *num.*6 *fine.*

5. Alij aſſerunt ſola caſtitatis, & Religionis vota reſeruari ſemper, peregrinationum vero, Romanæ, Compoſtellanæ, & Hieroſolymitanæ non ſemper, ſed duntaxat cum in eorum locorum ſubſidium emittuntur, ac proinde cum ex ſola deuotione fiunt, poſſe Epiſcopos in eis diſpenſare. Ita Abb. *cap.ex multa*, *num.*4. Viual. *Candelabr. Sacramentorum*, 3. *p.cap.* 14. *num.* 63. & loquentes de peregrinatione Hieroſolymitana, Eman. Sà, *ſum. verb.votum*, *num.* 11. *& verb. iuramentum*, *num.* 33. Graff. 1. *p. deciſionum*, *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 21. & Angelus *verb. votum* 4. *num.* 6. idem fatetur de voto huius triplicis peregrinationis. Videtur autem ſuaderi, quia *diſt. cap. ex multa*, *& cap. ſuper his de voto*, vbi peregrinatio Hieroſolymitana reſeruatur, agitur de illa, cum in eiuſdem loci ſubſidium promittitur, vnde à fortiori idem videtur dicendum de duplici alia peregrinatione.

6. Nihilominus dicendum eſt, nunc vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine reſeruatum eſſe Summo Pontifici diſpenſationem quinque votorum, videlicet Religionis, caſtitatis, peregrinationis Romanæ, Compoſtellanæ, & Hieroſolymitanæ, vt *dub.*8. *præcedenti* oſtenſum fuit. Nec obſtat, quod in iure ſola peregrinatio Hieroſolymitana in eiuſdem ſubſidium inueniatur reſeruata: conſuetudo enim iam obtinuit, vt ſit etiam reſeruata, cum ſolius deuotionis cauſa promittitur. Ita deducitur ex extrau. *Etſi Dominici*, *la* 2. *de pœnit. & remiſ.* vbi excommunicantur, hæc quinque vota commutantes abſque Pontificia facultate; ibi autem non reſeruantur hæc vota, ſed reſeruata eſſe ſupponitur. Atque ideo Sixtus IV. illius extrauagantis author non vult vota iſta ſub generali conceſſionis clauſula includi, ſed Pontificiam licentiam ſpecialem requirit, vt ea commutare liceat, ſic docent Roſella, *verb.votum* 5. *num.* 5. Syl. *votum* 4. *quaſt.* 3. *dict.* 4. Armilla *verb. diſpenſare*, *num.* 16. Arag. 2.2. *quaſt.* 88. *art.* 12. *concluſione* 2. Palatius 4. *diſt.* 38. *diſp.* 3. Say. *in claui regia*, *lib.*6. *cap.* 11. *num.* 55.

Azor.

Digitized by Google

Azor.*tom.1. inſtitut. mor.lib.* 11. *cap.*18. *quaſt.*4. *& cap.*19.*quaſt.*3. Mand. Rod. *ſum.tom.*2.*cap.*97.*num.*1. *& in Cruciata,* §.9.*num.*104. Angles *floribus* 2. *p. quaſt. vnic.de voto, art.*8.*diffic.*9.*concluſ.*2. Suar. *tom.*2.*de Religione, tract. de voto, lib.*6.*cap.* 21.*num.*4.*&* 5.& alij, quos ad hoc propoſitum citaui *d.dub.*8. *proxime præcedenti, verſus initium.*

7. His votis addunt aliqui votum peregrinationis in templum Deiparæ Virginis Lauretanæ, quod Pontifici reſeruari, cenſent Nauar.*comment.*1.*de regul.num.*21. Henriq. *lib.*7. *de indulg.cap.* 30.*num* 6.*in comment.litt.A. fine.* Sorbus *in compend.priuilegiorum Mendicantium, verb.votum, in ſuis annotationibus, notabili* 3. Man.Rodr. *in Cruciata,* §.9. *num.*104. qui omnes id deſumpſerunt ex Nauar. qui tamen nullo iure, aut conſuetudine id probat. Nec obſtat, ſi dicas forſitan duci Nauar. ratione alicuius priuilegij prædicto templo conceſſi. Id (inquam) non obſtat, quia de huiuſmodi priuilegio nobis nõ conſtat. Nec etiam obeſt, ſi dicas id votum reſeruatum fuiſſe in diplomate Cruciatæ anno 1562. Non (inquam) obeſt, tum quia in aliis Bullis id nunquam iam reſeruatur; tum quia reſeruatio illa non erat generalis, ſed virtute duntaxat illius Bullæ, & conſequenter dicendum eſt id votum non eſſe reſeruatum. Ita Azor. *vbi ſupra,* Suar.*eod.cap.*21.*num.*14.& Sanch.*præcit. cap* 40.*num.*10.

8. Alij his votis addunt omne votum perpetuum, dum aiunt Pontificis eſſe in votis perpetuis diſpenſare, Epiſcopi autem in temporalibus. Ita D. Thom. 2. 2.*quaſt.*184. *art.*6. *corpore*, *& quaſt.*185.*art.*4. *in fine corporis.* Eum tamen nituntur aliqui explicare, vt intelligatur de votis, quæ ſimpliciter ſine vlla additione ad totam vitam extenduntur. Ideoque per accidens perpetua dici poſſunt; vt ſi quis voueat ieiunare feriis ſextis, vel quid ſimile in perpetuum. At dum temporalia Epiſcopis concedit, exponendum cenſent præter votum triplicis peregrinationis Pontifici reſeruatæ. Ita illum explicant Caiet. 2.2.*quaſt.*88.*art.*12. *dub.penult.circa ſolutionem ad* 3. Sylu. *verb.votum* 4. *quaſt.*3. *dicto* 6.*fine.* Sotus *lib.*7.*de iuſt.quaſt.*4.*art.* 3.*in ſolutione ad vlt.* Palat.4.*diſt.*38.*diſp.* 3.*verſic. Scito tamen.* Aragon. 2.2.*quaſt.* 88.*art.*12.*concl.*2. Azor.*tom.*1.*inſtit.mor. lib.*11.*cap.*18.*quaſt.*4. Henriq.*lib.*7.*de indulg.cap.*30.*num.*6. *in comment.litt. D.*& alij. Hæc tamen interpretatio non placet Suar. *tom.*1.*de Relig.tract.de voto, lib.* 6.*cap.*21. *num.*10. nec Sanch. *d.cap.*40. *num.*11.& merito, quoniam inde ſequitur votum aſſumendi Sacerdotij eſſe reſeruatum, cum de ſe ſit perpetuum; ſimiliter votum non nubendi, aut non petendi debitum, & ſimilia ſimpliciter facta; eſſent etiam reſeruata, quia negatio abſolute prolata, omnia tempora negat, & conſequenter omne votum negatiuum abſolute factum, erit ex ſe perpetuum: ex dictis autem *dub.*9.*præcedenti notando primo*; conſtat votum Sacerdotij aſſumendi non eſſe reſeruatum; atque idem eſt ſentiendum de votis negatiuis, quæ licet ex ſe ſint quidem perpetua, non tamen ſunt reſeruata, niſi illud duntaxat, quod eſt de tota materia caſtitatis.

9. Quare melius dicendum erit cum Suar. regulam illam de votis perpetuis in rigore acceptam, nec vniuerſalem, nec veram eſſe; perpetuitas namque etiam per ſe, nec ad reſeruationem requiritur, vt in votis peregrinationum conſtat; nec ſufficit, vt ſatis oſtendunt quæ hucuſque diximus. Eſt igitur D. Thom. exponendus iuxta ſubiectam materiam, de qua loquitur. Etenim in vtroque loc.cit.ex 2.2.agit de votis perpetuis, quæ per ſe ſpectant ad perfectionis ſtatum; nec non de votis ordinariis,

ac vſitatis in Eccleſia, cuiuſmodi ſunt vota caſtitatis, & Religionis. Vnde *in 4.diſt.38.quæſt.1.art 4.quæſtiuncula 2.corpore*, de eiſdem agens, ſic ait; *votum Religionis, & alia huiuſmodi vota perpetua ſolus Papa diſpenſare poteſt*. Vbi non loquitur de omnibus votis perpetuis, ſed de ſimilibus, nempe de iis, quæ aliquo modo conſtituunt, reſpiciuntve perfectionis ſtatum, ac proinde videntur quaſi natura ſua eſſe Papæ reſeruata, forſitan ob grauitatem materiæ. At reliqua vota, ſiue perpetua, ſiue temporalia ad Epiſcopum pertinent, niſi reſeruentur. Nam reſeruatio triplicis peregrinationis prædictæ, non tam ex intrinſeca talis materiæ natura, quam ex peculiari conſuetudine, vel ſtatuto oritur.

10. Demum alij his votis inſuper addunt votum non peccandi, quod etiam nullius diſpenſationi, ſeu commutationi ſubiici aſſerunt. Ita Caiet. *in ſuis quodlibetis, tom.2.tract.11.q.1.* atque idem videntur ſentire Gloſ.*c.1. verb.recompenſatio de voto*, & ibi Hoſtien. *n.1.* Anton.*n.7.* Abb.*n.5.* Henriq.*n.1.* Graff. *1.p.deciſionum, lib.2.c.30.n.1.* & alij, aſſerentes Epiſcopum in ſolis votis voluntariis diſpenſare poſſe, id eſt in votis de rebus, quæ antequam vouerentur, voluntariæ erant. Atque de commutatione poteſt ſuaderi, quia debet fieri in æquale, non eſt autem æquale Dei obſequium, ſicut à peccatis abſtinere; & de vtraque ſuadetur; quoniam nulla poteſtate humana poteſt obligatio non peccandi auferri.

11. Cæterum, oppoſitum eſt omnino tenendum, nempe huiuſmodi votum diſpenſationi, & commutationi Epiſcoporum ſubiacere. Probatur, tum quia eſto obligatio non peccandi nequeat per diſpenſationem, commutationémve auferri; ſecus tamen noua voti obligatio ſuperaddita, quod eſt quid ſupererogationis. Tum quia huiuſmodi vota poteſt Prælatus irritare in ſuis Religioſis, vt recte probat Sanch. *d.lib.4.c.33. n.77.* Id autem procedit ex eo, quod Religioſi ſubduntur dominatiuæ Prælatorum poteſtati ad vota irritanda requiſitæ: igitur ſubduntur etiam ſpirituali eorumdem Prælatorum poteſtati ad diſpenſandum, & commutandum neceſſariæ. Et ratio eſt, quia etſi illa voti materia non ſubdatur Prælato, quatenus eſt præcepti, ſubditur tamen quoad nouam voti obligationem. Ita Sotus *lib.7. de iuſt.q.1.art.3.verſic. Tametſi vt verum fatear.* Nau. *Man.c.12.n.65.& alibi.* Azor. *tom.1. inſtit. mor.c.14. q.4.verſic. Quæres inſuper:* Say.*in claui regia, lib.6.c.5.n.17.* Graff. *1.p.deciſionum, lib.2.c.31. n.30.& 31.* cum aliis, quos refert, ac ſequitur Sanch.*eod.c.40.n.12.* Imo DD.pro contraria opinione adducti (Caietano excepto) nihil aliud ſentire videntur, niſi quod illa præcepti obligatio auferri nequeat, atque inſuper addunt Sotus, & Say. *ibidem*, facile eſſe in his votis diſpenſandum, & vix ea conſulenda.

12. Prædicta igitur quinque vota duntaxat Pontifici reſeruari dicendum eſt, & ſunt illi adeo reſeruata, vt nec Legatus à latere abſque ſpeciali Pontificis priuilegio poſſit in eis diſpenſare: Legatus namque à latere in ſolis votis Epiſcopo conceſſis diſpenſare valet; eſt communis opinio, vt probat Sanch. *lib.8.de matrim. diſp.9.n.25.* His autem quinque exceptis, poſſunt Confeſſores Regulares virtute ſuorum priuilegiorum diſpenſare in reliquis ſæcularium votis.

13. Secunda concluſio. Prouinciales Mendicantium habent priuilegium, vt ſuis Confeſſoribus ab ordinario approbatis iuxta Tridentini normam, poſſint concedere facultatem diſpenſandi ad petendum debitum, cum iis, qui ante matrimonium initum vouerant caſtitatem;

Digitized by Google

tatem; id namque eis conceſſit Pius V. viuæ vocis oraculo, vt teſtantur Veracruz 1.*p.ſpeculi, art.*15.*paulo ante dub.* 2.Cord.*ſum.quæſt.*136.*punct.*2.Palat.4.*diſt.* 32.*diſp.*2.*verſic.* ſuffragatur communi placito. Man.Rodr. *in Bulla*, §.9. *num.*148.*& quæſt. regul.*1.*tom...quæſt.*63.*art.*2. Henriquez, *lib.*12. *de matrim.cap.* 2.*num.*9. & habetur *in compend. priuileg. Societatis* IESV, *verb. diſpenſatio*, §. 9. Limitant autem quidam hoc priuilegium, vt intelligatur cum vouens iam matrimonium conſummauit, ſecus cum nondum conſummauit. Ducuntur, tum quia hic tenetur ingredi Religionem: impediretur autem ipſo debitum petente, & altero reddente; tum quia ea facultas conceſſa eſt, vt periculo conſulatur eorum, qui poſt id votum contraxere matrimonium, quippe in magno periculo verſentur, ſi debiti petitione priuentur, dum debitum reddere teneantur; quæ ratio non militat ante conſummationem; tunc enim non tenentur reddere. Sic Azor.*tom.*1.*inſtitut. mor.lib.*11.*cap.*19.*quæſt.*20.*verſic.ſed dubia quæſtionis eſt*; atque idem ſentirent omnes, qui hunc ad Religionem teneri opinantur.

14. At quamuis hæc opinio vera ſit, ſuſtinendo hunc teneri ad Religionem, quia tamen probabilius eſt non teneri; idcirco dicendum cenſeo poſſe tunc diſpenſari. Ratio eſt, quoniam ſi manet in ſæculo, prout licite poteſt, tenetur matrimonium conſummare, reddendo debitum, ac ſubinde in magno peccandi diſcrimine conſtituetur, ſi petitio debiti ſit ei interdicta. Vnde ſequitur militare tunc rationem conceſſionis, ſeu priuilegij, quæ fuit, vt huiuſmodi periculo proſpiciatur. Atque ita ſentiunt Manuel Rodr. *ſum. tom.*1.*in* 2.*edit. cap.*242.*num.*2.Say. *in claui Regia*, *lib.* 6. *cap.*11. *num.*104. Vega *ſum.tom.*2.*cap.*129.*caſu* 118.*punct.* 2.quos ſequitur Sanch. *lib.*8.*de matrim. diſp.*16.*num.*4.

15. Cæterum, cum id priuilegium expreſſe loquatur de voto ante matrimonium emiſſo, certum eſt non poſſe Religioſos virtute illius diſpenſare ad petendum debitum cum coniuge, qui poſt matrimonium vouit caſtitatem. Atque ita docent Man. Rodr. *vbi ſupra cap.*143.*num.*14. *& quæſt. regul. tom.*1.*quæſt.*63.*art.*2. Vega *eod. cap. caſu* 77. & Sanch.ibidem *num.*5. Nihilominus virtute priuilegij, quod habent, diſpenſandi in omnibus votis, quæ Pontifici non ſunt reſeruata, poterunt quidem diſpenſare non ſolum ad petendum debitum, ſed omnino in eo voto, cum à perfecta voti caſtitatis ratione deficiat, in quo poſſunt Epiſcopi iure ordinario diſpenſare, & conſequenter etiam Religioſi, vt habetur ex dictis dub.8.proxime præcedenti. At ſi ante matrimonium, vel poſt, nondum tamen conſummatum, coniux Religionem vouerit, nequibunt Religioſi cum eo diſpenſare, vt petat, aut reddat debitum; quippe ſolum de caſtitatis voto loquitur priuilegium: imo nec in eo caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare probat Sanch.*ſum.tom.*1.*c.*40.*n.*64. cum is Religionem ingredi teneatur.

16. Tertia concluſio. Poſſunt inſuper Confeſſores Mendicantium ab ordinario approbati, ex commiſſione Prouincialis diſpenſare, in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis coniugibus, qui intra quartum gradum ratione inceſtus affinitatem contraxerunt. idque per declarationem à Iulio II. factam conceſſionis Martini V. Monachis Benedictinis, & per aliam Pij V. conceſſionem viuæ vocis oraculo factam, & impetratam à Patre Ioanne de Aguilera ordinis Minorum Regularis obſeruãtiæ in Romana Curia Commiſſario ſub anno 1569. vt referũt Collector Priuileg.

Digitized by Google

Priuileg. Mendic. *verb. diſpenſatio, num.* 17. Veracruz 1. *p. ſpeculi, art.* 23. *fine.* Sorbus *in eod. compend. verb. Abſolutio* 2. *quoad ſæculares, in ſuis annot. concluſ.* 9. Man. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 143. & quamuis Cord. *in annot. ad Collectorem, verb. diſpenſatio*, §. 17. aſſerat non eſſe tutum eo priuilegio vti, cum non habeatur in libris ordinis, nec de eo conſtet; Sanchez tamen *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 16. *num.* 8. cenſet tutiſſimum eſſe ea conceſſione vti, haberique in compend priuil. Soc. IESV *verb. diſpenſatio*, §. 8. Imo Man. Rodr. *addit. ad Bullam*, §. 13. *n.* 17. hoc priuilegium extendit, vt poſſit quoque virtute eiuſdem priuilegij diſpenſare ad petendum debitum cum coniugibus, qui ſpiritualem cognationem contraxerunt, nimirum dum alter eorum proprium filium extra caſum neceſſitatis baptizauit; id tamen non placet Sanch. *ibidem num.* 9.

17. Sed quæres, an hæc facultas Religioſis conceſſa diſpenſandi, ac commutandi ſæcularium vota reſtringenda ſit, vt ea duntaxat vtantur erga ſubditos illius Diœceſis, in qua ipſi Religioſi commorantur. Sylu. *verb. Domicilium in fine*, ſequutus Panor. *in cap. nullus de Paroch.* agens de commutatione votorum, ait; Mendicantes, eſto poſſint ex priuilegio confeſſionem ſæcularium vndecunque ad ſe venientium excipere, non tamen poſſe forenſium vota commutare, cum id nequeant ipſi Epiſcopi, qui eos exponunt. Man. Rodr. *in Addit. ad Bullam*, §. 9. *num.* 120. idem attentis antiquis Mendicantium priuilegiis fatetur; attento autem præcit. priuilegio per Paulum III. Soc. IESV conceſſo, quo expreſſe conceditur facultas commutandi vota ſæcularium vndique venientium, affirmat neceſſario dicendum eſſe, id ſimiliter poſſe Mendicantes. At ſubdit ſtatim priuilegio per Innoc. VIII. conceſſo ad diſpenſandum in ſæcularium votis, non poſſe eos vti erga forenſes, ſed ſolum erga illius Epiſcopi ſubditos, & rationem aſſignat; quia virtute dicti priuilegij ſolum conceditur facultas diſpenſandi in votis, in quibus poſſunt ipſi Epiſcopi diſpenſare, & Epiſcopi ſolum in votis ſuorum ſubditorum diſpenſare valent: igitur idem videtur ſentiendum de Religioſis illius Diœceſis. Nec obeſt quod poſſint Religioſi forenſium vota commutare, non enim ducitur argumentum à poteſtate commutandi ad diſpenſandi poteſtatem, vt dictum eſt alibi.

18. Hæc opinio videtur probabilis, ſed æquitati, ac rationi magis conſona videtur oppoſita, quam tuetur Sanch. *d. lib.* 8 *de matrim. diſp.* 16. *num.* 10. & *ſum. libro quarto, cap.* 43. *num.* 15. aſſerens vtrumque priuilegium extendi ad vndecunque venientes, & ſic iudicaſſe alios viros doctrina celebres, & ſuadetur. Primò, quia facultas diſpenſandi, ſeu commutandi non eſt Religioſis conceſſa ab Epiſcopo, ſed à Pontifice, qui toti orbi præeſt; igitur non eſt reſtringenda ad ſubditos illius Diœceſis, in qua Religioſi ipſi inueniuntur. Secundò, quia cum hæc facultas ſit prædictis Religioſis conceſſa, vt pœnitentium ad illos venientium ſaluti melius poſſint conſulere, ratio poſtulat, vt ſicut vndecunque venientium poſſunt confeſſiones audire, ita eorumdem vota valeant etiam commutare, ac in eis diſpenſare. Tertiò, quia cum priuilegia commutandi, ac diſpenſandi ſint non vni, aut alteri perſonæ, ſed toti Religioni conceſſa, cõſequenter ſunt potius tanquam fauorabilia extendenda, quam reſtringenda. Tum quia quæ communitati in perpetuum conceduntur, æquantur legi, & perinde habentur ac ſi in iuris corpore inſerta eſſent, ſunt enim conſtitutiones perpetuæ. Sic Oldradus

conſ. 300.

Digitized by Google

conſ.300. num 4. verſic. conſiderandum eſt, & Henriquez lib.7. de indulgent. cap.22. num.3. & cap.24 num.4. fine. Tum quia huiuſmodi priuilegia conceduntur erga perſonas indeterminatas, & non expreſſas, & conſequenter ſunt non ſtricte, ſed late interpretanda, vt multis citatis probat Sanchez lib.8. de matrim. diſput.4. num.6.

19. Nec ratio in contrarium adducta eſt alicuius momenti, nam reſtrictio illa diſpenſandi in votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, interpretanda eſt, vt nequeant diſpenſare in votis Pontifici reſeruatis, in quibus ratione reſeruationis nequeunt ipſi Epiſcopi; quod certum eſt, & nos fatemur.

20. Quæres ſecundò, an Religioſi poſſint prædicta diſpenſandi facultate vti extra confeſſionem. Negant nonnulli, tum quia priuilegium iſtud conceditur Confeſſoribus Regularibus, quod videtur denotare, non niſi intra confeſſionem eſſe illo vtendum. Tum quia diſpenſationes huiuſmodi committuntur Confeſſoribus, vt pœnitentium ſint iudices in foro interno; ſicut diœceſanis Officialibus pro foro externo committuntur, vt fori externi ſint iudices: Confeſſor autem non eſt iudex in foro interno, niſi confeſſionem audiat. Ita tenent expreſſe Sayr. in claui regia, lib.5. cap.8. num.10. fine, & lib.6. cap.11. num.105. Sorbus in compend. priuileg mendic. verb. votum, in ſuis annot. notab.7. & pro eadem ſententia ſunt etiam DD. de priuilegio commutandi vota per Bullam idem ſentientes.

21. Cæterum mihi oppoſitum magis probatur. Nam præcitata priuilegia diſpenſandi non exprimunt quod audita confeſſione diſpenſatio fiat; teſte autem Suarez tom. 2. de Religione, lib.6. cap.16. num. 4. cum priuilegium non exprimit, vt diſpenſatio in confeſſione fiat, aut in foro pœnitentiæ non requiritur confeſſio, eſto exigat quod diſpenſans ſit Confeſſor approbatus; quippe Confeſſoris nomen potius eſt muneris, quam actualis exercitij, & ſolum requiritur, vt pro munere confeſſiones audiendi ſit approbatus. Imo (vt ſubiungit idem Author) etiam ſi in priuilegio dicatur diſpenſationem concedi pro ſolo conſcientiæ foro, adhuc non inde ſequitur, quod ſit neceſſaria confeſſio, quoniam forum conſcientiæ latius patet, quam ſacramentalis pœnitentiæ forum, & per eiuſmodi verba ſolum indicatur, diſpenſationem pro foro externo non valere.

22. Vnde Rodriq. qq. Reg. tom.1. q.61. art.10. inquit facultatem abſoluendi in foro pœnitentiæ intelligi intra confeſſionem, ſecus de facultate abſoluendi in foro conſcientiæ; & Eman. Sà verb. excommunic. vbi de abſolutione ab ea, num.1. docet habentem facultatem abſoluendi, vel diſpenſandi in foro interiori, poſſe id exequi extra confeſſionē, & tradit etiam Nau. lib.5. conſ. tit. de priuileg. in 2. edit. conſil.11. num.2. Atque pro hac ſententia ſunt omnes DD. quos ſupra retuli, dicentes idem ſentiendum circa commutationem virtute Bullæ, vel alterius priuilegij faciendam. Necnon id latè probat Sanchez lib.8. de matrim. diſp.34. num.29. vbi ſequutus Suar. ibidem, ait diſpenſationes à ſacra pœnitentiaria commiſſas diſcreto Confeſſori pro ſolo conſcientiæ foro, ſimiliter poſſe extra confeſſionem expediri. Hoc tamen non placet, cum in eiſdem commiſſionibus oppoſitum expreſſe habeatur, & mihi conſtat.

***

Digitized by Google

CAPVT VII.

De praxi, & modo commutandi vota, tam virtute Bullæ, quàm cuiuſcunque alterius priuilegij.

DVBIVM I.

Quænam ſint obſeruanda in commutatione voti abſtrahendo ab hoc, vel ab illo voto.

1. A Deo ſunt immumera vota, & variæ eorum circumſtantiæ, vt eorundem commutationi difficile valde cenſeatur certam præſcribere formam, ſed prudentis arbitrio id potius ſit remittendum, vt *cap. 1. de voto*, colligunt Abb. *ibi num. 2.* Abul. *cap. 30. Num. quæſt. 104.* Nauarr. *ſumma, cap. 12. num. 77.* & Suar. *tom. 2. de Religione, tract. de voto, lib. 6. cap. 19. num. 21.* Ne tamen in materia adeo graui, & neceſſaria deficiat aliquid quod deſiderari meritò poſſit, nonnulla in primis adducemus documenta generalia, deinde circa præcipua vota quid ſit obſeruandum inſinuabimus, ac tandem aliquot peculiarium votorum commutationis exempla ſubiicere nitemur.

Documentum 1. 2. Quare, primum documentum ſit, maiorem materiæ ſubrogatæ dignitatem in commutatione ſpectandam fore reſpectu ſolius materiæ promiſſæ, nec vllam vinculi voti eſſe rationem habendam. Quamuis enim in diſpenſatione vtrumque ſit attendendum, vt rectè aſſerit Sanchez *ſumm. lib. 4. cap. 45. num. 37.* in commutatione tamen diuerſum eſt; in diſpenſatione namque tollitur omnino vinculum voti, in commutatione verò idem prorſus remanet in materia ſubrogata, vt multis citatis docet idem Sanchez *eod. lib. cap. 55. n. 2.* Hoc documentum tradunt Caiet. 2. 2. *quæſt. 88. art. 12. verſ. in commutatione autem votorum.* Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt. 4. art. 3. verſ. de cauſis ſubinde*, Valent. 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 6. punct. 7. dub. 2.* Man. Rodr. *in addit. ad Bullam, §. 9. n. 105.* & alij.

3. Hinc primò deducitur votum vitandi alicuius peccati, vt non fornicandi, ſeu non furandi, non magna egere commutatione. Nam per commutationem nec tollitur obligatio præcepti, vt conſtat, nec noua voti obligatio, cum hæc in materiam tranſeat ſubrogatam; ſed tantum fit, ne illa voti obligatio cadat in priorem præcepti materiam. Vnde æqualitas materiæ ſubrogatæ in hoc caſu ſolum eſt ſpectanda, vt recompenſet obſequium diuinum redundans ex voti vinculo, quod erat priori præcepti materiæ ſuperadditum. Atque ideo perpendendum eſt, quantum obligatio voti ſuperaddita illi præcepto arceat vouentem ab eiuſdem præcepti tranſgreſſione; quippe is ſolet eſſe huiuſmodi votorum finis. Quapropter ſi valde arcere contingat, idque fortaſſe conſtat ex eo, quod ſecluſo tali voto vouentis conſuetudo ſit paſſim in eiuſmodi peccatum prolabi, tunc magni obſequij diuini æſtimandum eſſet, ac ſubinde graui commutatione ſimiliter arcenti indigeret; qualem ducerem perpetuam confeſſionem ſingulis menſibus faciendam. *Appendix 1.*

4. Secundò deducitur in commutatione voti, & iuramenti eiuſdem materiæ, neutrius vinculi eſſe rationem habendam, ſed ſolius materiæ promiſſæ, ac proinde non requiri maiorem materiam ſubrogatam, quia vel vtrumque vinculum cadit in materiam ſubrogatam, *Appendix 2.*

Digitized by Google

tam, vel dempto per commutationem vno ceſſat alterum, vt recte obſeruat Sanchez *lib. cit. cap.55. num.12.* vbi ait, quod ſi votum iuramento firmatum commutetur, materia per commutationem ſubrogata ſolo voti vinculo obligabit; tunc enim non commutatur iuramentum, ſed ſolum votum, & ex conſequenti ceſſat iuramenti obligatio. Subiungit tamen idem Author poſſe commutantem votum nolle id commutare, niſi vouens vtramque obligationem accepter. At hic modus commutandi non eſt neceſſarius, ſed poteſt ſimpliciter commutari votum, ita vt maneat poſtea non iuratum. Ita tradunt idem Author *loco cit.* & Suar. *eod. lib.6. cap.14. num.18.*

Appendix 3. 5. Tertiò deducitur, quando vltra votum, aut iuramentum rei alicuius, adeſſet aliud non petendæ commutationis, attendendum eſſe in materiæ ſubrogatæ æqualitate duplex votum, ſeu iuramentum, vel vnum votum, & aliud iuramentum commutari, nimirum alterum rei principaliter promiſſæ, alterum vero non petendæ commutationis. Atque ideo materia ſubrogata debet eſſe æqualis vtrique nexui; nec æqualitas cum prioris voti materia ſufficeret, & hoc arbitror voluiſſe inſinuare Rodr. *in Bulla*, §.9. *num.112.* dum ait, tunc non ſatis eſſe commutare votum in rem æqualem, ſed in meliorem commutandum, & tenet expreſſe Sanchez *d. lib.4. cap.56. num.5.*

Documentũ 2. 6. Secundum documentum. Eſſe maius, aut minus, aut æquale bonum materiæ promiſſæ, & eius, in quam commutatio fit, non eſt ſpectandum iuxta excellentiam virtutis, cuius eſt actus, ita vt ſemper cenſeatur mutatio in melius facta, cum commutatur in opus excellentioris virtutis. Vt ſi commutetur ieiunium, quod eſt actus abſtinentiæ, in orationem, quæ eſt Religionis, & conſtat eſſe abſtinentia excellentiorem, non ſemper erit commutatio in maius, nec in bonum æquale; ſed habenda ratio vouentis. Quoniam cum vota tendant in Dei obſequium à vouente exhibendum; nec ſemper ſit Deo gratius, vouentem præſtare, quod per ſe eſt excellentius, ſed quod pro tempore, & loco, & vouentis diſpoſitione magis congruit eius ſaluti ſpirituali. Idcirco non ſemper æſtimatur melius, aut æquale, quod ex natura ſua eſt tale, ſed quod hic, & nunc eſt gratius, aut æquè gratum à vouente præſtari; atque id colligitur manifeſtè ex *cap.1. de voto*, quatenus ait, ab eius, qui præſidet, pendere arbitrio, vt conſideret diligenter, an peregrinatio, vel recompenſatio ſit melior, magíſque Deo grata, & ad hoc ponderandas eſſe perſonæ, loci, ac temporis circumſtantias. Huius autem rationem recte aſſignat Suar. *eodem lib.6. cap.18. num.8. ad finem*, quia non ſatis eſt opus in ſpecie, & ſecundum ſe eſſe melius, ſed oportet rem in indiuiduo expendere.

7. Hinc primò deducitur, quod in commutandis votis ſunt maxime ſpectanda ſpiritualis vouentis vtilitas, & finis voto intentus. Vt ſi quis ad domandam carnem vouit ieiunium, aut ad exterminandam auaritiam vouit eleemoſynam, non recte fiet commutatio in alia opera ex ſe excellentiora, quæ tamen ei fini aſſequendo non ita ſint opportuna. Sic docent Palat. *in 4. diſt. 38. diſp.3. paulo ante verſ. Memineris porro.* Azor. *tom.1. inſtitutionum mor. lib.11. cap.18. quæſt.1. & 13.* Sayr. *in claui regia, lib.6. cap.12. num.5. & 6.* Suar. *eod. lib.6. cap.19. num.21.* Sotus *lib.7. de iuſtit. q.4. artic.3. verſ. ex iſtis conſequitur*, & Supplem Gabr. *4. diſtinct. 38 quæſt.1. art.5. ad finem.* vbi aſſerit melius, aut æquè bonum attendendum fore, non ſecundum proportionem rei ad rem, ſed quod ſit *Appendix 1.*

Digitized by Google

melius pro tunc, ſeu æqualiter cedat in bonum vouentis, ad arbitrium viri prudentis.

Appendix 2. 8. Secundò deducitur, quando dicitur votum commutandum eſſe in melius, ſeu æque bonum, id intelligi in magis, ſeu æque meritorium, aut ſatisfactorium vel impetratorium, v.g ieiunium, eleemoſyna, & peregrinatio ſunt meritoria, ſatisfactoria, & impetratoria; excedunt tamen oratio, ſacramentorum frequentia, & Miſſæ ſacrificium. Atque ideo rectè poterunt illa in hæc commutari. Vnde ſi quis voueat eleemoſynam, ieiunium, aut peregrinationem, ſanum conſilium erit quodcunque iſtorum commutare in ſacramentorum frequentiam, & orationem mentalem, cum per hæc ſatis communicentur merita Chriſti, augeatur gratia, deſeruiantque vehementer peccatis cauendis: Ac inſuper conſulerem commutationem facere in aliquot ſacra facienda, cum per illa diuinus cultus valde augeatur, ſintque magni valoris, & conſequenter quancunque rei promiſſæ quantitatem, etiam magnam, facile adæquabunt. Ita Angles *floribus*, *in 4.2. p. quæſt. de voto, diffic.* 10. *dub. vlt. propoſitione* 1. & Sanch. *d.cap.*56.*n.*8.

Appendix 3. 9. Tertiò deducitur, ſemper habendam eſſe rationem finis, ad quem res promiſſa ordinatur: quoniam dignitas materiæ promiſſæ augetur ex digniori fine, ac proinde maiori commutatione indigebit. Vnde ſi quis voueat non ludere, cauſa vitandi blaſphemias, & periuria, maiori indiget commutatione, quam ſi finis eſſet duntaxat, prodigam vitare pecuniæ iacturam. Quapropter in commutatione facienda examinare oportet vouentis finem, tum ad perpendendam maiorem materiæ promiſſæ dignitatem, tum etiam ad dignoſcẽdum an materia ſubrogata deſeruiat magis illi fini aſſequendo. Vt ſi quis ad conſeruãdam caſtitatem, ſeu domandas carnis illecebras, vouerit peregrinationem, plus ad huiuſmodi finem conſequendum conducent ieiunium, & oratio, vt conſtat ex dictis vtraque præcedenti appendice.

Documentum 3. 10 Tertium documentum. Habenda ſimiliter ratio eſt difficultatis implẽdi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam. Ita Sanch. *vbi ſupra num.*10. & merito, quia difficultas auget meritum. Ita tradunt Hoſtien. *in ſum. tit. de voto*, *§. æqualiter*, *& cuius*, *num.*12. *verſic. ſed in redemptione.* Angelus *verb. votum.* 4.*num.*12. Nau. *in man. cap.*12.*num.* 77. *fine*, Suar. *dict. lib.*6.*cap.*19 *num.*16. & alij aſſerentes votum ieiunij à paupere emiſſum, ſi in eleemoſynam commutetur, poſſe in minorem commutari, quam ſi à diuite emiſſum fuiſſet: cuius rationem reddit Palac. *ſupra*, quia attenta pauperis indigentia pluris Deus æſtimat modicam illius pecuniam, quam magnam diuitis. Vnde Chriſtus *Luc.* 21. prætulit pauperem viduam vnum aſſem offerentem, aliis diuitibus, qui plures aureos obtulerant. Atque ideo dicendum eſt pauciora ieiunia poſſe in eiuſdem voti commutatione imponi laborantibus, cholericis, ac debilibus, quam otioſis, phlegmaticis, & robuſtis. Nec immerito, quia pauciora in illis æquiualent pluribus horum, ratione maioris difficultatis, quam priores patiuntur in ieiuniorum obſeruatione.

Appendix 1. 11. Hinc deducitur primò, ad rectam commutationem non opus eſſe, vt votum perſonale in perſonale, & reale in reale commutetur; ſed poſſe reale in perſonale, & perſonale in reale optime commutari. Conſtat ex *cap.*2. *de voto*, vbi votum perſonale peregrinationis Hieroſolymitanæ commutatur in eleemoſynam, quæ quid reale eſt. Rationem autem aſſignat Sanch. citatus *num.* 24. quia

Digitized by Google

24. quia cum in his commutationibus ratio ſit habenda ſolius maioris obſequij diuini, aut ſaltem æqualis, & poſſit hæc æqualitas in vtraque materia reperiri; Hinc ſequitur non opus eſſe in hac cõmutatione ſeruare virtutem, aut ſimilitudinem phyſicã inter vtramque materiã, ſed proportionem aut æſtimationem moralem in ordine ad Dei gloriam. Hanc ſentẽtiam videtur amplecti Angel. *verb votum.4.n.*10. vbi tenet ſatis eſſe ſi commutetur in æquale, eſto non ſimile. Atque eidem fauent DD. pro tertio documento citati, dum aſſerunt votum ieiunij pauperis poſſe in minorem eleemoſynam commutari, quam idem votum diuitis; ſic enim admittunt votum perſonale in reale commutari poſſe, atque eadem eſt ratio de commutatione realis in perſonale. Vide Suar. *ibi.* & Leſſium *lib.2.de iuſt.cap.*40. *dub.*16. *num.*109.

Appendix 2. 12. Secundò deducitur, dum Angles *loc.cit. art.*8. *diffic.* 6. Angel. *votum* 4. *num.*12. & alij inquiunt expenſas in peregrinatione promiſſa conſumendas, commutari debere in eleemoſynas, & laborem itineris in opera perſonalia, quod etiam habetur *capite Magnæ, de voto*, id non accipiendum eſſe tanquam quid præcepti, ſed tanquam quid conſilij, & tanquam quid congruentius. Ita docent expreſſe Suarez *eod. cap.* 19. *num.*15. & Sanch. *eod. cap.* 56. *num.*25.

Appendix 3. 13. Tertiò deducitur, ſanum conſilium eſſe commutationes facere aliquando in ea, quæ alias ipſi vouentes ex deuotione facere conſueſcũt. Quamuis enim in hæc non ſit facienda tota commutatio, at quando commutatór dubius eſt, an id, in quod commutat, ſit æquale, prudenter faciet ſi adiungat aliquid ex iis, quæ pro ſua deuotione vouens ipſe præſtare ſolet, nam tunc ſcrupuli ceſſabunt, & commutatio erit minus moleſta voventi. Imo proderit etiam, ne vouens nimis grauetur, ita vt tranſgreſſionis periculo circa materiam ſubrogatam maneat expoſitus. Vnde ſi calculos virgineos recitare ſacrove intereſſe, aut aliquibus diebus ieiunare ſolitus ſit, optimum erit in hæc opera commutationem facere; dummodo tamen commutatio nuſquam fiat in opera alio præcepto debita: quia ſicut per huiuſmodi opera non ſatisfit voto, ita nec commutationi, vt recte Leſſius *ſupra*; & Sanch. citatus *num.*38.

14. Quartum documentum. Non requiritur ad voti commutationem, vt materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſæ, magnitudine, duratione, aut numero, dummodo ſit æqualis obſequij diuini. Rationem huius reddit Sanch. *loco cit. num.* 27. quoniam diuturnitas, aut maior quantitas, ſeu maior numerus prioris operis, poterit qualitate, & grauitate operis ſubrogati, minori tempore exequendi, aut minori magnitudine, & numero compenſari. Vnde ſi quis voueat dare decem in eleemoſynam, ſi nauis venerit, poterit commutari, vt teneatur dare quinque, ſiue veniat, ſiue non; & ſi quis voueat dare ſingulis annis quatuor in eleemoſynam per totam vitam, commutari poteſt vt pro vna vice tantam elargiatur eleemoſynam, quæ iudicio viri prudentis adequare valeat priorem promiſſionem. Ita Suar. *dict. cap.* 19. *num.* 21. & Leſſius apud Sanchez, *vbi ſupra num.*27. *Documentum 4.*

15. Hinc primò deducitur, votum implendum certa, ac determinata die, non opus eſſe, quod in rem aliam eodem die exequendam commutetur, cum poſſit maioris eſſe, aut æqualis obſequij diuini materiam ſubrogatam exequi altera die. Ita Henriq. *lib.7 de Indulg. cap.*10. *num.*6. Imo optime faciet commutator, vt quantum fieri poſſit, non *Appendix 1.*

Digitized by Google

reſtringat tempus exequendi id, in quod commutat votum, ſed illud vouenti liberum relinquat, vt ſi, v.g commutat vota in Roſaria, non reſtringat ad recitandum illa tali die, ſed ſub diſiunctione, nempe tali die, vel ſequenti: aut ſi ſingulis diebus eſſet recitandum, dicat pœnitenti, quod ſi contingat vnò die omittere, bis ſequenti die illud recitet, ſic enim facilior redditur commutatio voti in ipſa executione. Obſeruat autem Sanch. *num.* 29. quod dum Confeſſor votum certa die obligans commutauit abſolute, materia ſubrogata obligat eadem die, niſi ex eius qualitate, & adiunctis circumſtantiis illud colligatur.

Appendix 2. 16. Secundò deducitur, quod dum commutatur non ipſum votum, ſed ſola voti explendi dilatio, poteſt modica ſuppleri commutatione, niſi diuino obſequio multum conducat impleri die illa deſtinata, aut in aliam differri: & quo maior eſt dilatio, eo maior debet eſſe commutatio; imo in euentu, quod valde obſequio diuino conduceret non differri, multo maior deberet eſſe commutatio. Sicut contingit in Religionis, vel ordinis ſacri voto, quod ſi vltra ſuæ obligationis tempus differatur, multa obſequia diuina illi ſtatui annexa impediuntur; vt recte perpendit Sanch. *eod.cap.*56. *num.*37. imo aliquando contingit ex nimia dilatione, vouentem reddi inhabilem, & incapacem voti implendi, præſertim ſi ſit Religionis votum, quod hac de cauſa parce, & raro, & non niſi ex cauſa ſatis legitima differri debet.

Appendix 3. 17. Tertiò deducitur, in commutatione facienda ſeruandum eſſe tenorem Bullæ, ſeu priuilegij, in cuius virtute votum commutatur, ita vt in illius vtilitatem votum commutet, in quod Bulla ipſa præſcribit, vt docet Nauar. *in man.cap.*12.*num.*71. Vnde merito cauendi ſunt Confeſſarij, qui his temporibus virtute Cruciatæ omnino vota commutant in ieiunia, & orationes, cum Bulla ipſa præſcribat commutationem in fauorem Cruciatæ, ſeu in ſubſidium belli contra infideles faciendam eſſe. Dixi, omnino, quia non opus eſt totam commutationem in belli ſubſidium temporale fieri, nam partem in ſubſidium ſpirituale fieri aliquando poſſe oſtendimus *ſupra, cap.* 6.*dub*... & tradit Leſſius *d.c.*40.*dub.*16. *num.*109.

18. Quintum documentum. Quoties commutatio non fit in melius, vel ſaltem in euidenter æquale, neceſſario requiritur authoritas ordinaria, ſeu delegata, vt recte, & valide fiat. Quibus autem competat poteſtas ordinaria commutandi vota, tenet communis ſententia, quod omnis, & ſolus, gaudens ordinaria diſpenſandi in votis poteſtate, gaudet quoque ordinaria commutandi illa, & è conuerſo. Tum quia cùm vtraque ſit iuriſdictionis ſpiritualis in foro externo, omni, & ſoli hanc habenti, competit illa. Tum etiam quia vtraque includitur in paſtorali munere, & in illius adæquata iuriſdictione per modum vnius ſimplicis poteſtatis ad id munus neceſſariæ; atque ideo neutra ab alia ſeparatur. Ita Sylueſt. *votum* 4.*quæſt.*3. *dicto* 2. Tabiena *verb. Diſpenſatio*, *quæſt.* 9. *num.* 11. *ad finem*. Palat. 4. *diſt.*38. *diſp.*3. Toletus *lib.*4.*ſumm.cap.*18.*num. vltim.* Suar. *eod. lib.*6.*cap.*12. *num.*4 *fine.* Petr. de Ledeſma *ſum.tom.*2 *tract.*10.*cap.*8.*in fine* 3. *partis, verſ. Digo lo* 4. Qui vero habeant ordinariam poteſtatem diſpenſandi in votis, tam ſæcularium, quam Regularium, explicuimus *cap.*6.*dub*... ac ſubinde omnes illi poterunt eorundem vota commutare. *Documentum 5.*

Appendix 1. 19. Hinc primò deducitur, quod cum huiuſmodi ordinaria poteſtas ſit

iuriſdictio

iuriſdictionis ſpiritualis ad vota vice Dei commutanda, & conſequenter ſit non à iure naturali profecta, ſed à Chriſto Seruatore noſtro conceſſa; ſicut de poteſtate diſpenſandi tradunt Azor. *tom.* 1. *inſtitut. mor. lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 18. Sanchez *ſum. lib.* 4. *cap.* 36. *num.* 16. & communiter omnes: ideo nec laicus, nec etiam clericus coniugatus eſt huius poteſtatis capax, niſi ex Pontificia diſpenſatione; ſicut nec etiam fœmina eſt illius capax, vt recte docet Man. Rodr. *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 25. *art.* 6. Vnde Sanch. *eod. lib. cap.* 39. *num.* 7. tradit Abbatiſſam, nec etiam poſſe in Monialium votis diſpenſare, cum vtrumque ſit actus iuriſdictionis ſpiritualis. Atque ob eandem rationem cenſet idem Author *cap.* 49. *num.* 25. commutationem, & diſpenſationem factam à Prælato excommunicato denuntiato, aut notorio clerici percuſſore non eſſe validam.

Appendix 2. 20. Secundò deducitur ad commutandum votum in rem manifeſte meliorem, non opus eſſe Superioris authoritate, ſed quemcunque poſſe propria authoritate ſic commutare. Probatur tum ex *cap. Peruenit, il* 2. *de iureiur.* ibi, *Promiſſum non infringit, qui illud in melius commutat*; tum ex *cap. ſcriptura, de voto* ibi, *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſeruantiam commutare.* Sanchez *eod. cap.* 49. *num.* 4. pro vtraque parte citat D D. ipſe verò nobiſcum ſentit, ſicut etiam Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *paulo poſt principium.* Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *verſic. An de commutatione.* Nau. *in Man. cap.* 12. *num.* 75. Cord. *ſum. quæſt.* 149. Ouandus 4. *diſt.* 38. *diſp. vnica, propoſitione* 17. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. *verſic. Hac ipſa ratione.* Man. Rodr. *in Bulla*, §. 9. *num.* 105. & plures alij. Imo votum poſſe etiam in euidenter æquale propria vouentis authoritate commutari ſentiunt authores non pœnitendi, quos refert ipſe Sanch. *ibidem. num.* 10. & nos ſimiliter eſſe ſatis probabile oſtendimus ſupra *dub.*..

21. Tertiò deducitur, quod etiam ſi commutatio in melius fieri poſſit propria vouentis authoritate, id tamen intelligitur de votis non reſeruatis, reſeruata enim nequeunt inter ſe commutari abſque expreſſa Pontificis authoritate. Ita Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *verſic. At vero quando.* Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 11. *cap.* 18. *quæſt.* 4. Suar. *eod. lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 17. cum aliis per Sanchez *eod. lib.* 4. *cap.* 52. *num.* 4. relatis. Ratio eſt, quia quamuis inter reſeruata vnum æſtimetur melius, aut laborioſius alio, vt patet de voto peregrinationis vltramarinæ reſpectu Romanæ, ſeu Compoſtellanæ, & de voto caſtitatis reſpectu cuiuſcunque ex dictis peregrinationibus; multæ tamen rationes poſſunt occurrere, ob quas minus expediat peregrinatio vltramarina, quam aliæ duæ: votum autem caſtitatis nunquam aliorum votorum obſeruantiam impedit; imo ad illa, & ad omne bonum iuuat, vt recte obſeruat Suarez *ibidem*; ac proinde non oportuit concedi, vt ob caſtitatem valeat quis ſe ab aliis votis eximere. Vnde iure optimo potuit Pontifex in his votis iudicium ſibi reſeruare, an expediat illa commutari; & conſequenter ex quo ſibi reſeruauit, videtur quod inferioribus ea commutandi ſit ablata facultas. Appendix 3.

Neque obſtat, ſi dicas quod cum huiuſmodi commutatio cedat in maiorem Dei cultum, videtur quod nō ſit prohibita; eſſet enim talis prohibitio contra bonos mores, quippe meliori bono videtur obſtare, & hac de cauſa à noſtra diſcedunt ſententia Arag. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *dub.* 1. *in corollario quod infert*

Digitized by Google

infert ex tertio dicto. Say. *in claui regia, lib.6.cap.*18.*num.*14.& Valent. *loco citat.* Reſpondetur nihilominus negando id bonis moribus aduerſari, non enim magis bonum ſimpliciter interdicitur, ſed præſcribitur modus eligendi illud loco materiæ promiſſæ, nempe ex licentia ſupremi Vicarij Chriſti, cui aliud bonum erat in ſpecie promiſſum.

22. Sed quæres, an ſaltem in votum Religionis poſſint alia vota etiam reſeruata commutari abſque ſpeciali Pontificis facultate. Reſpondetur affirmatiue ſi loquamur de voto Religionis conſtitutiuo, non promiſſiuo tantum. Id namque dicitur votum Religionis conſtitutiuum, quod in profeſſione emittitur; promiſſiuum autem eſt illud, quod quis priuate emittit ingrediendi Religionem; illud eſt ſolenne, hoc ſimplex. Et de priori agit *cap. Scripturæ, de voto*, vbi habetur licite poſſe quodcunque temporale obſequium in perpetuam Religionis obſeruantiam commutari, nam ſola ſimplex Religionis promiſſio, non poteſt dici perpetua Religionis obſeruantia. Atque ideo huiuſmodi commutatio non fit ab homine, ſed à iure ipſo vota omnia per Religionis profeſſionem extingui ſtatuente. Vnde ſequitur, quod ſi quis Religionem voueat, non ſtatim eximitur ab obligatione cuiuſcumque voti, imo etiam ſi Religionem ingrediatur, & per ingreſſum ſuſpendantur alia vota, ſi tamen ante profeſſionem, habitum dimittat, tenetur quidem ad alia vota quæcunque, vt optime docet Suarez *num.*18.

⁂

Dvbivm II.

Quid ſit obſeruandum in commutatione voti peregrinationis quæcunque ſit.

1. PRo huius difficultatis declaratione obſeruare oportet in primis itineris laborem, ac expenſas. Labor namque itineris in alium laborem, expenſæ vero in eleemoſynas, & alia pia opera commutari debent, vt tenent communiter DD. cum. Nauar. *in Man. cap.*12.*num.*77. Etenim quamuis expenſæ illæ non ſint neceſſario pecuniis redimendæ; at quia augent pondus, æſtimationemque voti, cum per id ſint Deo dicatæ, earum eſt ratio habenda ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem, atque id etiam conſtat ex *cap. Magna, de voto*, vbi harum expenſarum, & laboris itineris, ait Pontifex rationem habendam in cuiuſdam voti Hieroſolymitani commutatione. Sic docent Hoſtien. *ſum. tit. de voto*, §. *qualiter, & cuius, num.*12. *verſic. In voto etiam.* Palud. 4.*diſt.*38. *quæſt.*4. *art.*3. *concluſ.* 1. *num.* 31. Abulen. *cap.*30. *Num. quæſt.*105. Roſella *verb. votum* 5.*num.*6. Angel. *votum* 4. *num.*12. Caiet. *ſumm. verb. votum. cap. vlt. verſic. Rationabilis autem*; & ibi Armilla, *num.*14. Graff. 1.*p. deciſionum, lib.*2. *cap.*30.*num.*10. Say. *in claui regia, lib.*6. *cap.*12. *num.*20. *verſ. Item conſideranda.* Angles *floribus*, 2.*p. quæſt. vnica de voto, art.*8.*diffic.*6.*propoſitione* 2. Man. Rodr. *in Bulla*, §.9. *num.*107. Aragon. 2.2.*quæſt.* 88.*art.*12.*dub.*1.*in corollario* 2.*quod infert ex* 3.*dicto.* Pet. de Ledeſma *ſumm. tom.*2. *tract.*10.*cap.*8.*ad finem.* Azor. *tom.*1.*inſtit. mor. lib.*11.*cap.*18.*quæſt.*13. Henriq. *lib.*7. *de indulg. cap.*30.*num.*5. & alij. Hinc autem ſunt deducendæ expenſæ, quas vouens erat domi facturus, quoniam cum illæ eſſent (ceſſante ea peregrinatione) faciendæ,

Digitized by Google

faciendæ, non ſunt per votum Deo dicatæ. Ita Nauarr. Angles, Ledeſ. Graff. & Sayr. *ibidem*, nec non Suar. *lib.6.c.19. num.19.* & Sanch. *d.lib.4.cap.56.n.12.* & alij, quos ipſi referunt.

2. Sed quæres primò, an ſint etiam computandæ expenſæ, quas vouens iuxta ſui ſtatus decentiam, & diuitias, eſſet facturus. Variè ſentiunt DD. quidam abſolutè negant, cum huiuſmodi expenſæ per accidens ſe habeant ad votum. Imo voto ſatisfiat etiam ſi peregrinationem promiſſam abſque vllo comitatu exequatur. Ita Henriq. Arag. & Say. *ibidem*; aiunt enim hunc diſiunctiue teneri ad expenſas, quas ſolus, aut cum vno, alteróve ſocio eſſet facturus. Petr. de Ledeſma *loco cit.* inquit virum nobiliſſimum ad expenſas cum duobus famulis faciendas, & Man. Rodr. *ſum. tom.2. cap.100. num.5. documento 3.* cenſet teneri hunc ad vnius famuli expenſas.

3. Cæterum, mihi magis probatur, has expenſas computandas fore iuxta vouentis ſtatum, & moralem ipſius conſuetudinem in ſimili itinere, quod non oſtentationis, ſed deuotionis cauſa aggreditur. Ducor, tum quia eſto in rigore id non promiſerit, ſed ire duntaxat; ideoque voto ſatifaceret, ſi ſolus peregrinaretur; res tamen ſunt moraliter æſtimandæ, & prout de facto futuræ ſunt. Tum etiam quia alioquin dicendum eſſet, nullas expenſas computandas; quoniam voto ſatisfaceret, ſi pedeſter, & mendicans illud exequeretur. Ita Suarez *eod.cap.19. num.20. fine*, dicens hanc eſſe communem doctrinam, oppoſitam autem à ratione alienam.

4. Quæres ſecundò, an computandæ ſint expenſæ eundi, & redeundi. Nonnulli ſolas eundi computandas arbitrantur, cum reditus non ſit promiſſus, ac ſubinde plene voto ſatisfiat, non redeundo. Ita Angles *vbi ſupra propoſit.3.* Man. Rodr. *vtroque loco cit.* Henriq. etiam, & Graff. *ibidem*. Sed verius exiſtimo computandas quoque expenſas in redeundo fieri ſolitas. Ducor, tum quia tametſi hic redire non vouerit, cum tamen votum morali modo intelligatur, & prout res de facto futura eſt, tacitè, ſeu implicitè huiuſmodi reditus in voto includitur, eiúſque meritum & æſtimationem auget; ac ille eſt acceſſorius, & conſequenter Religionis opus Deo dicatum. Tum quia *cap. Magna, de voto*; expreſſe vtriuſque expenſæ computantur in commutatione voti Hieroſolymitanæ peregrinationis, ibi; *Expenſas, quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus.* Nec refert, ſi dicas id eſſe ſpeciale in eo voto pro ſubſidio terræ ſanctæ, quod videtur gratis dictum, & abſque vllo valido fundamento. Pontifex enim non intendit ibi imponere onus, quod in voto non eſſet incluſum. Atque ita ſentiunt Hoſtienſ. Palud. Roſella, Angles, Sayr. & Suarez *ſupra*, nec non Sanchez *num. 16.* Imo etiam Man. Rodr. qui recedens à priori ſententia nobiſcum ſentit *in addit. ad Bullam, §.9. num.108.* vt ipſe, & Sanchez *num.17.* addunt, quod ſi hic peregrinaretur ad locum deſtinatum, mutatáque voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret. Ratio eſt, quia reditum nequaquam vouit, & ſolum ante voti executionem tenebatur eas commutare, vt voto acceſſorias. Vnde cum iam votum principale expleuerit, ad eas non tenebitur.

5. Quæres tertiò, an ſi quis voueat viſitare imaginem aliquam, quæ tamen cõmutationis tempore eſt propinquior, aut diſtantior, eo quod vel ipſa, vel vouens ſit tunc in loco propinquiori, aut diſtantiori; cuius itineris, & laboris in commutatione ſit ratio habenda. Circa hoc punctum; Dico primò,

Digitized by Google

cum imago adeſt in loco propinquiori, non mutando domicilium, ſed ex cauſa aliqua peculiari, vt proprio loco poſtea reſtituatur, ſeu vt reſarciatur; tunc ſicut vouens non ſatisfaceret voto ex inuiſione, ita nec in commutatione eſt illius itineris ratio habenda: Si verò dicta imago mutet omnino domicilium in locum propinquiorem, tunc voto ſatisfaceret ea inuiſione, etiam ſi adducatur in proprium vouentis locum; quoniam vouens promiſit acceſſorie tantum illius itineris laborem, & expenſas; principale autem voti obiectum fuit inuiſio illius imaginis in eo loco diſtanti collocatæ: cum igitur principale ceſſauerit, imagine alio adducta, ceſſabit etiam obligatio ad acceſſoria, & conſequenter non eſt prioris loci ratio habenda.

6. Dico ſecundò, ſi vouens reperiatur in loco notabiliter propinquiori, quia illuc acceſſit, vel à miniſtris iuſtitiæ vinctus, vel ſtipendio, alteriúſve negotij cauſa ductus, non tamen ratione veræ, & piæ peregrinationis, tunc ſi obiectũ illius voti fuit ſola illius templi, aut imaginis inuiſio, ita vt abſtractum fuerit ab itineris labore, & conſtaret certò hæc vouentis mens, ſatisfaceret voto inuiſens poſtea libere templum illud, ſeu imaginem, quia hoc ſolum vouit.

7. At ſi vouentis obiectum fuit inuiſio illius templi, ſeu imaginis, vnà cum itineris labore, eſto labor itineris fuerit acceſſorius, exiſtimo illum non ſatisfacere voto, etiam ſi poſtquam illuc acceſſit, viſitet libere, animóque voti implendi templum illud, ſeu imaginem. Ratio eſt, quia cum vinctus ducitur, eſt actus violentus; quando ſtipendio conductus, eſt actus alio iuſtitiæ titulo debitus; quando non ratione peregrinandi, ſed alterius negotij, vel ſolius curioſitatis, non eſt actus pius, & Religioſus, quibus, & aliis ſimilibus actibus voto nullatenus ſatisfit.

8. Si autem voluntarie eum locum adiret, non mercede conductus, ſed cauſa pia viſitationis illius templi, ſeu imaginis; quamuis principalius adierit ob finem turpem, vel cauſa alterius negotij expediendi, ſatisfaceret voto, etiam ſi non haberet intentionem ſatisfaciendi illa peregrinatione. Ratio eſt, quia peregrinatio illa fuit quoad ſubſtantiam actus religioſa, & voluntaria, & hoc ſufficit; nec refert quod defuerit intentio ſatisfaciendi voto: leges enim (atque idem dicendum eſt de voto, iuramento, & pœnitentia ſacramentali) ſolum obligant ad liberam, & voluntariam operis externi executionem, non vt ex tali intentione ſatisfaciendi fiat opus iniunctum. Ita Suar. *tom.3. in 3.part. quæſt.83.art.6. diſputat.88.ſect.3. verſ. Circa poſteriorem partem.* Vaſquez 1.2.*quæſt.*100.*artic.9.in expoſit. litt. num.* 5. Man. Rodriq. *ſumm. tom.*1.*cap.*123.*num.*2. cum aliis quos refert, & ſequitur Sanchez *ſum. lib.*1.*c.*13. *num.*9.

9. Vnde in dubio cenſentur vota hoc poſteriori modo emitti. Nam vouentes peregrinationem alicuius loci diſtantis, apprehendunt diſtantiam itineris & conſequenter difficultates, & expenſas, ac proinde omnia illa tanquam acceſſoria, ſicut meritum peregrinationis augent, ſic ipſa promittunt. Atque ideo DD. in votorum commutatione aſſerunt horum omnium rationem plerumque eſſe habendam.

10. Dico tertiò, quando imago, aut ipſe vouens ſunt in loco remotiori, ſi eſt notabilis mutatio, pro tunc non obligabit votum, ratione notabilis mutationis materiæ, donec ea ceſſet. Si autem non ſit notabilis mutatio, exiſtimo eſſe ſolum habendam rationem expenſarum, & laboris iuxta diſtantiam

tiam

Digitized by Google

tiam itineris, ex qua peregrinatio eſt promiſſa, cum non amplius ſit ſub voto comprehenſum. At ſunt inſuper conſideranda itineris pericula, & detrimentum etiam, quod ex vouentis abſentia rebus illius poſſet emergere, cum hæc omnia Deo obtulerit, & augeant voti meritum, ac æſtimationem. Sic Sanchez *ſum.lib.4.cap.56.num.19.* & Man. Rodr. *ſum. tom.2. cap.*100. *num.*5. *documento* 5. Atque idem videtur dicendum de tributis, quæ eſſet vouens in peregrinationem ſoluturus; cum hæc omnia ad expenſas ſpectent. Imo ſimiliter ſunt computandæ expenſæ, quæ in commorando fieri deberent iuxta numerum dierum, quos forſitan in loco peregrinationis commorari promiſerat, vt conſtat euidenter, & habetur *cap. Magnæ, de voto*, docéntque Hoſtienſ. & Roſella ſupra citati, & Sanch. *num.*20. Quod ſi quis peregrinationem mendicando promiſerit, nullæ ſunt in commutatione expenſæ attendendæ, cum nullis vouentis propriis eſſet tunc peregrinatio exequenda: eſſet autem tunc habenda ratio maioris laboris, & afflictionis, quam pedeſter, & emendicando in peregrinatione ſuſtineret.

11. Dico quartò, eleemoſynam, in quam prædictæ expenſæ, vt ſupra, commutandæ erunt, non oportet mitti in fauorem illius loci pij, in quem peregrinatio promiſſa eſt, cum nulla ratio ad id faciendum cogat: ſed ſola maioris ſpiritualis boni vouétis, maioriſque diuini cultus, aut ſaltem æqualis in commutatione ratio habenda erit. Sic tradunt Hoſtienſ. Angel. Abul. *ſupra*, & Sanchez *n.*21. Quamuis autem votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, & maxime quando in eius loci ſubſidium eſt factum, cõſueuere Pontifices commutare in eleemoſynam pro eiuſdem loci ſubſidio conuertendam, vt conſtat ex *cap. Magnæ, cap. ſuper his, & cap. ex multa, de voto*, & conſequenter ſic videatur ex iuris præſcripto faciendum, etiam ſi ex natura rei id non eſſet neceſſarium. Hoc tamen olim procedebat, quando vrgebat neceſſitas ſubueniendi expeditioni bellicæ in illius terræ ſubſidium, quæ cum hodie penitus ceſſauerit, non eſt neceſſaria talis huiuſmodi voti commutatio, ſed inſtar aliorum fieri poteſt. Imo ob eandem rationem non eſt neceſſe, vt ratio habeatur perſonæ, vel loci, in cuius fauorem eleemoſyna voto promiſſa cedebat; ita vt in eius fauorem debeat etiam cedere commutatio. Rationi tamen conſonum videtur, vt eorum ratio habeatur, in quantum fieri poſſit, ſic enim materia, ac intétio prioris voti magis ſeruatur. Ita Suar. *d.c.*19. *n.*18. & Sanch. *eod.cap.*56.*n.*22.

12. Laborem autem peregrinationis promiſſæ cenſent nonnulli Authores commutati ſic poſſe, vt ſi peregrinatio ſit pedeſtris, vltra expenſas labor vnius diei commutetur in ieiunium ſimiliter vnius diei, & labor duorum dierum in duo ieiunia, & ſic deinceps: ſi vero non ſit pedeſtris, labor quatuor dierum in vnius diei ieiunium commutetur. Ita docent Sayr. *in claui regia, lib.6. cap.*12. *num.*20 *verſic. Item conſideranda.* & Azor. *tom.*1. *inſtit. moral. lib.*11. *cap.*18. *quæſt.*13. qui adhuc mitius de iis loquitur dicens, laborem quatuor, vel quinque dierum poſſe in vnicum ieiunium commutari. At quid ſentiam de huiuſmodi commutatione *dub. ſequenti* exponam.

DVBIVM III.

Quomodo commutandum ſit votum peregrinationis Hieroſolymitanæ.

1. HViuſmodi commutationem eſſe valde difficilem cenſent communiter DD. Ne tamen commutator in

Digitized by Google

re adeo graui aberrare contingat, duplicem commutationem ex iure ipſo deſumptam, hic affigam*, vt inde normam aliquam commutandi hæc, & ſimilia vota aſſumere poſſimus. Nam *in cap. veniens, de voto*, commutatur votum Hieroſolymitanum cuiuſdam pueri, cum quo diſpenſandi aderat iuſta cauſa, vt id votum eleemoſynis redimeret, & toto vitæ curriculo vni pauperi prouideret; *& cap. Magnæ, eod. tit.* commutatur ſimile votum cuiuſdam Epiſcopi, vt expenſas eundi, redeundi, & commorandi ibi, integre mittat; laborem autem itineris compenſet ſollicitius inſtando vigiliis, deuotius vacando orationibus, & fortius ſe ieiuniis exercendo.

2. Hinc igitur, atque ex dictis in calce dubij præcedentis, haud obſcure quis colligere poterit, quomodo in huiuſmodi votorum commutatione ſe gerere debeat. Nam ſuppoſito quod ſit attendendum ad itineris ſpatium, iuxta loci diſtantiam, vnde vouens proficiſcitur, tenetur in primis obſeruare, an vouens ſit equeſter, pedeſtérve peregrinaturus; quoniam ſi equeſter, tunc eſſet ſumptuum computatio facienda, & hi poſſent Monaſterio pauperi applicari, aut in dotem alicuius orphanæ, in aliúdve ſimile pium opus deputari: pro labore autem, & moleſtiis itineris poterit commutator imponere vouenti, vt toto tempore, quo peregrinatio durare debuiſſet ad arbitrium boni viri, ſingulis menſibus confiteatur, & communicet, ſingulis hebdomadis die aliquo ieiunet, ac ter in hebdomada Roſarium B. Virginis recitet; & vltra hæc ad maiorem ſatisfactionem illi imponat, vt ſex ſacrificia celebrari curet; quæ omnia ſimul non dubito quin ſint Deo magis grata, quam ſola peregrinatio. At ſi vouens non equeſter, ſed pedeſter ſit votum impleturus, debent expenſæ (vt ſupra) commutari. Quod ſi hæ non eſſent futuræ maiores iis, quas domi eſſet vouens facturus, ſaltem debent computari tributa, & pedagia, quæ durante peregrinatione per infidelium loca eſſet ſoluturus: pro labore autem, & moleſtiis itineris poterit illi imponere, vt toto tempore quo probabiliter peregrinatio durare debuiſſet, decimoquinto quoque die fateatur, & communicet; ſingulis hebdomadis vno ſaltem die ieiunet, atque vnum alterúmve Roſarium B. Virginis recitet, & eleemoſynam aliquam iuxta ſui ſtatus poſſibilitatem eroget, atque etiam ſacrificia celebrari curet, vt ſupra.

3. Nec huiuſmodi commutatio debet rationabiliter rigide æſtimari, ſi attente expendantur labores, ac moleſtiæ omnes, quibus fidelis quiſpiam exponitur, dum per infidelium loca peregrinatur; quid dicam de periculo naufragij, & captiuitatis etiam dum nauigatio durat? quid de moleſtia frigoris, caloris, & pluuiæ? quid de inæqualitate aëris, & aliorum eiuſmodi, quæ frequenter ſolent peregrinos vexare? Nihilominus ſi alicui nimis foret moleſtum, per annum integrum, v. g. bis quolibet menſe confiteri, & communicare, poterit eidem imponi, vt per duos annos ſingulis menſibus ſemel fateatur, & communicet. Atque iuxta hunc modum facile prudens commutator poterit ex dictis coniicere, qualiter ſint commutanda quæcunque alia peregrinationis vota.

DVBIVM IV.

Quomodo ſit commutandum quodcunque Religionis votum.

1. MEtina Dominicanus *ſum. c. 14. §. 7. tr. de commutatione, regula 3.* ſic

ſic ait. 'Ille qui potitur facultate com-mutandi votum Religionis Dominicanæ, attendere debet, profeſſores illius Religionis teneri ad recitandum quotidie diuinum officium, ad ieiunandum ſeptem menſibus cuiuſlibet anni, & perpetuo à carnibus abſtinendum. Ac propterea concludit id votum commutandum eſſe, vt vouens feriis ſextis per totam vitam ieiunet, fateatur, & Euchariſtiam ſumat decimoquinto quoque die, Pſalmos pœnitentiæ quotidie recitet; & iuxta ſuam facultatem eleemoſynam eroget. Idem cenſet Sayr. *in claui regia, lib.6. cap.12. num.21.* eſto mitius ſe gerat circa confeſſionem, quam ſemel ſingulis menſibus iniungit, nec communionis meminit, idque docet de vouente ingreſſum Religionis Benedictinæ.

2. Cæterum, huiuſmodi commutationem eſſe valde inſufficientem, ſic oſtendo; quia ſi omnia illa, quæ Metina recenſet, & alia quæ poteſt recenſere, computãda ſint in commutatione, profecto euidens eſt non dari, nec poſſe dari æqualitatem. Nam in quadruplo plus eſt recitare diuinum officium integrum, & illud in choro cantare, quam ſeptem Pſalmos pœnitentiales extra chorum, & priuatim recitare; plus eſt ſeptẽ menſibus cuiuſlibet anni ieiunare, quam ſingulis feriis ſextis; plus eſt omnibus, quæ quis poſſidet, renuntiare, quam eleemoſynam aliquam elargiri; plus eſt ſingulis diebus celebrare, quam decimoquinto quoque die Euchariſtiã ſumere. Et quid quæſo dicam de continua à carnibus abſtinentia? quid de perpetua obedientia? quid de inuiolabili totius vitæ caſtitate? quid de expropriatione, ad quam per votum paupertatis tenetur in futurum profeſſor illius Religionis? quid denique de vigiliis nocturnis, & de aliis, quorum omnium, nec Metina, nec Sayrus in prædicta commutatione mentionem fecerunt?

3. Quare Sanchez *loco cit. num. 41.* merito cenſet illam commutationem nullatenus eſſe æqualem; imo ſubiungit ſe neſcire qualiter vota abſoluta Religionis, & caſtitatis poſſint in rem æqualem commutari. allegat Sotum *lib.7. de iuſt. quæſt.4. art.3. verſ. At vero*; dicentem ſimplex caſtitatis votum non poſſe pura commutatione tolli, cum nihil ſit illa melius. Vnde à fortiori idem cenſet de voto Religionis Arag. 2. 2. *q.*88. *art.*12. *dub.1. in corollario 1. quod infert ex dicto 4.* Hinc autem deducit idem Sanch. in his votis commutãdis diſpenſationem aliquam eſſe admiſcendam à potenti diſpenſare: fatetur autem poſſe huiuſmodi vota pura commutatione tolli, cum pœnalia, ſeu conditionalia ſunt, nec impleta eſt conditio. Quod verum eſſe, etiam de voto abſoluto, ex ſtatim dicendis conſtabit.

4. Pro reſolutione huius difficultatis obſeruare oportet, quod ſi votum conditionale commutari contingat in materiam abſolutam poſt impletam cõditionem, idem eſt de illo ſentiendum, ac ſi eſſet abſolutum; quoniam impleta conditione iam eſt abſoluta obligatio, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione; & intrinſeca materiæ promiſſæ bonitas non minor eſt, quam ſi eſſet abſolute promiſſa. Vnde quamuis hæc obligatio procedat à voto minus perfecto, hæc tamen imperfectio efficit vt minorem cauſam requirat eius diſpenſatio, non autem minorem commutationem; ſicut facilius, ac ex minori cauſa diſpenſatur in voto temere, ac ſubito iræ motu emiſſo, ob imperfectionem actus voluntatis; at mera commutatio non ideo eſt in minus facienda. Rationem huius aſſignat Sanchez *vbi ſupra n.32.* quia diſpenſatio vinculum voti præcipue reſpicit, commutatio autem præ-

Digitized by Google

cipue materiam. Atque idem, & ob eandem cauſam dicendum eſt de commutatione voti pœnalis poſt incurſam pœnam facienda; debet namque commutari in materiam priori per votum promiſſæ æqualem, ac ſi eſſet votum abſolutum. Idem igitur iudicium ferendum eſt de commutatione voti conditionalis poſt impletam conditionem, & de commutatione voti pœnalis poſt incurſam pœnam, ac ſi vtrumque eſſet votum abſolutum, de quo dicam in tertia concluſione.

5. Sit iam prima concluſio. Si votum conditionale nondum impleta conditione commutandum ſit in obligationem abſolutam, conſiderare oportet quam dubius ſit conditionis euentus, quo enim magis dubius fuerit, eo in minorem obligationem abſolutam id votum eſt commutandum: ſicut in contractu aſſecurationis, eo magis augetur illius pretium, quo magis fuerit dubius euentus. Idem ſentiendum eſt in caſu de quo agimus. Promiſi v.g. Religionem, ſi pater meus incolumis euaſerit, ſi votum hoc ſit commutandum antequam pater meus euadat incolumis, debet in plus, minuſve commutari, iuxta maius, minuſve paterni morbi periculum; quod ſi vtrinque æque ſit anceps, ſufficiet in dimidium commutatio, quam ſi eſſet abſolutum. Vnde merito Suarez *loco cit. numero* 21. ait poſſe cenſeri æqualem, etiam ſi quantitas rei promiſſæ minuatur, vt ſi promiſi dare decem in eleemoſynam ſi nauis venerit, & nunc volo abſolute dare quinque, ſiue veniat, ſiue non, moraliter poteſt cenſeri æqualitas penſatis aliis circumſtantiis.

6. Secunda concluſio. Si voti pœnalis facienda ſit commutatio ante pœnam incurſam, adhuc ſub lite eſt, ſitne ſpectanda dignitas ſolius materiæ promiſſæ, an etiam pœnæ impoſitæ; vt ſi quis voueat ſe non luſurum ſub pœna Religionis, an ſpectandus ſit ſolus ludus in commutatione facienda ante impletam conditionem, nulla habita ratione Religionis in pœnam promiſſæ: Nonnulli enim ex Neotericis ſolam materiam principaliter promiſſam cenſent eſſe ſpectandam. Rationem reddunt, quod ea pœna adeo ſit acceſſoria, vt ſublata rei principalis obligatione per diſpenſationem, ceſſet obligatio ad pœnam deinceps incurrendam. Mihi tamen oppoſitum probabilius videtur, & tenet expreſſe Sanch. *eod. loco num.* 35. Ducor, quia aut votum pœnale eſt ſolius pœnæ, vt ſi luſero voueo Religionem; aut eſt vtriuſque, vt voueo me non luſurum ſub Religionis pœna: in priori caſu votum eſt ſolius pœnæ, in poſteriori autem eſt vtriuſque. Ergo in vtroque caſu habenda eſt ratio pœnæ, cum in vtroque caſu cadat ſub voto. Vnde ad rationem in contrarium reſpondetur, quod quamuis obligatio ad pœnam ſit acceſſoria rei principaliter vitandæ per vouentem, & hac ſublata ceſſet obligatio ad pœnam deinceps incurrendam; augetur tamen diuinum obſequium, tum ex eo, quod ita arcte teneatur vouens ab eo vitio ſe abſtinere, vt niſi abſtineat, pœnam illam incurrat; ſicut diuinum augetur obſequium, dum voto quis auget diuini iuris obligationem de vitanda fornicatione: tum etiam quia pœna appoſita adeo auget dignitatem voti, vt non leuis ſit dubitatio, an reddat votum reſeruatum, quando pœna eſt ex reſeruatis, vt contingit in noſtro caſu. Fatetur nihilominus idem Author, & mihi etiam placet, multo minori commutatione hæc vota tunc eſſe cōtenta quoad pœnam illam incurrendam, quia illius incurſus pendet tam à voluntario ipſius vouentis futuro

euentu;

Digitized by Google

euentu; tum à materiæ principalis tranſgreſſione, ſiue ab illius obligationis ceſſatione.

7. Hinc quidam vir ſatis eruditus exiſtimat huiuſmodi votum poſſe commutari, ſi ſit de nunquam ludendo ludo illicito in magna quantitate, vt talis per quatuor menſes ſingulis hebdomadis aliquo die ieiunet, quinto decimo quoque die Sacramentalem confeſſionem frequentet, ſex ſacrificia Miſſæ celebrari faciat, & eleemoſynam aliquam iuxta ſuam facultatem eroget. Si autem eleemoſynam præ ſua inopia erogare nequeat, ter in hebdomada Roſarium B. Virginis genu flexus recitet durante dicto temporis ſpatio.

8. Aduertat autem commutator votum pœnale Religionis poſſe fieri dupliciter. Primò, vt tantum ſit vnum votum, v.g. ſi quis voueat Religionem, ſi amplius luſerit tali ludo, vel commiſerit tale peccatum: tunc enim ex vi verborum, niſi vouens aliud intendat, non obligatur per tale votum ad non ludendum, ſed ad ingrediendum Religionem, ſi luſerit: vnde ſi ludat non facit contra votum, tenebitur tamen ad Religionis ingreſſum, vt notat Nau. *ſum. cap.* 12. *num.* 43. Secundo poteſt fieri prædictum votum, ita vt in ea promiſſione includantur duo vota. V. g. ſi quis dicat, voueo non ludere ſub pœna Religionem ingrediendi, vel non committere tale peccatum ſub pœna ſeruandi caſtitatem in perpetuum, & in his votis, quantum eſt ex vi verborum intendit vouens ſe obligare ad duo, nempe ad non ludendum, ſeu non committendum tale peccatum, & ad ingrediendum Religionem, vel ſeruandum caſtitatem, ſi in his defecerit. Ad commutationem autem prudenter faciendam multum refert vt commutator ſciat, an primo vel ſecundo modo ſit emiſſum votum pœnale Religionis, in priori enim caſu ſolum venit commutandum vnum votum, in poſteriori duo ſunt commutanda. Atque ideo commutationem ſuperius adductam cenſeo in priori caſu eſſe ſufficientem, in poſteriori aliquid eſſe addendum iuxta qualitatem, & diſpoſitionem vouentis.

9. Tertia concluſio. Votum abſolutum cuiuſcunque determinatæ Religionis poteſt virtute Bullæ commutari in hoc, vt vouens ingrediatur, & profiteatur Religionem laxiorem. Ducor, tum quia votum ſolenne profeſſionis in Religione approbata præſtantius eſt, quam votum ſimplex ingrediendi in quamcunque aliam Religionem, & conſequenter poteſt hoc in illud commutari, vt multis allegatis oſtendimus *cap.6.dub.8.diffic.*2. Vnde cum per talem commutationem non tollatur abſolute vinculum voti Religionis, ſequitur quod ea commutatio, ſeu diſpenſatio non ſit Pontifici reſeruata. Imo aliqui opinantur poſſe propria authoritate fieri abſque Bullæ priuilegio, ſeu Epiſcopi diſpenſatione; quod mihi non diſplicet, & tradit D.Anton.2 *p.tit.*11. *cap.*2.§.8. Supplem. Gabr.*quæſt.*1. *art.*5. *litt.A.verſus finem*, & alij, quorum ratio eſt, quia plus eſt experiri, & de facto profeſſionem facere in Religione laxiori, quam ſolum experiri Religionem ſtrictiorem cum libertate, quod ſi mihi non congruerit, poſſim inde licite exire.

10. Neque obſtat textus *in cap. penult. de Regul. iuris in* 6. vbi habetur quod licet talis per profeſſionem laxioris maneat abſolutus à primo voto, eſt tamen illi iniungenda pœnitentia pro voto non impleto: igitur talis peccauit, cum pœna ſit culpæ correlatiua, ac proinde non poterit fieri licite talis commutatio. Reſpondetur, omiſſa D. Antonini ſolutione, quæ apud illum videri poteſt,

Digitized by Google

poteſt, quod illi non iniungitur pœnitentia ex eo, quod non reddiderit tantum, quantum promiſit; ſed quia fuit in mora ex culpa ſua non ingrediendo ſtrictiorem pro tempore, quo ad illius ingreſſum tenebatur ex voto. Ita Suplem. *vbi ſupra*. Aliam ſolutionem inuenies *cap. 6. dub. 8. diffic. 3. dicto 2.*

11. Cæterum, ſi vouens nolit Religionis habitum aſſumere, & ibi profiteri, adſit autem Sedis Apoſtolicæ facultas commutandi votum Religionis abſolutum, poterit commutari, vt talis aſſumat ſtatum Sacerdotalem, quindecimo quoque die confiteatur, eleemoſynam ſingulis diebus iuxta ſuam facultatem eroget, & in perpetuum exequatur opus aliquod eorum, quæ quotidie facere tenentur Regulares ordinis, quem vouit, vt id implens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, qua huiuſmodi voto adſtringebatur. Et hæc mihi videtur ſufficiens commutatio attentis iis, quæ ſtatui Sacerdotali annexa ſunt. Quod ſi vouens non ſit aptus, vel nolit ad Sacerdotium promoueri, poterit loco Sacerdotij eidem imponi, vt vitam cælibem ducat, & officium paruum B. Virginis, vel ſaltem Roſarium eiuſdem quotidie recitet. Si autem vouens, vel ob periculum incontinentiæ, dum in ſæculo manet, vel alia ex cauſa legitima recuſet vitam cælibem ducere, loco huius eidem iniungatur, vt ſaltem caſtitatem coniugalem ſeruare in perpetuum debeat, cum onere exequendi inſuper omnia alia hic per nos inſinuata, vel quæ Metina ſupra in ſua commutatione adducit.

12. At poſſet quis merito obiicere, adhuc eſſe inſufficientem hanc commutationem; quia ſi attendantur omnia, quæ nos contra Metinæ commutationem obiecimus, adhuc non ſeruatur æqualitas. Reſpondetur id verum eſſe ſtando in opinione Metinæ, qui exiſtimat in commutatione voti Religionis attendendum eſſe omnino ad æqualitatem obſeruantiarũ talis Religionis. Mihi tamen oppoſitum videtur probabilius; nam qui Religionem vouet ſecundum formam iuris, vt regulariter faciunt omnes illam vouentes, non vouent abſolutè obſeruare omnia illa, quæ profeſſi eiuſdem Religionis obſeruare tenentur; ſed ſolum vouent ingreſſum ad probandum, ſeu experiendum, num ſibi modus ille viuendi expediens ſit; ita vt ſi poſt talem experientiam agnoſcant ſibi non expedire, poſſint licite inde exire. Et hoc pacto ſufficienter voto ſatisfeciſſe, tenent communiter Doctores, tum quia plus eſt profiteri Religionem etiam laxiorem quam vouere ingreſſum ſtrictioris, vt conſtat ex *d. c. penult. de Regul. iur. in 6.* vbi habetur liberari quempiam à voto ingrediendi ſtrictiorem per profeſſionem laxioris; tum quia votum Religionis ſimpliciter non eſt quid perpetuum, ſed temporale, iuxta doctrinam D. Anton. *2. p. tit. 11. §. 9. colum. 1.* Quia ex vi talis voti ſolum tenetur vouens ingredi Religionem, vt probet, ac experiatur, num ſibi congrua ſit, vt patet ex dictis. Igitur in commutatione facienda non eſt omnino ſpectanda æqualitas obſeruantiarum, ad quas perpetuo tenentur profeſſi ordinis, cuius ingreſſum quis vouit.

13. Nihilominus melius, ac tutius eſſe exiſtimo ad tollendos ſcrupulos in his, & aliis votis commutandis recurrere ad potentem diſpenſare, vt diſpenſando, & commutando ſimul maneat vouens in conſcientia magis ſecurus. Atque hic ſtylus obſeruari ſolet in prætorio S. Pœnitentiariæ, vt quotidiana experientia docet, & mihi ſatis conſtat. Vnde Authores aſſerentes votum Religionis non poſſe pura commutatione tolli, interpretandi ſunt de voto conſtitutiuo,

Digitized by Google

tutiuo, non promiſſiuo, vel de expreſſe vouente Religionis ingreſſum, & profeſſionem ſimul.

Dvbivm V.

Quomodo ſit commutandum votum caſtitatis.

1. RAtio dubitandi eſt, quia commutatio cum ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ debet fieri in rem æqualem. Sed *Eccleſiaſtici 26.* dicitur; *omnis autem ponderatio non eſt digna continentis anima.* Ergo nihil eſt, in quod poſſit fieri æqualis commutatio voti abſoluti caſtitatis.

Nihilominus, vt in re adeo graui cautius procedamus, obſeruare debet commutator ad tria potiſſimum obligari vouentem ratione huiuſmodi voti. Primò ad non fornicandum, ad quod ex ſexto præcepto Decalogi erat antea etiam obligatus. Secundò, ad non contrahendum matrimonium. Tertiò, ad non petendum debitum, ſi de facto contraheret. Attendenda igitur ſunt hæc tria, in commutatione voti caſtitatis.

2. Vnde facilior commutatio erit, vt remanente prima obligatione vouens teneatur ex voto non accedere ad alienam, ſed caſtitatem coniugalem ſeruare. Reliquæ autem duæ obligationes commutentur in frequentiam ſacramentalis confeſſionis, & communionis ſingulis menſibus, ſemel ſaltem faciendæ, in decem etiam ſacra celebranda, nec non in alia pœnitentiæ opera tandiu duratura, quandiu commutationi prædictæ locus erit; inter quæ ſint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere debeat, ad eum finem, vt per illa meminiſſe ſemper poſſit priſtinæ obligationis, ad quam ratione huiuſmodi voti tenebatur.

Obſeruare tamen debemus votum iſtud caſtitatis abſolutum, cum ſit Pontifici reſeruatum, & in Bulla excipiatur, non poſſe per illam commutari, ſed ſpeciale requiri Sedis Apoſtolicæ indultum, modo non occurrant caſus, in quibus, ſicut poteſt Epiſcopus iure ordinario in ſimili voto diſpenſare, poterit etiam Confeſſarius per Bullam idem votum commutare.

3. Nunc ad rationem dubitandi reſpondetur ex Metina Complutēſi *lib.* 4. *de continentia*, *controuerſia* 3. *cap.* 30. nomine continentiæ non intelligi eo loco virtutem caſtitatis, ſed vniuerſalitatem omnium virtutum, in qua acceptione inquit D. Hieronymus ad Damaſum, quod continentia eſt refrænatio omnium rerum malarum. Vnde comparatio ibi facta, ſolum eſt reſpectu huius, quod eſt nunquam peccare, reſpectu cuius nulla fieri poteſt æqua ponderatio.

4. Sed quæres, an ſit idem modus obſeruandus in commutatione voti de non nubendo. Reſpondetur votum de non nubendo non eſſe propriè votum caſtitatis, & conſequenter nec Pontifici reſeruatum, vt habetur ex dictis cap. præcedenti. Atque ideo poteſt per Bullam commutari, & commutatio illius mitior eſſe debet, quam commutatio voti caſtitatis. Quare nonnulli Neoterici docti apud Sanch. *vbi ſupra num.* 42. arbitrati ſunt commutari poſſe huiuſmodi votum in confeſſionem menſibus ſingulis, biennio, aut triennio faciendam, & in nouem ſacra. Ita refert, & non diſſentit Sanch. Mihi autem videtur vltra prædicta iniungendum eſſe vouenti aliquod ſaltem pœnitentiæ opus perpetuum, ſicut votum etiam perpetuum eſt, atque ſic obſeruatur in prætorio ſacræ pœnitentiæ.

Digitized by Google

Dvbivm VI.

Qua ratione ſit commutandum votum aſſumendi ſtatum Sacerdotalem.

1. NEceſſario eſſe adhibendam magnam diligentiam in his, & aliis votis commutandis cenſent communiter D D. & Magiſter Metina Dominicanus *vbi ſupra*, tenet lethaliter peccare Confeſſarium, qui in hoc defecerit. Vnde monet ne quis huiuſmodi onus in ſe ſuſcipiat, niſi in animarum regimine valde verſatus exiſtat. Quapropter circa præſentis voti commutationem obſeruare in primis oportet, quod quamuis voto aſſumendi ordinem ſacrum ſit iure poſitiuo implicite annexa triplex obligatio; nempe ad caſtitatem perpetuam, ad penſum diuini officij quotidie perſoluendum, & ad non contrahendum matrimonium: Quia tamen ex vi voti non tenetur quis ad hæc, antequam ſuſcipiat ipſum ordinem, atque ideo fornicando non peccat contra tale votum; neque ſi contrahat, petendo debitum. Hinc quidem videtur non opus eſſe prædicta ita ad vnguem commutare, ac ſi formaliter fuiſſent promiſſa per votum. Nihilominus, quia ſunt illi ſtatui inſeparabiliter annexa, commutari debent in paulo minora, ac ſi expreſſe fuiſſent in voto incluſa.

2. Obſerua inſuper in Sacerdote vltra prædictam triplicem obligationem, reperiri aliam, nimirum ſacra ſæpe celebrandi, & conſequenter ſacramentalem confeſſionem frequentandi. Tenetur etiam Sacerdos ab aliquibus abſtinere, quæ laicis licite permittuntur; & hæc omnia ſpectanda ſunt in huius voti commutatione facienda. Quare nonnulli Neoterici docti apud Sanch. *ibidem num.*43. tacito nomine relati, arbitrati ſunt hoc votum commutari poſſe in quotidianam pſalmorum pœnitentiæ cum litaniis recitationem, vel officij parui B. Virginis, vel calculorum Virgineorum, & in confeſſionem quintodecimo quoque die faciendam, & in faciendum celebrari ſacrum ſingulis menſibus, atque vt voueat ille caſtitatem in ſtatu ſæculari. Quod ſi nolit ipſe caſtitatem ſeruare, ſed ad nuptias tranſire, cenſet Sanch. addendum fore ieiunium omnibus ſextis feriis. Subiungit tamen idem author in votis tanti momenti melius eſſe partim miſcere diſpenſationem, obtenta diſpenſandi facultate, & iuſta cauſa ſic diſpenſandi exiſtente, quippe hac partiali diſpenſatione ſecluſa, ait ipſe ſe non audere prædictam commutationem iudicare æqualem.

3. Fateor ſalutare quidem, & tanto authore dignum eſſe prædictum conſilium, ne tamen in re adeo neceſſaria, præſertim ſi vnquam occurrat non eſſe aditum ad diſpenſare potentem, defeciſſe iudicemur, exiſtimo poſſe huiuſmodi votum commutari in quotidianam officij parui, ſeu roſarij B. Virginis recitationem, in ſacramentalem confeſſionem quintodecimo quoque die ſemper faciendam, in faciendum etiam ſingulis hebdomadis ſacrum celebrari, & vitam cælibem ex voto ducendam; vel ſi id nolit vouens, aut iuſta ex cauſa recuſet, commutetur in caſtitatem coniugalem, ſimiliter ex voto ſeruandam; ac tandem vltra prædicta iniungantur illi alia pœnitentiæ, ſeu pietatis opera perpetua, inter quæ ſint aliqua per ipſum quotidie exequenda, ad eum finem, vt per illa meminiſſe ſemper queat oneris ad quod ex vi huiuſmodi voti tenebatur. Ne autem commutatio iſta alicui rigoroſa videatur, perpendat quæſo varias, & graues obligationes, quæ ſtatui Sacerdotali

Sacerdotali annexæ ſunt: hincque facile poterit coniicere commutationem iſtam nullatenus rigoroſam fore æſtimandam, cum in commutationibus moralis æqualitas ſeruanda ſit, quantum moraliter fieri poſſit, vt habetur ex ſæpe dictis.

Dvbivm VII.

Qua ratione ſit facienda commutatio voti de ieiunando ſextis feriis, aut de recitandis ſeptem pſalmis pœnitentialibus, & aliis eiuſmodi.

1. Svppono primò, vota eſſe in duplici differentia; quædam temporalia, vt vota peregrinationum, & ſimilia, alia verò perpetua. Horum autem quædam ſunt perpetua ex ſe, & ſine vlla additione, vt vota Religionis, caſtitatis, Sacerdotij, & non nubendi; alia ſunt perpetua cum additione ad totam vitã; vt vota ieiunandi feriis ſextis, recitandi officium B. Virginis, & eiuſmodi, de quibus fuſe egimus *cap. præcedenti, dub. 20. concluſ. 1. verſ. Aliis his votis.*

2. Suppono ſecundò, quod quamuis vota, quæ quis emiſit, ſint perpetua, non ſemper requiritur quod commutatio fiat in obligationem perpetuam. Regulariter tamen vota ex ſe perpetua commutantur in opera perpetuo duratura, cum additione interdum alicuius operis temporalis. Vota autem temporalia ſemper in temporalia commutantur, at perpetua ex additione plerumque commutantur in opera temporalia, & partim etiam in opus aliquod perpetuo duraturum.

3. Dico igitur votum ieiunandi ſingulis ſextis feriis poſſe commutari, vt quis perpetuo roſarium B. Virginis genu flexus recitare teneatur eadem feria ſexta, vel quouis alio die eiuſdem hebdomadæ. Quia parum refert, quod res in quam votum commutatur, eodem tempore fiat, quo res promiſſa fieri debebat. Poſſet etiam commutari in eleemoſynam aliquam perpetuo ſextis feriis, vel quouis alio die eiuſdem hebdomadæ faciendam, & in coronam Chriſti Domini flexis genibus recitandam. Votum ſimiliter ſextis feriis recitandi ſeptem pſalmos pœnitentiales poterit in idem etiam commutari; vel vt loco huius vouens eodem die ieiunare teneatur. In his autem commutationibus attendendum ſemper eſt, an materia ſubrogata deſeruiat ita fini intento, ac per vota ipſa, iuxta doctrinam in priori dubio inſinuatã. Atque ex iis, quæ huc-uſque dicta ſunt, poterit prudens Confeſſarius ad alias votorum commutationes deſcendere; omnes enim, & ſingulas proſequi, eſt non ſolum difficile, ſed fere impoſſibile moraliter loquendo.

Dvbivm Vltimvm.

Vtrum votum factum in fauorem tertiæ perſonæ, aut alicuius loci pÿ, poſſit virtute Bullæ commutari abſque partis conſenſu.

1. Partem negantem ſequuntur Panor. & Innoc. ac Summa Piſana, quos refert Palac. *in 4. diſt. diſp. 3.* idem Roſella, licet cum aliqua limitatione *vot. 6. num. 6.* Syluest. *vot. 4. §. 7. dicto 4.* vbi ad idem adducit aliquos antiquos Doctores, quibus conſentit D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 1. §. vlt. verſ de temporali ſubſtantia.* Sarmiento *lib. de redditibus Eccleſ. p. 4. cap. 3. num. 3. & 4. & in defenſorio illius, 1. p. monito 71.* vbi ait, ex voto facto Eccleſiæ acquiri ius ipſi Eccleſiæ, poſſe autem Pontificem votum illud

commutare; ita vt commutatio reſpiciat illiuſmet Eccleſiæ vtilitatem, & non aliter, & probatur.

2. Primò, ex *cap. ex parte, de cenſibus*, vbi vouens dare certam eleemoſynam Eccleſiæ, cogitat illam ſoluere, quamuis poſt promiſſionem ingreſſus fuerat Religionem. Ergo tale votum non poterat commutari, alias commutaretur in ipſum ingreſſum Religionis.

3. Secundò, ex tali voto in fauorem Eccleſiæ facto acquiritur illi ius iuſtitiæ. Ergo abſque eius conſenſu nequit ſine iniuria illius commutari. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Quia ex pollicitatione facta Reipublicæ acquiritur illi ius iuſtitiæ, vt conſtat ex *l. 5. ff. de pollicitationibus.* Ergo etiam ex voto facto in fauorem Eccleſiæ. Probatur conſequentia, quia non debet eſſe peioris conditionis ſpiritualis Reſpublica, quam ſæcularis.

4. Tertiò, quia monaſtica profeſſio non abſoluit vouentem à debitis pecuniariis antea contractis, vt conſtat ex *cap. ſcimus 12. quæſt. 1. & cap. iuramentum 22. quæſt. 5.* Ergo neque etiam abſoluit à voto reali, per quod vouens factus eſt debitor pecuniarius, atque adeo tale votum non poterit in profeſſionem commutari.

5. Quartò, quia eo ipſo quod eſt pia cauſa, ius quæritur etiam abſenti, vt habetur in *lege illud, Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis.* Ergo ſi votum fiat in fauorem Eccleſiæ, non poterit commutari ſine conſenſu talis Eccleſiæ; alias fieret illi præiudicium in re, in quam habet ius acquiſitum.

6. Verum his non obſtantibus exiſtimo partem affirmatiuam eſſe veriorem, nempe votum factum in fauorem alicuius Eccleſiæ, commutari poſſe virtute Bullæ, aut ex authoritate Prælati. Ita Palar. *ſupra.* Nauar. *ſum. cap. 12. n. 78.* Sylu. *loco cit.* Iacobus de Graff. *1. p. deciſ. lib. 2. c. 30. n. 11. & 12.* Armilla *verb. diſpenſare, n. 21.* Tabiena *verb. diſpenſatio, q. 12. n. 14. ad fin.* Angel. *votum 3. n. 26.* Angles *florib. 2. p. q. vnic. de voto, art. 8. diffic. 6. poſt 2. concluſ.* Petr. de Ledeſma *2. tom. ſum. tract. 10. c. 8. immediate ante tract. de commutatione votorum*, Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 30. n. 5. in comment. lit. K.* Man. *quæſt. reg. tom. 1. q. 63. art. 4.* Say. *in claui regia, lib. 6. c. 11. n. vlt.* Azor. *lib. 1. inſtit moral. lib. 11. c. 16. q. 12.* Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 6. c. 15. n. 3.* Sanch. *ſum. lib. 4. c. 41. n. 7.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. cap. 9. n. 257.* & alij per hos relati.

7. Probatur primò, quia commutatio in euidenter melius fieri poteſt, etiã propria authoritate, vt ſupra docuimus ex communi Doctorum ſententia: ſed profeſſio eſt euidenter melior, quam eleemoſyna promiſſa in fauorem alicuius Eccleſiæ: ergo in illam, vt minimùm, poterit commutari tale votum.

8. Secundò, quia ex tali voto nullũ ius iuſtitiæ fuerat acquiſitum tertiæ perſonæ, aut Eccleſiæ. Ergo abſque eorũ conſenſu poteſt tale votum commutari. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Tum quia nec eis, nec aliquibus pro eis acceptantibus facta eſt pollicitatio; ante acceptationem autem ſimplicis promiſſionis non acquiritur ius iuſtitiæ alteri; tum quia votum ſiue ſimplex, ſiue ſolenne, ſolum eſt religioſa promiſſio Deo facta. Ergo ex illa, vt ſic, tantum naſci poteſt Religionis ius in ordine ad Deum, non in ordine ad homines.

9. Quod ſi Prælato acquiritur aliquod ius, hoc etiam eſt Religionis, quia id conuenit illi, quatenus vice Dei illud acceptat. Quare ſicut Deo, cui principaliter fit talis promiſſio, acquiritur ſolum ius Religionis, ita etiã Prælato, qui Dei nomine acceptat. Vnde quod Prælatus poſſit iuridice compellere vouentem ad obſeruantiam voti, non eſt ex

iure

Digitized by Google

iure aliquo iuſtitiæ ſibi acquiſito; ſed quia id efficere incumbit illi ex proprio officio. Sicut poſt ſuſceptionem Baptiſmi poteſt Iudex compellere ad obſeruantiam fidei promiſſam, non quia ex tali promiſſione ius acquiſitum fuerit Iudici, ſed quia ad illum ex officio pertinet id facere.

10. Tertiò, quia perſona, vel ipſa Eccleſia, in cuius fauorem emiſſum eſt votum in rei virtute, non eſt promiſſarius, cui facta ſit promiſſio, ſed tantum ſe habet vt materia circa quam is cultus eſt Deo exhibendus, vel vt circumſtantiæ promiſſionis. Ergo ad commutandum tale votum non opus eſt expectare eius conſenſum. Conſequentia eſt euidēs, & antecedens probatur. Quia quādo promitto Petro me daturum centum nummos Ioanni, Ioannes non eſt promiſſarius, neque acquirit aliquod ius, ſed tantum Petrus, quia illi ſoli promiſſio facta eſt. Ergo ſimiliter in propoſito. Vnde ſicut Petro remittēte obligationem, expectari non debet conſenſus Ioannis, ſic remittente Deo obligationē per cōmutationem voti, vel diſpenſationē, non opus eſt expectare alterius cōſenſum, in cuius fauorem fuerat votum factum.

11. Quartò, quia poſt votū ſimplex ſtrictioris Religionis, ſi quis profiteatur in aliqua laxiori, manet abſolutus à priori voto abſque conſenſu prædictæ Religionis ſtrictioris, vt ſupra oſtendimus, & docent communiter DD. Ergo illi non fuerat acquiſitum aliquod ius.

12. Dixi autem notanter in principio concluſionis, virtute Bullæ, aut authoritate Prælati. Quia licet alia vota commutari poſſint propria authoritate in euidenter æquale, vt ſupra late oſtendimus, non tamen factum in fauorem alicuius pij loci, vt docent D. Thom. 4. *diſt.* 48 *q.* 1. *art.* 3. *&* 2. 2. *q. vlt. art.* 3. Caiet *tom.* 2. *opuſculo* 1. *tract.* 11. *q.* 3. Angel. *votum* 3. §. 26. *in fine.* Sylu. *votum* 4. §. 7. Nau. 12. *n.* 78. vbi refert ſe ad apologiam de redditibus *q.* 1. *monit.* 71. *q.* 3. Henriq. ſuprà, cum aliis ab eo relatis. Videre illū.

13. Neque obſtat primò, quod Sylu. & Henriq. *vbi ſupra* aſſerunt, non poſſe huiuſmodi vota commutari in melius propria vouentis authoritate. Nam oppoſitum potius dicendum eſt, quia cum per illa nullū ius tertio acquiratur, eſt idem de illis ſentiendum, ac de votis in Dei ſolius honorem factis. Ita Graff. & Say. *ſupra*, Suar. *n.* 11. & Sanch. *n.* 8. Hinc autem deducitur authoritatē delegatam diſpenſandi, & commutandi vota, extendi etiam ad hæc, vt recte tradunt Suar. & Sanch. *ibidem.* Et probatur, quoniam loco pio non competit ius aliquod compellendi per modum actionis, ſed ſola vtilis actio implorandi officij Iudicis, vt compellat vouentem exequi votum. Quoties autem hæc ſola actio alicui competit, non dicitur habere ius ad rem, vt patet in fratribus Minoribus, qui ad legata pia illis relicta ſoluenda poſſunt humiliter implorare officium Iudicis; & nihilominus nullū ius ad illa ipſis competere fatentur omnes Regulæ Franciſcanæ expoſitores.

14. Neque obſtat ſecundò, ſi dicas prædictam ſententiam intelligendam fore, cum promiſſio voti dirigitur in ſolum Deum; vt promitto Deo me daturum calicem tali Eccleſiæ, aut tali pauperi; ſecus ſi promiſſio in talem Eccleſiam, aut in talem pauperem dirigatur, vt promitto tali Eccleſiæ, aut tali pauperi; tunc enim etiam in abſentia factum, non ſubiicitur diſpenſationi, aut commutationi; quia tunc ſunt illi veri creditores, & ius illis acquiritur. Ita Azor. *vbi ſupra.* Id tamen mihi nullatenus probatur, quoniam ex promiſſione, aut donatione factis cauſæ piæ, nullum ius illis acquiritur ante acceptationem; vt late oſtendit Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 6. *num.* 16. Et probatur ex

Digitized by Google

communi DD. aſſerentium omnia vota realia commutari in Religionis profeſſionem, quod minime eſſet verum, ſi ius per ea fuiſſet tertio acquiſitum. Hac enim de cauſa nec debita in profeſſionem commutantur, ac proinde ante acceptationem manent vota illa, ſicut facta ſoli Deo. Vt igitur ius acquiratur cauſæ piæ per promiſſionem, non ſufficit, quod fiat inſtrumento publico, & coram teſtibus, ſed requiritur acceptatio Rectoris Eccleſiæ, aut alterius pro ea. Ita ſentiunt Armilla, Tabiena, Angel. Sylu. Graff. & Say. *vbi ſupra n.2. fine* Sanch. *n.11.* & Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.42. dub.12. num.58.*

15. Neque obſtat tertiò, ſi dicas hanc ſententiam limitandam eſſe, niſi dirigatur promiſſio in Sanctum, cui dicatur Eccleſia; vt promitto Diuo Franciſco me daturum eius Eccleſiæ calicem; cum enim promiſſio illa ſit in eius ſancti honorem, ipſique grata, & ſimul cognita, pariter acceptatur ſtatim ab illo tanquam à vero creditore. At huiuſmodi limitatio, ſeu interpretatio nequaquam probatur; tum quia cum votum ſit promiſſio Deo facta, & iuxta hunc ſenſum intelligatur; inde fit quod eſto fiat etiam ſancto, omnia tamen in eo voto reperta intelligenda ſunt iuxta ipſius voti naturam, videlicet vt ſoli Deo ius acquiratur: tum quia Deus, & beati quo ad hoc conſtituuntur quaſi ſub eodem foro: Atque ideo Vicarij Dei poſſunt in iure ſanctis acquiſito diſpenſare, idque commutare; ſicut vtrumque poſſunt circa ius Deo quæſitum: tum etiam quia cum voluntas illius ſit omnino diuinæ conformis, eligit ſimiliter id quod eſt Deo gratius: atque etiam ſubdit diſpenſationi, ac commutationi Prælatorum. Ita Caiet. *in ſuis quolibetis, tom.2. tractatu* 11. qui eſt de voto, *quæſt.3. verſic. nec oportet.* Suar. *num.*10. Sanchez *num.*12. & alij.

Cum autem huiuſmodi vota in commodum tertij facta, non ſoli Deo fiunt, ſed adiungitur quoque promiſſio tertio illi facta, & ab eo acceptatur, manifeſtum eſt id votum non ſubdi ordinariæ Prælatorum poteſtati diſpenſandi, ſeu commutandi, abſque illius tertij conſenſu. Et ratio eſt, quia tunc tranſit in contractum, & acquiritur ius illi tertio, quod ipſo inuito nequit remitti, niſi interceſſerit iniuria, vel in pœnam iuſtam, vel bonum commune aliud poſtulet, vt docet Leſſius *lib.2. de iuſtitia, cap.42. num.58.*

16. Ad primum reſpondeo, textum illum loqui in alio diuerſo caſu, quando tali voto admiſcetur pactum, vel acquiritur ſpeciale ius per conſuetudinem præſcriptam illud ſoluendi. Sicut votum à maioribus emiſſum, quod poſtea fuit à ſucceſſoribus obſeruatum, præcipitur ab aliis etiam obſeruari, ſicut modo contingit in voto Granatenſi de exhibenda quadam menſura tritici Eccleſiæ Compoſtellanæ ab Hiſpanis propter inſignem victoriam nomine Diui Iacobi partam.

17. Ad ſecundum reſpondeo, eſſe diſparem rationem; quoniam quando pollicitatio fit ipſi Reipublicæ, quia fit nomine proprio, acquiritur vt vero promiſſario ius fidelitatis, & iuſtitiæ facta acceptatione: in voto vero facto in fauorem alicuius tertij ſoli Deo acquiritur ius Religionis, vt vero promiſſario propter rationes ſupradictas, & ideo tale votum commutabile eſt, non ſecus, ac alia, quæ ſoli Deo fiunt, & non in fauorem tertij.

18. Ad tertium reſpondeo, ſolutionem petẽdam eſſe ex DD. in materia de voto, vbi late hanc difficultatem examinare ſolent. Quidquid autem ſit de eo, dicimus ad argumentum eſſe diſparem rationem, quia eo ipſo quod quis contraxit debita, creditor illius habet

Digitized by Google

bet ius iuſtitiæ commutatiuæ contra debitorem, & ideo ſine conſenſu debitoris non abſoluitur ab obligatione reddendi illa; cum vero votum fit Deo in fauorem Petri, Petrus non habet tale ius aduerſus vouentem, & ideo abſque eius cõſenſu tolli poteſt talis obligatio per commutationem, vel diſpenſationẽ.

19. Ad quartum reſpondeo, eſſe etiam ibi diſparem rationem, quia in ea lege eſt ſermo de ſimplici promiſſione exteriore, aut de legatis, quæ ante acceptationem alicuius particularis ſunt valida, ex quibus omnibus naſcitur ius iuſtitiæ; ſecus vero eſt de voto, ex quo ſolum naſcitur ius Religionis, quæ vt ſic ſolum reſpicit Deum, & non hominem.

CAPVT VIII.

De Indulgentiis, quas lucrari poſſunt virtute Bullæ.

DVBIVM I.

Quodnam ſit diſcrimen inter Indulgentiam plenariam, pleniorem, & pleniſsimam, & quid etiam ſit concedere tot dies vel quadragenas Indulgentiæ.

1. NONNVLLI Recentiores Cruciatæ interpretes cum Rodr. §. 9. multa hoc loco inuoluunt, quæ ad materiam de Indulgentiis omnino pertinent. Nos autem ea ſolum de Indulgentiis agemus, quæ præciſe ad interpretationem Indulgentiarum Bullæ legitime ſpectant.

2. Ratio igitur dubitãdi circa propoſitam difficultatẽ poteſt deſumi ex Bonifacio VIII. *in extrauaganti antiquorum, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicit non ſolum plenam, & pleniorem, ſed pleniſſimam indulgentiam cõcedi euntibus Romam: ergo præſupponit inter hæc eſſe aliquam differentiam. Quod confirmari poteſt, quod olim præter Indulgentiam plenariam, concedebantur ſimul centum dies, anni, vel quadragenæ Indulgentiæ: ergo indulgentia plenaria non importabat remiſſionem totius pœnæ, ſicut pleniſſima, aliàs non opus eſſet ſimul cum illa addere prædictas quadragenas.

3. In hac difficultate quot capita tot inuenio ſententias. Nam Palud. *in 4. diſt. 2. quæſt. vlt.* quem ſequuntur Adrianus, & nonnulli Thomiſtæ, aiunt Indulgentiam plenariam intelligi de pœnis peccatorum remiſſorum, pleniorem de ipſorum pœnis, & etiam venialium; pleniſſimam de abſolutione ab omni pœna, & veniali culpa. Alij cum Nauar. *in repetit. de Indulgentiis, notab. 9.* dicunt Indulgentiam plenariam importare remiſſionem pœnæ iniunctæ pro peccatis confeſſis, pleniorem remiſſionem eiuſdem, etiam ſi non fuerit iniuncta; pleniſſimam vero remiſſionem pœnæ debitæ mortalibus, & venialibus etiam non confeſſis.

4. Alij iuniores dicunt in expoſitione Bullæ nullum vnquam fuiſſe diſcrimen inter indulgẽtiam plenariã, plenioré, & pleniſſimam, ſed cõcionatores exaggerationis gratia eam gradationem poſitiui, comparatiui, & ſuperlatiui adinueniſſe, inſtar illius, ſæpe, ſæpius, & ſæpiſſime. Sed nulla interpretatio iſtarum eſt ſufficiens. Non prima, quia per indulgentias, quas ex ſatisfactionibus Chriſti D. N. & ſanctorum, Theſauro Eccleſiæ reconditis, concedit Pontifex, non remittuntur peccata quoad culpam, ſed quoad pœnam: nam indulgentia,

gentia, de qua hic eſt ſermo, ſolum eſt remiſſio pœnæ debitæ peccatis ex theſauro Eccleſiæ. Non ſecunda, quia licet illa expoſitio eſſet optima, quando tenor, & ſtylus ille antiquus ſeruabatur, tamen illo mutato, vt re vera mutatus eſt, iam non habet locum, vt recte docuit Cord. *de Indulgentiis*, *quæſt*. 11. *n*. 3. quia aperte pugnat cum dicta extrauaganti *antiquorum*, *de pœnit. & remiſſ.* ex qua aperte conſtat illam diſtinctionem non fuiſſe concionatorum adinuentionem, ſed ſtylum Curiæ Romanæ ex arbitrio Pontificis dimanantem.

5. Prima concluſio. Quidquid fuerit de ſtylo antiquo Curiæ, nunc tamẽ indulgentia plenaria, plenior, & pleniſſima idem important, hoc eſt remiſſionem totius pœnæ debitæ peccatis omnibus confeſſis, vel non confeſſis, ad quæ homo non habet affectum, niſi alias ſpecialis aliqua limitatio addatur à Pontifice. Ita Sotus 4. *diſt*. 21. *quæſt*. 2. *artic*. 1. Cord. *de Indulgentiis*, *quæſt*. 11. & recentiores communiter, & probatur.

6. Primò, quia euntibus in bellum conceditur indulgentia plenaria, largientibus vero in ſubſidium eiuſdem belli duos argenteos conceditur pleniſſima; at non eſt veriſimile facientibus amplius concedi minus: ergo indulgentia pleniſſima non eſt maior quam plenaria.

7. Secundò, quia vt patet ex verbis ipſius conceſſionis, indulgentia, quæ conceditur in Bulla, eſt eadem cum illa, quæ anno Iubilæi centenarij concedi conſueuit. Nam, vt ait Nauarr. ſtatim citandus, indulgentia, quæ datur ad inſtar Iubilæi, eſt pleniſſima; ea autem quæ datur in Bulla, licèt plena dicatur, conceditur ad inſtar Iubilæi; ſed ſic eſt, quod indulgentia illa Iubilæi centenarij eſt pleniſſima, vt probat Nauar. *in* §. *Leuitico*, *notab*. 6. *& ſeqq. num*. 10. Angelus Pientinus *lib*. 2. *de Iubilæo*, *cap*. 5. & patet ex extrauaganti *antiquorum*, *de pœnit. & remiſſ.* Ergo idem eſt in Bulla indulgentia plenaria, quam pleniſſima.

8. Tertiò, quia indulgentia pleniſſima nihil aliud importat, vt ad præſens inſtitutum ſpectat, quam remiſſionem omnium peccatorum, quo ad pœnam; ſed in Bulla datur remiſſio omnium peccatorum. Ergo talis indulgentia eſt pleniſſima, licet plenaria appelletur, & conſequenter valet tantum, quantum Iubilæus. Quia iſte non differt ab indulgentia plenaria quantum ad remiſſionem pœnæ, ſed quia in illo datur facultas abſoluendi à reſeruatis, vel aliquid ſimile conceditur. Videte Nauar. *in* §. *Leuitico*, *notabil*. 30. Cord. *de Indulgentiis*, *quæſt*. 4. *&* 11. Rodr. *in Bulla*, §. 8. *num*. 7. D. Antonin. 1. *part. tit*. 10. *cap*. 30. *in principio*, Palud. *in* 4. *diſt*. 20. *quæſt*. 4. Adrian. *in* 4. *quæſt. de Indulgentiis*, §. *pro intellectu*, Angelum Pientinum *lib*. 2. *de Iubilæo*, *cap*. 5. qui omnes late agunt de indulgentia plena, pleniori, & pleniſſima. Ex quorum omnium doctrina colligitur indulgentiam plenariam, quo ad præſens inſtitutum ſpectat, nihil aliud eſſe, quam relaxationem & remiſſionem pœnæ temporalis in Purgatorio ſoluendæ, factam per Eccleſiæ Prælatum ex communi Eccleſiæ theſauro, atque adeo indulgentiam plenariam eſſe remiſſionem totius pœnæ debitæ peccatis. Vide Sotum 4. *diſt*. 21. *quæſt*. 1. *art*. 1.

9. Secunda concluſio. Omiſſis variis explicationibus, (de quibus videndi ſunt D. Anton. 1. *part. tit*. 1. *cap*. 3. §. 3. Sylu. *verb. Indulg. quæſt*. 4. Michaël Med. *diſputat*. 9. *de Indulgentiis*, *fol*. 125. Rodr. §. 8. *num*. 7.) dicendum eſt, nihil aliud eſſe concedere tot dies, annos, ſeu quadragenas indulgentiæ, quam concedere remiſſionem tantæ pœnæ Purgatorij, quanta remitteretur illi per pœnas illas

Digitized by Google

tot dierum, vel quadragenarum, quæ iniungendæ eſſent vnicuique pro ſuis peccatis iuxta antiquos canones pœnitentiales, qui iam non ſunt in vſu, ſed omnes pœnitentiæ ſunt arbitrariæ. Itaque cum conceduntur viginti anni, & totidem quadragenæ indulgentiæ, non eſt ſenſus. quod totidem anni, & dies remittantur de pœna ſoluenda in Purgatorio, ſed intelligitur de pœnitentiis hoc ſæculo iniunctis, aut iniungendis. Ita D. Antonin. 2.*p.tit*.1.*cap*.3. *&* §.3. Sylu. *verb. Indulgentia*, *quæſt*.4. Soto 4 *diſt*.21. *quæſt*.2. *art*.1. *concluſione* 3. *& p*.3. & patet ex verbis Bullæ, quæ ſic ſe habẽt, *de las penitẽtias a ellos impueſtas y en qualquiera manera deuidas*. Vbi notare oportet, quod iſtæ annorum relaxationes, & remiſſiones fiunt ſecundum formam iuris antiqui præcipientis, vt pro quocunque peccato mortali, ſi eſſet graue, ponerentur ſeptem anni pœnitentiæ, & pro grauiſſimo decem, & plures, vt probatur 33. *quæſt*.2. *cap. hoc ipſum*. Vnde remiſſio ſeptem annorum, vel decem, eſt remiſſio pœnæ, quæ in Purgatorio correſpondet pœnitentiæ huius vitæ, & per indulgentiam tantum pœnarum remittit in Purgatorio, quantum remitteret, ſi in hac vita quis pœnitentiam egiſſet totidem diebus, vel annis, quot ſecundum Deum, vel Eccleſiam erant debiti ad faciendam pœnitentiam pro peccato, vel peccatis commiſſis.

10. Huiuſmodi autem indulgentia annorum, vel dierum ſolet concedi dupliciter in conceſſionibus. Primo, vt ſit de pœnitentiis à confeſſore iniunctis, & per hanc indulgentiam ſolum remittitur in Purgatorio tantum pœnarum, quantum remitteret, ſi in hac vita ſufficienter impleuiſſet illam pœnitentiam, vt ſi quis debeat 40. dies ieiunij, vel aliud ſimile, ſecundum taxationem diuinæ iuſtitiæ in pœnam ſuorum peccatorum, & imponuntur illi in pœnitentiam 10. dies ieiunij, tunc ſolum valet indulgentia pro iſtis decem diebus modo prædicto conceſſa. Hinc ſi non adimpleuerit hanc pœnitentiam, eo quod non eſt diſpoſitus, vel alia de cauſa, tunc remittentur illi prædicti dies per ſupradictam indulgentiam. Vnde admonebat Palud. vt qui ſuſcepturus eſt indulgentias, prius confiteretur, & graues pœnitentias acceptaret, vt ad omnes illas indulgentia ſe extenderet, & iſte modus concedendi erat olim in vſu; nam tunc imponebantur pœnitentiæ grauiſſimæ ad menſuram delictorum, & ita tunc conſonum erat, vt indulgentiæ non niſi de iniunctis pœnitentiis concederentur; at vero nunc, quia leuiſſimæ imponuntur pœnitentiæ, ideo indulgentiæ conceduntur, tam de iniunctis, quam de iniungendis.

11. Secundo modo concedi ſolent indulgentiæ ſub hac forma, ſcilicet pro pœnitentiis, & pœnis iniunctis, vel quomodocunque debitis, & iſto modo conceduntur communiter in Bulla, quæ ſane conceſſio eſt multo amplior, & vtilior, quam ſi ſolum concederetur primo modo, de quo videndus eſt Cord. *de Indulgentiis quæſt*. 29. Atque hinc colligunt Doctores has indulgentias liberare pœnitentes à debito Eccleſiæ, quo tenebantur adimplere pœnitentiam impoſitam à confeſſore, quia indulgentia quantum ad ſatisfactionem habet eundem effectum, quem haberet pœnitentia iniuncta per ſacerdotem; ſed ſic eſt, quod implendo talem pœnitentiam liberatur homo pœnitens à debito illo. Ergo & lucrando indulgentiam. Ita Adrianus *de Indulgentiis, quæſt*.7. Angelus *verbo indulgentia*, §.1. Soto *vbi ſupra, art*.1. & Cord. *de Indulgentiis, quæſt*.8. & Doctores communiter, qui id colligunt ex *cap. cum. ex*

CCc *de*

Digitized by Google

de pœnit. & remiſ. & ſecundum iſtum ſenſum communiter dicitur, quod indulgentiæ non ſolum remittunt pœnas in foro Dei, ſed etiam in foro Eccleſiæ, & hac ratione tempore Iubilæi ſolent maiores pœnitentiæ imponi ad ſatisfactionem.

12. Sed obiicies, ſequitur ex dictis quod nullus teneatur implere pœnitentiam impoſitam à Confeſſario, nam quantumcunque ſit magna, ſufficienter ſatisfacit lucrando indulgentiam aliquam plenaria.n.

Ad hoc facile reſponderent qui cenſent pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam ſibi à confeſſore impoſitam. Hi ſunt Scotus *in 4 diſt.* 15 *q.* 1. *§. de 2. principali, & diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 1. Gabr. *ead. diſt.* 18. *art.* 3. *dub.* 5. Hoſt. & Panor. *in c. ſignificauit, de pœnit. & remiſ.* Sylu. *verb. confeſſio. q.* 25. Armil *eod. verb.* §. 1. Nauar. *ſum. cap.* 26. *n.* 20. & 21. Med *tract.* 2. *q.* 41. Rodr. *in Bulla*, §. 1. *n.* 1. & Caiet *tom.* 1. *opuſc. tract.* 6. *q.* 2. *ad* 2. vbi inſuper addit pœnitentem, etiam poſt pœnitentiam acceptatam, non teneri implere illam; opinionem autem Scoti erudite defendit Fauent *in 4. diſt.* 19. *quæſt. vnic. diſp.* 35. *n.* 197. *& ſeqq.*

13. At huiuſmodi opinio eſto ſpeculatiue ſit probabilis, in praxi tamẽ nec æſtimatur talis, nec regulariter eſt tenenda; quia (teſte eodem Nau. *vbi ſupra*) vix poterit inueniri vllus vere pœnitens, qui bona fide confiteatur, & ſit adeo ſaxeus, vt nolit ſaltem tantillum pœnitẽtiæ acceptare; ac proinde ſi eiuſmodi aliquis ad confeſſionem accederet, eſſet merito reiiciendus, non ex eo præciſe, quod recuſauit pœnitentiã, ſed quia non videtur ſufficienti diſpoſitione accedere. Hinc contrariam opinionem tenent Mag. ſent. *in 4. diſt.* 16. & 18. Alenſ. 4. *p. q.* 24. *membr.* 4. *ar.* 5. D. Th. *ead. diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. Rich. *ibi art.* 2. *q.* 51. Dur. *q.* 2. & Maior. *q.* 5. atque ex recentioribus plurimi. Vict. *ſum. n.* 140. Sotus *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 2. Canus *relect. de pœnit. p.* 5. *fine*, & alij quos refert, & ſequitur Suar. *tom.* 4. *diſp.* 38. *ſect.* 7. *n.* 2. Et videtur deduci ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. & *can.* 15. vbi definit datã fuiſſe Sacerdotibus poteſtatem, nõ ſolum abſoluendi, ſed etiam ligandi per pœnitentiæ impoſitionem: atque idem habetur ex Concil. Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. & *cap. ſtatutum, de maledicis.* Quare omiſſã prædicta ſolutione.

14. Alij reſpondent, quod licet pœnitens deobligetur per indulgentiam à præcepto implendi pœnitentiam, quãtum ad rationem ſatisfactionis; quia ſufficienter ſuppletur hæc per ipſam indulgentiam, non vero in quantũ habet rationem medicinæ ſanatiuæ, & præſeruatiuæ; nam cum confeſſarius non tantum ſit iudex, ſed medicus, imponit pœnitentiam ad vtrumque. Sed neque hæc ſolutio placet, quia ſi illa vera eſſet, nũquam eſſet locus commutationi pœnitentiæ in indulgentiam, nec in re liberari poſſet quis ab onere pœnitentiæ ratione indulgentiæ, quia ſemper pœnitentia habet vtramque illam rationem ſatisfactionis, & medicinæ, huius tamen contrarium habetur *in prædicto cap. cum eo de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur per indulgentias indiſcretas eneruari pœnitentialem ſatisfactionem. Ergo ſupponit vere liberari per indulgentias diſcretas ab obligatione ſatisfaciendi, & implendi pœnitentias, ita vt licite poſſit illam omittere pœnitens.

15. Ad argumentũ igitur in forma, concedimus ſequelam, modo nuper explicato; imo exiſtimamus non ſolum quemlibet confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam ab illo impoſitam, in aliquam indulgentiam maiorem vel æqualem, ſed ipſum pœnitentem id poſſe aliquando ſuo iudicio facere, ſi ſit vir doctus, vel etiam ex alterius

rius docti conſilio, inſinuat Caietan. ſupra.

Et ſi obiicias. Satisfactio eſt pars ſacramenti, atque ideo ſi illa deficiat, manebit ſacramentum truncum.

Reſpondeo non eſſe partem eſſentialem, nec ita neceſſariam, vt ex priuilegio indulgentiæ non poſſit omitti, indulgentia ipſa ſupplente effectum eius.

16. Ad rationem vero dubitandi in principio poſitam reſpondeo, conuincere Pontifices antiquitus conſtituiſſe aliquod diſcrimen inter illa tria, non tamen conſtat quodnam fuerit hoc diſcrimen, vt tradit Cord. *vbi ſupra ex ſupplemento, in 4. diſt. 45. q. 3. artic. 1. notab. 3. & 4.* nam pro diuerſitate temporum diuerſimodè illa accipiebant, prout Pontificibus placebat: vel reſpondetur cum Bellarm. *in controu. tom. 3. lib. 1. de indulg. cap 9. paulo poſt principium*, poſſe quidem fieri, vt Bonifac. VIII. qui *in extrauag. Antiquorum*, primus vſus eſt illis vocibus, indulgentiam plenariam retulerit ad remiſſionem totius pœnitentiæ iniunctæ: pleniorem ad remiſſionem totius pœnitentiæ, quæ ſecundum canones iniungi debuiſſet, pleniſſimam vero ad remiſſionem totius pœnitentiæ, quæ à diuino iudicio exigi poſſet.

17. Ad id vero quod de quadragenis dicitur, reſpondeo cum Rodr. *in Bulla, §. 8. num. 7.* fuiſſe olim conſuetudinem concedendi, præter indulgentiam plenariam, tot annos, vel quadragenas indulgentiæ, quia iuxta veterem vſum indulgentia plenaria ſolum erat de pœnis mortalium, & ideo pro pœnis venialium dabantur inſuper aliquot anni, vel indulgentia quadragenæ, modo vero iam non viget talis vſus.

Dubium II.

Vtrum cum in Bulla datur facultas ad lucrandum omnes indulgentias vrbis Romanæ, & an in ea comprehendantur indulgentiæ plenæ.

1. Videtur quod ſic. Primò, quia iuxta Innocentium, Ioannem Andream, & Gloſſ. *in Clementina vnica, de reliq. & vener. ſanctorum, verb. Conceſſio*, non decet, neque conuenit indulgentias auarè interpretari; quibus concordat Sylu. *verb. indulgentia, quæſt. 6. dict. 3. & quæſt. 8. dicto 4.* & Ang. *in principio*, ſed in Bulla datur facultas ad lucrandas omnes indulgentias Stationum Romæ, & qui totum dicit, nihil excludit: ergo in tali facultate comprehenduntur indulgentiæ plenariæ.

2. Secundò, & efficacius, quia in Summario Bullæ Cruciatæ ponuntur prædictæ indulgentiæ plenariæ, & in titulo ipſius Summarij dicitur illas omnes lucrari poſſe, qui accipiunt Bullam, & Prædicatores Bullæ ſic prædicant vniuerſo populo: ergo in prædicta facultate Bullæ comprehenduntur indulgentiæ plenariæ, aliàs falſo, & illuſorie ponerentur ibi, & eſſet decipere fideles, quorum multi præcipue accipiunt Bullam, vt poſſint gaudere prædictis indulgentiis plenariis.

3. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo verius nobis videri in prædicta facultate Bullæ ad lucrandas indulgentias vrbis Romanæ non comprehendi indulgentias plenarias, niſi id exprimat Pontifex, vel id aliunde conſtet de eius mente. Ita docent Cord. *5. de Indulgentiis, quæſt. 41.* Collector compendij priuilegiorum Regularium, *verbo indulgentia, fol. 65.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 10. num. 2.* Nauar. *§. in [illegible] notab. 9. num. 15.* vbi etiam dicit ſe id

Digitized by Google

legiſſe Salmanticæ: idem docet Alphonſus Rodriquez Societ. IESV *in tract. de Indulgentiis, dub. vlt. concl.* 4. & probatur.

4. Primò, quia ſtylus conſuetus Curiæ Romanæ, & regula Cancellariæ habet, quod niſi in conceſſione exprimantur indulgentiæ plenariæ, ſolum intelligitur comprehendi non plenarias, vt docent peritiſſimi Curiales, teſte Collectore ex Nauar. *vbi ſupra*, qui per plures annos adfuit Curiæ Romanæ: ergo cum clauſulæ Bullæ ſint interpretandæ iuxta limitationem conſuetam, & ſtylum Romæ, manifeſte conſequitur in prædicta facultate non comprehendi indulgentias plenarias.

Secundò, quia in Bulla Cruciatæ conceditur expreſſe indulgentia plenaria, ſolum pro ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis; hæc autem expreſſio, & limitatio fruſtra fieret, ſi verum eſſet, quod Pontifex concederet in Bulla tot indulgentias plenarias, quot lucrantur Romani viſitantes omnes Eccleſias Romæ: ergo manifeſtum eſt in tali facultate non comprehendi indulgentias plenarias, ſed non plenarias duntaxat.

5. Tertiò, quia non aliæ indulgentiæ cōceduntur in Bulla Hiſpana, quàm quæ depromuntur ex eius originali; in eius autem originali (vt teſtantur præfati Doctores, & patet ex ipſo originali initio huius libri affixo) non conceduntur prædictæ indulgentiæ plenariæ. Ergo ſolum iſtæ comprehenduntur in prædicta facultate Bullæ. Et quidem mirabile eſſet, quod tam difficulter poſſit obtineri Romę vna indulgentia plenaria pro aliqua Eccleſia, vel Capella, vt ſæpe opus ſit ad illam obtinendam ingentem pecuniam erogare, non in pretium, ſed in eleemoſynam, & tamen in Bulla eroganti duos argenteos concedatur tanta multitudo indulgentiarum plenarum.

6. Quartò, quia ſi in prædicta facultate Bullæ includerentur indulgentiæ plenariæ, etiam intelligerentur indulgentiæ liberationis animarum, quia illæ etiam ſunt plenariæ pro animabus, quod tamen aperte eſt falſum, niſi ſpecificetur in ipſis Bullis, vt idem Curiales dicunt, & atteſtatur ſtylus Curiæ Romanæ.

Ex his colligo non ſatis cautè Rodr. dixiſſe *in Bulla*, §. 8. *num.* 5. per Bullam poſſe quolibet die q̄uadrageſimæ, & aliis diebus ſtationum, Romæ obtineri ab habente Bull. indulgentiam plenariam, & alias innumeras indulgentias, tam proprias, quàm aduentitias ipſis ſtationibus.

7. Ad primum reſpondeo, nec licere indulgentias auarè interpretari, nec ita ample illas explicare, vt explicatio ſit contra ſtylum Curiæ Romanæ; eſſet autem, vt teſtantur peritiſſimi Curiales, ſi ſupradicta facultas explicaretur de indulgentiis plenariis. Vnde in Bulla ſolum conceduntur indulgentiæ ſtationum. Et quidem iuxta D. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. & Turrecrem. *cap. in menſura, de pœnit. diſt.* 1. ſtationes inſtitutæ à Diuo Gregorio, qui conceſſit, vt quis ſingulis ſtationum diebus ſeptem remiſſionis annos lucretur, atque idem refert Rodr. *in Bulla, eod.* §. 8. *n.* 2.

8. Ad ſecundum reſpondet Collector *vbi ſupra*, §. 19. *num.* 8. quod cum prædicta Summaria non contineantur in originali Bullæ, non multum eſt curandum de illis; dum ſic exponuntur à quæſtoribus Bullæ ex inaduertentia, ignorantia, ſeu lucri cauſa. Vnde (inquit) quod ſuo tempore ponebantur in prædicto Summario multæ indulgentiæ, quæ Romæ non habentur, vt in feſto expectationis Beatæ Mariæ, & aliis relatis à Cord. *vbi ſupra*. Verum hæc ſolutio valde libera eſt, vnde.

9. Modeſtius dicitur, nec falſo, nec incon

Digitized by Google

inconſiderate poni in Summario Bullæ prædictas indulgentias plenarias; quia cum res ſit dubia, quibuſdam affirmantibus in clauſula illa Bullæ includi indulgentias plenarias, vt affirmauit, Rodriquez §.8.*num.6.* & Villalob. *clauſ.8. num.* 3. quibuſdam vero negantibus id, vt Alphonſo de Leone *tract.de Iubil.part.1.queſt.6. num.229.*& Suarez *tom.4.in 3.part. diſput.52.ſect.8.num.12.* cum Doctoribus à nobis citatis; non imprudenter, nec falsò dicitur in titulo vulgaris Summarij Bullæ accipiẽtem illam poſſe eas omnes indulgentias plenarias lucrari; quia ita probabiliter intelligunt quæſtores Bullæ. In iis autem omnibus caute loquendum conſulo, pro,& contra,attento tenore Bullæ originalis, vt vitetur falſitas ſimul, & ſcandalum puſillorum, & forte etiam Phariſæorum: quia non expedit vbique, aut ſemper veritatem quomodolibet, & à quocunque declarari, & prædicari, dum neceſſitas morum, & fidei id non requirit, aut dum malum aliquod ſine maiori fructu probabiliter timetur ex tali veritatis non neceſſariæ ad ſalutem prædicatione, iuxta illud Amos; *prudens illo tempore tacebit, quia dies mali ſunt.* Atque ita ſentit Cord. *lib.5.de indulg.q.41.fine.*

Dvbivm III.

Vtrum omnes perſonæ, quæ aſsignantur in Bulla, æqualiter aſſequantur indulgentiam plenariam.

1. SVpponendum eſt pro intelligentia huius dubij, tribus perſonarum generibus concedi in Bullis Cruciatæ indulgentiam plenariam. Primò, illis qui zelo fidei ſuccenſi ad bellum perſonaliter propriis ſumptibus profecti fuerint;& hoc ſiue pugnauerint,ſiue aliud ſeruitiũ gratis exhibuerint, dummodo perſeuerẽt per annum integrum, quam etiam conſequuntur, ſi ante belli expeditionem fuerint mortui in itinere, vel in exercitu, vel ex infirmitate, vel alia legitima cauſa non potuerint in illo perſeuerare.

2. Secundò,conceditur illis,qui alios ſuis expenſis ad tale bellum miſerint ſecundum ſtatum, & qualitatem perſonarum: vt ſi fuerint Primates, Patriarchæ, &c. ad minus decem mittere debeant, aut ſaltem quatuor, ſi plures mittere non poſſint.

Tertiò, conceditur prædicta indulgentia clericis ſæcularibus, qui accepta facultate à ſuis Prælatis verbum Dei prædicauerint in exercitu, aut alia miniſteria eccleſiaſtica exercuerint; & hæc eadem indulgentia,non ſolum plenaria,ſed pleniſſima conceditur omnibus, qui duos argẽteos erogauerint pro Bulla in ſubſidiũ belli contra infideles.

3. Hoc ſuppoſito,ratio dubitandi in præſenti poteſt eſſe,quia vt docet communis opinio Theologorum, quam ſequuntur Adrianus *tit.de indulgentiis,c.8.* Sot.*in 4.diſt.21.q.1 art.2.*Cord.*de indulgentiis, q.19.* & alij communiter, cauſa pia requiſita ex parte recipientis indulgentias debet eſſe proportionata quantitati indulgentiȩ,alioquin non valebit. Quare ſicut ad valorem indulgentiæ requiritur cauſa pia, ita ad maiorem indulgentiam maior cauſa, iuxta illud cõmune Philoſophorum proloquium, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis,& maximum ad maximum; ſed prædictæ omnes perſonæ ſupra enumeratæ non æquale præſtant obſequium, nam maius quid operatur, qui ſuis ſumptibus perſonaliter tendit in bellum,quam qui ſolum duos cõfert argenteos: ergo æquum eſt vt plus illi indulgentiæ recipiant, quam iſti. Vnde Cord. *de indulgentiis,queſt.19.* quem alij plures ſequuntur, ait, quod quamuis

Digitized by Google

cauſa expreſſa in Bullis ſit ſufficiens in communi, non tamen eſt ſufficiens ad omnes perſonas particulares: nam conferre duos argenteos pro expeditione belli reſpectu aliquorum, erit cauſa ſufficiens ad totam indulgentiam conſequendam; non autem reſpectu aliorum erit cauſa ſufficiens; nam minus valde eſt diuitem dare duos argenteos; quam pauperem duos obolos: atque ideo non omnes æqualem indulgentiam obtinebunt.

4. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo cauſam expreſſam in Bullis ex parte recipientis; ſcilicet contributionem duorum argenteorum in ſubſidium belli, non ſolum eſſe cauſam ſufficientem in communi, ſed etiam in particulari, ita vt omnes perſonæ, quæ illos contulerint, & receperint Bullam, ſiue pauperes ſiue diuites conſequantur, quantum eſt ex hac parte totam indulgentiam in Bulla conceſſam. Ita D. Thom. *in additionibus*, *quæſt.* 25. *art.* 2. *ad* 4. Sot. 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 2. Sylu. *verb. Indulgentia*, *quæſt.* 8. §. 12. & alij ſtatim citandi.

5. Et probatur Primò, quia quando Pontifex præſcribit omnibus certum tempus ex graui cauſa, vt ſi imponat peregrinationem ad limina D. Petri, quicunque tale opus fecerit, niſi aliunde apponat impedimentum, conſequetur totam indulgentiam, quamuis alias, reſpectu vnius, erit facilis peregrinatio, quia eſt Romæ propinquiſſimus; reſpectu vero alterius valde difficilis, quia longiſſime diſtat à Roma. Ergo ad conſequendam totam indulgentiam, non opus eſt æquali cauſa ex parte lucrantium illam. Conſequentia eſt euidens, & antecedens docent expreſſe D. Thom. *vbi ſupra*, Durand. *diſt.* 20. *in* 4. *quæſt.* 4. Carthuſianus *quæſt.* 3. *columna* 5. Palud. *quæſt.* 4. Maior *quæſt.* 2. *colum.* 4. Palacius *quæſt.* 3. Armil. *verb. Indulgentia*, *quæſt.* 20. Cord. *de Indulgentiis*, *quæſt.* 20. Ierſon *de Indulgentiis*, *p.* 1. *conſideratione* 9. Ledeſ. 2. *p. quæſt.* 27. *art.* 2. *dub.* 2. Caiet. *tom.* 1. *opuſcul.* 1. *cap.* 15. *& opuſcul.* 9. Ledeſ. *quæſt.* 1. Rodr. §. 1. *num.* 10. *vſque ad* 14. Io. Andr. *caſu quod autem de pænit. & remiſ.*

6. Secundò probatur, quia ex parte conferentis ipſam indulgentiam cauſa expreſſa in Bulla eſt grauiſſima; ſcilicet bonũ totius Reipublicæ Chriſtianæ, defenſio Eccleſiæ ab infidelibus: ob hanc autem grauiſſimam neceſſitatem, cauſa etiam parua ex parte ſuſcipientis fit maxima, vt recte notarunt Caiet. *opuſculo de indulgentiarum cauſa*; *quæſt.* 2. Ierſon *opuſculo de Indulgentiis*, *p.* 1. *conſideratione* 12. Huic etiam cauſæ accedunt aliæ maximi momenti; ſcilicet quia ex tali conceſſione fideles inuitantur ad conſeruandum ſtatum gratiæ, ad ſuſcipienda Sacramenta, ad profitendas Chriſti, & ſanctorum ſatisfactiones, authoritatem Pontificis, & Purgatorium, quod ſane eſt magni momenti, præſertim modo, cum hæretici tam in Gallia, quam in Anglia & Germania, aduerſus hæc omnia pertinaciter oblatrent.

7. Tertiò, quia alias ſi non omnes conferentes illos duos argenteos conſequentur integram illam indulgentiam plenariam, de qua in Bulla, id falſo prædicaretur in Eccleſia, omneſque fideles deciperentur à Pontifice dum illos inuitat per indulgentiam plenariam ad ſumendam Bullam, quam tamen poſtea conſequi non poſſunt. Ergo dicendum eſt omnes perſonas in Bulla enumeratas conſequi integram indulgentiam plenariam.

8. Ad rationem dub. reſpondeo, quod licet perſonæ illæ non æquale opus faciant, integram tamen conſequuntur indulgentiam, quia vt recte Sotus *vbi ſupra*: dantur indulgentiæ in communi,

communi, & per modum legis, vt v. g. viſitantibus talem locum, vel conferentibus talem eleemoſynam; & quia lex dicitur eſſe æqualis, ideo nulla habetur ratio maioris, vel minoris laboris, aut neceſſitatis. Vnde ſi ſingulæ illæ perſonæ in Bulla enumeratæ impleant, quod ſibi præfigitur, æqualiter indulgentiam plenariam conſequuntur, quamuis in omnibus non ſit æqualitas meriti, quod ſolum probat ratio ibi adducta. Verum tamen eſt, quod ſi indulgentiæ conferantur, non in communi, ſed priuatim huic, & illi, ratio ipſa poſtularet, vt haberetur reſpectus laboris, & pretij ſecundum perſonarum conditionem. Vt v.g. quando Pontifex concedit indulgentiam pro cauſa, in qua eſt latitudo, vt ſi eam concedat oranti, vel porrigenti manus adiutrices, opus eſt ad totam illam lucrandam exercere illud opus iuxta facultatem, & proportionem ſuam, ita vt ditior det plus quam pauper, & Religioſus oret plus quam ſæcularis, &c. Ita D. Thom. *in additionibus, quæſt.* 25. *art.* 2. *ad* 3. *&* 4. *diſt.* 20. *art.* 3. *quæſtiuncula* 10. *ad* 3. D. Bonauentura ibi *quæſt. vltima*, D. Anton. 1. *p. tom.* 10. *cap.* 3. §. 3. Sylu. *verb. Indulgentia, quæſt.* 8. Gabr. *in can. lect.* 57. Nau. §. *in Leuitico, notabili* 15. *num.* 8. Ierſon 2. *p. de Indulgentiis, Alphabeto* 25. *&* 32. *&* 33. Cord. *de Indulgentiis, quæſt.* 20.

DVBIVM IV.

Vtrum ad lucrandam prædictam indulgentiam Bullæ opus ſit exercere in gratia opera ad id iniuncta.

1. PArtem affirmatiuam ſequuntur Nauar. *in repetitione de Indulgentiis*. Caiet. *in tract.* 10. *de Indulgentiis*, atque etiam Bellarm. *tom.* 3. *controu. lib.* 1. *de Indulg. cap.* 13. *verſ. ex his ſententiis*, ait, eſſe tutiorem. Sed probatur primò, quia ſi opera illa, quæ præſcribuntur à Bulla, vel Iubilæo ad lucrandam indulgentiam, fiant in peccato mortali, nullum haberent valorem ad vitam æternam conſequendam. Ergo nec ad lucrandam indulgentiam. Patet conſequentia, quia lucratio indulgentiæ eſt medium ad citius conſequendam vitam æternam; quatenus non tanto tempore detinebitur anima in Purgatorio, quanto ſine illa detineretur.

2.° Secundò, quia opera exiſtentis in peccato mortali ſunt opera inimici. Ergo intuitu illorũ nulla remiſſio pœnæ illi impenditur. Patet conſequentia, tum quia indulgentia conceditur in præmium operum, quæ ad illam lucrandam fiunt, opera autem inimici non ſunt digna tali præmio: tum quia indulgentia illa Bullæ conceditur ſecundum antiquam, & conſuetam formam indulgentiarum, vt ex tenore illius conſtat; ſed in forma antiqua dicebatur concedi talem indulgentiam omnibus vere pœnitẽtibus. Ergo &c. Tum quia cauſa indulgentiæ debet eſſe pia, vt omnes Doctores fatentur. Ergo & opera ad illam lucrandam debent eſſe pia, cum ſint cauſa proxima ipſius indulgentiæ.

3. Tertiò, quia opera facta ſine gratia, ſunt mortua, cum deficiat eis vita charitatis. Ergo ex theſauro vitæ, ſeu vitali Chriſti Domini nihil prorſus diſpenſatur pro illis. Patet conſequentia, quia ex theſauro ciuili, nihil diſpenſatur niſi pro cauſa ciuili. Ergo ex theſauro vitæ operum vitalium Chriſti Domini, & ſanctorum, nihil communicatur operibus non viuis.

4. Quartò, quia vt conſtat ex extrauaganti vnigenitus, & ex communi DD. ſententia, de quo ſupra, ad valorem indulgentiæ requiritur, quod opus pro

quo

Digitized by Google

quo conceditur indulgentia, ſeu quod idem eſt, cauſa ex parte lucrantis ſit proportionata ipſi indulgentiæ, & conceſſioni. Ergo cum opera impoſita in Bulla, vel Iubilæo habeant modicum valorem, ſequitur vt minimum, quod illa adimplens in mortali, vltimum tamen in gratia, non lucretur totam indulgentiam, ſed partem proportionatam exiguo valori illorum operum.

5. Verum his non obſtantibus reſpondeo, quod licet ad lucrandam indulgentiam, ſeu percipiendum fructum illius, opus ſit tunc eſſe in gratia; quia ſatisfactio operum Chriſti, & Sanctorum, quæ eſt in indulgentiis, non applicatur niſi membro viuo, & Chriſto vnito: id tamen non eſt neceſſarium ad exequenda opera prærequiſita ad lucrandam indulgentiam, vel Iubilæum. Ita communiter DD. cum D. Antonino *1. p. tit. 10. cap. 3. §. 5. circa finem.* Palud. *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 3. concl.* 1. Sylu. *verb. indulgentia, quæſt.* 10. *dicto* 9. Cord. *de indulgentiis, quæſt.* 24. Suar. *tom. 4 in 3. p. diſp.* 52. *ſect. 5. num.* 8. & multi alij ab eo citati, qui etiam id colligit ex extrauaganti, antiquorum *de pænit. & remiſ.* & probatur.

6. Primò, quia Pontifices ſolent communiter in Bulla, & Iubilæis exigere eleemoſynas, orationes, & alia ſimilia, & poſtea quod confiteantur, & communicent. Ergo cum recte nouerint ſacri Pontifices, quod vt plurimum multi laici cum ſola attritione accedunt ad confeſſionem poſt commiſſum mortale, aperte cenſent non opus eſſe opera illa præcedentia confeſſionem, & examen conſcientiæ fieri in gratia; idque ita eſſe practica quotidiana ſatis oſtendit, alias pauci ſæculares lucrarentur indulgentias, & Iubilæa.

7. Secundò, quia Pontifex poteſt illo modo operanti concedere indulgentiam, dummodo tempore recipiendi fructum illius ſit in gratia, ſed ſecundum tenorem indulgentiæ Bullarum, & Iubilæorum colligitur ita voluiſſe. Ergo ſufficit illud. Minor probatur, tum quia nihil eſt in Bullis, & Iubilæis quod diſcordet huic indulgentiæ; tum quia eorum verba propriè ſumpta illam patiuntur. Ergo cum verba Principis, ſicut & ſtatuta fauorabilis Iudicis late ſint interpretanda, cum non cedunt in præiudicium tertij, dicendum eſt non requiri prædicta opera fieri in gratia.

8. Tertiò, quia præcepta Eccleſiæ non obligant, vt fiant in gratia, vt ieiunare, recitare horas canonicas, & ſimilia. Ergo non eſt præſumendum Pontificem, niſi alias id expreſſe exprimat, velle amplius premere fideles circa opera ad indulgentiam conſequendam, quam Eccleſia ad exequenda præcepta, & quidem ſi id voluiſſent, expreſſiſſent, vt aliquando fecerunt alij Pontifices.

9. Quartò, quia ſi quis exiſtens in mortali facit quod iniungitur in Bulla, vel Iubilæo pro liberanda anima in Purgatorio, vt puta dare in eleemoſynam certam pecuniæ quantitatem, lucrabitur illi indulgentiam. Ergo ſimiliter poterit, & ſibi, quia eadem eſt prorſus ratio vtriuſque, dummodo ipſe ſit in gratia tempore perceptionis fructus indulgentiæ.

10. Quintò, quia alias qui ſumpſiſſet Bullam in peccato mortali, nullam deinde indulgentiam lucrari poſſet, licet recuperaret gratiam. Quia per te opera prærequiſita ad lucrandũ indulgentiam debent fieri in gratia, ſed alterum opus pium ex requiſitis ad lucrandum indulgentias Bullæ eſt exhibitio eleemoſynæ duorum argenteorum: ergo ſi hoc fiet in mortali, nunquam habens Bullam poterit deinde indulgentiam aliquam illius lucrari, quod licet concedat Caiet. *vbi ſupra*, abſque

ratione

ratione tamen, quia omnes ſine controuerſia fatentur, quod ſi Pontifex viua voce concedat alicui exiſtenti in peccato mortali indulgentiam aliquam, ſi accedat ad Hieroſolymam, profectò ſi hic tempore percipiendi fructum indulgentiæ ſit in gratia, lucrabitur illam: ſed idem eſt dare indulgentiam viua voce, ac per diploma. Ergo licet quis in peccato mortali accipiat Bullam, ſi tamen ſit in gratia tempore percipiendæ indulgentiæ, vere lucrabitur illam.

11. Vltimò, quia indulgentia conceditur in præmium operis, non quatenus eſt meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ, nec quatenus eſt ſatisfactorium pro pœna, ſed in quantum conducit ad finem conceſſionis indulgentiæ. Ergo non opus erit feciſſe illa in gratia ad percipiendum fructum illius. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; tum in opere, quod non deſeruit per modum impetrationis, vt elargitio eleemoſynæ in ſubſidium belli, hæc enim conducit ad dictum finem, quatenus eſt res habens valorem apud homines in ordine ad illum; tum in opere, quod, deſeruit per modum impetrationis, vt ieiunium, oratio, & viſitatio Eccleſiarum pro victoria contra infideles, hæc enim opera, licet fiant in mortali, ſunt impetratoria apud Deum ex diuina miſericordia, & ſic conducunt ad prædictum finem.

12. Etſi obiicias. Ergo ſi quis viſitet vltimam Eccleſiam ex quinque, quæ iubentur, & ibi oret in mortali, etiam lucrabitur indulgentiam, cum tale opus vt impetratorium etiam conducat ad finem indulgentiæ.

13. Negatur conſequentia, quia deficiente gratia ſubiectum eſt incapax recipiendi communicationem ſatisfactionis Chriſti, & ſanctorum ob rationem dictam in principio noſtræ concluſionis. Vnde colligo, quod ſi in Bulla, vel alio priuilegio concedatur indulgentia aliqua pro opere ita faciendo, vt ſimul ſit facere opus, & percipere fructum indulgentiæ, neceſſe erit eſſe in gratia, cum tale opus ſit ſaltem in fine illius, quod notanter addo. Quia ſi quis inciperet facere vltimum opus in mortali, pro quo conceditur indulgentia, ſi antequam perficiat opus conuertatur ad Deum, ita vt acquirat gratiam, lucrabitur talem indulgentiam, quia ſufficit eſſe in gratia in inſtanti, quo percipitur fructus illius.

14. Ad primum reſpondeo, quod licet non habeant illa opera valorem meritorium de condigno, habent tamen valorem de congruo, quatenus ſunt impetratoria in ordine ad id, quod præſcribitur in Bulla, & hoc ſufficit, vt ſupra oſtenſum eſt.

15. Ad ſecundum reſpondeo, primam probationem eſſe nullam, quia opus quod præcipitur fieri, non eſt cauſa indulgentiæ, ſed conditio ſine qua non vult Pontifex indulgentiam concedere; cauſa enim eſt bonum ipſius Eccleſiæ, & extirpatio hoſtium fidei, vt ipſe Pontifex teſtatur in Bulla; quare prædicta opera non ſunt cauſa meritoria ipſius remiſſionis pœnæ, ſed conditio ſine qua non remitteretur illa pœna per prædictam conceſſionem.

16. Secunda etiam probatio nihil colligit, quia in Bullis, quæ modo expediuntur, non ſeruatur illa forma, & licet ſeruaretur, nihil obſtaret, quia non eſſet neceſſario ſtandum illi ordini verborum, ita vt quod prius dicitur, prius etiam debeat exequutioni mandari; alias cum in Iubi-

 læis

læis iubetur ieiunare, & eleemoſynam dari, non poſſet anteuerti, quod eſt aperte falſum.

17. Ad tertium reſpondeo, ſolum probare, quod ad percipiendum fructum indulgentiæ debet ſuſcipiens eſſe in charitate, non tamen quod opera præcedentia debent fieri in gratia; nam licet ad paſſiuam communicationem indulgentiæ prærequiratur gratia, vt conuincit illud argumentum, non tamen ad actiuam; quoniam ad actiuè concedendum, & communicandum illam, ſufficit authoritas Pontificis præſuppoſita cauſa, & quod opus expreſſe in ea ſit pium ex genere ſuo, vt recte docuit Cord. *vbi ſupra ad* 3.

18. Ad vltimum reſpondeo, quod ſi omnia iſta opera aſſignentur pro cauſa proportionata ad totam indulgentiam, ita vt vltimum non ſit cauſa proportionata pro tota indulgentia, ſed pro aliqua parte illius, non lucrabitur certe integram indulgentiam, qui fecit reliqua opera in mortali, ſed ſecundum proportionem duntaxat, vt recte conuincit argumentum; id tamen nihil noſtræ doctrinæ obſtat.

Dvbivm V.

Vtrum requiratur ad lucrandam prædictam indulgentiam Bullæ, & idem eſt de Iubilæo, vt actus, quibus lucranda eſt, ſint boni moraliter.

1. Partem affirmatiuam tuentur Adrian. *in materia de Indulgentiis, & de confeſſione dub.* 4. & Caiet. *vbi ſupra, quæſt.* 21. quos refert Cord. *de Indulgentiis, quæſt.* 25. Rodriq. *in Bulla*, §. 2. *num.* 3. 4. & 5. & §. 8. *numero* 9. idem docet Nauar. *cap.* 6. *de conſecratione*, §. 14. & *de Indulgentiis, notabil.* 19. *num.* 6. & *notabil.* 32. *verſic. deuote, num.* 5. Et Ioſephus Angles *in* 4. *de Indulgentiis, quæſt.* 3. qui minùs probabiliter loquitur, quam Nauar. quia iſte ſolum de vltimo opere loquitur, ille vero de omnibus, quæ antecedunt conſequutionem indulgentiæ, & probant primò ex verbis Iubilæi centenarij conceſſi à Gregorio XIII. anno 1575. vbi dicitur deuote eſſe viſitandas Eccleſias, quod etiam habetur in extrauaganti *vnigenitus*, & extrauaganti, *quemadmodum, de pænit. & remiſ.* vbi dicitur *reuerenter, & deuote, &c.* & in Bullis dicitur communiter, *qui Zelo Dei moti ad exercitum.* Ergo prærequirit opera eſſe bona moraliter.

2. Secundò, quia facultas indulgentiæ eſt quoddam ſtipendium ſpirituale ex theſauro ſatisfactionis Chriſti Domini, & ſanctorum depromptum. Ergo præſupponit ex parte lucrantis actus pios, & meritorios, ſaltem de congruo talis ſtipendij. Patet conſequentia, quia indulgentia requirit cauſam piam, cauſa autem ex parte lucrantis ſunt actus illius. Ergo debent eſſe pij, & conſequenter boni moraliter, cum pietas actus nihil aliud ſit, quam ſua bonitas moralis, alias ſi tales actus ſunt mali, potius erunt demeritorij, & indigni ſpirituali indulgentiarum ſtipendio.

3. Tertiò, quia opera quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam, debent eſſe talia, qualia exigit Pontifex; ſed Pontifex non petit opera mala moraliter, ſed bona, vt orationes, ieiunia, & ſimilia, quæ ex propria ratione dicunt aliquod bonum in genere moris. Ergo actus ad lucrandam indulgentiam, debent eſſe boni moraliter.

4. Quartò,

Digitized by Google

4. Quartò, quia opera quæ præquiruntur ex parte lucrantis, vel ſunt cauſa talis indulgentiæ, vel ſaltem conditio, ſine qua non concedit Pontifex talem indulgentiam, ſed actus qui non ſunt boni, ſed mali moraliter, non poſſunt habere habitudinem cauſæ reſpectu indulgentiæ, quia repugnat actum malum cauſare fructum ſpiritualem bonum: neque etiam poſſunt habere rationem conditionis ſine qua non, quia abſurdum eſt exiſtimare Deum expectare actum malum moraliter, vt conditionem neceſſariam ad communicandum fructum indulgentiæ, quæ eſt remiſſio pœnæ peccatis debitæ. Ergo ad lucrandam indulgentiam debent opera prærequiſita eſſe bona moraliter.

5. Verùm his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, quod niſi aliud exprimat Pontifex, non opus eſſe ad lucrandas indulgentias Bullæ, vt opera in illa iniuncta ſint ſimpliciter bona moraliter, etiam vltimum, quod ſimul tempore eſt cum perceptione fructus indulgentiæ, ſed ſufficit eſſe bona moraliter ex genere, licet in indiuiduo ex mala circumſtantia ſint peccata. Ita docent Cord. *lib. 5. de Indulgentiis, quaſt.* 21. Sed melius *quaſt.* 25. Ledeſma 2. *p. quaſt.* 29. *art.* 1. *in fine*, & alij, quos refert, & ſequitur Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. *fol.* 505.

6. Cæterum, ante huius probationem præmittere oportet pro tyronibus, illam proprie eſſe actionem humanam, quam homo libere exercet, ita vt poſſit illam abſolute exercere, vel nō exercere; & hæc dicitur actus moralis, qui ſi inſuper fuerit conſonus rectæ rationi, & conformis legi, & habuerit rectum finem, abſolutè, & ſimpliciter eſt actus bonus moraliter; ſi vero aliquid iſtorum illi deficiat, dicitur malus moraliter, vt elargitio eleemoſynæ libere exercita, eſt actio bona moraliter, ſi enim vitietur aliquo malo ſine intento ab operante, aut mala aliqua circumſtantia, & non loquor de circumſtantia aſſiſtente, vt vocant Theologi, quæ ſolum concomitatur opus, habet ſe tamen impertinenter ad illud, vt ſi quis ieiunet cum appetitu laudis in alia materia diuerſa à ieiunio; ſed loquor de circumſtantia afficiente ipſum actū, cuius malitia refunditur in obiectum, vel in modum illius, & vitiat operationem. Dicimus ergo in noſtra concluſione, quod ad lucrandas indulgentias Bullæ, & etiam Iubilæi, ſufficit quod opera iniuncta ſint ex genere ſuo bona moraliter, licet in indiuiduo vitientur ab operante per circumſtantiam malam intrinſece afficientem illa, ita vt reddantur mala moraliter & peccata hic, & nunc. Probatur.

7. Primò, quia ad implenda mandata Dei, & Pontificis præcepta, ſufficit quod opera, quibus implentur, ſint bona moraliter ex genere ſuo, licet in indiuiduo ſint peccata, vt præceptum eleemoſynæ in extrema neceſſitate ſufficienter impletur ab eo, qui dedit eleemoſynam propter vanam gloriam, & præceptum ieiunandi, vel reſtituendi, etiam impletur ab eo, qui propter laudem humanam ieiunat, vel reſtituit. Ergo etiam ſimilia opera erunt ſufficientia ad lucrandam indulgentiam, niſi aliud exigat Pontifex. Patet conſequentia, quoniam minus quid, & excellentius eſt implere diuina, & Eccleſiaſtica præcepta, quam lucrari iudulgentias. Ergo ſi in homine iuſto prædicta opera ſunt ſufficientia ad implenda diuina præcepta, etiam ſufficient ad lucrandam indulgentiam, nam rationabiliter præſumitur non velle Pontificem obligare ad meliores actus pro lucranda

Digitized by Google

cranda indulgentia, quam pro implendis diuinis, & Eccleſiaſticis præceptis.

8. Secundò, quia Pontifex non petit in Bulla niſi pia, & bona opera in ordine ad finem indulgentiarum Bullæ, eamque concedit quaſi in præmium operum, prout conducunt ad talem finem; ſed opera ex genere ſuo bona moraliter, facta tamen mala, & peccaminoſa ob malum finem operantis, deſeruiunt ad prædictum finem Bullæ: ergo ſufficiunt ad lucrandam indulgentiam. Minor probatur, tum in opere non deſeruiente fini Bullæ per modum impetrationis, cuiuſmodi eſt elargitio duorum argenteorum, hoc enim vt ſupra diximus, non deſeruit illi fini, niſi ſecundum valorem humanum, & in opere etiam conducente per modum impetrationis, vt ſunt orationes. Hæc enim omnia licet male fiant, & ſint actus mali moraliter, in indiuiduo tamen, in quantum ſunt ex genere ſuo, boni moraliter ſunt vt ſic pij & meritorij de congruo bonorum temporalium, & ſpiritualium, teſte D. Auguſtino 5. *de Ciuitate Dei, cap.* 11. *&* 15. Vbi ait Romanos meruiſſe à Deo imperium pro iuſtitia, & aliis actibus ſuis bonis ex genere, licet fecerint eos ex vana gloria, & fuerint mali moraliter.

9. Tertiò, quia ſi Pontifex diceret, concedo indulgentiam 40. dierum elargientibus certam pecuniam pro ædificanda Eccleſia, ſi quis illam erogaret propter humanam laudem, cum animo tamen conſequendi prædictam indulgentiam, lucraretur re vera illam, ſi exiſteret in gratia. Ergo ſimiliter ad lucrandas indulgentias Bullæ, vel Iubilæi, ſufficient ſimilia opera, licet ſint mala moraliter, & peccata. Conſequentia eſt euidens, & antecedens probatur. Quia tunc cauſa indulgentiæ eſt proportionata ipſi indulgentiæ, cum habeat proportionem, quam habet in ordine ad finem illius; ſed per hoc quod illa eleemoſyna datur propter vanam gloriam, non amittit proportionem, quam habet in ordine ad finem ædificationis, cum ad id eodem prorſus modo conducat eleemoſyna, ſiue ſit facta cum vana gloria, vel ſine illa. Ergo lucrabitur ille prædictam indulgentiam, ſuppoſito quod ſit in gratia.

10. Quartò, quia ſi Summus Pontifex concederet defuncto aliquam indulgentiam ſub conditione, quod aliquis pro eo donaret aliquam eleemoſynam, certe licet donans illam id faceret propter vanam gloriam, acquirit defuncto indulgentiam. Ergo etiam acquirit ſibi, ſi ſub ſimili conditione ſibi concederetur, ſuppoſito quod eſſet in gratia. Patet conſequentia; nam ſicut ad lucrandum indulgentiam defuncto, ſufficit quod defunctus ſit in gratia, & quod opus quod fit pro eo, ſit moraliter bonum quoad ſubſtantiam, & ex genere ſuo, licet in indiuiduo vitietur per malam aliquam circumſtantiam: ita idem etiam ſufficit, vt quis lucretur ſibi indulgentiam.

11. Vltimò probatur ex illa communi ratione, qua ſæpe vſi ſumus, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, vt conſtat ex *capite ſolitæ, de maioritate, & obedientia, & cap. cum dilecte, de donationibus:* Pontifex autem indiſtincte loquitur in Bulla, non petens actus, quibus lucranda eſt indulgentia, bonos moraliter in indiuiduo, ſed abſolute poſtulat eleemoſynam, orationes, & alia ſimilia, quæ ex genere ſuo ſunt bona, in indiuiduo tamen poſſunt eſſe mala ex malo fine. Ergo nec nos diſtinguere debemus limitando

eius

Digitized by Google

eius verba ad opera in indiuiduo bona moraliter, cum beneficium Principis latiſſime ſit interpretandum ſecluſo præiudicio tertij.

12. Nec obſtat dicere, id habere locum in aliis priuilegiis, non vero in indulgentia; nam licet Pontifex poſſet pro libito leges à ſe, vel ab alio latas abrogare, ita vt abrogatio ſit valida, tamen non poterit indulgentiam concedere, niſi pro cauſa pia, & oppoſitum faciente, conceſſio erit nulla; opus autem carens bonitate morali in indiuiduo, caret etiam pietate, & ſic intuitu illius non poteſt concedi tanquam pro cauſa indulgentia aliqua. Hoc (inquam) non obſtat, quia vt ſupradictum eſt, talis actus, licèt in indiuiduo ratione circumſtantiæ ſint mali, ſunt tamen boni moraliter ex genere ſuo, & conſequenter pij ex genere ſuo, maxime quod debent fieri ex intentione, & propoſito lucrandi indulgentiam, per quod certe firmatur fides de Purgatorio, & authoritas Pontificis, & quæritur liberatio à reatu pœnæ; quæ omnia in maius Eccleſiæ bonum redundant: tum quia licet indulgentia non valeat abſque cauſa pia, cum re vera Pontifex ſit diſpenſator, non diſſipator, neque habeat amplam illam facultatem in deſtructionem, ſed in ædificationem, tamen poteſt concedere indulgentiam validam abſque eo quod imponat lucranti aliquod opus bonum, ſed ſolum quia aliquid factum eſt antea, ratione cuius rationabiliter illi impendit beneficium indulgentiæ. Ita docent Supplem. *in 4. diſt. 45. quæſt. 3. art. 2. propoſitione* 10. Durand. *diſt.* 20. *quæſt.* 4. Mairon. *tr. de clauibus.* Caietan. *in quodlibetis, tract. de Indulgentiis.* Turrecremata *in cap. quod autem, & cap. cum ex eo, de pœnit. & remiſſ.* vnde Nauar. *tract. de Indulgentiis, not.* 22. §. 33. ait, recte quendam Pontificem conceſſiſſe cuidam defuncto indulgentiam plenariam pro eo, quod viuens defenderat Pont. poſſe concedere mortuis indulgentias: ergo licet ſuppoſita elargitione eleemoſynæ duorum argenteorum in ſubſidium belli contra infideles, quæ eſt piiſſima cauſa, nullum imponeret opus faciendum Pont. adhuc eius indulgentia eſſet valida; & conſequenter à fortiori valebit poſtulando opera ex genere ſuo bona, & pia, licet in indiuiduo mala circumſtantia illis admiſceatur.

13. Atque ex his colligo, quod quantumcunque quis oret, vel eleemoſynam eroget propter vanam gloriam, ſatisfacit operi iniuncto pro indulgentia obtinenda, imo etiam ſi faceret opus malum, inuincibiliter exiſtimans bonum, teſte Cord. *de Indulgentiis, quæſt.* 25. quia re vera cum talia opera non ſint proprie cauſæ indulgentiæ, neque ob meritum illorum conferatur, non obſtat operis malitia ex circumſtantia mala, quo minus ille ſatisfaciat operi ſibi iniuncto, quod imponitur, vt conditio ſine qua non; hoc tamen debet intelligi dummodo malitia illa ex circumſtantia proueniens non deroget bono communi Eccleſiæ, pro quo conceditur, nec excludat ab operante intentionem conſequendi indulgentiam mediante illo opere.

14. Ad primum reſpondeo, deuotè, & piè viſitare Eccleſias, vt ad præſens ſpectat, dummodo ex animo lucrandi indulgentiam viſitentur, profitendo eo facto Pontificis authoritatem, circa diſpenſationem theſauri Eccleſiæ, quamuis aliàs ex mala aliqua circumſtantia vitietur talis viſitatio; nemo tamen per hoc exiſtimet corporalem & materialem viſitationem Eccleſiarum duntaxat eſſe cauſam piam indulgentiæ, vt recte notauit Adrianus *in 4. de Indulgentiis*, cum illa non vergat in Dei honorem, aut Eccleſiæ vtilitatem; ſed opus

Digitized by Google

eſt vt referátur talis viſitatio formaliter, vel virtualiter ad Dei honorem.

Solutio ad ſecũdum deſeruit ad tertium, & è cõtrà.

15. Ad ſecundum diſtinguo conſequens; ex genere ſuo, concedo; in indiuiduo, nego.

Ad tertium reſpondeo, negando indulgentiam dari per modum ſtipendij, ſed opus illud habet ſe tanquam conditio iniuncta, quam Pontifex poterat non iniungere, exiſtente alia cauſa pia, vt docent DD. præcitati in vltima ratione pro noſtra ſententia; & tenet Cord. *de indulgentiis, quæſt.* 22. indulgentia enim habet quodammodo effectum ex opere operato in ordine ad remiſſionem pœnæ.

16. Secundò reſpondetur, negando conſequentiam, quia vt ſupra diximus ex D. Auguſtino, actus malus moraliter, non in quantum malus, ſed quatenus ex genere ſuo moraliter bonus, poteſt habere rationem meriti de congruo ad bona temporalia, & ad nonnulla etiam ſpiritualia.

17. Ad quartum reſpondeo, duo eſſe genera actuum malorum. Primum eſt, eórum, qui verſantur circa materiam reprobatam, & prohibitam aliquo iure. Secundum, eorum qui non cadunt ſupra materiam iure aliquo reprobatam, ſunt tamen mali propter circumſtãtiam malam, aut indebitum finem illos vitiantem. Dicimus ergo per actus malos primi generis nulla ratione obtineri indulgentiam, non tamen per actus ſecundi generis, quia licèt ſint in indiuiduo mali, retinent tamen ex genere ſuo bonitatem moralem ad lucrandam indulgentiam, vel Iubilæum.

Dvbivm VI.

Vtrum ad lucrandam indulgentiam plenariam Bullæ debeat neceſſario præcedere confeſſio actualis.

1. Partem affirmatiuam ſequuntur iuniores Theologi cum Rodr. *in Bulla*, §. 2. *num.* 10. Nauar. §. *in Leuitico, notab.* 18. *per plures numeros, & notab.* 30. *num.* 13. Angelus Pientinus *lib.* 4. *de Iubilæo, cap.* 9. *de Iubilæo.* Cord. *lib.* 8. *de indulgentiis, quæſt.* 24. Caiet. *tom.* 1. *opuſc.* 15. *cap.* 10. *& opuſculo* 10. *cap* 5. Adrian. *vbi ſupra.* Sotus 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 3. Ierſon *in regulis moralibus, Alphab.* 25. *lit. G.* Durand. 4. *diſt.* 20. qui omnes dicunt ad lucrandam indulgentiam non ſufficere confeſſionem ſecundum ius, ſed requiri confeſſionem actualem de omnibus mortalibus non confeſſis vſque ad illud tempus, & probari poteſt.

2. Primò, ex verbis Bullæ Cruciatæ, vbi dicitur concedi præfatam indulgentiam contritis, & ore confeſſis: ergo præmitti debet confeſſio ad id ordinata, ſicut & contritio perfecta, vel imperfecta. Patet conſequentia, quia ſi non neceſſario eſſet præmittenda confeſſio in re, ſed in voto, non illam expreſſe poſtularet Pontifex tanquam rem diſtinctam à contritione, cum certe in ipſa contritione includatur confeſſio in voto.

3. Secundò, quia quando duo ponuntur copulatiue, tanquam lex, & conditio, ſub qua aliquid conceditur, vtrumque debet ſimul concurrere, vt conſtat ex *cap. ex parte, & cap. inter cætera, de reſcriptis*; etiam quia aliter verba huius indulgentiæ nihil operarentur contra *cap. ſi Pontifex, de priuilegiis, in* 6. & *legem ſi quando, ff. de legatis* 1. *cum ſequentibus.*

4. Tertiò, quia in Bulla vulgari, & latina

Digitized by Google

latina hæc habetur clauſula, ***aut non volentes confiteri, id corde deſiderauerint***, per quæ verba aperte vult Pontifex, quod ſi fuerit poſſibilitas actu confitendi, debeat præmitti actualis confeſſio, atque adeo quod propoſitum, aut deſiderium confeſſionis non ſit ſufficiens, ſuppoſita poſſibilitate confitendi: ergo ad lucrandam prædictam indulgentiam debet præmitti actualis confeſſio.

5. Quartò, quia in Summario vulgari ſit quædam exceptio ſub hac forma. *Item ſi durante el dicho año acaecieſſe por muerte repentina, o abſencia del Confeſſor que muera ſin confeſſion, que aya muerto contrito, y al tiempo ſtatuido por la ygleſia confeſſando ſe conſiqua la indulgencia.* Atque in Bulla latina ſimiliter. Item, vt ſi dicto biennio durante contingat, eos ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam, ſine confeſſione decedere, modo contriti deceſſerint, & antea ſtatuto tempore confeſſi fuerint, nec huius conceſſionis fiducia fuerint negligentiores, plenariam, vt ſupra, remiſſionem conſequantur. Ex quibus verbis aperte conſtat, quod ponitur tanquam nouum priuilegium ſuperadditum præcedenti, quod in illo caſu lucrantur indulgentiam, ſi ſtatuto tempore fuerint confeſſi: ergo ſignum manifeſtum eſt, quod illa confeſſio præterita non erat illis ſufficiens, ſecluſa ſpeciali hac conceſſione.

6. Vltimò, tum quia in Bulla latina ſic habetur; *conceditur vt poſſint eligere quemcumque Preſbyterum ſæcularem, ſeu regularem ex approbatis, & ab eo poſſint abſolui*, &c. *& plenariam indulgentiam, ac remiſſionem ſemel in in vita obtinere*, &c. vbi cum hæc duo coniungantur, ſcilicet abſolutio à peccatis, & conceſſio indulgentiæ, clare conſtat quod hæc duo debent concurrere, & coniungi in re ipſa, quod ſatis vſus ipſe confirmat, cum pœnitentes facta confeſſione à Confeſſoribus poſtulent ſibi applicari indulgentiam à Pont. per Bullam conceſſam. Tum quia Pontifex nititur inducere ad confeſſionem, vt homines certius ad ſtatum gratiæ inducantur, & ſic melius impetrent, & conſequantur indulgentiam, cuius fructum ſine gratia recipere non poſſunt, vt ſupra oſtendimus.

7. Verum his non obſtantibus, exiſtimo partem negantem eſſe veriorem, quam tuentur D. Antonin. 1 *part. tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. Angel. *verb. Indulgentia*, §. 17. Armil. *num.* 18. Palud. 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 4. *art.* 3. *concluſ.* 1. Supplem. Gabr. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. Garn. *in libello de expoſitione Bullæ.* Panorm. *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Ioan. Andr. *in cap. quod autem, eodem titulo.* Felinus *ſermone de Indulgentiis, num.* 12. Gloſſ. *in Clement. vlt. de reliquiis, & vener. ſanctor.* Imola, & Cardinalis, quos refert, & ſequitur Sylu. *verb. Indulgentia, quæſt.* 7. *dict.* 2. qui omnes affirmant ſufficere ad lucrandum indulgentiam Bullæ, quod quis ſemel in anno confeſſus ſit, licèt poſtea inciderit in aliqua peccata, dummodo per contritionem ſit in gratia, quæ ſententia nobis placet, & probatur.

8. Primò, quia ita fuit declaratum in Concil. Conſtantienſi, vt habetur in libello Ioannis de Gallopia, ordinis Prædicatorum, teſte Sylu. *vbi ſupra*; ſed hoc teſtimonium licet ſit viri alias pij, & doctiſſimi, apud me tamen non facit omnimodam fidem, quia id non reperitur in libris Conciliorum.

Secundò ergo probatur, quia verba generalia iuris, & Pontificum ſecundum formam iuris ſunt interpretanda: ergo cum Bulla concedit indulgentiam vere contritis, & confeſſis, ſufficienter intelligitur de confeſſis ſemel in anno.

9. Tertiò, quia aliud eſt dicere concedi

cedi indulgentiam contritis, & confeſſis, aliud contritis, & confeſſis de nouo, hoc enim ſecundum addit ſupra primum, quod de omnibus mortalibus ab vltima confeſſione vſque ad perceptioné indulgentiæ teneatur quis confiteri ad lucrandam indulgentiam; ſed in Bulla non dicitur illam concedi confeſſis de nouo, ſed confeſſis ſimpliciter & abſolute: ergo ſufficit confeſſio annualis ad illam lucrandam.

10. Quartò, quia Bulla eodem modo petit confeſſionem, ac contritionem: ſed qui antea fuiſſet iam contritus, non opus eſſet ad lucrandam indulgentiam habere nouum actum contritionis: ergo ſimiliter qui antea fuiſſet confeſſus illo anno ante acceptionem Bullæ, non opus eſſet facere nouam confeſſionem ad lucrandam indulgentiam.

11. Quintò, quia ſi noua confeſſio actualis peccatorum neceſſario deberet præcedere ad lucrandam indulgentiam, etiam qui haberet ſola venialia, deberet ea, aut mortalia iam rite confeſſa iterum confiteri, quia non exiſtente conditione appoſita nemo conſequitur indulgéntiam; hæc autem indulgentia Bullæ ſecundum ipſos, non conceditur niſi actualiter confeſſis, vt conſtat ex tenore verborum Bullæ, quod licet libenter concedant Adrian. *in 4. de Indulgentiis*, quem refert, & ſequitur Cord. *lib. 5. quæſt.* 28. eſt aperte falſum vt docent D. Anton. *vbi ſupra.* Nauarr. §. *in Leuitico, notab.* 18. *n.* 13. cum Gloſſ. 9. *extrauagant.* 1. *de pœnit. & remiſſ. & notab.* 3. *num.* 6. Rodr. *in Bulla*, §. 2. *num.* 11. & ratione probatur; tum primò, quia cum Pontifex poſtulat confeſſionem, loquitur de confeſſione iuridica, hoc eſt, ſecundum ius neceſſaria, quia verba Iudicis ſecundum formam iuris interpretanda ſunt; confeſſio venialium non eſt neceſſaria, imo nec de omnibus eſt poſſibilis, tum ſecundò, quia quando vrget præceptum Eccleſiæ de annua confeſſione, ſi quis ſola habeat venialia non tenetur illa confiteri, quia præceptum illud intelligitur de mortalibus: ergo ita debet intelligi in præſenti, cum conſtet Pontificem non ſtrictius velle obligare ad opera iniuncta pro indulgentia, quam ad Eccleſiaſtica præcepta.

12. Nec valet dicere, intelligi de omnibus mortalibus, aut venialibus, quæ memoriæ occurrent, facta morali diligentia; quia ſi id ita eſſet, ſequeretur quod ſi contritus confiteretur duo venialia, relinquens alia duo, quæ ipſe nouerit, non conſequetur indulgentiã, quia non confeſſus eſt omnia, quod eſt eſt abſurdum. Tum tertiò, quia ſi quis nullius recordaretur mortalis, vel venialis, quod iam ritè cõfeſſus nõ fuiſſet, certè ad lucrandam indulgentiam non opus illi eſſet iterum aliquod eorum confiteri, quia Bulla, nec Iubilæus non poſtulat reconfeſſionem, ſed confeſſionem: ergo ad id non opus eſſet præmittere in eo caſu actualem confeſſionẽ.

13. Et ſi obiicias; Pontifex non ſolum petit confeſſionem in Bulla, vel Iubilæo, vt medium per quod quis conſtituatur in gratia, ſed vt ſpecialem diligentiam requiſitam pro conſequutione indulgentiæ: ergo niſi illa præmittatur, non percipietur fructus indulgentiæ. Reſpondeo requiri illam diligentiam fieri ſecundum formam iuris, niſi aliud exprimat Pontifex; fit autem ſecundum formam iuris, ſi ad lucrandam indulgentiam Bullæ illo anno fuerit confeſſus.

14. Ex dictis colligo primò, falsò quoſdam ex præcitatis DD. pro noſtra ſententia aſſerere, quod ſufficeret ad lucrandam prædictam indulgentiam Bullæ habere contritionem, & firmum propoſitum confitendi tempore ſtatuto ab Eccleſia; hoc enim falſum eſt, quia Bulla

Digitized by Google

Bulla expreſſe petit confeſſionem, ſcilicet pro mortalibus. Ergo requirit confeſſionem proprie acceptam, & actualiter exercitam. Patet conſequentia, quia verba priuilegij ſunt ſtricti iuris, & in propria ſignificatione accipienda; ſecus tamen eſt in eo, qui non poteſt confiteri, quia illi, vt habetur ex Bulla, ſufficit propoſitum confitendi, quod non opus eſt, vt ſit formale, vt quidam recentiores dicunt, ſed ſufficit virtuale, & implicitum, quia ibi ſolum exigitur propoſitum ſufficiens ad iuſtificationem; ad iuſtificationem autem, ſufficit ſecundum probabiliorem, & communiorem opinionem, propoſitum implicitum; quod adhuc verius eſt, ſi per ſolam dilectionem ſine formali dolore poteſt quis ſufficienter diſponi ad gratiam extra Sacramentum, quod probabilius exiſtimo cum multis Doctoribus de quo alibi.

15. Colligo ſecundò, quod multi, & alij, qui non poſſunt ore confiteri, non priuantur indulgentia, ſi ſignis & nutibus confiteantur. Ita D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 1. D. Anton. 1. *p. tit.* 11. *cap.* 3. §. 5. Cord. *de Indulgentiis, quæſt.* 27. Sylu. *Indulgentia, quæſt.* 10. *dicto* 3. Rodr. §. 2. *num.* 14. & probatur, tum quia hoc eſt ſufficiens ad ſacramentum, & eius effectum, teſte D. Thom. *vbi ſupra, canon. de pœnitentia, p.* 5. Sot. 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 6. & aliis communiter in materia de pœnitentia; tum quia in Bulla latina non petitur confeſſio vocalis, ſed confeſſio ſimpliciter, & licet in Summario vulgari ponatur confeſſio vocalis, non tamen ſumitur, vt condiſtinguitur contra confeſſionem ex nutibus, ſed diſtinguitur contra confeſſionem mentalem nullo externo actu expreſſam; vel ponitur ad ſignificandum, quod in his, qui loqui poſſunt non eſt ſufficiens per ſigna, & nutus ad effectum indulgentiæ, ſicut nec forte ad eſſentiam ſacramenti, vt tenent multi cum D. Thom.

16. Ad primum reſpondeo, præmitti debere ad lucrandam prædictam indulgentiam confeſſionem iuridicam, vt paulo ante dicebam: nec propterea ſuperfluit illa particula *confeſſis*, vt inde male infertur; quia per illam denotatur non ſufficere ad lucrandam prædictam indulgentiam habere contritionem, ſed inſuper opus eſſe præceſſiſſe confeſſionem mortalium ſecundum formam iuris, non vero aliorum mortalium, quæ poſt talem confeſſionem commiſit, quia illorum ſufficit habere contritionem ſufficientem ad inducendam gratiam.

17. Ad ſecundum reſpondeo, quod præcedente confeſſione ſecundum formam iuris, ſufficienter impletur illa copulatiua, ſufficienterque ſaluatur aliquid operari prædicta verba Bullæ.

18. Ad tertium reſpondeo, ex verbis illis ſolum habere, quod ſi quis nullam prorſus confeſſionem feciſſet, etiam illam, quæ eſt ſecundum formam iuris, ſi tamen poſtea non poſſit confiteri cauſa aliqua ſuperueniente, ſuppleat talem confeſſionem per propoſitum, & deſiderium confitendi, & ſic percipiet fructum indulgentiæ.

19. Ad quartum, quod magis vrget, reſpondeo, illam conceſſionem incluſam eſſe implicite in præcedenti, & ab ea deduci vt corollarium, nam frequenter in priuilegiis, quod erat conceſſum in vna clauſula, ponitur poſtea in alia explicatius & expreſſius, quaſi diſtinctum priuilegium, vt aperte conſtat in eadem Bulla, in qua poſtquam conceditur facultas ad audienda diuina officia, & ſuſcipiendum ſacramentum Euchariſtiæ tempore interdicti, poſtea cōceditur tanquam diſtinctum priuilegium facultas ad Eccleſiaſticam ſepulturam, quod tamen con-

ſtat includi in primo, vt docent communiter Doctores, de quo egimus *ſupra cap. 5. dub. 6.*

20. Ad vltimum reſpondeo, ibi non præſcribi aliquam formam neceſſario ſeruandam ad lucrandam indulgentiam, alias etiam qui ſolum venialia haberet, etiam iam confeſſa, deberet ea reconfiteri ad lucrandam indulgentiam, vt ſic impleret conditionem ad id requiſitam, quod tamen ſatis conſtat eſſe falſum ex dictis in vltima probatione noſtræ ſententiæ. Secunda autem probatio nihil colligit, quia dum Pontifex nihil aliud exprimit in conceſſione, intelligendum eſt loqui de confeſſione, ſecundum formam iuris, ne alias nos videamur diſtinguere, vbi ius non diſtinguit. Nihilominus priorem ſententiam, vt tutiorem admitto, poſteriorem autem ſatis probabilem, & in praxi etiam tutam exiſtimo, vt ex dicendis *dub. ſequenti*, fiet manifeſtum.

Dubium VII.

Num quando indulgentia conceditur ſub hac forma, vere pœnitentibus, & confeſſis, *ſit actualis confeſsio præmittenda ad indulgentiam conſequendam.*

1. HÆc difficultas eſt appendix præcedentis, atque ex diſcuſſione iſtius, concluſio illius plenius conſtabit. Quare ſuppono primò, ſub huiuſmodi forma ſæpe in iure cócedi indulgentiam. Ita in Extrauag. *vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* in Clement. *vnica de Reliq. & venerat. ſanctorum*, & in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. *in decreto vlt.* & nunc etiam interdum eſt in vſu, eſto nonnunquam prætermittatur.

2. Suppono ſecundò, aliquando huiuſmodi formam expreſſe apponi in indulgentia, quatenus eſt pium quoddam opus, ſeu conditio, vel pars operis iniuncti ad lucrandam indulgentiam; aliquando autem non expreſſe apponitur vt conditio, ſed ſimpliciter dicitur concedi indulgentiam vere pœnitentibus, & confeſſis, vt ſæpe contingit. Vnde infert Bellarm. *tom. 3. lib. 1. de Indulg. c. 13. quæſt. 3.* in priori caſu, abſque dubio requiri confeſſionem in re, & non ſatis eſſe in voto. Ratio eſt, quoniam tunc exigitur confeſſio, vt pium opus, ſicut etiam ieiunium, aut eleemoſyna; atque ideo ſicut non ſufficit ieiunium, aut eleemoſyna in voto, ita nec confeſſio. At in poſteriori caſu, vt Bellarm. *ibidem*, non requiri actualem confeſſionem, quia tunc non requiritur vt conditio, ſed vt diſpoſitio, qua poſſit homo de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ transferri. Atque ideo ſi quis non habeat peccata lethalia, conſequenter nec tenebitur neceſſario confiteri; ſi vero habeat illa, probabile cenſet ſufficere contritionem cum propoſito confitendi, ſic enim ſtatum gratiæ adipiſcetur: tutius tamen exiſtimat requiri confeſſionem, non ſolum in voto, ſed in re, quoties dicitur concedi indulgentiam vere pœnitentibus, & confeſſis.

3. Suppono tertiò, conſtans eſſe, ac certum, quod poſſit Summus Pontifex poſtulare actualem confeſſionem, vt conditionem neceſſario præmittendam ad lucrandam indulgentiam; eſt communis DD. qui id tanquam indubitatum ſupponunt, & tradit expreſſe Suar. *tom. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 3. num. 4.* Probatur autem, tum ex vſu, & praxi communi Eccleſiæ; tum quia ſicut Pontifex poteſt exigere alia pietatis opera, atque vſum ſacramenti Euchariſtiæ, ita & vſum actualis confeſſionis; cum nec in ſacramento Confeſſionis, ſit ſpecialis aliqua repugnantia, nec ratio ob quam

nequeat

Digitized by Google

nequeat hoc modo exigi. Non eſt autem huiuſmodi conditio ſupponenda, niſi ſufficienter in conceſſione exprimatur, cum ſit conditio valde oneroſa, atque ideo attente verba conceſſionis inſpicienda ſunt.

4. His præmiſſis, ſit prima concluſio. Satis probabilis eſt opinio eorum, qui ſentiunt confeſſionem actualem eſſe neceſſario præmittendam, vt quis indulgentiam lucretur, ſi verba illa, *vere pœnitentibus, & confeſſis*, intelligantur iuxta priorem ſenſum in ſecundo notando explicatum. Ratio eſt, tum quia in eo caſu talis conceſſio æſtimatur conditionata; ac ſubinde niſi conditio impleatur, nihil operatur. Tum etiam quia verba illa, *vere pœnitentibus, & confeſſis*, præter pœnitentiam, requirunt confeſſionem; verba autem conceſſionis non plus valent, quam ſonant: igitur neceſſario ſunt intelligenda de confeſſione externa in re, & non in voto ſolum. Hanc concluſionem tenent expreſſe omnes DD. *dub. præcedenti* pro contraria ſententia adducti. Bellarm. etiam *loco cit*. Durand. *in 4. diſt. 20. quæſt.* 4. & nouiſſime Acoſta *in Bulla, q.* 14.

5. Secunda concluſio. Probabilior mihi videtur opinio eorum, qui docent ex vi prædictorum verborũ non prærequiri actualem confeſſionem, vt quis indulgentiam lucretur, ſed ſufficere contritionem cum confeſſione in voto. Ita DD. omnes *dub. præcedenti* pro noſtra ſententia allegati, & vltra illos id tenent etiam Suar. *vbi ſupra num.* 12. Coninck *de ſacram. diſp.* 12. *dub* 7. *num.* 38. Regin. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap. vlt. quæſt.* 1. *num.* 171. Sà *verb Indulg. num.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract* 8. *cap.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 148. Comitolus *in reſp. mor. lib.* 1. *quæſt.* 39. & alij. Sed probatur primò, quia intentio Pontificis non fuit ex vi illorum verborum exigere obſeruantiam præcepti de confeſſione quadrageſimali, ſeu quouis alio tempore facienda, ſed ſimpliciter diſpoſitionem neceſſariam ad conſequendam indulgentiam; huiuſmodi autem diſpoſitio præcipue eſt cõtritio cum confeſſione in voto: ergo. Probatur maior, quoniam alioquin etiam ſi ob impotentiam, vel ignorantiam inculpabiliter omittatur actualis confeſſio, fructus indulgentiæ amitteretur, quod non videtur dicendum.

6. Secundò, quia Pontifex non videtur requirere confeſſionem, vt ſpeciale opus neceſſarium ad lucrandam indulgentiam, ſicut requirit ieiunium, eleemoſynam, aut quid ſimile; ſed ſolum requirit confeſſionem, quatenus neceſſaria eſt ad tollendum obicem peccati. Vnde ſolum requiritur confeſſio in re, ſeu actualis, quando interior pœnitentia non reputatur vera, vel eſto vera ſit, non tamen perfecta, ſeu gradum contritionis attingens; cùm enim huiuſmodi fuerit, ſatis erit confeſſio in voto.

7. Tertiò, quia vt habetur ex dictis in tertio notando, confeſſio actualis, cum ſit valde oneroſa, non eſt ſupponendum, quod ſit impoſita, niſi ſufficienter exprimatur; eſſet autem ſufficiens expreſſio ſi diceretur, præmiſſa, aut facta confeſſione, vel quid ſimile, vt tenent communiter omnes. Vnde cum verba illa, *vere pœnitentibus, & confeſſis*, longe alium ſenſum efficiant, conſequenter videtur dicendum ex vi illorum non requiri actualem confeſſionem.

8. Vnde ad primã rationem in contrarium reſpondetur, confeſſionem actualem requiri ſolum reſpectu illius, qui habet conſcientiam peccati mortalis, ad cuius expiationem ſolet duntaxat requiri talis confeſſio.

9. Ad ſecundum reſpondetur, quod ſi verba illa, *vere pœnitentibus*, ſeu *contritis, & confeſſis*, intelligantur de vera,

Digitized by Google

perfecta contritione, ſunt diuiſim, ac diſtributiue interpretanda, ideſt, tam contritis, quam confeſſis; non enim videntur poſſe commode exponi copulatiue, ſeu coniunctiue, alias ſemper cum confeſſione eſſet neceſſaria contritio perfecta, quod non eſt dicendum; ſi autem intelligatur de contritione imperfecta, tunc mirum non eſt, quod actualis confeſſio requiratur, cum huiuſmodi pœnitentia, ſeu contritio non ſufficiat ad ſtatum gratiæ.

10. Ex dictis igitur infero, probabiliorem eſſe noſtram ſententiam, ſed tutiorem oppoſitam. Vnde Suar. *num.*13. conſulendum merito cenſet, vt quoties forma indulgentiæ, ſeu Iubilæi huiuſmodi fuerit, actualis confeſſio præmittatur, ſi fieri poſſit ad tollendum omne dubium: at ſi de facto nihilominus omiſſa fuerit, exiſtimat contritionem ſufficere, atque id potiſſimum, ſi talis confeſſio bona fide, ſeu inuoluntarie omittatur.

11. Sed quæres, an in euentu, quod actualis confeſſio ſit præmittenda ad lucrandam indulgentiam, intelligatur etiam de ſolis venialibus, ſi contingat quod pœnitens non habeat conſcientiam peccati mortalis. Pars affirmatiua ex eo videtur probare, quia Pontifex poteſt exigere opus aliquod conſilij, ſeu ſupererogationis ad lucrandam aliquam indulgentiam, cuiuſmodi eſt illa; quam Pontifex concedit facienti profeſſionem in Religione approbata: igitur ſimiliter exigere poteſt confeſſionem de venialibus, quamuis illa non ſit in præcepto, ac proinde quoties prærequirit abſolute ſuſceptionem ſacramenti pœnitentiæ, neceſſario eſt ſuſcipiendum eo modo, quo poſſit iuxta neceſſitatem, ſeu capacitatem ſuſcipientis, mortalia peccata, ſeu venialia tantùm confitendo. Atque ideo hanc opinionẽ ſuſtinet Acoſta *in Bulla, q.*14. *dub.*2. & Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp.*15. *num.*19. vocat illam magis communem, & veram Nugnus *in addit. ad* 3. *p. tom.*2. *quæſt.*27. *art.*3. *dub.*2. & Floronus *de caſ. reſeru. p.*1. *cap.*6. §. 6. *num.*3.

12. Oppoſitum nihilominus eſt abſolute tenendum, & ſentiunt grauiſſimi DD. quia etiamſi in conceſſione indulgentiæ id expreſſe habeatur, quod confeſſio præmitti debeat, intelligendum eſt, dum pœnitens habet conſcientiam peccati mortalis; ſic enim declarat communis Eccleſiæ ſenſus, & vſus. Ratio autem deſumitur ex differentia inter Euchariſtiam, & confeſſionem: Euchariſtia namque per ſe, & propter ſe exigitur, ac propterea dum communio ponitur, vt conditio neceſſaria pro indulgentia conſequenda, omnes comprehendit, eſto conſcientiam peccati non habeant: at confeſſio exigitur vt medicina peccati, non quæcunque, ſed certior, ac vtilior; ideoque etiam ſi abſolutè requiratur, intelligi debet ſuppoſito peccato, cum ad eius expiationem ſit per ſe neceſſaria, & merito; quia ſicut Eccleſia nuſquam conſueuit præcipere confeſſionem, niſi mortalium; ita neque illam exigere, vt conditionem pro indulgentia, ſeu quouis alio fauore conſequendo neceſſariam.

13. Atque ita Suar. *ſupra n.*5. Comitolus *in reſp. mor. lib.*1. *quæſt.*39. Bellarm. *loco cit. quæſt.*2. Regin. *tom.*1. *lib.*7. *cap. vlt. n.*147. Henriq. *lib.*7. *c.*12. *n.*2. cum aliis per eum citatis, Bonac. *etiam de ſacram. diſput.*6. *quæſt.*1. *punct.*5. *num.*7. Coninck & Filliuc. *ſupra*, Zanardus *in direct. Theolog. part.*1. *de ſacram. pœnit. cap.*21. *q.*24. & Lorichius *in theſ. Theolog. verſ. Iubil. num.* 21. Imo alij pro contraria opinione allegati noſtram eſſe probabilem fatentur.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Vtrum ſit vtile omni hominum generi indulgentiam accipere.

1. SVppono in dubium reuocari non poſſe, quin potiſſima cauſa accipiendi indulgentiam ſit remiſſio pœnæ temporalis. Vnde Lutherus inter alios ſuæ nefariæ doctrinæ errores, hunc etiam docuit, nempe indulgentias non eſſe vtiles, niſi publicis, & ſceleratiſſimis peccatoribus, vt habetur ex aſſert. *art.* 18. Verum ſit *prima concluſio.* Apud Catholicos res quidem indubitata omnino eſt, indulgẽtias eſſe vtiles omnibus, etiã iis, qui perfectioni incumbunt. Ratio eſt, tum quia omnibus vtile eſt, ab iis rebus liberari, quæ ſummi boni adeptionem retardare poſſunt, huiuſmodi autem eſt temporalis pœnæ reatus: certiſſimum enim eſt, quod ſi quẽ cum tali reatu ex hac vita migrare contingat, non poterit ad vitam æternam pertingere, quin prius in Purgatorio dictum reatum expiauerit; tum quia indulgẽtiæ nec vllum bonum meritum, nec aliquod maius bonum impediunt; qui enim indulgentias ſuſcipiunt, non prohibentur operam dare ieiuniis, eleemoſynis, precibus, aliiſve operibus bonis. Atque ideo nulla ratio excogitari poteſt, cur indulgentiæ non ſint æſtimandæ vtiles ac ſalutares omni hominum generi, vt recte tradit Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 10.

2. Sed obiicies primò, perfectorum hominum eſt, pœnas potius quærere, quam fugere; tum ob exercitium patientiæ; tum ob imitationem Chriſti patientis, iuxta illud 1. Petri, 1. *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius:* ergo.

Reſpondetur perfectorum ſane eſſe, non fugere pœnas, quæ iuuant ad promerendum Deum, & ſalutem animæ citius acquirendam, cuiuſmodi eſt martyrium, & aliæ pœnæ voluntariè ſuſceptæ, & ad has pœnas libenter patiendas D. Petrus nos adhortatur: eſt tamen perfectorum fugere debitum pœnæ, cum is poſſit cœleſtis patriæ ingreſſum impedire, ſeu retardare. Imo ideo pœnitentiam agunt, & pœnas huius vitæ amplectuntur, vt à reatu illo liberentur, & non cogantur poſt mortem pœnas in Purgatorio diutius luere, Vnde omnes libentiſſime indulgentias ſuſcipiunt, vt facilius à reatu illo expediantur.

3. Obiicies ſecundò, indulgentia non eſt opus meritorium, ſed ſatisfactorium duntaxat, igitur non eſt vtile perfectis, qui modica, aut nulla indigent ſatisfactione.

Reſpondetur, indulgentiam per ſe non meritoriam, ſed ſatisfactoriam eſſe; poteſt tamen eſſe etiam meritoria ratione operis iniuncti. Si quis enim ex charitate Dei, opera iniuncta exequatur, ieiunia nimirum, eleemoſynas, preces, & ſimilia, parabit quidem ſibi non exiguum meritum; imo ipſa quoque ſuſceptio indulgentiæ erit meritoria, ſi quis eam ex amore Dei ſuſcipiat, vt ab illo pœnæ reatu expeditus, liberius poſſit ad Deum ipſum videndum, & continuo laudandum euolare. Adde quod quamuis viri perfecti modica egeant ſatisfactione, vix tamen vllus exiſtit, qui aliqua non indigeat, & conſequenter non eſt dicendum, quod indulgentiæ non ſint etiam eiſdem vtiles.

4. Obiicies tertiò, ex communi ſententia aſſerente vtilius eſſe pro ſe propriis operibus ſatisfacere, quam alienam quærere ſatisfactionem.

Reſpondetur, vtilius procul dubio eſſe, & tutius pro ſe ſatisfacere, quam indulgentias quærere, vtroque tamen vtilius eſt illud facere, & hoc non

Digitized by Google

emittere, ſicut vtilius etiam eſt duobus pedibus incedere, quam vno tantum. Hinc prudentes viri merito conſulunt, vt qui indulgentias ſuſcipiunt, non ideo ceſſent à pœnitentiæ fructibus producendis, qui meritorij, ac medicinales plerumque eſſe conſueſcunt.

5. Cæterum, vt conſtet, quo pacto indulgentia ſit omnibus vtilis, ſupereſt explicandum, an ſit proprie abſolutio, vel ſolutio. Quare nonnulli aſſeruerunt indulgentiam nihil aliud eſſe, niſi ſolutionem, id eſt, compenſationem pœnarū ex theſauro meritorum Chriſti, ac ſanctorum depromptam, & Pontificis authoritate applicatam. Ita videntur ſenſiſſe Dur. *in* 4. *diſt*. 20. *q*. 3. Palud. *ibid*. *q*. 4. S. Anton. 1. *p*. *tit*. 10. *c*. 3. Adrian. VI. *in* 4. *ſent*. *q*. *de Indulgentiis*, Sylu. *verb*. *Indulg*. *n*. 3. & videtur in eadem etiam ſententia fuiſſe S. Thom. *in* 4. *diſt*. 20. *q*. 1. *art*. 3. *ad* 2. & 3. At oppoſitum videtur docere Franc. Mayro. *in* 4. *diſt*. 19. dum ait, indulgentias nil aliud eſſe, niſi iudiciariā abſolutionem; atque eidem videntur quodam modo ſuffragari exempla vetuſtiſſimorum Conciliorum, in quibus habetur pœnitentes per Epiſcopos abſolui ab aliqua parte mulctæ impoſitæ, nulla facta mentione ſpiritualis theſauri, ex quo illa pœnarum debita compenſentur.

6. Nihilominus difficultate iſta maturius conſiderata, poſteriores Theologi concluſere vtrumque ſimul in indulgentiis reperiri, nempe abſolutionem, & ſolutionem; neque veteres Theologos ſcholaſticos iudiciariam negaſſe abſolutionem, eſto ſolutionis duntaxat fortaſſe meminerint; neque vetuſtiſſimos patres ſolutionem ex theſauro negaſſe, quamuis abſolutionis tātum meminiſſe videantur. Ita S. Thom. Dur. & Palud. *vbi ſupra*, S. Bonau. *in* 4. *diſt*. 20. *p*. 2. *q*. 5. & 6. Richar. *art*. 4. *q*. 2. & *ar*. 8. *q*. 1. Dominicus de Soto *diſt*. 21. *q*. 1. *art*. 2. Supplem. Gabr. *diſt*. 46. *q*. 3. *art*. 1. Petr. de Soto *lect*. 2. *de Indulgent*. *in inſtitutione Sacerdotum*, Caiet. *tract*. 15. *ad Julium Medicem*, *c*. 6. Martin. Ledeſm. 2. *p*. 4. *ſent*. *q*. 38. *art*. 1. Cord *lib*. 5. *q*. 4 & 5. Bellarm. *dict*. *lib*. 1. *de Indulg*. *c*. 5. Suar. *in* 3 *p*. *tom*. 4 *diſp*. 51. *ſect*. 3. *n*. 3. & plures alij.

7. Atque ideo ſit ſecunda concluſio. Abſolute tenēdum, eſt quod indulgentia proprie ſit abſolutio iudiciaria, annexā habens ſolutionem ex theſauro. Loquimur autem de indulgentia, quam fideles dum adhuc viuunt, lucrari ſolent; de indulgentia enim pro defunctis applicari ſolita, alibi erit ſermo.

8. Prior huius cōcluſionis pars probatur, tum ex illo *Matth*. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Quod de iudiciaria abſoluendi poteſtate intelligendum fore tradunt communiter DD. tum ex ſacrorum Canonum teſtimoniis. Nam Alex. III. *in Epiſt*. *ad Epiſcopum Cantuarienſem*, habeturque *cap*. *quod autem conſuluiſti*, *de pœnit*. & *remiſ*. docet, neminem poſſe indulgentias concedere, niſi propriis ſubditis, & rationem reddit, quia non poteſt niſi proprius Iudex abſoluere, vel ligare. Quibus verbis Pontifex ſatis aperte tradit indulgentiam eſſe abſolutionem iudiciariam. Similiter Martinus V. in fine Concilij Conſtantienſis, concedens indulgentiam plenariam, vocat eam abſolutionem plenariam. Tum denique, quia niſi eſſet neceſſaria iuriſdictio ad indulgentias concedendas, de quocunque volente applicare alteri ſatisfactionem ſuam, poſſet dici, quod indulgentiam ei concedat, quod eſt omnino inauditum.

9. Poſterior pars eiuſdem concluſionis, id eſt, quod indulgentia præter abſolutionem contineat ſolutionem, ſeu applicationem theſauri, probari poteſt tum ex Innoc. III. qui in extrauag.

vnigenitus,

Digitized by Google

vnigenitus, id tradit manifeſte. Tum quia Eccleſiæ Prælati etiam Summus Pontifex, non ſunt abſolute Domini, vt queant ad libitum condonare hominibus culpas, pœnáſve, quarum rei ſunt in foro ipſius Dei; ſed ſunt Iudices à Deo conſtituti, & conſequenter poſſunt poteſtate ſibi à Deo conceſſa culpas, ac pœnas nomine Dei remittere, ita tamen vt iuſtitiæ ſatisfiat. Vnde cum huiuſmodi Prælati ſubditos ſuos per indulgẽtias abſoluunt à pœnæ temporalis reatu, id præſtant ſatisfactiones Chriſti, & ſanctorum applicandi, iuxta illud Apoſtoli *ad Hebr. 9. ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

10. Sed obiicies primò, per applicationem theſauri fit integra compenſatio pro debito pœnæ temporalis: igitur abſolutio iudiciaria ſuperflua eſt. Reſpondetur negando conſequentiam; Iudex enim non tenetur dimittere reum alicuius pœnæ, quamuis iuſta compenſatio ab alio offeratur, præſertim niſi compenſatio ſit eiuſdem rationis; vnde ſi iudex compenſationem admittat, & reum abſoluat, vere dicitur illi gratiam præſtare. E.g. ſi quis ad triremes damnatus ſit, aliquis autem pro illius liberatione magnam pecuniæ ſummam offerat, non quidem tenebitur Iudex dictam pecuniam acceptare, reúmque liberare; ſi tamen id efficiat, gratiam illi præſtabit, atque eum abſoluet. Similiter ſi proprie loqui cupiamus, non dicetur obligationem ad pœnam tollere is, qui compenſationem offert, ſed is, qui compenſatione admiſſa reum ab illa obligatione abſoluit. Atque ideo vere dicitur Pontifex ſubditis ſuis indulgentiam concedere, cum ipſe Dei nomine, cuius vices in terris gerit, compenſationem ex theſauro depromptam admittit, & ea admiſſa reum à temporalis pœnæ reatu abſoluit.

11. Obiicies ſecundò, abſolutio iudiciaria inuito conferri poteſt, vt conſtat de abſolutione ab excommunicatione: at indulgentia inuito dari non poteſt: igitur indulgentia non eſt abſolutio, ſed mera ſolutio. Reſpondetur, non omnem abſolutionem inuito poſſe conferri, ſed eam duntaxat, quæ in ſuſcipiente nõ requirit neceſſario actionem aliquam, ſeu diſpoſitionem. Vnde abſolutio ſacramentalis, cum contritionem, confeſſionem, ac ſatisfactionem requirat, non poteſt in inuitum conferri: abſolutio autem ab excommunicatione, aliiſve cenſuris, cum non pendeat neceſſario, niſi à voluntate Prælati, poteſt quidem in inuitum conferri. Similiter indulgentia, quia in ſuſcipiente exigit in primis, vt ſit in ſtatu gratiæ, deinde vt quæ in conceſſione indulgẽtiæ præſcribuntur, efficiat, nempe, vt viſitet Baſilicas, oret, ieiunet, & eiuſmodi alia præſtet, quæ à libero pendent arbitrio, idcirco indulgentia, eſto ſit abſolutio, in inuitum conferri non valet.

12. Obiicies tertiò, ſi indulgentia eſſet iudicialis abſolutio, ſequeretur inde, non poſſe Summum Pontificem vllius indulgentiæ eſſe participem, cum nec ſe iudicialiter abſoluere nequeat, nec alium ſuperiorem habeat: at videtur ſatis abſurdum, quod Summus Pontifex non poſſit illis frui indulgentiis, quæ cunctis fidelibus ſunt communes: ergo. Atque idem argumentum confici poteſt de Epiſcopis, & Archiepiſcopis quoad indulgentias, quæ ab illis toti populo conceduntur.

Reſpondetur, non defuiſſe aliquos, qui Summum Pontificem, ac Epiſcopos poſſe indulgentiarum, quas ipſi cæteris in communi largiuntur, participes eſſe negauerint. Ita Archid. *in cap. indulgentia, de pœnit. & remiſſ. in 6.* & Sylu. aliis citatis, *verb. indulgentia, num. 21.* Oppoſitum tamen ſentiunt omnes alij, tum

Theologi

Theologi, vt S.Thom.Durand.Richard. & alij *in 4.diſt.20.* & Sotus *diſt.21.* tum iuris Canonici profeſſores *in cap.noſtro, de pœnit. & remiſſ. & in cap. indulgentiæ, eod.tit.in 6.* Nauar.*etiam in tract.de Iubileo, notab.20. num.91.* quæ ſententia & veriſſima, & communis eſt; variant tamen DD. circa illius explicationem. Etenim certiſſima ſunt principia illa, *nemo poteſt ligari, vel ſolui, niſi à ſuperiore; nemo ſui ipſius ſuperior exiſtit*; atque hinc fit, vt nemo in pœnitentiæ ſacramento ſe ipſum abſoluere vnquam ſit auſus. Sentiunt igitur nonnulli fortaſſe affirmari poſſe, Summum Pontificem, & Epiſcopos, erga alios vti abſolutione; erga ſe ipſos ſolutione duntaxat. Alij opinantur non poſſe Pontificem immediatè per indulgentiam ſe ipſum abſoluere, ſed poſſe id per alium efficere, cui ipſe poteſtatem tribuat. Sicut enim poteſt Confeſſario ſuo facultatem impendere, vt illum à peccatis abſoluat, idque omnes admittunt; ita eidem poterit facultatem dare, vt ſibi indulgentiam conferat. Hunc modum dicendi cenſet probabilem Caietan. *tract.15. c.5.* & ante illum Richardus *in 4.diſt.20. art.4. q.3. in ſolutione argumenti*; quamuis enim indulgentia non ſpectet ad pœnitentiæ ſacramentum, bene tamen ad forum interius, & pœnitentiale, in quo Summ. Pontifex poteſt ſe alteri ſubiicere, vt in ipſum miniſterio clauium vtatur. Alij denique ſentiunt poſſe Pontificem indulgentiæ à ſe, vel à prædeceſſore generatim propoſitæ indirectè participem fieri, eſto Confeſſarij opera non vtatur; præſtet tamen quæ ab aliis exiguntur ad lucrandam indulgentiam, quoniam Pontifex (teſte D. Thom. *in 4.diſt.20.quæſt.1.art.5.quæſt.4. ad vltimum*) non poteſt ſeipſum directè abſoluere, poteſt autem vti iis rebus, quas ipſe aliis ex iuriſdictione cōceſſit, vt recte tradit Bellar.*vbi ſupra, c.6.ad fin.*

DVBIVM IX.

Vtrum ad indulgentiæ valorem requiratur cauſa, non ſolum iuſta, ſed etiam proportionata.

1. SVppono primò conuenire DD. omnes in primis conceſſionem indulgentiæ, etiam ſine iuſta cauſa ratam eſſe, quo ad ea, quæ pendent ex ſolo iure Eccleſiaſtico, cuiuſmodi ſunt priuilegia eligendi Cōfeſſarium, qui poſſit à reſeruatis abſoluere, comedendi lacticinia, & eiuſmodi alia. Ita Nau. *de Iubil. notab.15.num.12.* Sotus *in 4.diſt.21.q.2. art.2. concluſ.2.* Bellarm.*lib.1. de Indulg. cap.12.*& alij. Ratio eſt, quia cum Pontifex diſpenſat in iure Eccleſiaſtico, diſpenſat in lege ſua, & conſequenter diſpenſatio eſt valida, etiam ſi non adſit cauſa iuſta; ſufficit enim ſi conſtet eum diſpenſare voluiſſe, cum id totum ab eius arbitrio, & voluntate dependeat.

2. Conueniunt ſimiliter omnes ad iuſtam cauſam non requiri, quod opus iniunctum ſit in ſe ita ſatisfactorium, vt plene compenſet debitum pœnæ, quod per indulgentiam remittitur, tunc enim indulgentia non eſſet remiſſio, ſed commutatio, vel redemptio. Ita Bellarm. *ibid.* & omnes recentiores.

3. Suppono ſecundò, ad cauſam iuſtam plerumque duo requiri. Primò, finem aliquem pium, ac Deo gratum, cuius aſſequutio magis placeret Deo, quam pœnitentialis ſatisfactio, quæ per indulgentiam relaxatur: fidelis namque & prudens diſpenſator cœleſtis theſauri dicitur is, qui cauſam Domini ſui fideliter agit, & iuxta eius voluntatē operatur. Secundò, opus aliquod, per quod finis ille probabiliter obtineri valeat, quoniam ſi finis valde placeat Deo, per opus tamē iniunctum obtineri nequeat

non

Digitized by Google

non videtur iuſta cauſa indulgentiæ concedendæ. V.g. ſi concedatur indulgentia plenaria iis,qui ſemel orationem Dominicam pro conuerſione Hæreticorum recitant,non ſane æſtimabitur cauſa iuſta , quippe etiam ſi Hæreticorum cõuerſio res maxima ſit, & Deo gratior, quàm multorum fidelium pœnitentialis ſatisfactio , non tamen videtur probabile Hæreticos per eam ſolam breuiſſimamque orationem conuertendos.Similiter ſi eadem indulgentia concedatur nummum vnum exponentibus pro Hieroſolyma recuperanda,non quidem cenſebitur tantæ indulgentiæ iuſta cauſa , id enim opus non eſt tale , vt per ipſum Hieroſolyma recuperari valeat.

4. Suppono tertio , quod eſto plerumque in cauſa iuſta duo contineãtur, nempe finis,& media ad finem;aliquando tamen ſolus finis ſatis eſſe videtur, ſine vllis mediis,id eſt abſque vllo opere iniuncto;cum nimirum finis non pẽdet ab aliquo opere,& per ſe ſufficit ad indulgentiam iuſtam efficiendam : ſic olim ad petitionem Martyrum , vt ex Tertulliano , & Cypriano tradit Bellarm.*ibidem,* dabantur indulgentiæ abſque vllo opere iniuncto,quippe iudicabat Eccleſia ſatis ſufficientem cauſam eſſe interceſſionem Martyrum , nempe vt qui eorum preces tanti fieri intuerentur , facile & ipſi ad martyrium accenderentur. Vocantur autem hoc in loco Martyres,qui in carceribus incluſi, iam aliquid ob fidei confeſſionem paſſi fuerant , & martyrij conſummationem lætis animis expectabant. Similiter & in articulo mortis ſolet interdum Pontifex Romæ concedere indulgentiam plenariam aliquibus bene meritis de Eccleſia abſque vllo opere iniuncto. Extrema namque neceſſitas eorum,cum præcedentibus meritis videtur ſatis iuſta,& ſufficiens cauſa,atque ita de Greg. VII.teſtatur idem Bellarm.& huic ſimilis videtur indulgentia illa, quam Martinus V.in fine Concilij Conſtantienſis conceſſit omnibus , qui dicto Concilio interfuerant,habeturque exemplum D. Pauli,qui 2.*Corinth.*2.peccatori veniam conceſſit, vt non circumueniretur à Sathana, aut nimia triſtitia abſorberetur. Imo idem oſtenditur exemplo ipſius Dei, qui vnius precibus alteri ignoſcit.

5. Sit igitur prima concluſio. Conceſſio indulgentiæ ſine iuſta cauſa, non ſolum eſt illicita , ſed inualida etiam quoad expiationem reatus pœnæ coram Deo , vel in hac vita , vel in Purgatorio. Prior pars huius concluſionis eſt communis omnium , & probatur; quia eiuſmodi conceſſio pertinet ad diſpenſationem theſauri , diſpenſare autem non eſt diſſipare , ſed iuſta ex cauſa bona publica diſtribuere , iuxta id 1. *ad Corinth.*10. *Habentes poteſtatem in ædificationem , non in deſtructionem.* Vnde cum res ſit in materia graui, procul dubio ſic indulgentiam ſcienter concedens peccabit lethaliter , vt recte inſinuat Filliuc. *tom.*1.*tract.*8.*cap.*5.*de Indulgent.num.*105.

6. Poſterior pars eſt etiam communis Theologorum, & Canoniſtarum,& eam præcipue docent S.Thom. S. Bonauent. Dur. Gabr. & alij *in* 4. *diſt.*20. Ratio eſt,quia S.Pontifex non eſt Dominus , ſed diſpenſator tantum theſauri Eccleſiaſtici , iuxta illud 1.*Corinth.*4. *Sic nos exiſtimet homo , vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Igitur non poteſt valide diſpenſare , niſi diſpenſet iuxta Domini voluntatem, & intentionem ; facultas namque diſpenſatoris ex ratione ſua non amplius extenditur. Confirmatur , quoniam ſicut paterfamilias committens famulo, vt pecunias ſuas inter hos, & illos pauperes diſtribuat , ſi in alios vſus eas expendat,non ſolum illicite , ſed inualide etiam præſtabit , tenebiturque ad reſti-

FFf tutionem

Digitized by Google

tutionem tam ipſe, quam quiuis alius, qui eas recepit, ita in caſu noſtro dicendum eſt. Atque idem videntur iudicare ipſimet Pontifices, nam Clem. VI. *in Clem. vnigenitus de pœnit. & remiſſ.* dum ait S. Pontificem poſſe theſaurum ſpiritualem diſpenſare, addit, *iuſtis ex cauſis*; & in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. vltim.* præcipitur ſuſpectos de hæreſi interrogandos fore, an credant S. Pontificem iuſtis de cauſis poſſe indulgentias concedere.

7. Sed obiicies, quia etiam ſi diſpenſator in operando teneatur Domini voluntati, ac intentioni cóformari, hæc tamen conformitas non eſt præciſe neceſſaria ad valorem operis, ſed ſolum ad aliquam honeſtatem: cùm enim Dominus diſpenſatori præcipit, vt theſaurum ſuum inter pauperes diſtribuat, intendit quidem, vt prudenter id efficiat, plus indigentibus copioſius diſtribuendo; actio tamen valida eſt, eſto aliter faciat, plus amicis, ſeu cognatis ſuis, etiam minus indigentibus diſtribuendo. Similiter videtur dicendum in præſenti, nempe quod, etiam ſi conſtet, diſpenſationem indulgentiæ ſine iuſta cauſa factam, non eſſe iuxta Chriſti intentionem, adhuc inde non deducitur talem diſpenſationem eſſe irritam, quippe conformitas cum illa ſolum videtur ad fidelitatem quandam, ſeu prudentem diſpenſationem pertinere. Nec Pontificum teſtimonia aliud conuincunt: aſſerunt enim datam eſſe illis hanc poteſtatem, vt ea ex iuſtis cauſis vtantur, non tamen eo ſenſu, ac rigore conditionem illam eſſe adiectam, vt ſi non impleatur, irritet actum.

8. Reſpondetur tamen, dictam conditionem eſſe de ſubſtantia huius actus, & ſic exigi ex Chriſti intentione, quam non ex ſpeciali reuelatione, ſed ex ipſa rei natura, ſuppoſita tali poteſtate, colligendam eſſe cenſet Suarez *tom. 4. diſp. 54. ſect. 2. num. 5.* illa enim conditio, quæ eſt omnino neceſſaria ad finem principalem, propter quem poteſtas conceditur, conſequenter neceſſaria eſt ad ſubſtantiam, & valorem actus talis poteſtatis. Atque in præſenti poteſtas data eſt in ædificationem, ac proinde requirit rationabilem cauſam. Tum quia alioquin eneruaretur omnino Eccleſiaſtica diſciplina, vt habetur ex *cap. cum eo, de pœnit. & remiſ.* Tum quia poteſtas quoties datur ad diſpenſandum, ſeu immutandum aliquomodo ius ab ipſomet ſuperiore ſtatutum, eſt de ſubſtantia & valore actus, vt non fiat abſque iuſta, & rationabili cauſa, vt conſtat ex communi conſenſu Theologorum, qui hac ratione inquiunt diſpenſationem in re ad ius diuinum ſpectante, ſine cauſa à Pontifice factam, eſſe nullam, vt in voto, matrimonio rato, & aliis eiuſmodi. Ratio autem à priori eſt; tum quia irrationabilis voluntas inferioris non poteſt rationabilem ſuperioris voluntatem irritare, neque eſt veriſimile ſuperiorem inferiori dediſſe huiuſmodi poteſtatem. Tum quia lex ſuperioris fere nullius eſſet momenti, ſi inferior ſine vlla cauſa poſſet obligationem eius cum effectu tollere. Vnde cum ius diuinum ſit, vt qui peccauit, & nondum plene ſatisfecit, tali pœna in Purgatorio afficiatur, & cum ius illud magna ex parte immutetur & quodam modo diſpenſetur in illo, quoties ab ea pœna per indulgentiam quis abſoluitur; hinc ſequitur id abſque iuſta cauſa valide fieri non poſſe.

9. Secunda concluſio. Quæuis cauſa non ſufficit ad quaſuis indulgentias concedendas, ſed requiritur proportionata. Pro explicatione huius concluſionis obſeruare oportet, nonnullos opinari ſatis eſſe quamcunque cauſam piam ad integrum indulgétiæ valorem.

Ita

Digitized by Google

Ita D.Thom. *in 4. diſt.20.q.1. art.3.q.2.* Rich.*art.5.q.1.*Dur. *ibidem q.4.* Sylueſt. *verb.Indulgentia,n.2.* Angel.*eod.verb.n.2.* Gabr.*diſt.45.q.3.art.1.* & Mich.Metina *tract.de Indulg.quaſt.vlt.fine.*

10. Alij opinantur cauſam piam ſolam non ſemper eſſe ſufficientem ad totum indulgentiæ valorem, poſſe tamen ſuppleri ex deuotione lucrantis indulgentiam,quæ deuotio in opus ipſum redundet, & reddat illud maioris valoris moralis apud Deum.Ita Altiſiod.*l.4. ſum.tract.6. c.9 q.1.& 3.* quem ſequuti ſunt Innoc. & Ioan.Andr. *in cap. Quod autem*, & Hoſtienſ. *in cap. cum ex eo, de pœnit.& remiſſ.*

11. Alij denique cenſent, non ſufficere cauſam alias piam, ſeu honeſtam in ſe, ſed requiri proportionatam effectui, vel quantitati indulgentiæ. Ita Albert. Magnus *in 4.diſt. 20. art. 17.* S. Bonauent. *quaſt. vlt.* ſi attente legatur. Adrian. *in materia de Indulgent. concluſ. 2.* Auguſt. de Ancona *de poteſtate Papa quaſt.30.art.5.* Caiet.*tom.1.opuſc.9.quaſt.1.& 2.*Cord. *de Indulgent.lib.5.quaſt.20.* Suarez *loco cit.ſec.3.num.8.* Bellarm. *vbi ſupra.* Filliuc. *num.113.* Coninck *de Indulgent.diſp.12. dub.6.num.31.* Dominicus de Soto *in 4. diſt.21. quaſt.1. art.2.* Petrus à Soto *lect.2. de Indulg.* & pleꝛumque omnes recentiores, & mihi etiam videtur ita ſentiendum.

12. Primò, quia Pontifices non ſolum requirunt piam cauſam,ſed iuſtam etiam ad conceſſionem indulgentiæ, vt patet ex Clem.VI. *in Extrauag.vnigenitus*, & Leone X. *in Epiſt. ad Caiet.* qui vtũtur illa voce,*rationabilibus cauſis.* Vnde ſic conficitur argumentum.Vt cauſa aliqua ſit rationabilis, non ſatis eſt eſſe in ſe honeſtam,ſed neceſſe eſt eſſe etiam rationi conſentaneam;recta autem ratio euitat,quidquid improportionatum eſt. Hinc Innoc.III. *in d.cap. cum ex eo,* ſuperfluas indulgentias indiſcretas vocat, id eſt irrationabiles, eáſque vt tales reprehendit; ſunt enim ſuperfluæ illæ indulgentiæ,quæ copioſius conceduntur, quam cauſa requirat,eſto ſit pia: igitur cauſa rationabilis adæquationem, & proportionem exigit; ſicut ſi quis pro redemptione vulgaris hominis captiui profunderet ingentem theſaurum, eſſet quidem cauſa pia, ſed non rationabilis, nec proportionata.

13. Secundò,quia videntur abuti vocabulis, qui aiunt ad conceſſionem indulgentiæ requiri cauſam iuſtã,& tamẽ pro opere quocunque, etiam leuiſſimo opinantur concedi poſſe indulgentiam maximam; quomodo enim iuſta cauſa dici poteſt,quæ cum effectu nullam habet proportionem? Profecto ex oppoſito ſequeretur, poſſe Summum Pontificem in momento liberare omnes Purgatorij animas;piũ namque id æſtimari poſſet,cum ad gloriã Dei ſpectet, vt tot animæ citiſſime migrent ad cœlum,vbi Deũ ipſum intueri,& laudare perpetuo valeant. Cõſequens eſt abſurdum:ergo.

14. Tertiò,quia quantum conceſſio indulgentiæ excedit cauſam, tantum in ea conceditur ſine cauſa, pro ſola voluntate concedentis. Ergo tantundem habet nullitatis,ſeu quo ad totum illum exceſſum non eſt valida, & conſequenter,vt ſit integre valida,requirit cauſam proportionatam.Conſequentia conſtat ex eo, quia omnis remiſſio facta abſque vlla cauſa,ſed pro ſola concedentis voluntate,nulla eſt,vt fatentur omnes; id enim Domini,non diſpenſatoris munus eſt.Antecedens probatur,quia dum cauſa ſolum eſt proportionata indulgentiis v. g. vnius anni, ſi conferantur indulgentiæ ſex annorũ, indulgẽtiæ quinque annorum nullam habent cauſam ſibi reſpondentem:igitur ſine cauſa,& conſequenter inualide quoad hanc partem dabuntur; valebunt quidem pro vno anno, quia diuiſibiles ſunt, & vt ſic

habent cauſam proportionatam, & vtiles exiſtunt, vtile autem per inutile non debet vitari, iuxta regulam iuris 37. in 6.

15. Confirmatur, quia diſpenſatio voti non ſolum inualida æſtimatur, dum abſque vlla omnino cauſa fit, ſed etiam dum fit abſque cauſa iuſta, cum obligatio voti ſit de iure diuino: igitur conceſſio indulgentiæ facta ſine cauſa iuſta, & proportionata, inualida ſimiliter erit, cum remiſſio pœnæ Deo debitæ ſit etiam de iure diuino, in quo Pontifex nequit ſine iuſta cauſa valide diſpenſare, vt tenent omnes.

16. Tertia concluſio. Proportio, quam inter cauſam, & effectum indulgentiæ requiri diximus, conſiſtit in ſola quadam præcedenti æſtimatione moralis proportionis inter medium & finem ſeruari debitæ, ita vt illa cenſeatur cauſa indulgentiæ adæquata, quæ penſatis omnibus circunſtantiis, prudenter exiſtimatur hic, & nunc medium proportionatum, & conueniens ad obtinendum finem, ob quem indulgentia conceditur. Ratio eſt, quia cauſa iſta, de qua in præſenti, ſolum concurrit in genere finis, & motiui, & conſequenter in eodem genere debet habere adæquationem cum conceſſione indulgentiæ, quæ ad illam vt medium quoddam comparatur. Hinc fit, vt euiuſmodi adæquatio non conſiſtat in indiuiſibili, ſed habeat latitudinem, ſicut pretia rerum dicuntur habere latitudinem, rigoroſi, moderati, & mitiſſimi pretij intra rationem iuſtitiæ. Atque eo magis, quia hæc adæquatio eſt moralis, & ſecundum habitudinem medij ad finem, ac proinde habet latitudinem boni, melioris, & optimi. Vnde euenire poteſt, vt maior, & minor indulgentia ob eandem cauſam conceſſa æque valida ſit, quippe quæ contineri in prædicta latitudine poſſunt, niſi nimius adſit exceſſus.

17. Obſeruare tamen oportet hanc æqualitatem ſeu proportionem non eſſe ſemper ſumendam ex re ipſa, ſed prout cadit ſub prudentem electionem illius, qui indulgentiam concedit. Ita citans Sotum, Caietanum, & alios tenet Cord. *de Indulg. quæſt.6. & 22.* Ratio eſt, quia ſicut non eſt humanum in rebus iſtis attingere ſemper punctum æqualitatis, ita non eſt veriſimile Chriſtum conceſſiſſe aliter hanc poteſtatem, ſed ſufficere vt reguletur ſecundum humanæ prudẽtiæ regulas: ſecus Pontifices nunquã poſſent abſolute concedere tantam, vel tantam indulgentiã abſque imprudẽtiæ nota. Vnde Chriſtus Dominus à ſuo miniſtro ſolum requirit, vt fideliter, & prudenter theſaurum diſpenſet, iuxta illud *Matth.* 24. & *Luc.* 12. *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens?* Imo nec inter homines plus requiritur, vt geſta, diſpenſatave ab œconomo, valida ſint.

18. Neque obſtat primò, ſi dicas in aliis effectibus ex opere operato, ſi cauſæ neceſſariæ re ipſa non ſubſint, eſto intercedat prudens iudicium, vel exiſtimatio, non ſatis eſt, vt ſubſequantur tales effectus. Hinc ſi quis abſoluat eum, quem iuxta regulas humanæ prudentiæ putat ſufficienter diſpoſitum, re tamen vera non eſt, ſaltem per veram attritionem, abſolutio non tenebit, nec conſequetur effectum. Atque idem argumentum poteſt confici de cæteris Sacramentis: igitur in caſu indulgentiarum idem videtur dicendum, non enim videtur ſpecialis aliqua ratio, ſeu neceſſitas, ob quam in caſu indulgentiarum, cauſa prudenter exiſtimata ſufficiat, eſto in re ipſa non ſit ſufficiens, ſecus vero in Sacramentis.

19. Nihilominus facile ſoluitur obiectio, duplex notando diſcrimen inter Sacramenta, & indulgentias. Primum eſt, quod in Sacramentis, v. g. in

abſo

Digitized by Google

abſolutione Sacerdotis, diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte recipientis, vt ſacramentum conferat effectum ſuum, qui congruenter induci nequit in ſubiecto indiſpoſito: improportio autem ſuppleri non poteſt per Confeſſoris exiſtimationem, vel prudentiale iudicium; at iuſta cauſa in indulgentia requiritur ex parte concedentis, ne ſit diſſipator alienæ rei; hoc autem ſatis eſt quod cauſa ſit ſufficiens iuxta prudentem illius æſtimationem. Secundum eſt, quia in ſacramentis conceſſio illius effectus, ſeu gratiæ ex opere operato conferendæ, eſt immediate à iure diuino, atque ex Chriſti inſtitutione talem diſpoſitionem requirente iuxta rei naturam, ſeu conuenientiam: at in indulgẽtiis conceſſio talis effectus immediate eſt ab homine, qui talem effectum concedit abſolute, vel ſub aliqua conditione, quam ſupponimus in re ipſa poni; cauſa vero ſufficiens requiritur quaſi antecedenter, quatenus mouere debet ipſum diſpenſatorem, vt fideliter, ac prudenter ſuo munere vtatur. Ideoque quacunque ratione prudẽter Pontifex indulgentiam diſpenſet, ſequetur effectus: ſic enim videtur ſatisfieri intentioni Chriſti Domini, qui ſub hac conditione poteſtatem conceſſit, vt rectè indicat Suar. *num.* 13. cui adhæret Filliuc. *num.* 16.

10. Sed quæres primò, an dum cauſa non eſt æqualis, & proportionata, operetur ſaltem effectum indulgentiæ ſibi æqualem. Reſpondetur affirmatiue. Ratio eſt, quia id pendet ex voluntate concedentis: quod autem velit, inde conſtat, quia vult concedere quantum poteſt; nam ſi vult, & tentat concedere plus quam poteſt, à fortiori vult facere quantum poteſt, & conſequenter vult facere effectum adæquatum tali cauſæ.

11. Neque obſtat ſecundò, ſi dicas, dum conceditur indulgentia ſub conditione talis operis, qui facit duntaxat partem eius, nihil omnino lucratur, vt patet ex dictis *dub*.... quia indulgentia conceditur per modum vnius effectus indiuiſibilis: igitur pari ratione ſi cauſa ſit inſufficiens ad totam indulgentiam, tota conceſſio erit nulla, & conſequenter ex vi illius nullus dabitur effectus, etiam tali cauſæ adæquatus; vel è conuerſo, ſi hic datur talis effectus, dabitur etiã pars effectus proportionatus parti operis, cum illa tantum executioni mandatur. Reſpondetur tamen, negando paritatem rationis: nam conuerſio indulgentiæ iuxta exemplum adductum, eſt conditionata, vt conſtat, datur enim ſub conditione talis operis, atque ideo non impleta conditione nihil operatur; nec conditionem ſimpliciter implere dicitur, qui partem operis, non totum opus implet; niſi aliter in conceſſione ipſa exprimatur: ac proinde nec ex vi talis conceſſionis inferrri poteſt, quod diſpenſator habuerit voluntatem concedendi aliquid facienti duntaxat partem operis. Vnde nihil refert quod illa pars ſit proportionata parti indulgentiæ. Hæc enim proportio non ſufficit abſque voluntate concedentis. At in caſu noſtro impletur conditio, & quantum eſt ex hoc capite totus conferretur effectus; tamen non confertur totus ex defectu poteſtatis, non voluntatis; confertur autem pars illa, ad quam ſe extendit poteſtas iuxta cauſæ proportionem, ac ſufficientiam.

12. Sed obiicies tertiò laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem; interdum namque pro eadem cauſa maiorem, vel minorem indulgentiam concedit, & ſæpe etiam pro leui cauſa amplam indulgentiam, & Pontifex aliquando ſola ſua benedictione plenariam indulgentiam cõcedit omnibus præſentibus,

Digitized by Google

qui nonnunquam infinitus eſt populus: temerarium autem eſſet aſſerere huiuſmodi indulgentias inualide concedi, vel Pontifices decipi, aut velle decipere: ergo. Reſpondetur nihil obſtare, quod pro eadem cauſa maior, vel minor indulgentia concedatur; tum quia in cauſa proportionata poteſt eſſe latitudo, vt diximus ſupra; tum quia poteſt aliquando Pontifex concedere indulgentiam non adæquatam cauſæ, ſed minorem, in quo non errat, minus tamen liberalem ſe præbet; tum etiam quia poteſt aliquando cauſa aliqua eadem materialiter videri, vere tamen non eſt eſt eadem ſecundum valorem, & æſtimationem moralem, attentis omnibus circumſtantiis, ob quas poteſt maior ſubeſſe vtilitas, vel neceſſitas in vno tempore, quam in alio.

13. Obiicies quartò, quia ſi ſemper eſſet neceſſaria adæquata, paruus fauor per indulgentiam conferretur, & difficillimum eſſet punctum æqualitatis attingere: igitur vt Pontifices valide poſſint ſuo arbitratu indulgentias taxare, ſatis eſt quod iuſta, & pia cauſa intercedat. Reſpondetur, negando in primis hinc ſequi paruum eſſe indulgentiarum fauorem, quamuis enim cauſa ſit proportionata, adhuc per indulgentias remittuntur hominibus reatus pœnarum, vltra proprium eorum meritum, & ſatisfactionem, in quo conſiſtit indulgentiarum fauor, vt recte perpendit Suar. *n.* 18. Quod autem hic fauor cum debita moderatione exhibendus ſit, ratio iuſtitiæ, & communis vtilitas requirit, vt habetur *ex d. cap. cum ex eo.*

14. At quod difficile ſit huiuſmodi prudentiam ſeruare, non eſt admiratione dignum, cum ſit etiam difficile vniuerſam Eccleſiam in rebus ſpiritualibus, & diuini quodam modo ordinis gubernare. Huiuſmodi tamen difficultas ſingulari Spiritus ſancti aſſiſtentia facile ſuperatur, nec parum minuitur moderatione ſupra inſinuata, quod ſufficiat cauſas eſſe adæquatas ſecundum humanæ prudentiæ regulas.

15. Obiicies quintò, commune illud Theologorum axioma, *indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant:* igitur ſi pro leuiſſima cauſa indulgentia maxima in litteris Pontificiis dari ſignificetur, indulgentia illa rata erit. Reſpondetur dictum axioma veriſſimum eſſe, intelligitur tamen de indulgentia neceſſarias conditiones habente, cuiuſmodi ſunt authoritas in concedente, legitima diſpoſitio in ſuſcipiente, & iuſtitia, ac proportio in cauſa; non eſt autem ſubditorum iudicare, an cauſa ſit iuſta, vel iniuſta, ſed potius debent humiliter credere, ac ſimpliciter exiſtimare iuſtam eſſe, vt recte Bellarm. *dicto cap.* 12. *notab. vlt.* imo in dubio ſemper pro Pontifice ſentiendum eſt; ad ipſum enim ſpectat huius cauſæ iudicium, & temerarius merito eſſet habendus, qui iudicaret iniuſtam ſeu inſufficientem eſſe cauſam, qua Summus Pontifex ad concedendam indulgentiam mouetur.

DVBIVM X.

Vtrum cauſa, quæ in Bulla Cruciatæ exponitur, ſit pia, & rationabilis cenſenda, vt virtute illius concedantur indulgentiæ, & alia, quæ in dicta Bulla continentur.

1. SVppono primò, omnem cauſam, ſeu omnem actum, qui ex ſe abſolutè, vel reſpectiuè conſideratus, vergit in honorem Dei, aut in Eccleſiæ ſpiritualem, temporalémve vtilitatem, dici, & eſſe cauſam piam conceſſionis indulgentiæ. Ratio eſt, quia ſicut in politiis humanis theſaurus Reipublicæ ob

ob duo potiſſimum rationabiliter expenditur, nimirum ad honorem Principis, vt præſtitit Aſſuerus, *Heſter* 1. vel ad vtilitatem cōmunitatis, vtpote cum munera ſeu brauia conferuntur ob defenſionē, obſequiumve Reipublicæ factum, aut faciendum. Sic etiam rationabiliter fit in propoſito, quomodocūque cauſa illa, ſeu opus vergat in Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem abſolute, vel reſpectiue ratione circumſtantiarum. Hinc cauſa pia & iuſta concedendi indulgentias, eſt promotio cultus Dei, vel ſanctorum, propagatio fidei, hoſtium Eccleſiæ ſubactio, vel conuerſio, maior Sedis Apoſtolicæ reuerentia, frequentatio Sacramentorum, atque euiuſmodi quæuis alia pietatis opera, vt fuſe oſtendit noſter Medina *de indulgentiis*, *diſp.* 9. *cap.* 38. *in ſolutione ad quartum & 6. argumentum*; & ſequitur Cord. *quæſt.* 21. *initio.* Et cum his concordant expreſſe D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 4. D. Thom. *ead. diſt. art.* 3. *quæſt.* 3. & communiter omnes.

2. Suppono ſecundò, quod quamuis pro actu omnino ſpirituali poſſit concedi indulgentia, vt pro oratione interiori facienda pro ſanctæ Eccleſiæ exaltatione, aut pace & concordia inter Principes Chriſtianos, cum talis actus res pia, & iuſta ſit. Nihilominus actus pij, pro quibus regulariter indulgentia conceditur, ſunt actus exteriores ad Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem vergentes, vt eſt viſitatio Eccleſiæ, recitatio talis, vel talis orationis, erogatio eleemoſynæ, aſſiſtentia ad diuina officia, ſuſceptio Sacramentorum, & huiuſmodi alia. Nam hæc omnia mediate, vel immediate ad ſpiritualia, Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem ordinātur, vt recte Cord. *vbi ſupra, q.* 21.

3. Suppono tertiò ex Adriano *in* 4. *de Indulg.* quod quando indulgentiæ conceduntur pro viſitatione alicuius Eccleſiæ, cauſa pia talis indulgentiæ, non eſt ſola præſentia, aut viſitatio corporalis, vt quidam ſimplices opinantur: illa enim nec in Dei honorem, nec in Eccleſiæ vtilitatem vergit, & conſequenter non æſtimatur cauſa pia, ſed cauſa pia talis indulgentiæ eſt ſimpliciter deuota viſitatio, quia hæc eſt ad Dei honorem, &c. Ita Adrianus. Et per deuotam viſitationem, aut præſentiam intelligitur etiam fidelis, & proteſtatiua fidei, ac obedientiæ Eccleſiæ actualiter, ſeu virtualiter ex ſe, aut genere ſuo, vel ex circumſtantia, aut relatione aliqua. Vnde infert Cord. *ibidem*, quod ſi illa Eccleſiæ viſitatio ſit ſolum corporalis, ſicut viſitatio plateæ, fori, aut alterius domus, non procedens aliquo modo ex fide, ſeu pietate, non eſt cauſa pia, ita nec alicuius indulgentiæ conſecutiua.

4. Sit iam prima cōcluſio. Eleemoſyna, quæ in Bulla exprimitur eroganda, eſt cauſa pia, & rationabilis, vt virtute illius concedantur indulgentiæ in Bulla contētæ. Ratio eſt, quia dicta eleemoſyna erogatur in ſubſidium belli contra infideles, & conſequenter ad honorem Dei, & Eccleſiæ vtilitatem: igitur cauſa pia, & rationabilis cenſenda eſt.

5. Neque obſtat, ſi dicas, ſimoniacum eſſe dare ſpirituale pro temporali. Vnde cum indulgentia ſit quid ſpirituale, ſeu diſtributio theſauri ſpiritualis, erogatio autem eleemoſynæ ſit quid temporale, ſicut etiam quicunque alius actus ex præſcriptis in Bulla; igitur non cauſa pia, & rationabilis, ſed potius iniuſta, & irrationabilis cenſenda eſt. Reſpondeo enim iuxta D. Thom. *vbi ſupra art. vlt.* concedendo maiorem, non abſolute, ſed cum ſpirituale datur principaliter, vel finaliter pro temporali, ſecus cum minus principaliter, & ſolum prout eſt medium ad aliquid ſpirituale ordinatum. Ratio eſt, quia cum temporalia

Digitized by Google

temporalia ad ſpiritualia ordinētur, habeantque in hac vita connexionem, nō immerito temporalibus ob ſpiritualia ſimul vtimur: atque ideo cōferendo ſpiritualia pro temporalibus ad ſpiritualia ordinatis, non poteſt proprie dici, quod conferantur pro tēporalibus, ſed potius pro ſpiritualibus, ad quæ finaliter, & principaliter ordinantur. Vnde neganda eſt conſequentia. Quia indulgentia noſtræ Bullæ non conceditur pro eleemoſyna finaliter, aut principaliter, ſed quatenus ordinatur ad ſpirituale, nempe ad Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem.

6. Sed obiicies ſic contra ſolutionem iſtam. Simonia eſt dare beneficium Eccleſiaſticum pro ſubuentione pauperum, aut pro pecunia conuertenda in opus fabricæ, vel in alios vſus ſeu cauſas eiuſmodi, arg. *tex. in cap. ex multis*, 1. *quæſt.* 9. ergo ordinatio temporalium in finem ſpiritualem, vt ſic pro eis poſſit indulgentia conferri, non excuſat à ſimonia. Addit Cord. *ibidem*, non eſſe dubium, quin Papa ſimoniam contra ius diuinum committeret, ſi indulgentias venderet pro temporalibus ad ſpiritualia quomodocunque ordinatis.

7. Reſpondet igitur ipſe Cord. ſequutus Adrianum *in* 4. dum agit de indulgentiis, quod indulgentiæ nullo modo conceduntur finaliter, etiam minus principaliter pro temporalibus, id eſt, non pro pretio, vel pro ea quota pecuniæ, quæ in defenſionem fidei, ſeu ſubſidium belli contra infideles eroganda decernitur, ſed pro pietate, puta in præmium boni affectus, quo efficaciter cupiunt homines rem aliquam ad Dei honorem & Eccleſiæ vtilitatem facere iuxta modum à Pontifice taxatum: & eſt ſimile de orationibus, quas fundimus pro benefactoribus, à quibus anniuerſaria, & diſtributiones accipimus. Facit ad hoc S. Bonau. *vbi ſupra*, qui poſt Alenſem inquit, non dari ſpirituale pro temporali; ſed commutari maiorem pœnam in minorem, & reſiduum ſolui gratis de theſauro Eccleſiæ per eiuſdem Eccleſiæ paſtorem.

Vel (ſubiungit ipſe Doctor Seraphicus) dicendum eſt, non dari indulgentiam pro eleemoſyna exteriori, conſiderando datum, ſed fructum, ideſt, quod ex radice bona, aut piæ voluntatis procedit. Et iuxta hunc ſenſum videtur interpretanda prædicta D. Th. reſponſio.

8. Vel tertiò reſpondet Cord. ex eodem Adriano *in* 9. *quodlibeto contra D. Thomam*, quod cum ſimonia non ſit, niſi quando ſpirituale ſupernaturale datur, vel accipitur pro temporali, tanquam pro pretio, & eſt communis opinio; idcirco non eſt cenſenda ſimoniaca conceſſio indulgentiæ, quantumcunque detur pro temporali finaliter, ſeu principaliter; quia non datur pro temporali, tanquam pro pretio, ſicut nec etiam eſt ſimonia, dum indulgentia conceditur pro oratione, ieiunio, & viſitatione, ſeu peregrinatione: eſſet autem ſimonia, ſi daretur pro eo tanquam pro pretio, etiam ſi minus principaliter.

9. Secunda concluſio. Sufficiens, & rationabilis cauſa concedendi & conſequendi indulgentias in Cruciata contentas, eſt eleemoſyna, quæ pro illa offertur. Ita tenent expreſſe Ioſephus Angles *in* 4. *tom.* 2. *quæſt. de Indulgentiis, diffic.* 5. Acoſta *in expoſitione Bullæ, quæſt.* 11. & Man. Rodr. §. 1. *num.* 15. Idque ſatis pium, & probabile reputat Cord. *quæſt.* 22. quidquid alij in contrarium opinentur, ſed immerito. Ratio eſt, quia vtilitas operis requiſiti ad concedendam indulgentiam alicui communitati, non eſt ſpectanda ex efficacia particularis cuiuſque operis ſecun

cun

Digitized by Google

cundum ſe, ſed prout eſt coniunctum cum operibus omnium aliorum, vt tradit Coninck *diſp.*12. *dub.*6. *num.* 35. & eſt communis. At ſi vtilitas eleemoſynæ requiſitæ pro indulgentia, quæ in Cruciata Regnis Hiſpaniarum conceditur, commenſuretur, non ex efficacia eleemoſynæ cuiuſque particularis ſecundum ſe, ſed prout eſt cum eleemoſynis omnium aliorum coniuncta, adeo magna eſt, vt nemo poſſit rationabiliter dubitare, quin ſit cauſa ſufficiens; ergo.

10. Confirmatur ex eo, quia ſi habenti imaginem, aut roſarium benedictum, concedatur indulgentia plenaria, quoties talia, vel talia opera præſtet; idque, vt fideles ad Sedis Apoſtolicæ reuerentiam, ſacramentorum frequentationem, aliáve pietatis opera excitentur; tunc etſi meum opus ad hæc conſequenda parum per ſe efficax videatur, ſi tamen opera omnia, quæ ab aliis ſub huiuſmodi intuitu fiunt, ſimul ſpectentur, nil dubium, quin ſint valde efficacia; igitur à ſimili, eſto duo nummi argentei, quos quiſque particularis impendit, non ſint medium ſufficiens, & proportionatum ad conſequendum finem in Bulla præfixum; ſecus autem, ſi coniungantur cum aliis, quos cæteri omnes contribuere ſolent, vt conſtat experientia; & conſequenter, ſicut cauſa in communi eſt rationabilis, & ſufficiens ad talem finem, ita indulgentia in communi, & generaliter ex vi illius conceſſa valida erit.

11. Tertia concluſio. Omnes, & ſinguli impendentes eleemoſynam in Bulla præfixam conſequuntur fructum indulgentiarum, quæ virtute eiuſdem Bullæ conceduntur. Ita tenent expreſſe Angles, Rodr. & Acoſta *vbi ſupra*, & propendet etiam Cord. Ducuntur, quia etſi dicta eleemoſyna priuatim conſiderata, & præſertim reſpectu diuitum, non ſit ſufficiens pro conceſſione tot indulgentiarum; ſecus tamen in communi, & prout comprehendit totam ſummam, quæ ex ſingulorum contributionibus reſultat in ſubſidium belli cótra infideles. Hinc fit, quod S. Pontifex non reſpicit in ſpecie duos nummos argenteos, quos diues, ſeu pauper offert, ſed ingentem denariorum ſummam ſic colligendam ad defendendas Chriſtianorum arces, & profligandos infidelium exercitus. Eſtque aptiſſimum exemplum, quo vtitur Angles in huius rei confirmationem. Si Rex Catholicus (ait ille) offerat Summo Pontifici centum, vel ducentos mille aureos in ſubſidium contra Infideles, certum eſt poſſe Pontificem iure optimo Cruciatam concedere Regnis Hiſpaniarum; ac proinde idem eſt ſentiendum de contributionibus ſingulorum ſimul ſumptis, cum eadem, & maior etiam ſumma inde reſultet.

Eſt etiam aptiſſima ſimilitudo, qua vtitur Cord. dicens, quod ſicut, dum in communi conceditur indulgentia plenaria omnibus, & ſingulis limina Apoſtolorum anno Iubilæi, ſeu quouis alio tempore viſitantibus, dicta viſitatio æſtimatur cauſa ſufficiens tantæ indulgentiæ, quo ad omnes, & ſingulos, ſiue de longe, ſiue de prope accedant, ſiue robuſti, aut debiles, ſiue ſani, aut infirmi: ita in caſu noſtro dicendum eſt de iis, qui eleemoſynam in Bulla taxatam contribuunt, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes. Nec videtur diſſimile id, quod refertur *Exod.*3. dum Moyſes iuſſu Dei æqualem omnibus impoſuit contributionem pro conſtructione altaris, abſque vlla diuitis, pauperiſve differentia.

12. Poſſunt etiam pro hac concluſione allegari Maior *in* 4. *diſt.*20. *quæſt.* 2. imo & D. Th. *ibi q.*1. *art.*3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 4. Suar. etiam *tom.*4. *in* 3. *p. diſp.*52. *ſect.*8. *n.*3. Filliuc. *tom.*1. *tr.*8. *cap.*6. *n.*164.

Digitized by Google

& alij, qui opinantur, omnes, & ſingulos facientes opus ad indulgentiam requiſitum æqualiter fructum eius conſequi. Vnde S. Thom. ait, quod ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ; imo etiam Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam indulgentiam, ſicut illi, qui venirent à mille diætis, quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur. Hæc ille. Ratio eſt, quia voluntas concedentis indulgentiam ſub conditione talis operis, etſi conditionata ſit, impleta tamen conditione tranſit in abſolutam, & eſt omnino efficax, & conſequenter operatur totum, quod per talem conceſſionem promiſſum eſt: omnes igitur, qui opus iniunctum ſufficienter perficiunt, æqualem indulgentiæ effectum conſequuntur, omnes enim conſequuntur totum fructum, in quo non reperitur magis, & minus ex parte indulgentiæ, quamuis ex parte ſubiecti poſſit eſſe maior, aut minor, iuxta maiorem, minoremve illius indigentiam. Vnde ſi ſit plenaria, omnes conſequuntur illam, & ſic formaliter in omnibus eſt idem effectus: at ſi in vno vnquam ſit maior reatus, quam in alio, tunc ei plus remittitur, illa vero inæqualitas materialis eſt, & quaſi accidentaria ex parte ſubiecti.

13. Sed obiicies primò, quia contingere poteſt, vt idem opus inæqualiter fiat à diuerſis hominibus, vel ex eo, quod vnus eſt in gratia, alter in peccato; vel quia in vno eſt maius, quam in alio, vt rigidum ieiunium, copioſior eleemoſyna, feruentior oratio, &c. Ergo abſurdum eſt dicere, quod in his, & ſimilibus caſibus æqualem omnes conſequuntur indulgentiæ effectum. Probatur conſequentia, quia ſicut ſacramenta ex opere operato non conferunt æqualem effectum inæqualiter diſpoſitis; nec ratio iuſtitiæ diſtributiuæ permittit, vt inæqualiter laborantibus, æqualis merces conferatur: ita nec in caſu indulgentiæ inæqualiter operantes æqualem fructum conſequentur, cum illi nec ſint æqualiter diſpoſiti, nec æqualiter laborent.

Confirmatur ex extrauag. *Antiquorum*, 1. *de pœnit. & remiſ.* Vbi Bonif. VIII. cum in anno Iubilæi pleniſſimas conceſſiſſet indulgentias, tandem ſubiungit, *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius, & deuotius frequentabit.* Atque ideo oppoſitum ſentire videntur S. Bonau. *diſt.* 20. *quæſt. vlt.* & Adrian. *in materia de Indulgentiis.*

14. Pro ſolutione huius obiectionis obſerua opus ad indulgentiã requiſitum conſiderari poſſe, vel ex parte cauſæ piæ, ob quam indulgentia conceditur; vel ex parte ſubiecti operantis, tanquam diſpoſitionem illius; vel ſecundum ſe, quatenus meritorium eſt, aut ſatisfactorium. Vnde ſecunda & tertia conſideratio nihil ad præſens referunt. Non ſecunda, quia ex dictis conſtat effectum indulgentiæ non requirere maiorem diſpoſitionem in recipiente, præter culpæ carentiam, & ſtatum gratiæ; atque ideo maior, vel minor deuotio per ſe non confert ad inæqualem indulgentiæ effectum, & in hoc eſt magna differentia inter indulgentiæ, ac ſacramentorum effectus. Nec refert tertia conſideratio, quia remiſſio, ſeu effectus indulgentiæ non innititur proprio merito, vel ſatisfactioni operantis; ideoque inæqualitas operis ex hac parte nihil etiã confert ad perfectiorẽ effectum.

15. Sola igitur conſideratio operis ex parte cauſæ piæ, eſt proprie, & vere neceſſaria, quia ſub ea ratione præcipue imponitur tale opus. Si autem id opus ſit omnino determinatũ, quantum ad quantitatem, & modum, obſeruare oportet, an præciſe, prout in cõceſſione exprimitur, ſit tantæ indulgentiæ

cauſa

Digitized by Google

cauſa ſufficiens, & proportionata; tunc enim qui opus illud præciſe operatur, totum indulgentiæ effectum conſequitur; quoniam nihil illi deeſt ex parte omnium cauſarum. Qui vero, vel aliquid amplius, vel id ipſum deuotius operatur, non plus lucratur: quia totum illud, quod addit, extra clauſam indulgentiæ eſt, nec ratione illius aliquid amplius fuit promiſſum. At ſi tale opus forſitan præciſe ſumptum non ſit ſufficiens, & adæquata cauſa illius indulgentiæ, tunc fieri poteſt, vt aliquis tale opus efficiens non conſequatur totum indulgentiæ effectum, ac proinde vt alius maiori deuotione, ſeu frequentia idem opus efficiens maiorem indulgentiam lucretur.

16. Ex dictis manet ſoluta obiectio facta, & ad probationem conſequentiæ negatur, ad lucrationem indulgentiæ requiri diſpoſitionem aliquam ex parte ſubiecti, præter carentiam culpæ, & ſtatum gratiæ. Illud vero, quod obiiciebatur de iuſta diſtributione, nihil obſtat: hæc enim theſauri diſpenſatio per indulgentias, non fit iuxta leges diſtributiuæ iuſtitiæ, ſed liberalis cuiuſdam donationis prudenter factæ.

17. Ad confirmationem, omiſſis varis ſolutionibus, reſpondetur, per illa verba extrauagantis, *plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur*, non intelligi maiorem conſequuturos indulgentiam, qui Baſilicas amplius, & deuotius viſitauerint, quia vltra pleniſſimam indulgentiam nihil amplius in effectu indulgentiæ excogitari poteſt; ſed primum illud, *plus merebitur*, intelligitur de merito ex opere operantis: qui enim frequentius, ac deuotius exercet Religionis opera, cæteris paribus, plus gratiæ, & gloriæ meretur. Illud autem, *efficacius indulgentiam conſequetur*; idem eſt, ac ſi Pontifex dicat certius, & quantum eſt ex parte cauſæ, cum maiori efficacia indulgentiam conſequetur.

18. Quapropter hinc facile deducitur, omnes, & ſingulos, qui eleemoſynam in Bulla taxatam contribuunt, poſſe eiuſdem Bullæ indulgentias conſequi; tum quia huiuſmodi eleemoſyna (vt habetur ex dictis) ſufficiens cauſa tot indulgentiarum æſtimatur, maxime attenta oratione, & altarium viſitatione in eadem Bulla præſcriptis: tum quia, eſto reſpectu aliquorum non æſtimetur talis, poſſent ipſi augendo bonitatem, & circumſtantias operis iniuncti, tandem obtinere totius indulgentiæ effectus, vt habetur ex doctrina Suarez *vbi ſupra num.4.*

DVBIVM XI.

Quomodo intelligantur indulgentiæ conceſſæ militibus, & Clericis regularibus, aut ſæcularibus ad bellum, & aliæ etiam conceſſiones pro ieiunantibus & orantibus pro vnione Eccleſiæ contra infideles.

1. Conceditur in Bulla indulgentia eadem, de qua ſupra, mittentibus aliquem ad bellum eo modo, qui late ponitur in illa, vide *ibi*; circa quem notandum occurrit, quod ſi Capitulum, vel Monaſterium habeat perſonas decem, & pauciores viginti, ſecundum Rodr. §.3. debent perſonæ illæ vltra decem contribuere pro rata ad mittendum aliquem. Sed alij exiſtimant ſufficere, quod vnus tantum mittatur ab omnibus non attingentibus numerum vigeſimum; quod videtur rationi conformius; alioquin ſi tantum vnus mitteretur, nullus conſequeretur indulgentiam, quia non eſt maior ratio de his, quam de illis; ille etiam qui mittitur, ſi

fuerit pauper, indulgentiam conſequetur, vt patet ex ipſa Bulla. Conceditur deinde eadem indulgentia clericis ſæcularibus,qui de licentia ſuorum Superiorum verbum Dei prædicauerint, & alia eccleſiaſtica,& pia miniſteria exercuerint, quod eis in exercitu licere declaratur, abſque eo quod irregularitatē incurrant, & poſſint ſuis beneficiis per idoneum Vicarium inſeruire, dummodo curata non ſint, curamque habeant animarum; nam hi ſine licentia Summi Pontificis non poſſunt abeſſe,ſed tenentur reſidere in ſuis parochialibus beneficiis. Alia quæ circa milites notant Rodr. & Garnica *hic* clara ſunt,nec indigent expoſitione.

2. Præterea tandem erogantibus aliquid in ſubſidium, & orantibus pro vnione, & victoria contra infideles, ſimulque ieiunãtibus ieiunio aliquo voluntario;vel ſi ad ieiunandum legitime impediti fuerint,aliud piũ opus arbitrio Confeſſoris fecerint, toties, quoties id exercuerint, durante dicto anno Bullæ, quindecim anni, & totidem quadragenæ de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxãtur. Et inſuper omnium precum,eleemoſynarum, peregrinationũ,etiam Hieroſolymitanæ, & aliorum bonorũ operum, quæ in vniuerſali militante Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt,participes redduntur.

3. Circa quam conceſſionem notandum occurrit, eſſe opinionem plurium Doctorum aſſerentium orationem,quæ funditur pro tali vnione, & victoria, ſi alias erat fundenda pro illa, ex obligatione voti,vel præcepti Superioris,non ſufficere ad conſecutionem huius indulgentiæ; quia niſi oppoſitum exprimatur, ſemper intelligitur iniungi à Pontifice opus ſupererogationis, vt docent Cord. *de Indulgentiis, quæſt.*21. Rodr. §.7. *num.*12. *&* 13. fauet D. Bonau. *in* 4. *diſt.*20. *art.*2. *quæſt.*4. dicens Pontificem non ſolere indulgentias concedere pro opere obligatorio,ex qua doctrina perperam intulit Syluest. *verb. Indulgentia, quæſt.*6. *partic.*3. non poſſe indulgentias concedi, niſi pro opere ſupererogationis; vt enim opera obligatoria poſſunt à Confeſſore in ſatisfactionem iniungi iuxta receptam, & communem DD. opinionem in materia de ſatisfactione, ita etiam propter illa poteſt indulgentia concedi; imo ſi quis teneatur omnibus Sabbathis ieiunare, & concedatur indulgentia abſolute ieiunantibus in Sabbatho, poterit cõſequi indulgentiam per ieiunium Sabbathi obligatorium,eo quod non poteſt tunc præſtare ieiunium ſupererogationis,vt bene notauit Rodr. *vbi ſupra.*

4. Vnde etiam infero, eum qui omnibus diebus ieiunare tenetur, indulgentiam conſequi poſſe, alias eſſet deterioris conditionis,quam qui non ieiunat omnibus diebus. Imo etiam ſi offerat pro vnione, & victoria orationem, quam tenebatur facere, indulgentiam conſequetur. Ita Rodr. *ſupra dub.*3. qui etiam bene aduertit quamcunque orationem, quæ non ſit notabiliter modica, ſufficere pro hac indulgentia, & *num.*5. ait ſufficere intentionem virtualem, & implicitam offerendi orationem pro vnione, & victoria, licet non ſit formalis, & expreſſa. Illa autem oratio, quæ hic iniungitur, & in quam commutari poteſt ieiunium arbitrio Confeſſarij, non debet neceſſario eſſe vocalis, ſed ſufficit ſi ſit mentalis, teſte Nauar. §. *in Leuitico, notabil.* 22. Cord. *de Indulgentiis, quæſt.*21. Rodr. *vbi ſupra num.*5.

5. Quid autem ſit concedere tot annos, & quadragenas, iam ſupra late à nobis explicatum eſt. Quomodo vero intelligatur hæc commutatio, & participatio bonorum operum, quam hic

Digitized by Google

hic concedit Summus Pontifex, late à nobis explicabitur infra *dub. vltimo huius capitis*. Quare ſolum reſtat aduertere, ad conſecutionem indulgentię nullum eſſe impedimentum, fuiſſe negligentem in ſatisfaciendo per pœnitentias à Confeſſario impoſitas, vel à ſe ſuſceptas, vt recte notarunt Cord. *de Indulg. quaſt.* 50. Sotus cum Altiſiodorenſi *in* 4. *diſt.* 21. *quaſt.* 2. *art.* 3. Nau. §. *in Leuit. notab.* 22. *n.* 46. & Rodr. §. 2. *n.* 6.

Dvbivm XII.

An qui propter infirmitatem, aut aliam grauem neceſsitatem omittit aliquod opus ex præſcriptis à Pontifice, conſequatur indulgentiam in totum, vel ſaltem in partem.

1. PArtem affirmantem ſequuntur quidam recentiores cum Rodr. *in Bulla*, §. 2. *num.* 7. vbi ait, quod ſi quis feciſſet cætera requiſita ad lucrandum Iubilæum, & die Dominica propter aliquam infirmitatem non potuerit communicare, vt præcipiebat Iubilæus, lucratur nihilominus illum, refertque pro hac ſententia Angles *quaſt. de confeſſione, art.* 5. *diffic.* 4. *pagina* 277. *in vltima impreſſione*, refert etiam Pauinum *in extrauag. multarum de pœnit. & remiſ.* & Curiel. *de Iubilao*, *pag.* 90. *&* 91. & probari poteſt.

2. Primò, *ex lege cum heres*, §. *Stichus, ff. de ſtatu libertorum*, *& l. finalis*, *Codice de conditionibus inſertis*, vbi ſtatuitur ſeruum; cui libertas conceditur ſub conditione ſeruiendi certo, & determinato tempore, ſi caſu fortuito ſine culpa ſua ſuccedat impedimentum, ita vt tale obſequium exhibere non poſſit, maneat omnino liber. Ergo eadem ratione ſi ſine culpa pœnitentis ſuccedat impedimentum ad exequendum aliquod opus ex præſcriptis in Bulla, vel Iubilæo; lucrabitur nihilominus illum.

3. Secundò, quia voluntas pro facto reputatur in iis, quæ non poſſunt executioni mandari. Ergo ſi quis ſine culpa ſua impediatur facere aliquod opus ex requiſitis in conceſſione, reputabitur coram Deo feciſſe omnia, quæ ſufficiunt ad lucrandam indulgentiam.

Tertiò, quia alias etiam, qui ex impotẽtia omitteret, vel etiam ex obliuione aliquam partem parui momenti ex illis, quæ præſcribuntur in Bulla, vel Iubilæo, non lucraretur illum, quod tamen non videtur conforme menti Pontificis, de cuius intentione credendum eſt non velle tanto bono priuare illum, per quem non ſtetit exequi partem illam parui momenti.

4. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo, dicendum, quod qui ex infirmitate, vel quauis alia impotentia, etiam inculpabili, non exequitur aliquod opus ex præſcriptis in Bulla, aut Iubilæo, nec facit aliud loco illius per commutationem Confeſſarij, non ſolum non lucratur indulgentiam in totum, ſed neque in partem. Primam partem huius aſſertionis docent D. Thom. *in additionibus, quaſt.* 27. *art.* 3. D. Anton. *prima parte, tit.* 10. *cap.* 3. §. 4. Nau. §. *in Leu. notabil.* 17. Palud. 4. *diſt.* 20. *quaſt.* 4. *art.* 5. Richard. *art.* 3. *q.* 3. Sot. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 3. Sylu. *verb. Indulg. quaſt.* 7. *partic.* 4. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. Bellarm. etiam *dicto lib.* 1. *de Indulgen. c.* 13. *q.* 4. Suar. *dict. tom.* 4. *diſp.* 52. *ſect.* 5. *n.* 5. & alij ab eis ibi relati, & probatur.

5. Primò ex extrauaganti *vnigenitus, vers. Adiicientes*, vbi habetur, quod qui pro adipiſcenda ea Indulgentia iter ad eundum Romam arripuerint, & legitime impediti fuerint, vel morte præuenti, viſitationem ſtatutam facere

Digitized by Google

nequiuerint, eandem conſequi poſſe; ergo cum illud tanquam ſpeciale priuilegium in illo Iubilæo concedatur, manifeſte ſequitur, quod ſine ſpeciali indulto non lucrarentur illum, omittendo aliquod opus ex præſcriptis à Pontifice; & ideo in hac conceſſione Bullæ eximit Pontifex ab obligatione confeſſionis, & perſeuerantia in exercitu, eos, qui non poſſunt confiteri, vel in exercitu perſeuerare, quæ aliàs per ſe loquendo requirebantur ad indulgentiam Bullæ lucrandam.

6. Secundò, quia opera à Pontifice præſcripta, niſi aliud ipſe exprimat, ſunt conditio, ſub qua concedit indulgentiam: ergo qui non implet talem conditionem, non ſatisfacit requiſitis ad lucrandam indulgentiam, atque adeo non lucrabitur illam. Patet conſequentia, quia non exiſtente conditione, nemo conſequitur quod ſub tali conditione datur; liberalis enim donatio, ſi conditionalis ſit, non ſubſiſtit, niſi impleta conditione.

Tertiò, quia conceſſiones Bullæ, vt docent communiter DD. ſunt ſtricti iuris, quod præcipue verum eſt de indulgentiis, atque adeo non amplius valent, quam tenor earum ſonat; ſed verba Pontificis ſonant prius eſſe exequenda omnia illa, quæ ipſe exigit, quam percipiatur fructus indulgentiæ: ergo qui prius ea cùm effectu non impleuerit, non percipiet illum.

7. Secundam verò partem prædictæ aſſertionis docent D. Anton. Palud. & Henriq. *vbi ſupra.* Nauarr. §. *in Leuitico*, §. 19. per plures numeros. Cord. *de indulg. q.* 23. & Suar. *ibid.* & probant, quia Summus Pontifex non dicit quod facienti medietatem eius, quod præcipit, concedit medietatem indulgentiæ: ergo fruſtra id fingitur, cũ in huiuſmodi conceſſionibus ſtandũ ſit ſolum tenori illarum, nec amplius, nec aliter indulgentiæ valeant, quam ſonant. Vnde à Pontifice ſolet dari facultas, vt qui tale opus exercere non poteſt, in aliud æquiualens cõmutetur à Cõfeſſario, vt ſic vere dicatur feciſſe omnia requiſita ad lucrandam indulgentiam. Supereſt nunc ſoluere argumenta in contrarium adducta.

8. Ad primum, neganda eſt conſequentia, quia ibi Legiſlator id ſtatuit in fauorem libertatis, & per legem conſtat de eius libertate; in præſenti tamen non conſtat Pontificẽ concedere indulgentiam omittenti ex importantia aliquod opus ex iniunctis; imo oppoſitum conſtat, cum dicat, illam concedere facienti hæc, vel illa, per quod apertè excludit non facientes.

9. Ad ſecundum reſpondeo, voluntatem pro facto reputari coram Deo, & quantũ ad præmium eſſentiale, nõ vero coram hominibus, & ad præmium accidẽtale, cuiuſmodi eſt remiſſio pœnæ per indulgentiam conceſſa. Vnde Cord. inquit *lib. 5. de indulgentiis, q. 26. in fin.* quod ſi indulgentia, vel Iubilæus exigant dare eleemoſynam, & Dominus det illam famulo, vt diſtribuat in pauperes, at ille ſibi retineat, Dominus non lucrabitur indulgentiam, vel Iubilæum, quia non impletur cum effectu conditio, ſub qua concedebat Pontifex indulgentiã. Quod idẽ docet Henriq. *lib. 7. c.* 10. *fol.* 906. pro quo adducit D. Anton. & Nau. & Maior. *addit. in 4. diſt. 20. quæſt. 20. propoſitione* 5. quod ſi eſſet taxatum, vt quis lucraretur indulgentiam, vel Iubilæum, dans vnum argenteum Eccleſiæ, & quis ex ignorantia inuincibili conferret nummum falſum, non lucraretur illam propter rationem dictam, quod etiam docet Bonauent. Societ. IESV, *tract. de Iubilæo in 4. requiſito, dub.* 2.

10. Ad tertium reſpondeo, quod licet opus omiſſum ſit ſecundum ſe paruæ quantitatis, vt recitare ſemel ſalutationem Angelicam, eſt tamen magni momenti

menti,ſecundum quod induit rationem conditionis neceſſario requiſitæ ad lucrandum indulgentiam; atque adeo ſi illud omittat ex quacunque cauſa,ſecluſa commutatione Confeſſarij,dum ad id datur facultas à Pontifice,non lucratur illam: nec hoc eſt Pontificem priuare illum ex leui cauſa magno bono ſibi debito,cum indulgentia non ſit debita,ſed mera gratia Pontificis. Addo tamen, quod ſi id, quod omittitur, ſit paruiſſimæ quantitatis per comparationem ad reliqua opera executioni mandata, lucrabitur indulgentiam, quia id ſufficit, vt dicatur ille moraliter impleuiſſe conditionem à Pontifice requiſitam: vt ſi exigeret pro indulgentia recitare coronam,& qui omitteret vnam orationem Dominicam, vel Angelicam, vere lucraretur indulgentiam. Quia cum illa quantitas non ſit adæquata materia, & conditio indulgentiæ, & ex alia parte ſit paruiſſima in comparatione ad reliqua, non ponitur in numero inter neceſſario requiſita ad percipiendum fructum indulgentiæ, & moraliter intelligitur illa impleuiſſe.

Dvbivm XIII.

Qua ratione intelligatur indulgentia Bullæ conceſſa viſitantibus quinque Eccleſias,& an poſsit quis illam lucrari toties, quoties eas viſitauerit eodem die.

1. NOnnulli opinantur, quod vbi fuerint quinque Eccleſiæ, non ſatis eſſe viſitare quinque altaria. Sed oppoſitū verius exiſtimo, vt etiā cenſet Rodr.§.8.*n.*8.Nam Summariū vulgare, & Bulla latina diſiunctiuè dicunt quinque Eccleſias, vel quinque altaria, ac proinde alterutrum iſtorum ſufficiet.

2. Nomine autem altaris etiam comprehenditur oratorium ab Epiſcopo viſitatum,& deſignatū pro Miſſæ celebratione,vt ait Henriq.qui addit,Eccleſias, vel altaria ad conſecutionē indulgentiæ Bullæ,vel Iubilæi,nocturno tēpore viſitari poſſe,vt colligitur ex Iubilæo conceſſo anno 1555. & multis aliis,in quibus dicitur à primis veſperis alicuius feſti vſque ad occaſum eiuſdem feſti indulgentiam obtineri poſſe. Probatur etiam, quia cum abſolute dicitur tali die alicubi indulgentiam obtineri, intelligitur à primis veſperis vſque ad occaſum illius diei, teſte Quintiliano Mendoſio *tit.Indulgentia*, *fol.*69.

3. Ille autem, qui in aliqua Eccleſia habitat, à qua egredi non poteſt,vel ratione Religionis,vt in Moniali contingit; vel ratione periculi, vt in eo, qui propter debita, vel crimen aliquod,vel hoſtes,ad Eccleſiam confugit,poteſt ibi orando indulgentiam obtinere, viſitando quinque altaria, vel quinquies vnum, ſi Eccleſia quinque altaria non habuerit.Si tamen occurrat alicubi vnicam tantum Eccleſiam exiſtere,eámque ſolum tria altaria habere, ſufficiet viſitare duo bis, & vnum ſemel, vel vnum quinquies. Ita Nugn. *in* 3. *part. tom.*2. *tract.de Bulla*,§.10.

4. Non vero oportet moueri loco,aut exire ab Eccleſia,& eo reuerti,vt dicatur quinquies viſitari, ſed ſatis eſt, vt vno loco fixus preces fundat verſus quinque altaria; quare ſufficiet moueri corde ab vno in aliud altare,vt tenent grauiſſimi iuniores;& patet,quia ſi ex multitudine hominum non poſſet ab vno in aliud altare moueri perſonaliter, ſufficiet moueri corde,vt ait Rodr. *ſupra n.*12. cum quodam Magiſtro Valentino, nomine Ferruz.Ita etiam Villalob. *tr.*27.*clauſ.*8. *n.*6. Bonac.*de Sacram.diſp.*6.*q.*1.*punct.*5. *n.*25. Henriq.*lib.*7.*c.*10.*n.*1. Sà *verb.Indulg.n.*6.& alij:ergo etiā quando nullum eſt impedimentum, licèt ipſe neget,ſed male.Quia ſi vnum tantum eſſet altare,

non

Digitized by Google

non oporteret quinquies motu corporali illud viſitare;ſed ſatis eſſet quinquies verſus illud orare: ergo non requiritur per ſe loquendo in viſitatione altaris motus corporalis.

5. Si autem viſitaturus Eccleſiã aliquam non poſſet eam ingredi præ multitudine hominum, ſufficeret ex oſtio orare, vt tenent Cord. *lib. 5. de Indulg. q.21.* Roſella *tit. Indulg.* §.22. Villalob. *tract.25. diffic.24.n.7.& tract.27. clauſ.8. n.7.* Eman. Sà *n.11.9.* gloſſ *in Clem. vnica, de reliquiis,& veneratione ſanctorum*, tenet etiam Bonac. *vbi ſupra*, qui citat Suar. & Graffium,& alios.

6. Oratio autem non ſufficit mentalis, etiam ſi verba alicuius orationis mente,vel imaginatione interius proferantur, ſed debet eſſe externa,niſi forte in mutis. Quia Eccleſia Catholica eſt viſibilis, & ſenſibilis, atque adeo actus ab illa præcepti,vel iniuncti debent eſſe externi, vel ſenſibiles, niſi aliud exprimat Pontifex in ipſa indulgentia. Vnde in materia de ſatisfactione communiter dicunt Doctores, quod ſi alicui iniungeretur pœnitentia alicuius orationis, vt roſarij, non impleret illam, ſi ſolum mente eam recitaret, ſed oporteret ore illam proferre: ergo ſimiliter dicendum eſt in propoſito.

His ſuppoſitis, partem affirmantem propoſitæ quæſtionis ſequuntur Angel. *verb. Indulgentia*,§.4. Roſell.§.12. Curiel *de Iubilæo, fol.92.* Nauarr. §. *in Leuitico, notab.32. num.46.& 47.* Rodr. §.8.*n.15.* Innocen. & alij relati à Sylu. *vbi ſupra*, &

7. Probant primò,quia priuilegium Principis nõ redundans in præiudicium tertij latiſſime eſt interpretandum, & odia debent reſtringi,& fauores ampliari: ergo non eſt reſtringenda prædicta indulgentia ad ſemel tantum in die, maxime ſi Bulla dicat, toties, quoties id fecerint dicto biennio durante, &c. vt habetur in noſtra Bulla.

Secundò, probant, quia verba iuris, etiam in materia odioſa comprehendunt omnes caſus,ad quos cum proprietate ſe extendunt, vt conſtat *ex lege cum lege, iuncta gloſſa*, & ibi Aretinus *tom.3.* Decius *lege factum*, §. *in pœnalibus, ff. de regulis iuris*, Alciatus *in rubrica de verborum ſignificatione*: ergo à fortiori in materia fauorabili,qualis eſt hæc,& conſequenter cum recte poſſit intelligi toties,quoties, ſiquidem in Bulla nullum eſt verbum, quod huic intelligentiæ diſcordet, ita debet intelligi.

8. Partem vero negantem tuentur D.Thom. *in additionibus q.25. art.2. ad 4.* D. Anton. 1. *p. tit.10. c.3.*§.3. Palud. *in 4. diſt.20. q.4. art.7.* Sylu. *verb. Indulgent. q.8. dicto 3.* Cord. *de Indulgentiis, q.25.* Felin. *tractatu de indulgentiis*, & multi Iuriſperiti *in cap. finali, de pœnitent. & remiſſ. lib.6.* &

Primò probant, quia indulgentia perennis diſtinguitur à non perenni, quod illa valet toties quoties, cuiuſmodi eſt illa, quæ habetur Romæ in Eccleſia Diui Petri per decem dies, teſte Sylu. *vbi ſupra*, ſed indulgentia in Bulla conceſſa viſitantibus Eccleſias non eſt perennis: ergo,&c.

9. Secundò probant, quia in Bulla conceditur tanquã ſpecialiſſima facultas, vt qui duas acceperit, poſſit bis gaudere indulgentiis, & gratiis in ea conceſſis: ergo præſupponit tanquã certum Pontifex, quod nemo poteſt lucrari pluries tales indulgentias. Nec iuuat reſpõdere, ibi ſolum eſſe ſermonem de indulgentiis, & gratiis, quas Bullæ Summarium vulgare concedit ſemel in vita, & ſemel in morte, vt eſt eligere Confeſſorem pro reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, & ſimilia; hoc inquam non iuuat, quia in conceſſione indulgentiarũ ſtandum eſt tenori verborum, cum tantum valeant, quantum ſonant: ergo cum

Digitized by Google

cum ibi dicatur poſſe gaudere bis omnibus indulgentiis,& gratiis Bullæ,abſque fundamento ſit limitatio ad has gratias, & non ad illas.

10. Verum,his omnibus non obſtantibus, pro reſolutione reſpondeo, loquendum eſſe in præſenti cum diſtinctione;nam vel indulgentia conceditur ad tempus determinatum, vt viſitantibus tali die, vel tali hora,& tunc ſemel tantum poteſt quis illam lucrari,vt docent DD. præcitati pro parte negatiua contra Angel.& Roſel.*vbi ſupra.* idque ſufficienter probant rationes ibi adductæ.Vnde cum ſtationes Romæ ſignatæ in Bulla concedantur certis, & determinatis diebus, inde eſt, quod ſemel tantum poteſt quis illas lucrari, niſi aliud exprimat Pontifex. Quando vero indulgentia conceditur indeterminate, & quaſi perpetuo ſub hac forma, quicunque viſitauerit talem Eccleſiam, vel altare, conſequetur hanc, vel illam indulgentiam; tunc poteſt quis eam lucrari toties, quoties, vt docent DD. relati ſupra pro parte affirmatiua; & ſi amplius volunt, non ſunt audiendi, idque ſatis probat ipſa conſuetudo, quæ eſt optima legum, & conceſſionum humanarum interpres, & ſic conciliari poſſunt prædictæ opiniones. Hoc tamen vltimum debet intelligi, dummodo iteratio viſitationis non cedat in irriſionem, vt re vera cederet, ſi quis viſitaret eandem Eccleſiam continuo, egrediendo, & ingrediendo, quia non eſt veriſimile de prudentia Pontificis, illo modo reiteranti viſitationem multiplicare indulgentias. Ita communiter recentiores in expoſitione Bullæ, cum Henriquez infra citando.

DVBIVM XIV.

Vtrum in articulo mortis poſſit virtute Bullæ impēdi pœnitenti indulgentia ab alio, quam à Sacerdote.

1. PArtem affirmantem ſequuntur Nau.§.*in Leuitico, notabil.* 30.*num.* 9. & Henriq. *lib.* 7. *cap.* 9. *fol.* 418. *lit. T.* eſt tamen diuerſum vtriuſque fundamentum. Nam Nau. putat non opus eſſe ad lucrandam indulgentiam Bullæ, confeſſionem Sacramentalem in articulo mortis, ſed ſufficere in neceſſitate occurrente confiteri tunc laico, qui etiam poterit ei impendere indulgentiam virtute Bullæ. Henriq. autem fundatur in eo, quod quilibet tonſuratus poteſt abſente ſacerdote abſoluere pœnitentem in articulo mortis à quacunque excommunicatione. Ergo poterit tunc impendere ei indulgentiam Bullæ, cum abſolutio ab excommunicatione non minus ſit actus iuriſdictionis,quam conceſſio indulgentiarum. Antecedens vero probat ex D.Thom.*in* 4.*diſt.*20.D. Anton. 1.*p.tit.*10. *cap.*3. *&* 3.*p.tit.*17.*c.* 4. Sylu. *abſolutio* 10. *num.* 8. Armil. *eod. verbo*,§.29. Angel.*abſolutio* 3.§.17. Tabiena *abſolutio* 2.§.5.Margarita Confeſſorum *fol.*139. Palud. 4.*diſt.*17 *q.*3. *caſu* 7.Nau. *in additionib.* §.*in Leuitico de Indulgentiis*, *notabil.* 30. Vict. Manſio, Peña,& multis Iuriſperitis, qui omnes docent tonſuratum poſſe in articulo mortis abſoluere ab excommunicatione, abſente ſacerdote.

2. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, indulgentiam plenariam,quam in articulo mortis concedit Pontifex in Bulla, impendi non poſſe per laicum, vel tonſuratum, licet non adſit ſacerdos. Probatur primò, quia in Bulla habetur, quod ſemel in articulo mortis poſſit confeſſarius in-

dulgentiam plenariam impendere. Ergo qui non fuerit ſacerdos, non poterit id præſtare. Patet conſequentia, quia cum indulgétiæ ſint ſtricti iuris, vt latè probat Cord. *de Indulgentijs, q.9. propoſitione 4.& in reſponſione ad 3.* in propria ſua ſignificatione ſunt verba eius accipienda, & ſecundum ius; ſed nomine Confeſſarij propriè intelligitur ſacerdos habens facultatem confitendi à iure, vel ab homine. Ergo cum huic duntaxat concedat Pontifex in Bulla facultatem impendendi indulgentiam, nullus alius præter ſacerdotem, id poterit præſtare.

3. Secundò probatur contra Nauar. nam ipſe *cap.26.& c.27.n.271.& de pœnitentia diſt.6.c.1.in principio, n.83.* tenet ſolum ſacerdotem in articulo mortis poſſe abſoluere ab excommunicatione, contra Gloſſ. Panorm. & Felin. *cap. à nobis, el ſegundo, de ſententia excommunicationis*, & contra Decium *cap. 2. de iudicijs, num. 23.* Ledeſm. *2. part. 4. quæſt. 26. art.1.* & alios ſupra relatos in principio huius dubij. Ergo ſi conſequenter loqueretur, etiam deberet tenere Nauar. ſolum ſacerdotem in articulo mortis impendere poſſe indulgentiam, quamquam à Confeſſario concedendam dicit Pontifex.

4. Tertiò probatur contra Henriq. *vbi ſupra*, quia licet verum ſit quod laicus in articulo mortis poſſit abſente ſacerdote abſoluere pœnitentem ab excommunicatione; inde tamen male infert, quod etiam poſſit impendere prædictam indulgentiam, cum ad hoc ſecundum exigat Pontifex certam conditionem, vt ſolum concedatur à Confeſſario, cuius nomine nulla ratione venit intelligendus, non ſacerdos. Ad primum vero, ſcilicet ad abſoluendum ab excommunicatione, non petit Pontifex ſecundum ius commune talem conditionem; atque adeo intelligendum eſt non velle reſtringere tale ius commune in Bulla, cum in ea potius agatur de priuilegiis, quam de reſtrictione iuris communis fauorabilis.

5. Sed obiicies, ergo in illo caſu diſcedet pœnitens ſine tali indulgentia. Reſpóderi poſſet ita eſſe; ſed melius dicitur, quod conſequitur illam authoritate Papæ, quia ad hunc effectum non habet copiam Confeſſarij: quando autem non eſt talis copia, Pontifex non vult illlum priuare indulgentia, vt patet ex aliis conceſſionibus eiuſdem Bullæ.

6. Si autem inquiras, an extra confeſſionem poſſit à Confeſſario impendi prædicta iudulgentia, Cord. reſpódet negatiue: ſed oppoſitum eſt verius; nam ſicut virtute Bullæ poteſt extra confeſſionem commutare vota, & abſoluere à cenſuris, vt ſupra oſtendimus, ita & impendere indulgentiam; erit tamen neceſſarium, vt talis confeſſus fuerit alteri, vel propoſitum confitendi habeat.

Dvbivm Vltimvm.

Qua ratione intelligatur facultas Bullæ concedentis communicationem bonorum operum totius militantis Eccleſiæ.

1. De hac difficultate parum, vel nihil inuenio apud Doctores, quia licet Cordub. infra citandus, & multi Doctores ab eo relati, latiſſime probant eſſe in Eccleſia communionem ſanctorum; in quo tamen illa formaliter conſiſtat, exactè non explicant; & in quo etiam illa differat à communicatione, quam hic Pontifex concedit in Bulla, quídve ſupra illam addat, omnino prætereunt; ex quo in præſenti potiſſima ratio dubitandi

tandi

tandi deſumitur, quia ſecluſa hac facultate Bullæ, per hoc quod homo ſit in gratia, eſt particeps bonorum operum omnium iuſtorum, vt cõmunis Patrum docet, teſte Caniſio in explicatione illius articuli. Ergo per hanc conceſſionẽ nihil concedit Pontifex, quod abſque illa non haberet accipiens Bullam.

2. Vt huic difficultati ſatisfaciam, præmittere oportet, qua ratione intelligenda ſit mutua ſanctorum communio, quam ſancta confitetur Eccleſia: hinc enim valde dependet germana intelligentia prædictæ participationis bonorum operum, quam ſpecialiter concedit Summus Pontifex in Bulla.

3. Primò igitur dici poteſt, nomine cõmunionis, de qua in Symbolo, ſolum intelligi communicationem, actualem quidem in vno capite Chriſto Domino, & in vno baptiſmate, & aliis ſacramentis, in eadem doctrina, & aliis myſteriis, quibus ad inuicem ſe iuuant membra Eccleſiæ; potentialem vero, quoad ſatisfactionem, & alia bona, quatenus iuſti poſſunt ſibi inuicem applicare proprias ſatisfactiones, etiam ſibi neceſſarias; in quo valde diſcriminantur ab iniuſtis, quos conſtat inter ſe eſſe omnino incapaces talis applicationis, dum in peccato perſeuerant. Sed contra eſt, quod ait Regius vates *pſal.* 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, &c.* vbi aperte indicat per hãc communicationem importari actualẽ participationem bonorũ ſpiritualium inter iuſtos. Quem locum explicans D. Ambr. vt refert Pius V. in Catechiſmo ad parochos, ait; ſicut membrum particeps eſſe dicimus totius corporis, ſic coniunctum omnibus timentibus Deum; quam ſimilitudinem deſumpſit ex D. Paulo *ad Romanos* 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Ergo ſicut in membris viuis eiuſdem corporis naturalis eſt actualis virtutis communicatio, ita in membris vnius corporis myſtici; quod eleganter proſequitur D. Auguſt. *tract.* 32. *in Euangelium Ioannis*, dicens; *Oculus ſolus videt in corpore, ſed nunquid ſibi ſoli oculus videt? & manui videt, & pedi videt*; ita etiam explicat D. Thom. *opuſculo* 5. Eſt igitur concedenda inter iuſtos aliqua alia communicatio potentialis, præter communicationem in vno capite, in vno baptiſmo; & aliis ſacramentis; & hæc erit quoad ſatisfactionem, vel aliquo alio modo.

4. Secundò, poſſet dici in communione ſanctorum ratione charitatis includi actualem communicationem ſatisfactionis, ita vt ex quocunque opere iuſti omnes, & ſinguli alij iuſtificationẽ indigentes recipiãt partem aliquam ſatisfactionis. Et ſi obiicias, ſatisfactionẽ correſpondentem cuicũque operi meritorio eſſe finitam, & aliquando paruiſſimam, atque adeo non poſſe in tot Eccleſiæ iuſtos diſtribui. Reſpondeo, quod licet ſatisfactio illa ſit finita, habet tamen partes infinitas, non tot, quin plures, ad eum modum, quo ſecundum receptiſſimam philoſophorum ſententiam cum Ariſt. 6. Phyſic. in minima atomo ſunt infinitæ partes continui, ita vt facta quacunque illius diuiſione adhuc reſtat alia, & alia efficienda in infinitum.

5. Et ſi iterum obiicias contra prædictum modum dicendi, quod talis diſtributio cederet in iniuriam ipſius operantis, cum opus eſſet multum de eius ſatisfactione adimere, vt reliqui eam participarent. Reſpondeo, nullam in hoc ei iniuriam inferri, cum id quod de eius ſatisfactione adimitur, incompatabiliter compenſetur per fere innumeras alias ſatisfactiones, quas ipſe participat ex ſimilibus operibus aliorum iuſtorum.

Digitized by Google

6. Sed nec modus iſte dicendi ſatisfacit, tum quia ſatisfactio vnius viui, maxime ſi illa indiget, non prodeſt alteri, niſi ipſe, vel eius Prælatus applicet eam alteri: ergo ſi operans non applicet omnibus Eccleſiæ iuſtis ſuam ſatisfactionem, nõ proderit illis. Ergo amplius requiritur, quam eſſe in charitate ad participandam ſatisfactionem correſpondentem operibus aliorum iuſtorũ; tum quia alias nullus daretur iuſtus in Eccleſia, qui non eſſet immunis ab omni pœna, cum quotidie tot ſatisfactiones ei applicentur, quot fiunt opera ſatisfactoria, quorum omnium quotam quantam ipſe accipit, iuxta prædictam ſententiam; tum quia ſic opera ſatisfactoria B. Virginis, Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum nunquam fuiſſent in theſauro Eccleſiæ recondita, cum ſtatim diſtribuerẽtur ratione prædictæ cõmunionis in reliqua Eccleſiæ membra.

7. Tertiò tandem, & verius dici poſſet, per cõmunionem Sanctorum, quam Catholica confitetur Eccleſia, intelligi non ſolum actualem communicationem ſacramentorum, & influxuum, qui à Chriſto Domino Eccleſiæ capite in eius membra deriuantur, & mutuã ipſorum membrorum admininiſtrationẽ, ſed etiam actualem quandam bonorũ participationem; ita vt quicunque iuſtus per ſua opera, alias meritoria de condigno, & ex iuſtitia vitæ æternæ, mereatur etiam de congruo ſpiritualem aliorum iuſtorũ profectum; quod genus meriti, quia nullo ſpeciali Dei pacto fundatur, ſolum diuina liberalitate nititur; dicitur autem meritum de congruo, quatenus condecens eſt, diuinæque largitati conſonum, vt attendendo ad bona opera iuſtorum, eorum fratribus benefaciat, qui fraterna charitate illis coniuncti ſunt.

8. Et ſi quiſpiam obiiciat, quod etiam iniuſti poſſunt gaudere ſimili communicatione, cum etiam opera bona iuſtorum ſint impetratoria conuerſionis peccatorum, iuxta illud Aug. (ſi credimus Cordubæ 5. *de Indulgentiis, quaſt.* 42.) *niſi Stephanus oraſſet, forte Paulus ſaluatus non eſſet*, & illud *Geneſis* 17. vbi propter merita Abrahæ, Deus liberauit Loth. & tandem propter iuſtos parcit iniuſtis, vt docet D. Thom. *in additionibus*, q. 27, *art.* 1. & Doctores *in* 4. *diſt.* 27. & 36. & latius Palud. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 2. & alij, quos refert, & ſequitur Cord. *vbi ſupra.* Reſpondeo opus meritorium iuſti non habere vim impetrãdi peccatori cõuerſionẽ, aut quidpiã aliud, niſi ipſo applicante, & ordinante ipſum opus ad id impetrandũ; habet tamẽ vim meritoriã de congruo in ordine ad profectum ſpiritualem iuſtorũ ſine ſpeciali applicatione operãtis; ſicut ſine ſpeciali aliqua applicatione habet eſſe ſibi meritorium ex iuſtitia augmenti gratiæ, & gloriæ. Verum tamen eſt, quod, vt eleganter proſequitur Vualdenſis contra Vvicleph. *de ſacramentalibus, tit.* 11. *c.* 5. ſi iuſtus ſpecialiter intendat per ſuum opus impetrare, aut mereri de congruo profectum ſpiritualem alicuius particularis, proderit magis ei illud opus, quam aliis, ad quos tale opus non fuit in ſpeciali directum, ſed in communi, ratione charitatis. Dicimus ergo, quod ſicut mercatores ad lucranda temporalia habent inter ſe ſocietatem, & ratione talis ſocietatis cõmunicant in bonis temporalibus; ita iuſti cõmunicant in ſpiritualibus, eo quod ratione charitatis ſocietatem habent inter ſe, iuxta illud *Ioannis* 1. *Vt vos ſocietatẽ habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & filio eius Ieſu Chriſto*; ex qua ſocietate oritur, vt recte dixit D. Thom. *vbi ſupra*, quod operatio vnius membri cedat in bonum totius corporis; quod aperte indicant optima verba D. Pauli *ad Philip.* 4. *Veritatem autem facientes, in charitate creſcamus*

mus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, in quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam vnius cuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate, &c. Hæc D. Paul. quibus ſatis noſtram adſtruit ſententiam, ſi vltima eius verba attente perpendantur: nam quid quæſo aptius intelligi poteſt per prædictũ augmentũ, quam profectus ſpiritualis iuſtorũ? Vnde Pius V. *in Catec. ad Parochos, fol.* 108. ait; *Membra vero mortua, nimirũ homines ſceleribus obſtricti, & à Dei gratia abalienati, hoc bono non priuantur, vt huius corporis membra eſſe deſinant, ſed cum ſint mortua, fructum ſpirituale͂, qui ad bonos & iuſtos homines peruenit, non percipiunt*. Hæc ibi.

9. His igitur ſic prælibatis, haud difficile erit gradum facere ad interpretandam prædictam conceſſionem Bullæ circa participatione͂ bonorũ operum. Pro quo præmittere oportet, prædictam conceſſione͂ non eſſe indulgentiam; tum quia indulgentiæ fiunt de cõmuni theſauro Eccleſiæ, qui eſt cumulus ſatisfactionũ Chriſti, & Sanctorum in acceptatione diuina repoſitus; hæc vero cõceſſio non eſt niſi de ſatisfactionibus viuorũ, ſeu beatorũ, quæ ad prædictum theſaurum nunquã deuenerunt; tum quia, vt doctiſſime proſequitur Cord. *de Indulg. q.* 3. indulgentia præter diſpenſatione͂ theſauri Eccleſiæ importat remiſſionem pœnæ, vt cõſtat *ex cap. quod aute͂ extra, de pœnitentiis, & remiſ. ex cap. cum ex eo, eod. tit. lib. 6. & in extrauag. Antiquorũ, eode͂ etiam tit.* Hæc aute͂ conceſſio participationis bonorum operum non importat huiuſmodi remiſſionem pœnæ. Tum tandem, quia in cõceſſione indulgentiæ exercetur clauis, ſecus vero quando quis admittitur ad participationem bonorum.

10. Præmitto rurſus, quod in opere meritorio cuiuſcunque iuſti inuenitur meritum augmenti gratiæ, & gloriæ, quod nulli alteri poteſt communicari; inuenitur etiam impetratio alicuius boni, quod alij vocant meritum de congruo, & tandem ſatisfactio pro pœna, quæ duo vltima applicari, & prodeſſe poſſunt alteri; id tamen habet ſpeciale ſatisfactio, quod debet fieri per applicationem operantis, vel ſui ſuperioris, antequam opus fiat, non vero poſtea; ſicut contingere poteſt in impetratione; nam poſtquam opus bonum factum eſt, ſi nulli ſpecialiter fuerit applicatum ab operante, vel ſuperiori in ordine ad ſatisfaciendum, cedit in bonum operantis, ſi indiget, iuxta illud *Matth.* 10. *Pax veſtra ad vos reuertetur.* & illud *pſal.* 34. *Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Si vero illo non eget, reponitur in theſauro, ſeu ærario publico Eccleſiæ, diſtribuendum per indulgentias à Pontifice, & aliis, qui poſſunt indulgentias concedere; quia quæ habentur pro derelictis pertinent ad ærarium, ſeu bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ, & Chriſtus Dominus, qui à Paulo vocatur *ad Hebræos* 1. *hæres vniuerſorum*, ſuccedit in ea bona incerta, & pia, ac ſi eſſet hæres ab inteſtato, & huius ſpiritualis theſauri ærarij claues commiſit Petro, & eius ſucceſſoribus pro indulgentiis concedendis.

11. His igitur præiactis fundame͂tis, quidã recentiores reſpondent, Summũ Pontifice͂ in Bulla cõcedere prædictam facultate͂ habere nouo titulo participatione͂ bonorum operũ, quam alias iuſti ex vnione charitatis habe͂t; ſed hoc nulla ratione admitte͂dum eſt, alias prædicta facultas eſſet de ſolo titulo, nõ de re, nihilque operaretur præter ius commune, quod eſt contra rationem priuilegij, vt omnes Iuriſperiti fatentur; nam cum priuilegium ſit priuata lex, ſeu priuans legem, aliquem ſpecialem effectum ſortiri debet, vltra ius commune.

12. Alij vero dicunt triplicem eſſe

Digitized by Google

communicationem fidelium. Primam genericam ratione charitatis. Secundam ratione indulgentiarum, per quas communicantur iuſtis ſatisfactiones Chriſti Domini & Sanctorum. Tertiam magis ſpecialẽ, quando vnus applicat ſua opera alteri ex intentione particulari, vel etiam Prælatus, & maxime Papa, quia in huiuſmodi applicatione ſatisfactionis, datur inter Prælatũ, & ſubditum locus præuentioni. Dicũnt igitur per prædictã conceſſionem Bullæ non applicari bona opera fideliũ ſumenti Bullã primo modo; nã ſine noua applicatione reperitur talis cõmunicatio inter mẽbra viua Eccleſiæ; nec etiã ſecundo modo; quia indulgentiæ non conceduntur, vt ſupra diximus, de operibus viuentiũ, ſeu viatorum; ſed fit tertio modo per hoc, quod Papa ſpeciali intentione applicat opera bona fideliũ, quantum ad vim impetratiuam, & meritoriam de cõgruo, in quo nullum fit fidelibus præiudicium; imo conditio ſic applicantium melior fit ex tali meliori applicatione: nec opus operantis ex hoc minuitur, ſicut minueretur quantum ad vim ſatisfactiuam ex multiplicatione participantium.

13. Sed nõ placet hæc expoſitio, quia opera iuſtorum, etiam vt impetratoria, proſunt ratione mutuæ charitatis aliis iuſtis, cum (vt ſupra diximus) de congruo mereantur profectum ſpiritualem aliorum, quibus ſpirituali charitatis cognatione coniuncti ſunt: ergo aliquid amplius, quam hoc, importat communicatio bonorum, quam hic concedit Pontifex, alias nihil adderet hæc communicatio ſupra illam, quam ex vi charitatis habent omnes iuſti, & ſic nullum eſſet priuilegium, vt ſupra deduximus.

14. Quare dicendum eſſe reor, per hanc conceſſionem Bullæ communicari ſumenti illam, dummodo ſit in gratia, omne illud quod aliis iuſtis ſupereſt de ſuis ſatisfactionibus; itaque fructus ſatisfactionum, qui ſuperabundant iuſtis, & reponendi erãt in theſauro Eccleſiæ, applicat Sum. Pontifex ſumenti Bullam, ita vt inter ſumentes Bullam per varias partes ſecundum maius, & minus diſtribuantur, ſecundum quod vnuſquiſque, maius, vel minus iuuerit in ordine ad finem Bullæ, ſcilicet ſubſidiũ belli, contra infideles; quod ita eſſe, partim cõſtat ex illis, quibus reliquas expoſitiones reiecimus, & à ſufficienti partium enumeratione nulla reſtat eligenda, niſi hæc; partim, quod ſi hoc modo non intelligatur, nihil ſane addet hæc ſpecialis cõmunicatio, quã in Bulla concedit Summus Pontifex ſupra eam, quam iuſti habent ex mutua charitatis vnione, vt ſupra dicebam; partim etiam colligitur ex verbis D. Pauli *ad Corint*. 8. vbi ait; *Non enim vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate in præſenti tempore veſtra abundantia illorũ inopiam ſuppleat, & vt illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Ecce D. Paulus admonet, vt quod ſupereſt vni, alteri applicetur. Hoc igitur idem facit Põtifex in ſpiritualibus, applicãdo aliis ſatisfactionem ſuperabundantẽ alterius, vt illius abundantia alterius inopiam ſuppleat, & vt ſeruetur in corpore myſtico, id quod in naturali, in quo videmus vnum membrum quod ſuperfluum eſt ſibi de alimento, alteri communicare.

15. Ad gaudendum autem huiuſmodi conceſſione non ſufficit habere Bullam, vt bene notauit Rodr. §. 7. *num*. 9. *fol*. 52. ſed opus eſt, vt prius preces effundat pro victoria contra infideles, & quod ieiunet ieiunio voluntario, hoc eſt aliàs non obligatorio, vel ſi ieiunare non poſſit, aliquod aliud opus pium faciat ad arbitrium Confeſſoris.

16. Et hac etiam ratione intelligendam, & interpretandam eſſe cenſeo communicationem religionum, quando

earum

Digitized by Google

earum Prælati admittunt aliquos ad participationem bonorum operum ſuorum regularium; non enim intelligendum eſt, vt quidam exiſtimarunt, Prælatum ex quolibet opere ſatisfactorio fratrum quotam quandam adimere, & illam aliis applicare, quos ad participationem bonorum admittunt, hoc enim ſæpe cederet in iniuriã, & præiudicium fratrum, cum multi indigerent ea parte ſatisfactionis, quæ ſibi adimitur, quod quidem nulla ratione credendum eſt velle Prælatos; imo vt multi DD. dicunt, id non poſſent facere abſque eorũ conſenſu, (de quo modo nihil determino.) Debet ergo intelligi, quod conceditur ibi cõmunicatio ſatisfactionũ, quæ ſuperſunt fratribus, & ad participationem illorũ recipiunt Prælati ſuos benefactores, ad quod præbent illis litteras Confraternitatis, quæ Hiſpane dicuntur, *Cartas de hermandad*; quas licèt Vvicleph. cõdemnauerit, ab eius tamen calumniis liberat euidentiſſime Vvaldenſis *de ſacramentalibus*, *tit.* 10. *cap.* 94. probans apertiſſime ſimiles litteras dediſſe D. Paul. vt conſtat ex Epiſt. ad Hebræos *cap.* 1. & aliis multis ab eo ibidem relatis. Id tamen circa prædictas litteras aduertere oportet, quod cum in illis dicitur dari, quia ſunt benefactores, ſi re vera non ſint, nihil poſſunt; quia deficit cauſa, propter quam dantur: ſi vero ſint parum benefactores, proderunt illis pro rata ſecundum menſurã beneficentiæ.

17. Verum tamen eſt quod, vt notauit Cord. *vbi ſupra*, & docet Rodriquez §. 7. *in fin.* rectè poteſt Prælatus ſine aliqua cauſa, ſed ſolum charitate, aut ſpeciali amicitia motus, dare prædictas litteras, & tunc proderunt cui dantur, licèt non ſit benefactor; proderunt (inquã) tam vt ſatisfactoriæ ſunt, quàm vt impetratoriæ, & meritoriæ de congruo; quod notanter addo, quia exiſtimo huiuſmodi litteras non ſolum prodeſſe iuſtis, ſed etiam iniuſtis, vt iuſtitiam conſequantur, & citius iuſtificentur; quod etiam poteſt dici de accipientibus Bullam, dum ſunt in peccato mortali, & ſic prodeſt illis, ſiue ſint in gratia, ſiue abſque illa, licèt diuerſimode iuxta ſupradicta.

CAPVT IX.

De facultatibus, quæ Commiſſario Bullæ conceduntur.

DVBIVM I.

An per Bullam ſuſpendantur indulgentiæ, & facultates aliæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis conceſſæ.

1. PRo explicatione huius difficultatis, quæ grauis eſt; Suppono primò, hic non agi de ſuſpẽſione indulgentiarum, quas Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi concedunt. Solum enim ex vi Cruciatæ conceditur Commiſſario facultas ſuſpendendi indulgentias, & gratias conceſſas à Pontificibus, ſeu ab aliis ex delegata Sedis Apoſtolicæ facultate; Epiſcopi autem non ex delegatione, ſed authoritate ordinaria, & iure diuino poſſunt indulgentias concedere, vt docent communiter DD. cum D. Thoma 4. *diſt.* 20. & latè Cord. *de Indulg. q.* 10. Nau. §. *in Leuit. not.* 31. *n.* 1. *& ſeqq.* Verum eſt tamen quod Epiſcopi habent prædictam facultatem dependenter à Papa, & non poſſunt eas concedere vltra taxationem illius. Vnde de facto eorum poteſtas limitata eſt in iure, vt conſtat ex *cap. noſtro*, *& cap. cum ex eo*, *de pœnit. & remiſſ.*

2. Suppo-

Digitized by Google

2. Suppono ſecundò ex Felino *in cap.nonnullis,de reſcript.* & Bart.*in extrauag.ad reprimendum,verb.non obſtantibus*, quod etiã ſi aliquæ litteræ Apoſtolicæ habeant clauſulas generales reuocatorias aliorum priuilegiorum, non tamen derogãt omnibus priuilegiis in particulari,ſed illis duntaxat,quæ dictarum litterarum Apoſtolicarum executionem impediunt. V.g.ſi quis priuilegium obtineat adeundi Hieroſolymam,& D.Iacobum in Compoſtella pro ſua deuotione, poſtea autem prohibitio fiat, ne quis Hieroſolymam accedat;cum clauſula generaliter reuocatoria quorumcunque priuilegiorum, poteritne huiuſmodi perſona D. Iacobum in Compoſtella adire? Vtique, quia, etſi reuocentur omnia,& quæcunque priuilegia; id tamen intelligitur ſolum de iis priuilegiis,virtute quorum conceditur acceſſus ad Vrbem ſanctam.Eodem modo eſto Bulla Cruciatæ habeat clauſulam ſuſpẽſoriam generalem aliorum priuilegiorum,dicta tamen clauſula non ſuſpendit omnia priuilegia in particulari, ſed illa duntaxat,quæ eiuſdem Cruciatæ impediunt executionem, cuiuſmodi ſunt priuilegia aſſiſtendi diuinorum celebrationi tempore interdicti, eligendi Confeſſorem, lucrandi indulgentias, edendi lacticinia,&c. Secus de iis, quæ circa alias materias verſantur, & conſequenter ſunt omnino diſſimilia priuilegiis in Bulla contentis.

3. Suppono tertiò, nihil prædictis obſtare, quod in Bulla ſuſpendãtur priuilegia ſimilia, & diſſimilia iis, quæ in eadem Bulla conceduntur, id (inquam) nil obſtat: intelligitur namque de diſſimilibus,non omnino,ſed duntaxat quo ad modum. V.g. Priores ordinis Prædicatorum gaudent priuilegio admittendi in ſuis Conuentibus ad ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti certum numerum perſonarũ,ſed abſque pompa, vel ſolennitate;idem priuilegium concedit Bulla omnibus illam ſumentibus, cum ſolennitate tamen competẽti,& in hoc conſiſtit vtriuſque priuilegij diſſimilitudo. Priuilegia igitur, vel ſimilia in ſpecie,vel etiam quoad modum,diſſimilia iis,quæ in Bulla continentur,poſſunt per generalẽ Cruciatæ Commiſſarium ſuſpendi;non autem quæ omnino ſunt diſſimilia, & nullatenus in Bulla conceduntur; id namque eſſet abſurdum,vt recte tradit Rodr. *in expoſ.Bullæ,§.2. num.1. fine.*

4. His ſic præmiſſis,circa præſentem difficultatem,quoad indulgẽtias Acoſta *in Bullæ expoſitione,q.*108.cenſet Regulares,etiam Mendicantes, non poſſe abſque Bulla frui indulgentiis, ipſis aliàs per Sedem Apoſtolicam conceſſis; exiſtimat enim omnes per Bullæ promulgationem ſuſpendi.Ducitur primò,quia Summus Pontifex dum in clauſula reuocatoria, ſeu ſuſpenſoria priuilegiorum excipit facultates Mendicantium, non videtur intelligere indulgentias prædictas. Indulgentiæ namque in iure (ait ille) non comprehenduntur ſub nomine facultatum,vt patet ex cap.extrau. Sixti IV. *de pœnit. & remiſſ.* & ex noua extrauag.Gregorij XIII. vbi dicti Romani Põtifices ad celebritatem Iubilæi anni ſancti varias facultates prius ſuſpenderant, & poſtea indulgentias ipſas ſpecialiter ſuſpendunt, tanquam res à facultatibus diſtinctas.

5. Secundò, quia poſtquam Pontifex in hac Bulla ſuſpendit indulgentias omnes,ac facultates,poſtea excipit non quidem indulgentias, ſed nominatim facultates Superioribus Mendicantium conceſſas.

Tertiò, quia Clem. VIII. ſpeciali ſuo Breui ſub dat. die 28. Auguſti anno 1591. commiſit Alberto Cardinali Archiduci Auſtriæ,vt ipſe in Luſitaniæ Regno definiret quantitatem eleemo-

ſynæ

Digitized by Google

ſynæ à Mendicantibus erogandæ pro indulgentiis Cruciatæ lucrandis. Vnde videtur ſupponere Mendicantium indulgētias eſſe ſuſpenſas. Cum enim indulgentiæ Mendicantium ampliſſimæ ſint, non indigebant ſuſceptione dictæ Bullæ ad eiuſdem indulgentias lucrandas, quippe virtute ſuorum indultorum æquales indulgentias habuiſſent.

6. Nihilominus, abſolute tenendum eſt, nec indulgentias, nec alia quæcunque priiulegia conceſſa, vel Prælatis Mendicantium pro ſibi ſubditis, vel Religioſis huiuſmodi pro ſe ipſis ſuſpendi vllatenus in Bulla. Ita communiter DD. Rod. §. 12. *num.* 4. Villalob. *ſumm. tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 12. *num.* 10. Ioan. à Cruce *epit. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. *concl.* 2. & Nugn. 3. *p. tom.* 2. *tract. de Bulla*, §. 14. Vnde non poſſum non mirari virum alias eruditum, adeo fuiſſe in hac parte allucinatum, vt abſque vllo valido fundamento diſceſſerit ipſe ſolus à ſententia, quam tot viri doctiſſimi cēſent indubitatam.

7. Prior igitur noſtræ concluſionis pars conſtat euidenter ex verbis ipſius Bullæ, qua expreſſe dicta priuilegia excipiuntur à generali priuilegiorum ſuſpenſione.

8. Poſterior autem conſtat ex declaratione, ac conceſſione Pontificia Leonis X. ad inſtantiam Superiorum ordinis Minorum de obſeruantia, quæ eſt huiuſmodi. *Dignetur S. V. concedere, & declarare, quod virtute Bullarum Cruciatæ contra infideles, vel aliarum indulgentiarum generalium, quaſcunque reuocationes, aut ſuſpenſiones priuilegiorum ordinum, etiam Mendicantium continentium, nunquam intelligantur reuocata, neque ſuſpenſa indulta, priuilegia, & gratiæ conceſſa, quoad perſonas fratrum Minorum de obſeruantia, & quoad ſuſpendendum interdictum in feſtiuitatibus Sanctorum ſui ordinis, niſi de his ſpecifice, & nominatim facerent mentionem.* & dixit Pontifex, *fiat.* Huius autem indulti, & aliorum reddit teſtimoniū fide dignum Laurentius Cardinalis quatuor Coronatorū, vt habetur ex Supplem. ordinis 1. *part. fol.* 60. *conceſſione* 177. & gaudent eodem indulto omnes Regulares communicationē priuilegiorum habentes.

9. Inſuper vtraque concluſionis pars probatur ex ſupradictis, quia ſicut in Bulla non conceduntur niſi priuilegia perſonalia vt habetur *ex* 2. *notando dubij ſequentis*, ita nec ſuſpenduntur niſi eadem, id eſt ſingularibus perſonis immediate conceſſa. Neque obſtat, ſi dicas in Bulla expreſſe ſuſpendi facultates, & gratias Monaſteriis, ac locis piis conceſſas; hæc autem potius videntur dicenda priuilegia realia. Reſpondetur tamen, facultates Monaſteriis, & aliis locis piis conceſſas in Bulla, ſuſpendi non abſolute, ſed quatenus concernunt ſingulares perſonas, quæ huiuſmodi facultatibus gaudere poſſunt, & conſequenter non immerito priuilegia perſonalia reputantur. Ita Rodr. *ibid. notab.* 3.

10. Quapropter ad primam probationem, negatur aſſumptum, falſo enim præcitatus Author ex extrau. Sixti IV. & Gregorij XIII. colligit indulgentias non comprehendi ſub nomine facultatum, quamuis enim facultas plura comprehēdat, quam indulgentiæ; at ſub nomine facultatis comprehenditur etiam indulgentia, vt ſatis manifeſte inſinuat Nauar. *in comment. de Iubilæo, notabili* 33. quem tamen Acoſta in ſui fauorem allegat, ſed iniuſte. Hinc multi Salmanticenſes doctiſſimi per P. Ioan. à Cruce *epit. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *concluſ.* 3. relati aſſeruere, quod quando Bulla poſt ſuſpenſionem omnium indulgētiarum, gratiarum, & facultatum, excipit conceſſa Superioribus Mendicantium, quoad ſuos Religioſos, exceptio iſta intelligitur reſpectu indulgentiarum duntaxat, & videtur deduci ex contextu, dum dicitur quoad ſibi ſubditos, id enim de

Digitized by Google

indulgentiis potius verificari debet, nempe de indulgentia plenaria conceſſa viſitantibus Eccleſias noſtri ordinis in præcipuis eiuſdem feſtiuitatibus, quæ quoad ſæculares ſuſpenditur, non tamen quoad Religioſos.

11. Ad ſecundum reſpondetur, præcitata exceptionis verba, nimirum, *exceptis tamen conceſſis ordinũ Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantum*, extendenda fore ad omnia præcedentia, de quorum numero ſunt indulgentiæ. Et quamuis iuxta tenorem Summatij latini, dicta reſponſio ſatis probabilis videatur; quia tamen in Bulla originali ſic habetur, *In hac autem derogatione noſtra nolumus comprehendi ſimiles, vel diſſimiles facultates conceſſas Mendicantium ordinum huiuſmodi Superioribus, quoad ſuorum ordinum fratres, nec per illam aliquod ipſis praiudicium afferre, quinimo illa omnino quo ad ſuorum ordinum fratres, vt præfertur, durare volumus.* Idcirco facilius videtur poſſe reſponderi iuxta doctrinam inſinuatam à Nauar. & aliis, hic per facultates intelligi etiam indulgentias ob rationem ibi aſſignatam.

12. Ad tertium concedimus indulgentias Mendicantium eſſe ampliſſimas, at non inde ſequitur quod eſſent ſuperfluæ, ſeu inutiles illæ, quas ipſi Mendicantes per Bullæ ſuſceptionem lucrari poſſent; alioquin idem eſſet ſentiendum de indulgentiis ſtationum Romæ, & ſimilium reſpectu Mendicantium Romæ commorantium, quod non ſolum à veritate, ſed à pietate etiam Chriſtiana valde alienum videtur, ne dicam, temerarium. Adde Bullam non ſolum pro lucrandis indulgentiis facultatem concedere, ſed proficere etiam ad plura alia, de quibus egimus ſupra.

13. Sed quæres, an per Bullam ſuſpendantur indulgentiæ conceſſæ olim granis benedictis, & nunc figuris, imaginibus ſeu Coronis. Affirmant Rodr. *in Bulla*, §.12.*num.*11. & Vega *ſum. tom.*1. *verb. grani benedicti, caſu* 1. Mihi autem videtur negatiuè potius reſpondendum; tũ quia huiuſmodi indulgentię non cõceduntur ſingularibus perſonis, ſed toti populo Chriſtiano, nec Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus Cõfraternitatibus, aut aliis piis locis quibuſcũque, ſed cunctis fidelibus Chriſtianis; & conſequenter non ſunt de numero gratiarum, quæ in Bulla ſuſpenduntur; tum etiam, quia voluntas Legiſlatoris à vero ſimili indagatur. Ita in *l. non eſt veroſimile, ff. de eo quod met. cau.* qui enim arguit à vero ſimili, arguit à ratione naturali, vnde Craueta *conſil.* 292. *num.*6. refert, eum qui habet veroſimile pro ſe, habere cauſam legis pro ſe; ſed veroſimile eſt Pontificem dum dictas indulgentias concedit toti populo Chriſtiano, nolle cum maiori onere, ſeu minus liberaliter eas concedere in Regnis, ſeu prouinciis, vbi Bulla Cruciatæ publicatur quam alibi: igitur ſicut carentes Bulla extra dicta Regna lucrari poſſunt memoratas indulgentias, ita & ibi; & quidem valde dicendum videtur, quod Religioſi omnes, etiam Mendicantes, & tot pauperes ſæculares in iis Regnis priuentur indulgentiis toti populo Chriſtiano conceſſis, niſi pro ſe, & ſingulis ſuæ familiæ filiis, aut ſeruis ſingulas ſingulis annis Bullas accipiant.

14. Facit autem pro hac ſententia reſponſum, quod grauiſſimi recentiores referunt miſiſſe ex Curia Romana Cardinalem Pachecum Archiepiſcopũ Burgenſem, dicendo non eſſe de mente S. Pontificis reuocare, vel ſuſpendere per Bullam dictas indulgentias. Addo, id vt minimum videri probabilius reſpectu Mendicantium; nam ſicut S. Pontifex in Bulla ait non velle reuocare indulgentias Mendicãtium ſuperioribus pro ſibi ſubditis conceſſas, ita videtur non velle

reuocare

Digitized by Google

reuocare, vel ſuſpendere indulgentias granis, ſeu imaginibus, coroniſve affixas, ſaltem reſpectu illorum, ſed ſæcularium duntaxat, etiã ſi tales indulgentiæ non ſolum ipſis, ſed toti populo Chriſtiano fuerint conceſſæ, atque ita exiſtimo, ſub cenſura tamen cuiuſcunque alterius melius ſentientis.

Dubium II.

An per Bullam ſuſpendantur indulgentiæ & alia priuilegia Regularibus conceſſa pro ſæcularibus.

1. Partem affirmatiuam tenent Nauar. *lib. 5. conſ. tit. de priuil. conſ. 16. n. 1.* Lopez 2 *p. inſtruct. vbi de clauibus, c. 2. paulo ante verſ. Quæritur deinde.* Rodriq. *§. 12. n. 4.* & Acoſta *ſuper Bullam, q. 105.* Ducuntur primò, quia Bulla ſuſpendit omnes facultates conceſſas Monaſteriis præter illas, quę conceſſæ ſunt Superioribus Mendicantium in ordine ad ſuos fratres tantum: ergo ſuſpendit eas, quæ ſunt conceſſæ eiſdem in ordine ad ſæculares. Patet conſequentia, quia exceptio firmat regulam in contrarium: ergo cum ibi excipiantur gratiæ conceſſæ in ordine ad fratres, aperte conſequitur reliquas comprehendi in prædicta ſuſpenſione.

2. Secundò, quia vt patet ex vſu, Religiones petunt facultatẽ à Commiſſario ad publicandum indulgentias conceſſas toti Religioni pro ſæcularibus, & Concionatores prædicant eas non obtinere carentes Bulla Cruciatæ; ergo cenſent prædictas gratias in ordine ad ſæculares illis conceſſas omnio ſuſpendi à Cõmiſſario, alias poſſent eas publicare ſine eius licentia, quod tamen non audent facere.

Tertio in Bulla ſuſpenduntur priuilegia conceſſa aliquibus Religionibus quo ad ſæculares, vt audire Miſſam tempore interdicti, vel ceſſationis in earum Eccleſiis: vnde Collector priuilegiorum Trinitatis aduertit his priuilegiis vti non poſſe carentes Bulla; & ſimiliter ſuſpenduntur facultates diſpenſandi, & commutandi vota, & abſoluendi à reſeruatis, licet toti Religioni conceſſæ fuerint: ergo.

3. Pro explicatione huius difficultatis; Obſerua primò, ex Nau. *de Indulg. not. 28. n. 13. & 14.* facultates omnes, gratias, & indulta, quæ in Bulla continentur, perſonis particularibus concedi, & eſſe priuilegia perſonalia, quod manifeſte deducitur ex eo, quia (vt habetur ex eadem Bulla) facultates, & indulgentiæ ſemel ſuſpenſæ denuo per ſumptionem Bullæ reualidantur; conſtat autem ſingulares perſonas, & non Monaſteria, ſeu Conuentus Bullam ſumere. Neque obſtat ſi dicas in Bulla ſuſpendi facultates, & gratias Monaſteriis, Confraternitatibus, & Hoſpitalibus conceſſas, quæ ideo non perſonalia, ſed realia priuilegia eſſe videntur. Reſpondetur enim ibi ſolum ſuſpendi indulgentias, quas lucrantur illi, qui Eccleſias etiam Regularium viſitant, vel Cõfraternitatibus, ſeu Hoſpitalibus inſeruiunt, iuxta conſtitutionum Apoſtolicarũ tenorem, & conſequenter reſpectu huiuſmodi perſonarũ priuilegia perſonalia duntaxat dicenda ſunt.

4. Secundò obſerua, quod priuilegia Confeſſoribus Ordinum Mendicantiũ, & non Mendicantium cõceſſa ad abſoluendum olim à reſeruatis, ad diſpenſandum, & commutandum vota ſæculariũ, & ſimilia, non eſſe perſonalia, ſed realia. Quamuis enim concedantur perſonis dictorum ordinũ profeſſoribus, quibus ordinibus voluit Sedes Apoſtolica huiuſmodi fauorem impartiri, & conſequenter dicta priuilegia potius cenſenda ſunt ordinibus, quam perſonis conceſſa, quod inde probatur: quoniam ſi dicti Religioſi authoritate Apoſtolica à

Digitized by Google

Religione egrederentur, vel expellerentur, nequaquam poſt habitum ſic dimiſſum dictis fauoribus fruerentur: id autem manifeſtum eſſe indicium, quod huiuſmodi priuilegia non ſint perſonalia, tradit Rod. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.*61. *art.*14. *not.* 2. & tradit rationem, quia ſi eſſent præciſe perſonalia, perſonas quidem ſequerentur, etiam ſi ſtatum mutarent.

5. Tertiò obſerua, quod licet priuilegia certo perſonarum generi conceſſa (vt ea quæ maritis conceduntur) ſint regulariter perſonalia, arg. *leg. qui tale, ff. ſolut. matr.* & notat Zazinus *in l. marito, num.*32. *ff. eod.* Nihilominus priuilegium conceſſum certo perſonarum generi, quod per fictionem iuris nunquam perit, perpetuum eſt, & reale, cuiuſmodi æſtimatur priuilegium, quod vnius Ciuitatis ciuibus conceditur, vt colligitur *ex l. forma, §. quamquam, ff. de cenſib. &* l. 2. *ff. de reb. dub.*.. & notãt Romanus *in l. maritum, ff. ſol. matr. num.* 17. & Socinus *in d. l.* 2. *n.*4. Atque idem in caſu noſtro dicendum eſt; priuilegia namque, & facultates prædictæ Religionibus dari cenſentur, cum eæ concedantur Confeſſariis, qui per fictionem iuris nunquam pereunt.

6. Sit igitur prima concluſio. Per ſuſpenſionem Cruciatæ non intelliguntur ſuſpẽſæ facultates, & priuilegia Religionibus conceſſa in ordine ad ſæculares, cuiuſmodi ſunt illa, quæ habent ad vota ſæcularium commutãda, & diſpenſanda, necnon pœnitentes etiam Bulla carentes abſoluendum. Ita Ledeſma *ſum. tom.* 1 *tract. de ſacr. pœnit. c.* 15. Graff. *in append. ad deciſ. lib.* 1. *cap.* 7. §. 9. *num.* 65. Ioan. à Cruce *de ſtat. Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 7. *concl.* 3. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit.* 16. *num.* 7. *& lib.* 7. *de indulg. c.* 28. *n.* 7. *vbi in comment. lit.* 2. plures refert, tam Dominicanæ, quam Franciſcanæ familiæ viros doctiſſimos id ſentientes; ita etiam Sanch. *ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 54. *n.* 61. Vbi pro eadẽ ſententia adducit Leſſium *lib.* 2. *de iuſt. c.* 12. *dub.* 11. *num.* 60. & Rod. qui à priori ſententia recedens nobiſcũ ſentit *in addit. ad* §. 12. *n.* 4. ſed probatur.

7. Primò, quia in Bulla tantum ſuſpenduntur gratiæ conceſſæ, aut concedendæ quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis in Philippi Regnis; priuilegia autẽ iſtius noſtrę concluſionis non ſunt huiuſmodi, & conſequẽter non ſuſpenduntur. Minor probatur, quia quæ Religioſis conceduntur, cenſentur conceſſa eorum ordinibus; in Bulla autem non ſuſpenduntur priuilegia ordinibus conceſſa, vt ex tenore Bullæ fit manifeſtum. Neque obſtat, ſi dicas in Bulla ſuſpendi priuilegia ſingularibus perſonis conceſſa, Religioſi autem ſunt perſonæ ſingulares; Reſpondetur enim, Religioſos hic non conſiderari, vt perſonas ſingulares, ſed quatenus ſuorum ordinum profeſſores, & conſequenter priuilegia Religioſis conceſſa, potius ordinibus, quam perſonis conceduntur, vt patet ex dictis *in* 2. *&* 3. *notando.*

8. Secundò, quia regularium priuilegia non reuocantur, ſeu ſuſpenduntur per generalem omnium priuilegiorum reuocationem, vel ſuſpenſionem; tum quia continentur in corpore iuris; vt autem quæ in corpore iuris continentur intelligantur ſuſpenſa, & reuocata, requiritur vt fiat de illis expreſſa mentio. Ita Bart. *in extrauag. ad reprimendũ. verb. non obſtãtibus, fine*; tum quia, quæ ob merita conceduntur, proinde non reuocantur, aut ſuſpenduntur, eſto in reuocationibus, vel ſuſpenſionibus verba generalia, & geminata ponantur. Ita Mandoſius *in regula Cancel.* 3. *q.* 8. *num.* 6. ſed requiritur, vt de illis ſimiliter expreſſa mentio fiat, vt conſtat ex traditis à Nau. *de Indulg. notab.* 53. & habetur

etiam

Digitized by Google

etiam ex conceſſione Leonis X. qui die 15. Aprilis 1516. Religioſis ordinis Minorum de obſeruantia conceſſit, quod per reuocationem omnium priuilegiorum, etiam Mendicantium, non intelligantur reuocata, vel ſuſpenſa priuilegia, indulta, ſeu gratiæ Minorum, niſi de illis mentio fiat expreſſa, vt habetur ex dictis *dub. præcedenti.* Cum igitur in ſuſpenſione generali noſtræ Bullæ prædicta priuilegia Religioſis conceſſa non exprimantur, conſequenter dicendum eſt non ſuſpendi.

9. Tertiò probatur, quia ſuſpenſio eſt valde odioſa, atque adeo ſtrictiſſime interpretanda, vt in ſimili ait Nau. §. *in Leuitico, notab.* 33. *num.* 2. *ex cap. odia, de regulis iuris, in lib. 6.* è contra vero priuilegia Religioſorum latiſſime ſunt interpretanda, præſertim illa, quæ in communi conceſſa ſunt toti Religioni, & cum ſpeciali Bulla, & in perpetuum, quia hæc cenſentur fauor totius populi Chriſtiani, in cuius vtilitatem cedunt, vt docet D.Thom. *opuſculo contra impugnantes Religionem, cap.* 4. Gratianus *cap. finali* 25. *q.* 1. *& ſequenti.* Compendiũ Mendicantium *verbo priuilegium, in fine,* & Bal. 4 *exceptionum, cap.* 1. *&* 2. dicens, exceptionem Regularium à iuriſdictione Epiſcoporum cedere in magnum Religionis fauorem; quod idem certum eſt de aliis priuilegiis Religioſorum, præſertim continentibus facultates abſoluendi à peccatis, & cenſuris; commutandi, ac diſpenſandi vota, &c. Ergo ampliſſime ſunt interpretanda.

10. Secunda concluſio. Priuilegia quibuſuis Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus, Cõfraternitatibus, Vniuerſitatibus, piis locis, & ſingularibus perſonis immediatè cõceſſa, quoad ſæculares per Bullam Cruciatæ ſuſpenduntur. Hæc concluſio eſt communis omnium, & patet expreſſe ex ipſo contextu. Hinc ſæculares abſque Bulla nequeũt lucrari indulgentias conceſſas viſitantibus Monaſteria, ſeu Eccleſias regularium in certis diebus. Atque ita dicendum eſt de indulgentiis conceſſis cuicunque loco pio, Confraternitati, Hoſpitali, &c.

11. Hinc etiam presbyteri ſæculares celebrantes in altari priuilegiato nequeunt abſque Bulla viuorum animam à pœnis Purgatorij liberare: Imo nec presbyteri regulares, eſto dictum altare in eorumdem Eccleſiis exiſtat, & celebrent pro anima alicuius defuncti Religioſi, quia huiuſmodi priuilegium nõ conceditur pro Religioſis determinate, ſed generaliter pro omnibus fidelibus; ſecus, ſi dictum altare ſit ad inſtantiam alicuius Superioris Mendicãtium conceſſum pro defunctis, tam Regularibus, quàm ſæcularibus; tunc enim ſi presbyter regularis miſſam celebrat pro anima defuncti regularis, etiam abſque Bulla, conſequetur effectum indulgentiæ, iuxta præcitatam exceptionem. Ita Rodr. *in Bulla*, §. 12. *num.* 4. & Villalob. *clauſ.* 12. *num.* 3. & communiter omnes.

12. Sed quæres primò, an ſæculares, qui chorda S. Franciſci, vel corrigia S. Auguſtini cincti, ſeu habitu cuiuſcunque Religionis induti pro ſua deuotione incedũt, poſſint abſque Bulla lucrari indulgẽtias ſub huiuſmodi intuitu conceſſas. Reſpondetur negatiue, quia hæc ſunt priuilegia perſonalia ſingularibus perſonis conceſſa; priuilegia autem perſonalia in Bulla ſuſpenduntur, vt patet ex dictis. Ita Rodr. *in addit.* §. 12. *n.* 6. Villalob. *ead. clauſ. num.* 7. & alij.

13. Quæres ſecundò, vnde dignoſci valeat, quæ ſint priuilegia perſonalia, & quæ realia; ſunt etenim, & dicuntur perſonalia, quæ perſonis conceduntur; realia vero, quæ immediate concedũtur communitatibus, vt notat Rod. *in addit. ad Bullam*, §. 12. *n.* 1. *& ſeqq.* Reſpondetur itaque circa propoſitam difficultatem

Digitized by Google

reſpiciendum eſſe. Primò ad qualitatem negotij, quod cõceditur, vt tradit Aym. *conſ.*404. *à n.*1 .*lib.*3. Deinde ad cauſam ipſius conceſſionis, vt colligitur *ex l. in omnibus cauſis, ff. de reg. iur.* Vnde ſi conſtet principalem priuilegij cauſam fuiſſe perſonam aliquam ſingularem, æſtimatur priuilegium perſonale; è conuerſo autem, ſi conſtet fuiſſe rem aliquam, ſeu locum, cenſetur priuilegium reale. Ratio eſt, quia in quacunque diſpoſitione debent cauſæ principales, & immediatæ attendi, non ſecundariæ, remotæ, & impulſiuæ, vt habetur ex *l. ſocium qui*, §. 1. & ibi Bart. *ff. pro ſocio.*

14. Quæres tertiò, an attento priuilegio Benedictinis conceſſo, quo gaudent Prælati etiam locales aliarum Religionum communicationem priuilegiorum habentes, vt tempore interdicti, tam generalis, quàm ſpecialis, poſſint in eorum Monaſteriis, ſeu Cõuentibus ſucceſſiue admittere quindecim perſonas ad diuina officia, & Sacramenta, necnon eccleſiaſticã ſepulturam, prout habetur ex conceſſione Nicolai V. & declaratione cuiuſdam Nuncij Apoſtolici adducta à Collectore Compendij Mendic. *verb. Interdict.* 1. §. 25. *& interdictum* 2. §. 10. quæritur (inquam) an id liceat reſpectu ſæcularium carentium Bulla. Reſpondetur negatiue. Ratio eſt, quia priuilegium iſtud reſpectu ſæcularium eſt perſonale, & ſicut per Bullam ſuſpenditur, ita per illam reualidatur, quod adeo verũ exiſtimat Rodr. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 61. *a.* 14. *verſ.* 3. *infertur*; vt de huiuſmodi priuilegio agens, fateatur ſe ſimul cum multis aliis viris doctis, in hoc fuiſſe aliquando allucinatum. Vnde Ioan. à Cruce *eod. cap.* 7. *dub.* 3. *concluſ.* 3. addit in hoc caſu quoſcunque ſæculares, etiam famulos fratrum, imo & donatos non habentes animum perſeuerandi, non poſſe in Regnis, vbi Bulla Cruciatæ prædicatur, intereſſe diuinis, niſi quis eorum forſitan ſit neceſſarius, vt ſacerdoti celebrãti miniſtrare queat, tunc enim iſte iuxta ius commune poteſt aſſiſtere. Cum autem Religioſi iuxta ſua indulta ſuſpendunt interdictum, tunc ſæculares etiam carentes Bulla licitè valent diuinis aſſiſtere, modo non ſint excommunicati, aut interdicti ſpecialiter, vel cauſàm dederint ipſius interdicti; quia priuilegium ſuſpendendi tunc interdictum, etiam pro ſæcularibus, non ſuſpenditur per Bullam, vt ex dictis, & mox dicendis habetur.

15. Ex dictis colligo primò, nequaquam per Bullam ſuſpendi priuilegia Religioſis ab Ordinario approbatis cõceſſa, non ſolum ſæcularium vota, ſed etiã iuramenta commutandi, & diſpenſandi, pœnitentes abſoluendi, eiſdemque Euchariſtiam in ſuis Conuentibus miniſtrandi, etiam ſi ſæculares prædicti Bullam Cruciatæ non habeant; tum quia hæc priuilegia continentur in corpore iuris, & conſequenter non intelliguntur ſuſpenſa, niſi de illis fiat mentio expreſſa; tum quia licèt huiuſmodi priuilegia in beneficium ſæcularium cedant, principalius tamen reſpiciunt authoritatem, & fauorem Religionum, ipſiſque immediatius conceduntur; tum quia dicta priuilegia ſunt realia, non perſonalia, vt conſtat; in Bulla autem ſolum ſuſpenduntur priuilegia perſonalia, non realia, vt habetur ex dictis. Ita expreſſe P. Ioan. à Cruce *Epit. lib.* 2. *cap.* 3. *concl.* 3. Villalob. *clauſ.* 12. *n.* 7. & nouiſſime Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 61. *art.* 14. vbi retractat contrariam opinionem, quam defenderat *in Bulla*, §. 12. *n.* 4. & fatetur ſe poſt longas vigilias circa huius rei intelligentiam inſudando, voluiſſe tandem communi potius, quam propriæ adhærere ſententiæ.

16. Colligo ſecundò, per Bullam non ſuſpendi priuilegium, quo gaudent Religioſi ad ſuſpendendum interdictum in aliqui

Digitized by Google

aliquibus ſuorum ordinum feſtiuitatibus, ita vt ratione talis priuilegij in Regularium Eccleſiis, poſſit quicunque etiam ſæcularis in vigiliis ipſarum feſtiuitatũ pulſare campanas, ac ſi nullum eſſet interdictum; & ſimiliter poſſit ad diuinorum Officiorum celebrationem admitti, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradi, & ſacramenta ſuſcipere, etiam ſi Bullam non habeat, exceptis ſpecialiter interdictis, & nominatim excommunicatis. Ita Rodr. Ioan. à Cruce *vbi ſupra*, & Villalob. *n.* 10. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi priuilegium non eſt perſonale, ſed reale immediate Conuentibus conceſſum, vt conſtat, & omnes fatentur. In Bulla autem non ſuſpenduntur priuilegia realia, vt habetur ex ſæpius dictis; tum etiam quia ſic eſt vſu receptum; conſuetudines autem præſcriptæ, & longo vſu toleratæ habent vim legis, ac ſubinde nunquam intelliguntur ſuſpenſæ, ſeu reuocatæ, niſi de illis fiat mentio expreſſa.

17. Tertiò colligo, ſimiliter non ſuſpendi per Bullam facultatem, quam habent Prælati Religionum ad dandas litteras fraternitatis; admittendo aliquos ad participationem bonorum operum ſuorum ſubditorum, quia hoc habent Prælati de iure communi; quare ipſi ſæculares ad gaudendum prædicta participatione non indigent Bulla; iam enim ſupra diximus *cap. præcedenti, dub. vltimo*, huiuſmodi participationem non eſſe indulgentiam, de quo videnda ſunt, quæ ibi tradidimus. Ita Rodr. *ibid.* & tradit Villalob. *n.* 16. ſecutus Nauar. *de Indulg. not.* 31. *num.* 21. *&* 22.

18. Nunc ad primũ argumentũ initio adductum reſpondeo, per illam particulam, *quo ad eorum fratres tantum*, quæ à tempore Pij V. ponitur in Bulla, non excludi facultates, quæ primariò competunt fratribus, & ſecundariò ſæcularibus; quia in illa particula, *tantum*, nullum latet myſterium, ſed ſolum per illam ſuſpenduntur priuilegia conceſſa priuatis miniſteriis, vel alia non conceſſa toti Religioni, aut perſonis ſingularibus ipſius.

19. Ad ſecundum reſpondetur, quod quidquid ſit de facto, ſaltem de iure nihil probat ratio adducta; Nam ex eo ſolum petitur prædicta licentia publicandi illas indulgentias, & vtendi illis priuilegiis pro tempore interdicti, ad maiorem ſecuritatem, & ad vitandam forte Commiſſarij offenſionem.

Ad tertium reſpondetur, quod eſto per Bullam ſuſpendantur aliqua priuilegia Religionibus conceſſa, non tamen ea quæ ſunt in corpore iuris.

Dubium III.

An reualidentur per Bullam Cruciatæ gratiæ & facultates conceſſæ in aliis Bullis præteritis.

1. Ratio dubitandi vrget valde, nam in Bulla ipſa dicitur reualidari accipienti Bullam omnes alias gratias, & facultates antea illis conceſſas: ergo qui antea plures alias Bullas acceperat, omnes illi reualidantur. Reſpondet Rodr. §. 12. *n.* 2. non reualidari per Bullã alias gratias quam eas, quas Commiſſarius ſuſpendit, ipſe autem nõ ſuſpendit ante actas Bullas, quia ſuſpendere eſt ad tempus impedire vſum alicuius facultatis poſtea exercendæ, vt conſtat ex *lege* 1. *verbo, omne autem, ff. ſi quis in fraudem patroni.* & docet Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de refor.* præteritæ autem Bullæ ante annũ 1571. eodem anno fuerunt per Pium V. reuocatæ; reliquæ vero finito anno expirant; atque adeo non ſuſpenduntur à Commiſſario, & conſequenter nec reualidantur; cum ea ſolum ab eo reualidentur, quæ ab eodem ſuſpenduntur. Sed contra eſt, quia in ipſa Bulla dicit Commiſſarius

Digitized by Google

miſſarius ſe ſuſpendere omnes gratias, quamuis fuerint per aliam ſimilē Cruciatam conceſſæ: ergo cum has omnes reualidet, vt ipſe ibi fatetur, conſequens eſt reualidare etiam omnes alias Cruciatas præteritas.

2. Verum pro ſolutione huius difficultatis, reſpondeo dicendum, alias eſſe Bullas Apoſtolicas Cruciatæ, alias vero Apoſtolicas, ſed non Cruciatæ. Si igitur ſermo ſit de Bullis Cruciatæ, certum omnino exiſtimo non reualidari Bullas Cruciatæ præteritæ, ſaltem ante Piū V. Ratio eſt, quia huiuſmodi Bullæ non cōprehendebantur in ſuſpenſione facta, nam ſuſpenſio, vt ſupra dicebamus, ſolū eſt reſpectu illius, quod ante ſuſpenſionem erat validum, & reualidare gratiam aliquam, eſt illam reducere in priſtinum ſtatū: ſed nullæ Bullæ Cruciatæ ex præteritis habebant iam aliquem valorem, cum omnes illas reuocauerit, & omnino caſſauerit Pius V. per Bullam ab eo cōceſſam anno 1571. vt tradunt Henriq. *lib. 7. c. 21. in princ.* & Rodr. *vbi ſupra*: ergo tales Bullæ non ſuſpenduntur, nec reualidantur per Commiſſarium. Dixi nōtanter ante Pium V. quia ſi poſtea cum expeditur aliqua Bulla à nouo Pontifice ſucceſſore, adhuc durabat tempus præteritæ Bullæ, pro quo fuerat à prædeceſſore conceſſā, tunc talis Bulla reualidatur iuxta ſtatim ſubiicienda.

3. Si autem ſermo ſit de aliis Bullis non Cruciatæ, dicendū eſſe reor, omnes illas reualidari per Bullā Cruciatæ; quare qui illam acceperit, frui poterit priuilegiis Sanctiſſimæ Trinitatis cōceſſis à Clem. VII. & S. Spiritus à Paulo III. & Crucifixi Oxonienſis ab eodē, & aliis datis in fauorē fabricæ Baſilicæ S. Petri à Pio IV. anno 1573. Ratio huius eſt. Prima quidem, quia iſtæ Bullæ non ſunt Cruciatæ, nec limitatæ ad certum tempus, ſed in perpetuum. Secunda, quia per hanc Bullam reualidantur omnes indulgentiæ, & priuilegia conceſſa per alias Bullas, Iubilæos, aut indulta, dummodo immediate ante hanc Bullam habuerint ſuum valorem, vt patet ex verbis Commiſſarij, qui in ſuo Summario ait ſe reualidare gratias, & Iubilæos, qui hucuſque à Sede Apoſtolica aſſumenti Bullā fuerint conceſſi; at id reualidatur, quod ſupponitur eſſe validum, erat tamen ſuſpenſum, & per reualidationem aufertur ſuſpenſio, & ad priſtinum ſtatum reducitur: ergo cum prædictæ Bullæ non Cruciatæ eſſent validæ immediate ante Bullam, & per Commiſſarium ſuſpendantur, manifeſtum eſt omnes illas reualidari aſſumenti Cruciatam virtute prædictæ clauſulæ. Vnde Commiſſarius ipſe fecit publicare, vt qui prædictas Bullas non Cruciatas haberet, aut de nouo reciperet, poſſet ſumendo Cruciatam, vti virtute prædictæ reualidationis omnibus priuilegiis earum.

4. Huic autem reualidationi addit hanc limitationem Commiſſarius, dicens ſe reualidare prædicta omnia, dummodo non ſint contraria expreſſis in Bulla Cruciatæ; quæ limitatio habetur etiam in Bulla latina, & eſt maxime cōformis intentioni Pōtificis, nam aperte cōſtat non eſſe de mente illius concedere Commiſſario facultatem reualidandi priuilegia contraria illis, quæ ipſe in Bulla exprimit. Quare ſi quod priuilegium fuiſſet confitendi ſacerdoti non approbato, aut veſcendi ouis in Quadrageſima, neutro illorum poſſet vti ſacerdos virtute prædictæ reualidationis, quia contraria habentur expreſſa in Bulla; aliis vero non contrariis recte gaudere poterit. Quare, ſi quis habeat Bullam ſanctæ Trinitatis, poſſet forſitan diſpenſari (iuxta aliquam opinionem) per Confeſſarium approbatum ab omni irregularitate, ratione cuiuſcunque delicti contracta, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, bigamia, &

muti

Digitized by Google

mutilatione membrorum; quia id habetur in prædicta Bulla. Poſſet etiam idem confeſſor relaxare iuramenta ſine præiudicio partis habentis prædictam Bullam Pij IV. quia hæc facultas conceditur ibi, vnde licet nihil horum in noſtra Bulla Cruciatæ concedatur, poteſt tamen fieri ratione prædictæ reualidationis.

5. Sed obiicies. Ergo qui acceperit Bullam Crucifixi Oſmæ, poterit eadem ratione gaudere priuilegio recitãdi Breuiarium trium lectionũ,quia id ibi conceditur; & mulier etiam quæ habuerit Bullã ſancti Spiritus,aut Pij IV. poterit ingredi clauſtra Monialium, cum hoc etiam ibi concedatur. Reſpondeo, negando conſequentiã, quia priuilegium recitandi illud Breuiarium fuit annullatum à Pio V. per motum propriũ,qui in eius Breuiario præmittitur, quia erat valde diminutum, vt tradunt Canus *lib.* 11. *de locis à cap.* 5. *vſque ad* 13. Sotus *lib.7.de iuſtitia,q.5.art.*4.Nau.*cap. quando*, *notab.* 11. §. 2. & *notab.* 19. §.210. Facultas vero intrandi monaſteria Monialium abrogata eſt per Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. & per motus proprios Pij V. & Gregorij XIII. quos refert, & explicat Rodr.ad finem Cruciatæ.

6. Ad rationem autem dubitandi in principio poſitam, bene reſpondetur ibi;ad replicam autem Rodr. *dicto* §.12. *num.* 12. refert, quoſdam, quos ibi ſequitur, aſſerẽtes Bullas præteritas Cruciatæ reualidari, non quantum ad ea, quæ in præſenti Cruciata conceduntur, ſed quantum ad alia, quæ licet in ea non concedantur, non tamen expreſſe reuocantur; huiuſmodi eſt priuilegium communicandi quolibet die Quadrageſimæ, ad ſatisfaciẽdum præcepto annuæ communionis tempore Paſchali, quod conceſſum fuit in Bullis Pij IV. pro Regnis Hiſpaniæ anno 1563. Sed hæc ſolutio facile reiicitur ex dictis pro noſtra ſententia; requiritur enim ad reualidationem, vt ibi diximus,& conſtat ex verbis Commiſſarij, vt immediate ante Bullæ expeditionem habuerit valorem, indultum, quod reualidatũr,vnde ſi prædictæ Bullæ erant inualidæ,& nullæ,minime extenditur ad illas prædicta reualidatio.

Dubium IV.

Vtrum cum in ſuſpenſione Bullæ excipiuntur priuilegia Superioribus Mendicantium conceſſa in ordine ad ſuos fratres, excipiantur etiam priuilegia eiſdem conceſſa in ordine ad Moniales.

1. Videtur quod non Primò, quia nomine Abbatis non venit intelligenda Abbatiſſa, vt conſtat *ex Clementina attendentes, de ſtatu Monachorum*, & ibi gloſſ. *verbo cecidiſſe*. Ergo nec nomine Monachi venit in Bulla intelligẽda Monialis, maxime quod per Bullam Pontificis aperte excluduntur Moniales;quia in originali latino Bullæ dicitur, *exceptis tamen conceſſis ordinibus Mendicantium, quoad eorum fratres tantum*, Vnde per particulam *tantum*, quæ natura ſua eſt excluſiua, videntur excludi omnes, qui non ſunt fratres.

2. Secundò, quia indulgentiæ ſunt ſtricti iuris,atque adeo non poſſunt amplius extendi,quam ſonãt eorum verba in ſua proprietate, & communi modo loquendi ſumpta; ſed nomine fratrum non intelliguntur Moniales, vt conſtat ex pluribus litteris Apoſtolicis, in quibus dum Pontifex vult aliquid concedere vtriſque, non ſolum nominat fratres,ſed Moniales:ergo,&c.

3. Verum,his non obſtantibus, oppoſitam ſententiam exiſtimo omnino certam. Primò,quia hæres,quẽ teſtator

obligat ad reſtituẽdum aliquid ſuis fratribus, etiam manet obligatus ad faciendam reſtitutionem ſororibus, vt docent Iuriſperiti, *cap. Raynutius, verbo declaratio, de teſtamentis, & lege Lucius, §. quæſitum, ff. de legatis* 3. Ergo eadem ratione excipiente fauorabiliter Pontifice priuilegia Superioribus Mendicantiũ conceſſa quoad ſuos fratres, debent etiam intelligi conceſſa eiſdem in ordine ad ſuas ſorores.

4. Secundò, quia Summus Pontifex concedit illud priuilegium in gratiam Mendicantium, quoniam Mendicantes ſunt, ſed etiam Moniales ſunt Mendicantes: ergo etiam illæ comprehenduntur ibi; quia vbi eſt eadem ratio, debet eſſe eadẽ iuris diſpoſitio, quod maxime habet vſum in fauorabilibus.

5. Tertiò, quia cũ priuilegium, quod conceditur viris, nõ ſolum pertineat ad viros, ſed ad fœminas, etiam intelligitur concedi fœminis, licet non exprimatur in illo, vt tradit Rebuffus *in l. 1. ff. de verborum ſignificatione, fol.* 19. & DD. *in cap. cum plantare, §. Eccleſias, de priuilegiis*, ſed prædictum priuilegium pertinet, non ſolum ad fratres, ſed ad Moniales, vt de ſe conſtat: ergo illis etiam debet prodeſſe.

6. Nec obſtat, ſi reſpondeas, excludi omnino per illam particulam *tantum*, dum Pontifex ait, *exceptis priuilegiis Superiorum in ordine ad fratres tantum*, hoc (inquam) non obſtat; tum quia particula excluſiua *tantum*, non excludit perſonas ſimiles, quales ſunt Moniales, quas conſtat ſimiles eſſe fratribus in ſtatu, & profeſſione. Ita docent Aretinus *l. ſtipulatio iſta, col. 3. de verborum obligatione*, & Decius *conſil.* 218. *in fine*, tum quia natura termini excluſiui, & reſtrictiui, eſt excludere res extraneas, aut oppoſitas termino, cui additur; & includere quæ non ſunt extraneæ, vel alienæ ab eo, vt habetur *in Clementina exiui, §. cum autem, de verborum ſignificatione*, Iaſon *conſil.* 84. *col.* 3. *in* 3. *volumine*, & ſic in præſenti illa particula *tantum* excludit omnes ſæculares, & omnes perſonas Religioſas, quæ non ſunt Mendicantes, non tamen perſonas ſubiectas Superioribus Mendicantium, etiam ſi ſint fœminæ. Verum tamen eſt, quod per communicationem priuilegiorum Mendicantium, quam communiter habent reliquæ Religiones non Mendicantes, poterunt etiam gaudere prædicto priuilegio, tam viri, quàm fœminæ. Ita Villalob. *num.* 11. & alij.

7. Et ſi obiicias cum Rodr. contrarium opinante §. 12. *n.* 5. id falſum eſſe, quia ſi Regulares non Mendicantes poſſent gaudere prædicto priuilegio, eſſet fruſtranea ſuſpenſio, quæ fit in Bulla, quantum ad prædictos ordines. Reſpondeo nõ eſſe fruſtraneam, quia operatur hoc nimirum, vt ſi aliquis ordo non Mendicantium, nunc, vel aliquando non habeat talem communicationem, etiam maneant ſuſpenſæ indulgentiæ, & facultates quoad confratres Bulla carentes; quare exceptio, quam facit Pontifex, eſt in magnum fauorem Religionum Mendicantium.

8. Et ſi inquiras, quot nam ſint huiuſmodi Religiones Mendicantes. Reſpondeo, iuxta textum *in cap. finali, de religioſis domibus, & cap. 1. lib. 6. eod. tit.* eſſe quatuor, nimirum, Diui Auguſtini, Diui Franciſci, Diui Dominici, & Carmelitarum; iam vero ſunt ſeptem, quia illis additæ ſunt tres, ſcilicet Ordo Minimorum, Societatis IESV, & Seruorum Dei, qui Romæ viget. Ita Rodr. & alij ab eo relati ſupra.

9. Hinc infero primò, eodem priuilegio abſque Bulla gaudere Moniales tertij Ordinis Mendicantium, quæ in propriis domibus, ſeu propinquorum, vitam ducentes ſub obedientia Prælatorum Regularium, caſtitatem virginalem,

Digitized by Google

lem, ſeu vidualem in manibus eorumdem vouerunt. Hæ namque quo ad ſpiritualia eiſdem priuilegiis potiuntur, ac Moniales eiuſdem Ordinis in Congregatione viuentes; non tamen gaudent eiſdem omnino priuilegiis, quo ad temporalia fori exterioris. Ita habetur ex Leone X. & refertur à Collect. *tit. Tertiarij fratres*, §. 11. & Cord. *in addit. ad compend. tit. excommunicatio, quoad*, §. 14.

10. Infero ſecundò, Tertiarios, ſeu Tertiarias dictorum ordinum in ſuis, vel ſuorum domibus habitantes cum maritis, ſeu vxoribus, aut filiis, ſeu familia, non gaudere prædictis priuilegiis abſque Bulla; ſicut enim inter perſonas Regulares non computantur, ita quo ad dicta priuilegia tanquam perſonæ mere ſæculares reputantur. Atque idem dicendum eſt de Confratribus eorundem ordinum, qui omnes ratione huiuſmodi receptionis, nec dictis Superioribus omnino ſubduntur, nec à iuriſdictione ordinaria, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæculari eximuntur. Poſſunt tamen Superiores Regulares dictis Tertiariis iniungere, vt ex ipſiſmet deſtinentur aliqui, qui Miniſtri vocentur, & curam habeant illos aliquando congregandi, monendi, & corrigendi. Ita habetur ex Collect. *ſupra*, & tradit Rodr. *n.9*.

Dubium V.

Vtrum prædictum indultum extendatur ad Nouitios Ordinum Mendicantium.

1. Ratio dubitandi eſt, quia Nouitij non ſunt eſſentialiter Religioſi, ſed ſolum in via, quatenus tendunt ad ſtatum Religionis, vt habetur *c.1. de Regularibus*, & gloſſ. *in cap. 1. de Religioſis domibus*, & docet communis Theologorum & Iuriſtarum: ergo prædictum indultũm non extenditur ad illos.

2. Reſpondeo, nihilominus verè extendi ad eos. Probatur primò, quia Decreta, & Bullæ non debent explicari in toto rigore verborum, ſed ſecundum modum communẽ loquendi, vt conſtat *ex cap. ex litteris, el primero, extra, de ſponſalibus, & lege liberorum, §. quod autẽ caſu, ff. de legatis* 3. & tradit Nau. *c.27. n.255.* & confirmat vſus Curiæ Romanæ, cuius ſtylus eſt non curare de ſtricto rigore verborum, teſte Collectore *in compendio priuilegiorum Mendicantium, tit. ingredi Monaſteria Monialium*, §. 13. Sed ſic eſt, quod ſecundum communem modum loquendi; imo & Cancellaria Apoſtolica, vt notat Rebuff. *lib. 1. de praxi beneficiali, tit. de diſpenſatione cum Regularibus facta, pag.* 422. Nouitij dicũtur Religioſi, & vere quo ad aliqua cẽſentur tales: ergo extenditur prædictũ indultũ ad illos.

3. Secundò, quia poſtquam Monachis prohibitum fuit ingredi domos Monialium, Eug. IV. declarauit (ſi credimus Rod. §. 12. *n.5. dub.2.*) per illam prohibitionẽ etiã illis prohiberi ingredi domos beatarũ, ſeu Tertiariarũ, quæ vere, & eſſentialiter Religioſæ non ſunt: ergo ſi in re odioſa, qualis erat illa, dicit Pontifex intelligendas eſſe beatas, quæ vere Moniales non ſunt, à fortiori in re fauorabili, cuiuſmodi eſt hæc, de qua agitur, nomine fratrum venient intelligendi Nouitij.

4. Ad rationem dubitandi ſatis patet ex dictis, ſed inſuper Reſpondeo, Nouitios eſſe Religioſos reuocabiliter, quod ſufficit ad gaudendum priuilegiis, & fruendum nonnullis fauoribus Religionis, licèt aliàs in aliis odioſis non cenſeantur Religioſi.

5. Ex dictis infero Tertiarios, ſeu Oblatos, vulgo *Donados*, in Cõuentibus dictorum Ordinũ commorãtes, atque eiſdem famulantes, niſi profeſſionem iam emiſerint, vel ſaltem emittendi habeant intentionem, non poſſe ſimiliter abſque Bulla memoratis priuilegiis gaudere. Hi

Digitized by Google

enim nec ſunt verè, & propriè perſonæ Regulares, nec vt tales dictorum Ordinum Superiorum iuriſdictioni ſubduntur; poſſunt tamen gaudere gratiis, & fauoribus, quos Regularium famulis ius commune concedit. Ita Rodr. *n.* 10. & communiter omnes.

Dvbivm VI.

Vtrum in anno Iubilæi, quod 25. quoque anno conceditur Romæ, ſuſpendantur, tam priuilegia quædam conceſſa in Bulla, quàm alia conceſſa Religionibus.

1. Ratio dubitandi eſt, quia prædicta omnia videntur aperte ſuſpendi pro eo tépore, per extrau. *quemadmodum* Sixti IV. & per Bullam Gregor. an. 1575. & ita id affirmat Nauar. §. *in Leuitico, notab.* 28. *n.* 13. *&* 14. *& notab.* 30. *n.* 51.

2. Pro intelligentia huius dubij præmittere oportet, quinque eſſe, quæ ſuſpenduntur anno Iubilæi. Primò, omnis indulgentia plenaria. Secundò, authoritas cõmutandi vota. Tertiò, diſpenſandi. Quartò, facultas cõponendi male parta. Quintò, poteſtas deputandi Confeſſarios cum facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, de quibus videndus eſt Rodr. §. 12. *num.* 13.

3. His igitur ſuppoſitis, reſpondeo dicendum cum Henriq. *lib.* 7. *c.* 21. *n.* 3. & cum Rod. *vbi ſupra*, durum valde videri, quod Pontifex ſciens Bullam Cruciatæ quotannis publicari, velit anno Iubilæi ſuſpẽdere præcipua eius priuilegia, aliàs in eodẽ anno videretur ſibi contrarius, vt dicit Henriq. *vbi ſupra*, & tradit in ſimili Nau. *de Indulgentiis, notab.* 33. *n.* 51. Vnde exiſtimo id non eſſe conforme menti Pontificis, vt notauit Rodr. *vbi ſupra*, & patet ex reſponſione cuiuſdam Cardinalis in caſu ſimili conſulti, quem ipſe refert ibidem. Et ratio huius aſſertionis eſt, quia Bulla Cruciatæ non eſt conceſſa ſpecialiter Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, Hoſpitalibus, locis piis, Vniuerſitatibus, vel Cõfraternitatibus, de quibus ſolum loquitur illa extrauagans Sixti IV. neque perſonis ſingularibus determinatè, de quibus etiã loquitur extrauagans Gregorij XIII. ſed toti Hiſpaniæ, & aliis Prouinciis, & Regnis Philippi: ergo non ſuſpenduntur anno Iubilæi quo ad prædicta; atque vltra præcitatos DD. nobiſcum ſentiunt Portel *in dub. regul. verb. Bulla Cruc.* Bonacin. *de legib. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 2. *n.* 13. Salas *de legib.* ſimiliter *diſp.* 2. *ſect.* 10. *in fin.* Villalob. *clauſ.* 12. *n.* 19. Fernandez *in exam. Theol. mor. p.* 3. *c.* 9. §. 10. *n.* 6. Acoſta in Bullam, *q.* 101. Zerol. *de anno Iubil. lib.* 2. *c.* 19. *q.* 2. & alij, quorum aliqui referunt ita declaraſſe Clem. VIII. in ſuo Iubilæo anni ſancti 1600. Imo & Vrbanum VIII. pro anno Iubilæi 1625.

4. Et ſi obiicias: ergo ſaltem ſuſpenduntur per Gregorij extrauagantẽ priuilegia Mendicantium, quantum ad illa quinque ſupra relata, cũ ibi ſuſpendãtur indulta Ordinibus etiam conceſſa, cum clauſulis derogatoriis derogatoriarum. Reſpondeo, concedendo ſequelam, cum Nau. *vbi ſupr. d. not.* 33. *n.* 51. & Rodr. *vbi ſupr. n.* 14. Quare curandum eſt Prælatis Mendicantiũ, & aliorũ Ordinum, anno Iubilæi ſtatim poſt promulgationẽ, obtinere confirmationem ſuorum priuilegiorũ, ſaltẽ ad tollendam dubitationem in re adeo graui, vt tradit Rodr. *vbi ſupr.* inquiens ita eſſe in vſu, idque ſibi per Cruciatæ Conſiliarios à ſe de hoc interrogatos fuiſſe reſponſum. Atque ex dictis ratio dubitandi facile ſoluitur.

5. Ex dictis colligo primò, per Iubilæi publicationẽ non ſuſpendi indulgẽtias non plenarias, nec facultatẽ componendi de rebus incertis, obtentis tamen abſque vlla culpa; nec etiã authoritatem eligendi Confeſſorẽ pro abſolutione in

foro

foro conſcientiæ ab iis, quæ Prælatis Papa inferioribus reſeruantur, vt obſeruat Rodriq. *vbi ſupra*, ſed illa quinque duntaxat initio huius dubij inſinuata ſuſpenduntur.

6. Colligo ſecundò, priuilegia Religionum, etiam Mendicantium, quo ad prædicta quinque anno Iubilæi, ita ſuſpendi, vt nec fratres, nec ſæculares poſſint eiſdem frui, vt habetur ex Nau. *loco cit.* vbi ob rationẽ ſupra inſinuatam, ait, hanc opinionem tutiorem exiſtimare. Vndè anno Iubilæi durante, Regulares virtute ſuorũ priuilegiorum, nec indulgentiam plenariã conſequi, nec vota cõmutare, ſeu diſpẽſare, nec à caſibus Sedi Apoſtolicę reſeruatis abſoluere poſſunt. Atque ideo Superiores Regulariũ, non ſolum ob proprium, & ſubditorũ beneficiũ ſpirituale, ſed etiã ob ſolamen ſaltẽ ſæcularium, debuiſſent ſtatim poſt Bullæ Iubilæi publicationem, ad Sedẽ Apoſtolicam recurrere pro ſuorum priuilegiorum confirmatione impetranda.

DVBIVM VII.

Qua ratione intelligatur facultas Commiſſario conceſſa in diſpenſandis irregularitatibus.

1. PRo intelligentia huius dubij præſupponere oportet, quod Cõmiſſario conceditur facultas diſpenſandi, & componendi ſupra irregularitate cum quibuſuis, qui Eccleſiaſticis cenſuris ligati, Miſſas, & alia officia diuina, non tamen in contemptum clauium, celebrarunt, ſeu aliàs illis ſe immiſcuerunt, & ſuper alia quauis irregularitate, præterquam ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, Apoſtaſiæ à fide, aut hæreſis, vel ob malã ordinũ ſuſceptionẽ contracta, cum retentione beneficiorũ, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde prouenientis.

2. Hoc ſuppoſito, pro reſolutione reſpondeo, quinque irregularitates excipi in prædicta conceſſione, in quibus non poteſt Commiſſarius diſpenſare, ſi ex dicto delicto proueniant. Prima eſt, quæ oritur ex homicidio volũtario, ad quod reducitur mutilatio etiam, quantum attinet ad hanc diſpenſationẽ, quia in hac ſolus Papa poteſt diſpenſare, vt patet ex Trid. *ſeſſ.24.c.6.* Nau. *c.27.n.24.* & Cord. *lib.5.q.43.dub.3.* At vero in irregularitate homicidij caſualis poteſt diſpenſare Epiſcopus per Trid. ſupra, cum delictum eſt occultum, Commiſſarius autem etiam cum eſt publicum.

3. Secunda irregularitas, quæ excipitur, eſt ea, quæ prouenit ex Apoſtaſia à fide, cuius non meminit Sylu. *verb. Irregularitas, & verb. ordo 4.q.4. nec verb. Apoſtaſia*, eſto ibi *quæſt.8.* dicat Apoſtatam à Religione priuari vſu ordinum, & cum eo ſolum Papã diſpenſare, niſi delictum ſit occultum; tunc enim etiam diſpenſat Epiſcopus: ergo à fortiori Apoſtata à fide priuatur vſu ordinum. Expreſſe tamen ipſe Sylu. *verb. crimen, §.2. & verb. enorme, §.1. ex cap. ventum 1. q.1.* tenet Apoſtatam à fide eſſe irregularem, idem docet Sot. *4. diſt.25.q.1.art.3. ex cap. Preſbyteros, diſt.50.* & Innoc. *c.1. de Apoſtatis*; quod ſi Apoſtata à fide erat iam ordinatus, priuatur vſu ordinum. *cap. Iulia 11. q.3.* & patet ex Innoc. *1. Epiſt.22.c.5.* ex quibus canonibus male aliqui aſſerunt, non recte probari Apoſtatam à fide irregularitatem incurrere.

4. Tertia deinde irregularitas, quæ ibi excipitur, eſt, quæ prouenit ex hæreſi, cuius nõ meminere Sylu. & alij Summiſtæ: reperitur tamẽ in antiquis Conciliis relatis à Soteal. *ſum. verbo Clero aſcripti, § 10. & 11.* ſub his verbis; *ex quacunque hæreſi veniens, minime eſt ad Clerum promouendus*; atque idem multis cit. defendit Sanch. *ſum. lib.2. cap.25.n.2.* quidquid in contrariũ opinetur Henriq *lib.14.c.4.* cũ aliis, quos ipſe refert *in comment. litt. I.*

Digitized by Google

5. Quarta irregularitas hic excepta eſt, quæ prouenit ex ſimonia, nam ſimoniacus in ordine eſt irregularis. Couar.*Clement.ſi furioſus,p.2.§.3.num.4. col.4.*Sot.*9.de iuſtitia, quæſt.8.art.2.* Sylueſt.*verbo caſus,§.1. & verb.enorme,§.1.* cum multis Doctoribus,*& verbo ſuſpẽſio,§.7.& verb.crimen,§.2.* Angelus *ſimonia 6.* §. 2. & alij relati à Cord. *lib.1. q.35. propoſition.4.* Ioan. Andr. Turrecremata,& gloſ.*diſt.5*.Deinde ſimoniacum in ordine,tam publicum quam occultum, eſſe iure ipſo ſuſpenſum ab vſu ordinum; ſimoniacum autem in beneficio non eſſe ſic ſuſpenſum,ſed tantum excommunicatum excommunicatione Papæ reſeruata(ſicut etiam eſt ſimoniacus in ordine) docet Nau.*cap.23.n.111. dub.14.& c.27. n.106.* & relectione de ſimonia *n.29.* & colligitur *extrauag.2. Paul.2.de ſimonia*,quare falſo Sylu.*verbo ſimonia,§.7.* & Couar. *Clem.citata, p.1.§. 1.num.7.* dicunt ſimoniacum in beneficio eſſe ſuſpenſum.

6. In his itaque irregularitatibus, quas dixi per ſe prouenire ex apoſtaſia à fide, ex hæreſi, & ſimonia in ordine, non poteſt Commiſſarius diſpenſare; ſecus tamẽ in irregularitate proueniẽte ex eo,quod quis celebret cum excõmunicatione conſequente apoſtaſiã à fide, hæreſim,vel ſimoniam in ordine, quod dixerim contra aliquos, qui ignorantes irregularitates, quæ per ſe cõſequuntur ad tria prædicta crimina,dicunt hic negari Commiſſario facultatẽ diſpenſandi in irregularitate conſequente per accidens ad huiuſmodi delicta,vt ſi cum excõmunicatione ad ipſa conſequente celebrauerint.Quæ expoſitio valde aliena eſt à mente Pontificis, nam hæc irregularitas cum cõſequatur per accidens ad talia delicta,& mediante alio delicto nõ videtur intelligenda nomine irregularitatis ex talibus delictis cõtracta.Et probatur, quia initio huius cõceſſionis datur facultas Commiſſario diſpenſandi ſuper irregularitate cum his, qui quibuſdã Eccleſiaſticis cenſuris, ſeu illis ſe immiſcuerint. Poteſt ergo Cõmiſſarius diſpenſare in irregularitate conſequente ex eo,quod aliquis propter hæreſim, vel apoſtaſiam, vel ſimoniam in ordine excommunicatus celebrauerit, ſed non in irregularitate conſequente per ſe aliquod ex his delictis.

7. Et licet Rodr.§.13.*n.4.*in dubium reuocet, conſequi irregularitatem ad hæc delicta,quando ſunt occulta,tamen Couar.*vbi ſupra* aperte negat, quia textus,& authores ſine diſtinctione loquũtur,& Nau.*cap.27.n.248.* expreſſe dicit nullum crimen præter homicidium, & alia,quæ in iure ſunt expreſſa,inducere irregularitatem, niſi ſit notorium, vel auctorem reddat infamem, vt declarauit Greg.IX.*cap.fin.de temporib. ordinandorum*, idem tenet Caſtro *2.de lege pœnali,cap.vlt.*& Cord.*vbi ſupra.*

Quare nec vitium ſodomiæ occultũ inducit irregularitatem vt docet Sylu. *verb.crimen,§.2.*Nau.*eod.c.27.n.249.*licet oppoſitum teneat Couar. *clem.citata,p. 1.§.2. n.6.* propter ſolam authoritatem multorum.Cum igitur in iure expreſsè ponatur irregularitas pro hæreſi, apoſtaſia,& ſimonia in ordine,ſequitur eam incurri, licet hæc delicta ſint occulta, non vero propter ſimoniam in acquirendo beneficium, niſi delictum ſit notorium,vt docet Couar.*Clem.citata.p.2. §.3.num.4.col.4.*

8. Quinta præterea irregularitas,quæ excipitur,ea eſt,quæ contrahitur ex mala ordinum ſuſceptione;nam primò excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſi ſuſcipiat ordines,fit irregularis, & in ea irregularitate ſolus Papa diſpenſat,ex Couar. *cap.Alma mater, p.1. §.6.n.6.col 4.* Secundò, qui initiatur ab Epiſcopo nominatim excommunicato, vel hæretico,vel Apoſtata,vel ſimoniaco in

co in

Digitized by Google

eo incurrit irregularitatem, teſte eodem Couar. *ibidem*, & Nau. *c.27.n.241. dicto* 4. *ex c. ſi à ſimoniacis* 1. *q.* 1. quod limitant Angel. *verb. irregularitas*, §. 30. Armil. §.78. ſi de hæreſi, apoſtaſia, vel ſimonia ſit nominatim denunciatus, nam ſi ſit occultus, vel toleratus, recipiens ab eo ordines, non incurrit irregularitatem. Tertiò, qui promotus eſt per ſaltum, vel abſque litteris dimiſſoriis, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora, eſt irregularis, teſte Nauarr. *loco cit.* Rodr. §. 13. *num.* 5.

9. In his ergo quinque irregularitatibus non poteſt Commiſſarius diſpenſare, nec etiam (vt aliqui opinantur) cum eo, qui bona fide recipit ordines ab Epiſcopo, qui ſimoniacè ipſum ignorantem ordinauit; nimirũ, quia pro eius ordinibus Epiſcopus pecuniam accepit ab alio, id ignorãte ordinato. Ita docent Maio. *lib.* 4. *de irregularitate, c.* 22. & 23. Couar. *ſupra*, cum Sylu. *verb. ſuſpenſio*, §.7. *verſ.* 1. *dicto* 1. quæ ſententia, ſi eſſet vera, non poſſet quidem Commiſſarius cum tali diſpenſare, quia talis irregularitas non contrahitur ex delicto ordinato; ſed exiſtimo illam eſſe omnino falſam, vt tenent Innoc. Hoſtienſis, Felin. & alij, quos refert, & ſequitur Caſtro 2. *de lege pœnali, c.* 15. Couar. *c. Alma, p.* 1. §.6. *n.* 6. & Sylu. *Euchariſtia* 13. §. 4.

10. Sed probatur, quia illa bona fides videtur illum excuſare ab irregularitate, ſicut quando propter metum grauem ſinit ſe ordinari à ſimoniaco, vel hæretico, excuſatur à ſuſpenſione, vel irregularitate, vt docet Sylu. *verb. irregularitas*, §.7. Tab. Ang. Hoſtienſ. & alij, quos ſequitur Nau. *c.*27. *n.*241. §. 4. & ſimiliter, qui celebrat, vel initiatur ignorans propriam excommunicationem, vel ſuſpenſionem, non ſit irregularis, vt docet Nau. cum communi DD. *c.*27. *n.*156. Ergo nec qui ignoranter ordinatur à ſimoniaco, vel hæretico.

11. His addo cum doctiſſimis quibuſdam Salmanticenſibus, Commiſſarium non poſſe diſpenſare in irregularitate bigamiæ veræ, vel interpretatiuæ; tum quia etiam Pontifex vix in ea diſpenſat; tum quia hic excipiuntur aliæ minores irregularitates, & quia hic nõ datur facultas diſpenſandi, niſi in irregularitate contracta ex ratione delicti; poterit tamen diſpenſare in irregularitate, quæ prouenit ex bigamia ſimilitudinaria, quæ eſt delictum; de quibus irregularitatibus vide Nau. *c.*27. *n.* 195.

12. Ex his ſequitur in aliquibus irregularitatibus poſſe diſpẽſare Epiſcopum, & non Commiſſarium: nam cum ſimoniacè ordinato poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt miniſtret in ordinibus rectè ſuſceptis, licet non in ſimoniacè ſuſceptis, nec in aliis ſuſceptis poſt ipsũ, vt ait Sylu. *verbo ſuſpenſio*, §.7. imo, & in irregularitate proueniente ex delicto occulto poteſt Epiſcopus diſpenſare, per Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. Commiſſarius autem non poteſt diſpenſare in irregularitate aliqua proueniente pro ſe ex hæreſi, apoſtaſia, ſimonia, vel ex mala ordinum ſuſceptione.

Dubium VIII.

Qua ratione intelligenda ſit facultas Commiſſario conceſſa ad diſpenſandum in primo, & ſecundo gradu affinitatis ex fornicatione contracta.

1. PRo intelligentia huius difficultatis præmittendum eſt concedi Commiſſario prædictã facultatem ſub his verbis. *Item diſpenſandi in foro conſcientia duntaxat, nullis datis litteris, ſeu per Confeſſorem laceratis cum his, qui primo, & ſecundo affinitatis ex fornicatione contracta gradibus coniuncti matrimonium contraxere, dummodo poſt Conc. Trid. illius formam*

Digitized by Google

formam ſeruauerint, ac impedimenta huiuſmodi occulta ſint penitus, & alter contrahentium tempore contracti matrimonij, impedimẽti ignarus extiterit, & quod de nullitate prioris conſenſus prius certificati, taciteque (ſi videbitur ad euitanda ſcandala) cauſa nullitatis, matrimoniũ inter ſe, etiam ſecrete de nouo contrahere poſſint, prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendã exinde legitimam decernendo. Item diſpenſandi in ſimili affinitatis impedimento ſuper debiti exactione in eodem foro conſcientiæ tantum. Hæc ſunt verba conceſſionis, quibus ſuppoſitis pro eorum interpretatione.

2. Aduerto primò, affinitatem ortam ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu dirimere matrimoniũ, in tertio vero, & quarto non dirimere, vt ſtatuit Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 4. ſed non declarauit vtrum in tertio & quarto gradu impediret, ideo de hoc dubitauit Veracruz *in appẽdice ad ſpeculum coniugale, de impedimento affinitatis*, & impedire tenuit Nau. *c.* 22. *n.* 43. quem videtur ſequi Alcocer *in ſum. cap.* 20. Sed iam certum eſt nõ impedire, quia ſic declarauit Pius V. in quodam motu proprio anno 1566. vt refertur in margine Nau *ibi*, & tradunt etiã Rodr. §. 13. *n.* 6. Med. 1. *ſumma, c.* 14. *§.* 18. Angles *in materia de matrimonio*, agens de impedimento affinitatis *art.* 1. *propoſit.* 4. & multi etiam Magiſtri Salmanticenſes, quibus fauet Sarmiento 1. *ſelectarum, cap.* 9.

3. Secundò aduerto, quod licet Sylu. *verbo Papa*, §. 17. cum Sot. *lectione* 11. *de matrimonio*; Angl. *ſupra*, & aliis multis exiſtimat, Papam non poſſe diſpenſare in primo gradu affinitatis rectæ lineæ, etiam ſi affinitas ſit contracta ex fornicatione, v. g. vt quis ducat cognitã fornicariè à ſuo patre: Oppoſitum tamẽ tenent Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 53. *art.* 3. Sot. *in* 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. Palud. *diſt.* 40. *q.* 1. Vict. *in ſum.* 276. Veracruz 1. *p. ſpeculi, art.* 47. & 49. & 58. Can. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. & ita Pontifex nunc concedit abſolute, vt in primo gradu affinitatis prouenientis ex fornicatione diſpenſare poſſit Commiſſarius.

4. Tertiò aduerto, quod, vt ex Bulla patet, ſolum datur facultas Commiſſario diſpenſandi in hoc impedimento in foro interiori, & quando delictum eſt penitus occultum; vnde ſi ante diſpenſationem publicetur ex culpa Commiſſarij, ſeu alterius cuiuſcunque, diſpenſatio erit nulla; ſi vero publicetur poſt diſpenſationem, ſeparandi ſunt in foro externo per Iudicẽ Eccleſiaſticum, donec à Summo Pontifice pro foro externo obtineatur diſpenſatio.

5. Quartò aduerto, Bullam requirere ad talem diſpenſationem Commiſſarij tria. Primum, quod matrimonium ſit iam contractum in facie Eccleſiæ. Secundum, quod cæperit bona fide, ſaltem ex parte alterius contrahentium. Tertium vt ignoranter impedimentum detegatur, ſaltem in communi, vt iterum contrahat.

6. Vltimò aduerto, Bullam concedere, quod habita diſpenſatione ex cognitione impedimẽti, ſaltem in cõmuni, vt dictum eſt, nõ ſit neceſſe fieri denunciationes, nec adeſſe parochũ, vel teſtes, ſed ſufficere vt inter ſe de nouo contrahant: generale eſt enim, vt qui in facie Eccleſiæ contraxere, ſublato impedimento per diſpẽſationem, licite poſſint clam contrahere, vt declarauit Pius V. quodam motu proprio de praxi Pœnitentiariæ Romæ, vt ex Nau. docet Rod. *ſupra n.* 6. idemque ſenſiſſe Patres Trident. dixerunt Cou. Guerr. Archiepiſcopus Granatenſis, Blan. Archiepiſcopus Compoſt. Sanch. Epiſcopus Segobr. & Gallus, qui Concilio interfuit, quare ſine cauſa trepidauit in hoc Cord. *in ſum. quæſt.* 51. & *lib.* 1. *quæſtionũ, q.* 12. *in emendatione, qua habetur in fine libri circa pag.* 125. & *lib.* 5. *q.* 43. *dub.* 6. *pũct.* 3. Vnde

in

Digitized by Google

in eo euentu clam contrahere, peccatum non eſt, vt docet Nau. *c.*22.*n.*68.*&* 70. Caiet.*tom.*1.*opuſc.*12. *de matrimonio,q.*2. Sot.4.*diſt.*28.*q.*1.*art.*2.*concl.*3.

7. Sed quid ſi fœmina nobilis, quæ fratrem mariti, ex quo filios habet, antea cognouerat, timeat mortem, vel repudium cum ingenti dedecore, ſi marito etiam in communi impedimentum præcedens detegat, poterit ne Commiſſarius diſpenſare, vt ſuppreſſo impedimento, & matrimonij nullitate contrahant? Reſpondetur, non poſſe, quia cum hac reſtrictione datur ei facultas à Pontifice; poſſet tamen Papa abſolutè, & ſine hac reſtrictione diſpenſare, & tunc licet maritus ignoret omnino impedimentum, & nullitatem matrimonij præcedentis, verum matrimonium de nouo contraheret, ſi eam de nouo in vxorem acceptaret, iuxta Innoc. *cap.*1. *de eo qui duxit in matrimonio,&c.* & tradunt Caiet. *vbi ſupra*; Veracr. *in ſpeculo, p.*2.*dub.*2.*art.*29.cum Rich.& Soto *diſt.* 28.*q.*1.*art.*2. *concluſ.*3. Cord. *lib.*1.*q.*11. *art.*1.*in principio,pag.*125.&

8. Probatur, tum quia ſi dicta fœmina antequam primum matrimonium contraheret, obtinuiſſet impedimenti diſpenſationem, matrimonium valeret, quamuis ſi vir ille ſciret, præteritũ impedimentum non contraheret; quia in illo caſu abſolute ille conſenſit, ſed etiam in ſecundo matrimonio abſolute conſentit, licet ex ignorantia impedimenti præcedentis, & nullitatis prioris matrimonij. Ergo cum iam ſit ſublatum impedimentum, valet ſecundum matrimonium. Tum quia fœmina dubitans de morte primi mariti, vel credens non viuere, ſi contrahat abſolute cum ſecundo, matrimonium valet, ſi iam tunc prior maritus erat defunctus. Ergo ad validitatem matrimonij nõ requiritur, vt tempore contractus ſciat aliquis ſe liberum, & ſine vllo impedimento ad contrahendum, vt fatetur Nauar.*c.*22. *n.*56.Couar.4.*de ſponſalibus, p.*2.*c.*5.§.7. *num.*2. Ergo ſimiliter licet ignoret ſe eſſe liberum ab iſta, ſi tamen vult cum ea contrahere, & abſolute accipit eam in ſuam, matrimonium valet.

9. Confirmatur ſecundò, nam ſi vir, & fœmina conſanguinei deſponſati ſunt ante Trid. cum ſpe diſpenſationis, qua habita, ſed nondum ſata, copulentur affectu maritali cum intentione cõtrahẽdi, certe matrimonium eſt validũ; vt tradunt Sot.4. *diſt.*29.*q.*2. *art.*1. Veracr.1.*p.ſpeculi, art.*44.*concl.*3. Perez *l.*1. *tit.*1.*lib.*5. *Ordinamenti*, *pag.*41. *col.*2.& multi Theologi, & Iuris vtriuſque profeſſores Salmãticæ conſulti. Ergo ſimiliter in propoſito, non obſtante illa ignorantia, matrimonium eſt validum.

10. Tandem, quia ſi quis metu graui matrimonium contraxit, & ceſſante metu cohabitat, & coniungitur vxori affectu maritali, fit verum matrimonium, vt docent Sotus *in* 4.*diſt.*29.*art.* 3.Ledeſm.2.*p.q.*49.*art.*3. Veracruz 1.*p. ſpeculi,art.*32.*concluſ.*5. Supplem.& quidam recentiores contra Sylu. *matrimonium* 4. §. 10. Ergo ſimiliter in noſtro caſu accedente diſpenſatione, & rehabito conſenſu matrimonium erit validum; quam ſententiam exiſtimò ſatis probabilẽ, licet grauiſſimi DD. oppoſitã cenſeant probabiliorem, de quo alibi.

11. Aduerto tamen, quod ſi non ſit recurſus ad Papam, vel Cõmiſſarium, in hoc impedimento, vel ſimilibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt tradunt Nau.*c.* 22.*n.*85.Sot.*diſt.*37.*q.*1. Sylu.*verb.diſpẽſatio*, §.9. Armil. §.19. *&* 20. Ang.§.5. Tabien.& alij Summiſtæ cum Margarita Cõfeſſorum *verb.diſpenſatio.* Rodr.§. 13.*n.*6.Veracruz 2.*p.ſpecul.art.*18. & alij multi grauiſſimi viri aſſerentes, quod quando propter paupertatem non eſt recurſus ad Papam, poteſt Epiſcopus in prædictis diſpenſare.

Digitized by Google

Dubium Vltimum.

Qua ratione intelligatur poteſtas Commiſſario conceſſa ad dandam facultatem pro dicenda Miſſa per horam ante lucem; & per horam poſt meridiem.

1. PRo intelligentia huius difficultatis præmitto primò, Iure canonico prohiberi ſub graui pœna Miſſam celebrare ante lucem, vt conſtat *ex cap. nocte ſancta, de conſecratione, diſt.* 1. & tradunt D.Thom. 2. 2. *q.* 83. Sot. 4. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *in fine.* Bellar. *lib.* 2. *Miſſa, c.* 14. Nau. *c.* 25. *n.* 85. & alij, quos refert, & ſequitur Henriq. *lib.* 9. *c.* 24. §. 5. cui doctrinæ nulla ratione obſtat Leo Papa *de conſecratione, diſt.* 1. *cap. neceſſe*, vbi ait; offerri poteſt ſacrificium prima diei parte, dies autem incipit à media nocte, hoc inquam non obſtat, quia principium diei, prout requiritur ad ſacrificia, non computatur à medio noctis, ſed à ſolis ortu, vel à præcedente eius ſplendore, teſte Soto 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *in fine.* Vnde inter prærogatiuas Epiſcopi numeratur, vt ante lucem celebret, iter facturus, vt docet Nau. *dict. n.* 85. & alij relati ab Henriq. *vbi ſupra,* quod etiam conceditur Cardinali, quamuis iter non faciat, teſte eodem Henriq. *ibidem*, cum multis aliis ab eo citatis.

2. Verum tamen eſt, quod vbi conſuetudo viget, vt in crepuſculo dicatur Miſſa pro viatoribus, aut ſi opus eſt pro communicando infirmo, recte fieri poteſt tunc ſacrificium Miſſæ; vt notauit Henriq. *vbi ſupra* ex Nauar. *dicto n.* 85. & tradunt D. Anton. 5. *p. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Ang. *verb. Miſſa,* §. 42. Sylu. *ibi* §. 6. Palud. 4. *diſt.* 13. *q.* 2. & gloſ. *c. final. de priuilegiis in* 6. imo credo idem poſſe facere alios preſbyteros, quando ex honeſta cauſa iter agunt, vt notatũt Sot. doctor Veracr. & recent. quos refert, & ſequitur Henriq. *vbi ſupra*, nulla tamen exiſtente cauſa, ſeu conſuetudine peccatum erit, antequam ſigna ſolis appareant, celebrare, teſte Sylu. *verbo Miſſa* 1. vbi inſuper ait, id etiam eſſe verum de ſecũda Miſſa in die Natiuitatis.

3. Secundò præmitto eſſe ſententia Nauar. *c.* 25. *n.* 85. licitum eſſe ſecluſo ſcandalo celebrare Miſſam vſque ad tertiam horam poſt meridiem, quia id inquit nulla lege prohibitum eſt. Vnde teſtatur, ſe id frequenter feciſſe, dum iter ageret. Idem docet Sylu. *verbo Miſſa* 1. *q.* 6. Rodr. §. 13. *n.* 9. Sed oppoſitum docent Ioan. Andr. communiter receptus, *c.* 1. *de celebratione Miſſarum.* Mandoſius *in praxi ſignaturæ, tit. altare*, & Rodr. *ibidem*, atque alij plures, quos refert, & ſequitur Henriq. *lib.* 9. *c.* 24. §. 6. pro quo etiam adducit quoddam Concilium Toletanum, vbi habetur; *nullus ante auroram, aut poſt meridiem celebret*; quæ opinio probabilior videtur, quia licet tempore D.Thom. Miſſa fieret hora nona, quæ eſt tertia poſt meridiem, vt ipſe docet 2. 2. *q.* 88. *in corpore, & ad* 3. & 4. *diſt.* 13. D. Ambroſ. *in pſal.* 118. *Sermone* 8. Heſychius *lib.* 2. *in Leuiticum, c.* 8. Tabien. *verbo Miſſa, c.* 13. Couar. 4. *variarum, c.* 12. *n.* 14. Maiol. *de irregularitate, lib.* 3. *c.* 12. at conſuetudo ipſa obtinuit, vt nullus ſine priuilegio poſt meridiem celebret, vel ſaltem non multum poſt meridiem; quod notanter addo, nã qui ſecluſo ſcandalo illam celebraret paulo poſt meridiem, non peccabit, vt bene notauit Henriq. ex multis Doctoribus à ſe citatis.

4. Tertiò, præmitto Regulares Mẽdicantes, & alios, qui eorum priuilegiis communicant, poſſe celebrare per horã ante lucem, & per horam poſt meridiẽ, quia id conceſſit Fratribus Minoribus Leo X. vt habetur in Compendio Mendicantium, *tit. Miſſa* 2. *quoad tempus*, §. 6.

&

& in Supplem. *fol. 92. conceſſione 275.* quod idem conceſſit Greg. XIII. Societati IESV, vt habetur in Compendio ſuorum priuilegiorum, *verbo Miſſa*, §. 3. Amplior tamen fuit illa facultas Leonis, quam iſta Gregorij, quia, vt conſtat ex locis citatis, conceſſit Leo X. Prælatis Minorum, vt poſſent dare facultatem ad celebrandum ſtatim poſt preces matutinas, quo priuilegio etiam gaudent Prælati reliquorum ordinum ratione cõmunicationis. Sed Rodr. §. 13. *in fine*, dicit hæc priuilegia eſſe iam reuocata per Trid. *ſeſſ. 22. decreto de obſeruandis in Miſſa*, vbi inter alia dicitur, *debitis horis eſſe celebrandum*; & poſtea ſubdit, *priuilegiis quibuſcunque non obſtantibus.*

Sed hoc decretum nihil obſtat, quia Pius V. viuæ vocis oraculo confirmauit in foro interiori omnia priuilegia Minoribus antea conceſſa, etiam quæ erant contra Trid. vt refert Veracr. *in ſpeculo in fine.* Sed rurſus Rodr. *vbi ſupra*, obiicit per motum proprium Sixti V. reuocata eſſe iam prædicta Priuilegia, & ad normam Trid. reducta. Vnde ait, Religioſos non poſſe vti prædicto priuilegio. Sed fallitur, quia per Tridentinum non reuocatur priuilegium illud Mendicantium; Nam cum dicit, *priuilegiis quibuſcunque non obſtantibus*, ſolum tollit celebrare horis indebitis, & indecentibus; celebrare autem ex rationabili cauſa per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem, non eſt celebrare indecenti, & indebito tempore, ſed potius in tempore decenti, & debito, neceſſitate tamen occurrenti.

6. His igitur præiactis fundamentis, reſpondemus Commiſſarium habere poteſtatem dandi facultatem ad celebrandum per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem: quod licet probabile ſit iuxta ſupradicta fieri poſſe iure communi, datur nihilominus ad id priuilegium, quia illa opinio non eſt omnino certa, & ad ſedandos ſcrupulos, vt recte notauit Henriq. *lib. 9. c. 24.* §. 6. ex multis doctoribus à ſe ibidem relatis. Hæc autem poteſtas Commiſſarij datur ei, cum hac limitatione, nimirum, quod ſolum poſſit concedere prædictam facultatem viris nobilibus, & perſonis qualificatis, ſecundum eius arbitrium; non autem oportet, quod ſint nobiles ſecundum rei veritatem, ſed vel quod vt tales habeantur, vel alias vt tales ſe gerant: atque hæc de facultatibus conceſſis Commiſſario, nam de alia, quam habet in ordine ad componendum debita; agemus, Deo dante, in expoſitione Bullæ Compoſitionis.

CAPVT X.

De modo quo ſpirant Bullæ priuilegia, & aliæ facultates in eis conceſſæ.

DVBIVM I.

An annus quo durat Bulla Cruciatæ, debeat computari à die acceptionis, an à die publicationis.

PRo reſolutione præmitto primo cum Henriq. *lib. 7. cap. 20. in principio*, quod Cruciata concedatur ſine limitatione temporis, poſtea ad triennium, deinde ad biennium, tandem ad ſexennium.

2. Secundò præmitto, certum omnino eſſe, quod annus Bullæ non debet omnino computari à die publicationis factæ in Metropoli, vel Diœceſi, ſicut computari ſolet tempus, à quo incipit obligare lex, vt ex Soto tradit Rodr. §. 5. *n. 2.* & docet Med. 1. 2. *q. 83.* 1. computãdus eſt à die publicationis factæ in ſingulis locis. Vnde quamuis in eadem

Digitized by Google

Diœceſi ſit alicubi publicata Bulla die 1. Ianuarij, ſi tamen alibi publicetur etiam intra eandem Diœceſim die 15. Ianuarij, reſpectu huius loci annus computari debet à die 15. Ianuarij.

3. His ſuppoſitis, non defuerunt, qui dicerent Bullam non ſpirare vſque ad annum elapſum, facta computatione à die acceptionis; verum hic eſt intolerabilis error, quia eſt expreſſe contra tenorem ipſius Bullæ aſſerentis illam durare per annum à die publicationis in loco, in quo accipitur. Vnde licet à publicatione hic facta iam fluxerit integer annus, ſi tamē non fluxit à publicatione facta in loco, in quo ego, vel alius pro me Bullam accepit, rectè poſſum illa frui: ſpirauit tamen elapſo anno, facta computatione à die publicationis in loco, in quo accepta eſt; ſed qua ratione intelligendus ſit iſte annus, grauior difficultas eſt, de qua *dub. ſequenti.*

4. Ex dictis colligo primò, neminem poſſe frui Bullæ priuilegiis ante eius publicationem; imo nec antequam illam ſumat, eſto intentionem habeat eam ſumendi; intentio enim (teſte Rod. §. 5. *num.* 2.) non ſufficit, vt quis Cruciatæ indultis vti valeat.

5. Colligo ſecundò, quod durante anno Bullę, non poteſt etiam per Commiſſarium ſuſpendi; nam nequit inferior Superioris diſpoſitionem ſuſpendere, vel reuocare, vt tenet communis opinio, quam ſequitur Canus *de pœnit. p.* 4. *fol.* 48. Hinc autem infert Rodr. citatus, quod ſi antequam annus publicationis compleatur, alia Bulla publicatur, id Summi Pontificis, & Commiſſarij, nec non Regis Catholici intētioni repugnat, ne ex Bullæ publicatione intempeſtiua alicui præiudicium perueniat, vt tradit Nauarr. *de Indulg. notab.* 30. *num.* 46. *fine.*

Dubium II.

An annus pro quo conceditur Bulla ſit vulgaris, hoc eſt, dierum duntaxat 365. ita vt non amplius durare poſsit.

1. Partem affirmatiuam ſequuntur nonnulli recentiores cum Rodr. §. 5. *num.* 3. & probari poteſt. Primò, quia verba priuilegiorum accipienda ſunt ſecūdum communem, & vulgarem ſenſum, in quo communiter ab omnibus accipiuntur; ſed nomine anni communiter intelligitur fluxus dierū 365. Ergo ſic eſt exponendus annus Bullæ.

Secundò, quia priuilegia, cum ſint contra ius commune, ſunt ſtricti iuris, & indulgentiæ etiam, vt communiter omnes fatentur, non amplius valent, quam ſonant. Ergo annus, quem concedit Bulla ad gaudendum eius priuilegiis, ſtricte, & non ample eſt interpretandus.

2. Tertiò, quia qui elapſo curriculo dierum 365. vellet virtute Bullæ abſolui ab aliquo reſeruato poſt tales dies commiſſo, exponeret ſe probabili periculo non recipiendi verā abſolutionem. Ergo non poteſt quis prædictæ opinioni ſe conformare, cum exponere ſe tali periculo ſit mortale. Antecedens patet, quia ſi in re ita eſt, quod Pontifex concedit ſolum Bullam pro anno vulgari, vt vult oppoſita ſententia, ille non habet facultatem adeligendum Confeſſarium pro reſeruatis, nec Cōfeſſarius ſimiliter habet iuriſdictionem, niſi noua Bulla promulgetur, & accipiatur. Ergo exponit ſe periculo non recipiendi abſolutionē, periculo (inquam) tam probabili, quantum eſt oppoſita ſententia.

3. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, annum, pro quo conceditur Bulla Cruciatæ, non eſſe rigoroſe accipiendum, prout importat dies.

dies 365. ſed moraliter; ita vt plures aliquos includat, ſex nimirum, vel octo. Itaque ſi elapſo anno, & paucis diebus non promulgetur ſecunda Bulla, quam tamen conſtat paulo poſt promulgandam, recte poteſt quis frui prædicta Bulla ex pia interpretatione Pontificis, & Commiſſarij, vt dixit Henriq. *lib.7. c.20.n.2.lit. O.* ſecutus multos Theologos diuerſorum Ordinum, & plures Iuriſperitos à ſe conſultos, vt Moyam, Veram, Sahagum. Nau. iuniorem, & alios plures eandem ſententiam tenentes, & nouiſſime Villalob. *tract.27.clauſ.4.n.8.* & Sancius *in ſelect.diſp.55.per totam.*

4. Probatur primò, quia quilibet fidelis tenetur accipere Euchariſtiam ſingulis annis ex præcepto Eccleſiaſtico, & tamen ſæpe plures dies quã 365. fluunt ab vna communione ad aliam, quia vt hiſpane dicitur. *Vnas vezes ca la paſcua mas alta, y otras mas baja.* Ergo ſicut annus, quem non poteſt quis prætertire ſine communione, non eſt vulgaris, ſed Eccleſiaſticus, ita etiam erit intelligendus annus Bullæ.

5. Secundò probatur, quia pro matrimonio contrahendo cenſetur annus 14. ætatis, quamuis deſint aliquot dies, aut menſes, ſi malitia ſuppleat ætatem, licet ſecus ſit pro ſacris ordinibus, & beneficiis, vt conſuetudo ipſa interpretatur, teſte Rod. *vbi ſupra*; & ſimiliter dies artificialis, in quo quis ex præcepto tenetur explere diuinum officium, longior eſt, quam 24. horarum, cum incipiat à veſperis diei præcedentis, vſque ad mediam noctem diei ſequentis. Ergo ſimiliter in propoſito, annus, pro quo conceditur Bulla, debet intelligi prædicto modo, ſcilicet more Eccleſiaſtico. Patet conſequentia, quia non eſt veroſimile velle Pôt. ſtrictius obligare in his, quæ petit ad gaudẽdum priuilegiis Bullæ, quam in requiſitis ad obſeruationes præceptorum; ſed pro obſeruandis præceptis ſumitur annus Eccleſiaſticus & moralis. Ergo etiam in Bulla, & eius priuilegiis.

6. Tertiò, quia ſi expleto anno vulgari publicetur Bulla in ciuitate valde populoſa, certũ eſt nõ poſſe omnes vno die accipere Bullam, ſed vel intra triduum, vel intra hebdomadã: illis autem paucis diebus intermediis vere gaudent ſua Bulla, nam rationabiliter præſumi poteſt, non velle benignum Pontificem paucis illis diebus intermèdiis priuare illos priuilegiis Bullæ, vt docet Hẽriq. *vbi ſupra in gloſſ. lit. O.* & Villalob. *n.10.* ſed de hoc, lege Sancium *loco cit. n.5.*

7. Quartò, probat Henriq. *ibidem*, quia plena eſt intentio Papæ concedentis Bullam per ſexennium, vt qui quolibet anno, tempore publicationis accipit Bullã, per ſex annos nullo die ſexennij priuetur priuilegiis illius, alias defraudaretur in aliquibus diebus. Sed hæc ratio non eſt firma, recteque illam infringit Rod. *vbi ſupra*, dicens, quod licet non gaudeat Bulla illis intermediis diebus, gaudebit tamen Bulla per integrum ſexennium, quia quælibet Bulla debet neceſſario durare integro anno, & ſic ſumens ſex Bullas, gaudebit illis per ſex annos.

8. Ad primum reſpondeo, quod annus Eccleſiaſticus ſecundum communem ſenſum poteſt conſtare pluribus diebus quàm 365. quare non interpretamur verba Bullæ contra, aut præter vulgarem acceptionẽ anni Eccleſiaſtici. Nihil autem mirandum eſt, quod in rebus Eccleſiaſticis quandoque vtamur anno Eccleſiaſtico.

Ad ſecundum reſpondeo, non ample interpretari prædictum annum, cum interpretemur illum ſecũdum modum, quo in præceptis iuris communis ſumitur, vt ſupra oſtenſum eſt.

Ad tertium, ne eadem repetamus, petenda eſt ſolutio ex his, quæ in ſimili

dicenda erunt *dub. vlt.* huius capituli. Vide ibi doctrinam valde vtilem pro multis materiis moralibus.

DVBIVM III.

An hoc diploma, & priuilegia, gratiæ, & indulgentiæ in eo conceſſæ ſpirent morte concedentis.

1. RESpondeo dicendũ Bullas Cruciatæ non expirare per mortem concedentis, & idem eſt de aliis gratiis & facultatibus à Summo Pōtifice conceſſis; Ita docent Palud. 4. *diſt.* 20. *q.* 4. *art.* 1. Sylu. *verb. indulgentia, q.* 5. §. 7. & *verb. priuilegium,* Angel. Roſella, & alij quos refert, & ſequitur Cord. *de indulgentiis, q.* 36. Henriq. *lib.* 7. *c.* 20. & *c.* 21. idem docent multi Iuriſperiti, Pariſius *conſ.* 117. *lib.* 4. Boërius *de ſenectute, fol.* 346. Romanus *lege more, n.* 62. *ff. de iuriſd. omn iud.* Benedictus *ibi n.* 6. Innoc. *c. cum ad hoc, de clerico non reſidente,* & conſtat ex *cap. ſi gratioſe, de reſcriptis, in* 6. & *cap. ſuper gratiam, de officio delegati, in* 6. quod etiam locum habet in gratiis conceſſis ipſis defunctis, vt tradunt Nau. §. *in Leuitico, notab.* 31. *n.* 25. & *ſequentibus,* & *c. placuit, de pœnit. diſt.* 6. *num.* 35. & 162. Angel. *verb. indulgentia,* §. 7. *dicto* 7. & *confeſſor* 1. *q.* 7. Sot. 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 3. Palud. *diſt.* 17. *q.* 3. Cord. *vbi ſupra,* qui omnes addunt licentiam audiendi confeſſiones non ſpirare, etiamſi concedens moriatur, vel amoueatur ab officio, vel excommunicetur, quod etiam docent Victo. *in ſum. quæſt.* 139. in veteri impreſſione, & Henriq. *lib.* 7. *c.* 21. §. 5. cum multis ab eo relatis *ibi,* & §. 6.

2. Ex quo fit, quod licet quidam opinentur, ſi Papa, vel legatus conceſſit Epiſcopo, vel alteri, vt diſpēſet, vel prouideat Petro tale beneficium, dummodo recipiat informationem ſibi factam eſſe veram, Epiſcopum defuncto Papa, vel legato non poſſe diſpēſare, licet Epiſcopus cœperit cognoſcere de cauſa, atque id nituntur colligere ex *cap. ſi ſuper gratia, de officio delegati,* & *c. ſi cui nulla, de prouident.* tamē oppoſitum docent Sylu. *verbo gratia, q.* 2. Armil. §. 5. Feder. *cōſ.* 68. Henriq. *lib.* 7. *c.* 21. §. 7. & multi ab eo relati. Cuius ratio eſt, quia iam gratia diſpenſandi, vel prouidendi facta eſt Epiſcopo tanquam executori gratiæ, officium vero executoris non ſpirat morte mandātis, pro quo facit Antonius Gabr. infra citandus §. 7. & 8. & §. 35. dicens, quod ſi gratia facta eſt de officio vacaturo, vel alia re facienda, ſed iam peruentum fuit ad aliquem actum pendentem in officium conceſſionis; non expirat gratia morte concedentis, quia iam expreſſe cœpit executioni mandari; idem repetit §. 41.

3. Hinc etiam fit, quod litteræ dimiſſoriæ, ſeu reuerendæ non expirant mortuo concedente, vt tradunt Nauar. *apologia de redditibus, q.* 3. *monit.* 8. *n.* 2. & alij recentiores cum Rebuffo *in praxi beneficiali, tit. de forma dimiſſoriarum, n.* 39. & 43. licet aliis innumeris videatur oppoſitam ſentētiam eſſe certiorem. Hinc etiam eſt, quod gratia data à delegato non ſpirat illo defuncto, vt probāt Ancharanus, Francus, & Dominicus *cap. ſi gratioſe, de reſcriptis, in* 6. & Antonius Gabr. *tom.* 2. *de prabēdis, concl.* 1. §. 4. & 18. licet id limitet §. 10. & 44. Hinc tādem eſt, quod licentia teſtandi, quam Papa cōcedit Epiſcopo etiam Religioſo, non expirat Papa defuncto, vt tradit Nauar. *apologia de redditibus, q.* 3. *monit.* 9. & 10. & idem eſt de licentia non reſidendi in beneficio, vt ait Ioan. Andr. cum Panormitano, & gloſſ. penultima *c. fin. de Clerico non reſidente,* Nau. *ſupra monit.* 8. *n.* 4.

4. Patet ergo ex his omnibus, gratias huius Bullæ mortuo Pontifice non expirare, ſed integro ſuo anno durare. Vnde (vt habetur ex dictis dub. 1.) non

Digitized by Google

non eſt conforme intentioni Pontificis, nec non Regis Philippi, vt ſequens Bulla publicetur, aut præterita ſuſpendatur ante expletum annum publicationis in eodem loco. Quare ſi contingat aliquando publicationem fieri ante expletum annum, ipſi Concionatores, aut Parochi tenentur publice dicere annum Bullæ præteritæ durare vſque ad certum diem, non obſtante publicatione nouæ Bullæ, alias fieret iniuria omnibus illis, qui præteritam Bullam accepiſſent, cum non daretur illis locus gaudendi ſua Bulla per integrum annum à Pontifice conceſſum, vt bene notauit Rodriquez §. 5. *num*.2. & poſt illum Vega *ſumm. tom*.1. *cap*.43. *caſu* 10. & Sancius *vbi ſupra*, *num*.4. & conſentit Villalob. *num*.11. licet oppoſitum putet probabilius, ſicut etiam Gomez *in explicatione Bullæ, clauſula* 5. *num*.1.

5. Si tamen abſolute vellet Pontifex ſucceſſor expedire nouam Bullam, & præteritam, ante expletum annum reuocare, valida eſſet reuocatio, ſed non ſufficeret fieri promulgationem reuocationis Romæ, ſed deberet inſuper fieri in ſingulis prouinciis, & diœceſibus, teſte Soto 9. *de iuſtitia*, *quæſt*. 5. *artic*.4. Syluest. *verb.Indulgentia, quæſt*.5. *dicto* 8. *verbo gratia*, *quæſt*.2. §. 4. Vnde ſi quis ignorans reuocationem Bullæ, vel ſimilis priuilegij, eligit Confeſſarium, à quo virtute illius fuit abſolutus à reſeruatis, valet abſolutio ex præſumpta intentione Papæ, ne alias reuocatio, & lex irritatoria periculum pariat illaqueandi animas. Ita docent Cord. *in ſumm. quæſt*.144. *& lib*.5. *de indulgentiis*, *quæſt*.36. *propoſitione* 3. pro quo adducit Geminianum *de ceſſione præbendæ, cap*.1. *lib*.6. Nauarr. *de Indulgentiis, notabil*.31. §.28. Idem docent Sot. *lib*.1. *de iuſtitia*, *quæſt*.1. *art*.4. Med. Complutenſis *Codice de confeſſione*, *quæſt*.26. Med. Salmantinus 2.2. *quæſt*.9. *artic*.4. Rodriquez §.9. *num*. 24. *&* 25. & multi alij recentiores, quos ſequitur Henriquez *lib*.7. *cap*.20. *lit*.*F*.

6. Quare ſi contingeret quod quis incepiſſet longam confeſſionem, & antequam perficeret, aut abſolutionem reciperet, reuocaretur priuilegium pro reſeruatis, poſſet nihilominus poſtea perficere confeſſionem, & vti ſuo priuilegio, vt tradunt Rodriq. §.5. *num*.2. Henriquez *lib*.7. *cap*.20. *n*.2. nam communis eſt DD. ſententia, quod ſi iudex conſeruator, aut delegatus cœpit pertractare cauſam, poteſt eam finire, quamuis tempus ſuæ commiſſionis expiret, vt docet Syluest. *verb.conſeruator*, §.6. Toloſa *quæſt*.12. Rodriquez *vbi ſupra*, cum aliis quos refert, & ſequitur Henriquez *loco citato*: ergo ſimiliter Confeſſarius, qui cœpit virtute Bullæ audire confeſſionem, & tanquam verus Iudex cognoſcere cauſam pœnitentis, poterit illam finire, quamuis expiret tempus ipſius Bullæ, aut priuilegii; & vltra prædictos id tradunt Ledeſma *ſum.tom*.1. *tract.de Sacram.confeſſ.cap*.12. *concluſ*.5. *dub*.2. Sanchez *ſum.tom*.1. *lib*.2. *cap*.13. *num*.15. & Acoſta *in Bulla*, *q*.36. Imo id aperte deducitur ex verbis ipſius Bullæ; *Item declarent, quod expirante anno omnes ſupradicta facultates, & indulta expirant, tantúmque poterunt cauſa pendentes ad finem perduci.* Vnde etiam videtur colligi, quod iuriſdictio Commiſſarij, & aliorum miniſtrorum Cruciatæ durat, quouſque omnes cauſæ inceptæ, vtilitatem, & iuriſdictionem Cruciatæ concernentes ad finem perducantur.

⁂

DVBIVM

Digitized by Google

Dubium IV.

Vtrum per promulgationem Bullæ Cœnæ expiret, & reuocetur facultas per Bullam Cruciatæ conceſſa ad abſoluendum à reſeruatis in eadem Bulla Cœnæ.

1. QVæſtio iſta valde neceſſaria eſt, ne quis in re adeo graui vel temerarie vſurpet Sedis Apoſtolicæ iuriſdictionem, vel ignoranter priuetur fauore per eandem ſanctam Sedem ſibi conceſſo; vtrumque enim in propriæ conſcientiæ præiudiciũ prouenire certiſſimum eſt. Quapropter vt rem diſtinctius explicemus, aliqua ſunt prænotanda. Atque in primis nota DD. tam Pontificij, quàm Cæſarei iuris profeſſores latiſſime diſputare, an Princeps priuilegium ſemel conceſſum poſſit reuocare, & plerumque diſtinctione vtuntur. Nam vel priuilegium collatum eſt non ſubdito, & ab eo acceptatum, & tunc cenſent non poſſe reuocari, ſaltem abſque legitima cauſa, quia in contractum tranſire videtur. Ita Felin. *in cap. nouit, n.8. & 10.* & Matienzo *lib.5. Recopilat. tit.10. lib.6. gloſſ.1. num.4.* vel priuilegium conceſſum eſt ſubdito, & tunc etiam ſubdiſtinguunt. Nam vel conceſſum eſt omnino gratis, quo caſu poteſt ab ipſo concedente, ſeu eius ſucceſſore reuocari; quoniam talis conceſſio à mera concedentis voluntate pendet. Ita Felin. *eod. cap. nouit, n.8.9. & 10.* & Matienzo *ead. gloſſ.1. num.5.* Limitat tamen Abb. *d. cap. nouit, num.26.* id verum eſſe, cum tale priuilegium habet actum ſucceſſiuum, tunc enim reuocari poteſt quoad futuros actus, quia omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdẽ diſſoluitur; ſecus ſi habeat actum momentaneum, cum mox effectum ſuum ſortiatur; tunc enim per priuilegium acquiſitum eſt aliquid de iure gentium, nempe dominium alicuius rei, ac propterea nequit ſine cauſa reuocari, vt ſi Princeps caſtrum alicui donauerit. Ita *vbi ſupra*, Felin. *num.8.* & Matienzo *num.6.*

2. Vel priuilegium conceditur in remunerationem, vt ſi concedatur pretio accepto, aut propter obſequium aliquod exhibitum, ſeu in poſterum exhibendum ab eo, cui priuilegium confertur, tunc quia cum priuilegium tranſit in contractum, nequit abſque legitima cauſa per Principem, eiúſve ſucceſſorem reuocari, bene tamen ſi iuſta interueniat cauſa. Ratio eſt, tum quia Princeps ex vi contractus obligatur, & tanquam priuata perſona reputatur, iuxta *l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco pub.* & conſequenter nequit priuilegium ex tali cauſa conceſſum reuocari; actus namque reuocandi conuenit Principi, non vt priuata perſona, ſed vt Princeps eſt. *l. Princeps, ff. de leg.* Tum etiam, quia ex contractu fit ius plene acquiſitum, iuri autem alteri acquiſito nequit abſque legitima cauſa præiudicari. Ita *loco citat.* Felin. *num.* 8. & Matienzo *num.9. & 20.* & Alexand. *toto conſil.101. vol.1.* Iaſon *l. Barbarius, num.34. ff. de offic. Prætor.* Nauarr. *§. in Leuitico, notabil.28. num.7.* & alij per eoſdem relati. Hinc autem infert Sanchez *lib. 8. de matrim. diſputat.33. num.4.* non poſſe Principem abſque iuſta cauſa reuocare priuilegium in meritorum remunerationem alicui conceſſum, eſto ſola gratitudinis lege remuneratio deberetur; & reddit rationem, quod non gratis, ſed per modum contractus cenſeatur conceſſum. Sic etiam Felin. *ibidem num.12.* licet allegato Aretino dubitauerit *numer. 8. ad finem.*

3. Nota ſecundò, prædicta omnia limitanda fore, niſi Princeps iuriſdictionem ſuam conceſſerit; tunc enim poteſt valide

valide, ac licite eam ſine cauſa reuocare. Et ratio poteſt aſſignari, quoniam in conceſſione intelligitur ſemper excepta Superioris authoritas. Ita Bal. *l. qui ſe patris, num.* 24. *C. de bon. poſſeſſ. vnde liberi*, & Felin. *eod. cap. Nouit, num.* 8. *verſ. quod tamen limita, & num.* 9. *limitatione* 1. Vnde recte deducit Suar. *to.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 3. *num.* 3. Superiorem, qui facultatem delegauit, poſſe eam ad libitum abſque alia cauſa reuocare, non tantum valide, ſed licite etiam, per ſe loquendo, quoniam vtitur iure ſuo, & quaſi re propria. Obſerua autem, vt priuilegium per modum contractus conceſſum cenſeatur reuocatum, non ſufficere reuocationem generalem, ſed requiri quod expreſſa fiat mentio, ſaltem generalis cuiuſuis indulti conceſſi per modum cótractus, vt aliis citatis tenet Sanchez *ibidem num.* 9. Nec immerito, quia alioquin non præſumitur reuocandi voluntas, quando ea tertij ius aufert, vt fuſe oſtendit Bolognetus *conſil.* 2. *num.* 37.

4. Nota tertiò, ex dictis manifeſte inferri, Pontificem poſſe reuocare quæcunque priuilegia, ſeu indulta per Sedem Apoſtolicam, ſiue ex mera liberalitate, ſiue per modum contractus conceſſa. Tum quia omnes Chriſtiani (nullo excepto) ſunt Pontificis imperio in ſpiritualibus ſubiecti, & tenentur illi obedire, vt recte Innoc. *in cap. Inquiſitioni, de ſent. excom.* Atque ideo poteſt Pontifex quodcunque priuilegium ſpiritualia concernens, reuocare. Sic Abb. *in cap. Venerabilem, n.* 19. *de elect.* Huius autem generis eſſe priuilegia, quæ in Bulla Cœnæ reuocantur nullus ambigit, nec poteſt aliquis contra Pontificis poteſtatem præſcribere, ita vt ab eius obedientia immunis exiſtat. Idem Innoc. *in cap. Bonæ,* 2. *de poſtulat.* & Abb. *in d. cap. Nouit, num.* 16. *ad finem.* Tum etiam quia priuilegia, quæ Principis iuriſdictionem concernunt, cuiuſmodi ſunt ea, quæ in Bulla Cœnæ reuocantur, poſſunt ad libitum reuocari, vt habetur ex dictis in ſecundo notando, & aliis citatis tradit Alter. *lib.* 5. *de cenſ. diſp.* 22. *c.* 5. *prope finem.* Ex quibus iam conſtat in præſenti dubio non controuerti, an Pontifex poſſit reuocare facultatem abſoluẽdi à caſibus in Bulla Cœnæ reſeruatis, prout virtute Cruciatæ conceditur, ſed an de facto eam reuocauerit, aut reuocare intendat per eiuſdem Bullæ Cœnæ promulgationem.

5. Ratio igitur dubitandi deſumitur ex duplici clauſula, nempe, *cæterum,* & *non obſtantibus*, quæ in calce Bullæ Cœnæ apponuntur, ex virtute quarum reuocantur omnia, & quæcunque indulta, gratiæ, indulgentiæ, & litteræ Apoſtolicæ, & facultates generales, vel ſpeciales, ſeu ſub quauis alia forma, & tenore, & cum quibuſcunque clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis à Sede Apoſtolica conceſſæ quibuſcunque perſonis, tam laicis, quam eccleſiaſticis, etiam ſi Pontificali ſeu Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate; vel eorũ regnis, prouinciis, ciuitatibus, ſeu locis, ex quauis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & cum clauſula, *quorum tenore*, &c. vt *in dict.* §. *non obſtantibus.* Hinc igitur ſumitur efficax argumentum ad probandam partem affirmantem: nam teſte Coſmo Philiarco *de offic. Sacerdotis, tom.* 1. *de ſacram. pœnit. cap.* 24 *in princ.* non poterat clarior deſiderari derogatio pro reuocatione quorumcunque indultorum, & facultatum, quibuſuis perſonis conceſſarum.

6. Secundò, quamuis dum in Bullis Cœnæ apponebatur exceptio illa; *niſi in eis caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*; poſſent aliqui opinari per publicationem Bullæ Cœnæ non derogari, ſeu reuocari facultatem abſoluendi à caſibus eiuſdem Bullæ, con-

ceſſam virtute Cruciatæ, in qua huiuſmodi caſus exprimuntur, ſicut opinari videntur Alter. *de cenſ. tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.*22.*cap.*2.*fine*,Ruar.*ſuper Bullam Cœna,lib.*3.§.2.*num.*46.& Sanch. *ſum.lib.*2. *cap.*11.*num.*27. *verſ. & confirmatur.* Sed ab vltimis Pontificibus prædicta exceptio, ſeu clauſula reſtrictiua non apponitur in Bullis Cœnæ. Ergo nec rationabiliter poteſt quis opinari per promulgationem Bullæ Cœnæ non reuocari facultatem conceſſam virtute Cruciatæ.

7. Tertiò, fere communis opinio DD. tenet per promulgationem Bullæ in die Cœnæ legi conſuetam reuocari facultatem abſoluēdi ab hæreſi occulta, Epiſcopis per Concilium Tridentinum cōceſſam:igitur à fortiori idem eſt ſentiendum de reuocatione facultatis per Cruciatam conceſſæ. Vnde Garzia *de benef.p.*11.*cap.*10. *n.*130. tenet per promulgationem Bullæ Cœnæ anno Domini 1599. ſub Pontificatu Clem.VIII. factam,facultatem Cruciatæ,quoad caſus dictos Bullæ Cœnæ,fuiſſe reuocatā, donec reualidatio petatur; refertque audiuiſſe, quod ita reſponderit ipſe Pontifex in quodam examine ad Epiſcopatum Caietanum; imo etiam allegat Iacobum Bledam Valentinum *in opuſc. defenſionis fidei in cauſa Moriſcorum, cap.* 13. *verſ. Laxiorem opinionem, pagin.* 93. aſſerentem, quod idem Pontifex repulſam dederit duobus viris hiſpanis, cum ad Epiſcopatum coram eodem Sanctiſſimo Domino examinarentur, ex eo quia ab ipſo Pontifice de hoc interrogati reſponderūt, in Hiſpaniarum Regnis virtute Cruciatæ poſſe à caſibus Bullæ Cœnæ abſolui.

8. Nihilominus hæc ſententia dura quidem videtur viris doctiſſimis, & mihi etiam. Quapropter contrariam tuentur Authores non pœnitendi. Ita ſentiunt Alter.& Duar.*vbi ſupra*,& non ſub intuitu ſolum illius clauſulę reſtrictiuæ; *niſi in eis etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur.* Sed alia etiam ducuntur ratione ſtatim aſſignanda. Id expreſſe affirmant Rodr, in expoſitione Bullæ, §. 9. *num.* 67. *& in addit. ad eund.* §. *num.* 62. *& in qq.* Reg. *tom.* 1. *quæſt.* 20. *art.* 9. Henriq. *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 21. *verſ. Nec videtur.* Acoſta *in expoſit. eiuſdem Bullæ, quæſt.* 55. Sanch. *vbi ſupra, & de matrimonio lib.* 8. *cap.* 33. *num.* 10. Fagundez *ſuper quinque præcepta Eccleſiæ,lib.* 8. *cap.*8. *num.*33.Villalob. *tract.*27.*clauſ.*4. *num.* 11. Sorb. *in annot. ad compend. priuileg. verb. Cruciata, verſ. ex quibus*, & Fernandez *in examin. Theolog. moral. part.* 3. *cap.* 9. *ſect.* 11. *num.* 5. & poſſet ſuaderi.

9. Primò, quia conceſſiones Principum ad inuicem factæ debent eſſe firmæ, & conſtantes iuxta *cap. fin. de offic. deleg.lib.* 6. vbi habetur, quod ſicut dignitatis altitudine præeminent, ſic prærogatiuæ gratiæ ipſos conuenit anteferri. ſed ad inſtantiam Regis Catholici,& in ſubſidium temporale eiuſdem virtute Cruciatæ concedit Pontifex facultatem abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo;igitur de benignitate Sum. Pontificis haud præſumi debet,quod intendat eam reuocare per promulgationem Bullæ Cœnæ ſingulis annis fieri ſolitam, paucos poſt menſes à promulgatione Cruciatæ,alioquin anſam præberet, vt ſibi inconſtantiæ, repugnantiæue nota imputaretur,quod abſit de tanto Principe cogitari; eam enim non immerito ſacri canones, ac Imperatorum leges contemnant, vt habetur ex Bald. qui ad id probandum nonnulla adducit, aſſeritque Principis voluntatem debere eſſe conſtantem, & immobilem, ac ſi eſſet lapis angularis, & in cœlo polus.

10. Secun

10. Secundò, quia ex oppoſito noſtræ concluſionis grauia ſequerētur abſurda. Nam ſi quis Religioſus propagandæ fidei, ac animarum ſalutis zelo ductus ex Indiarum partibus Romam accedat, & poſt multos labores in itinere atque in Curia perpeſſos, tandem obtineat Breue Apoſtolicum, quo ſibi conceditur, vt Confratrias valeat erigere, & Confratres ipſarum poſſint à caſibus in Bulla Cœnæ contentis abſolui; numquid dicendum erit, Religioſum iſtum iam eo, vnde venerat, reuertentem, etiam ante acceſſum, & ſtatim poſt eiuſdem Bullæ in Curia promulgationem priuari indulto ſibi conceſſo quoad caſus Bullæ, & conſequenter operam ſuam perdidiſſe, & fruſtra adeo longam, & periculoſam peregrinationem feciſſe. Similiter ſi idem Pontifex in remotas aliquas regiones, nempe Armeniam, Ægyptum, ſeu eiuſmodi aliam, mittat aliquem Religioſum initio Quadrageſimæ, vt in iis partibus gentes ad fidem Catholicam, & Sedis Apoſtolicæ obedientiam reducere nitatur, & hac de cauſa plenam ei concedat authoritatem quoſcunque abſoluendi à caſibus Papæ, etiam in Bulla Cœnæ reſeruatis; numquid is Religioſus ſic miſſus, & illuc accedens, parum poſt feſtum Reſurrectionis, manebit ſtatim priuatus authoritate ſibi conceſſa, ex eo ſolum, quia feria ſancta hebdomadæ ſanctæ Bulla Cœnæ promulgata ſit. Profecto durum videtur ſimilia præſumere de mente ſanctiſſimi Domini, fidei propagationem, & animarum ſalutem adeo paterna charitate zelantis. Vnde his, & ſimilibus congruentiis inducti grauiſſimi authores noſtram amplexi ſunt ſententiam, vt teſtatur Rodriq. *loco cit.*

11. Tertiò, quia Cruciatam concedit Pontifex nunc octauo quoque anno, ita vt ſingulis illius ſpatij annis publicetur, ſcitque ex certa ſcientia ſingulis etiam annis feria quinta maioris hebdomadæ promulgandam fore Bullam Cœnæ: igitur non videtur credendum, quod intendat Cruciatam reuocare per promulgationem Bullæ Cœnæ, quippe alias fruſtranea eſſet talis conceſſio, & Pontifex ſibimet ipſi eſſet contrarius, vt in ſimili notat Henriquez *loco citato, in comment. lit. D.* Nec obſtat, ſi dicas non ita eſſe, quia per ſubſequentem Cruciatæ publicationem ponitur reuocatio inducta per præcedentem Bullæ Cœnæ promulgationem. Non (inquam) obſtat, tum quia ſaltem eſſet fruſtranea dicta conceſſio pro magna, & forſitan maiori etiam parte ſpatij in conceſſione præfixi. Tum quia in promulgatione Cruciatæ ſingulis annis facienda non adeſt noua conceſſio, ſeu voluntas concedentis, ſed prior continuatur: igitur per talem Cruciatæ publicationem non tollitur reuocatio per præcedentem Bullæ Cœnæ promulgationem inducta, quod nullus hucuſque aſſeruit, cum talis Cruciatæ publicatio æquiualeat nouæ confirmationi, vt omnes fatentur; vel dicendum eſt, quod facultas Cruciatæ, durante conceſſionis ſpatio, non reuocatur per Bullæ Cœnæ promulgationem.

12. Quartò, ſuadetur à ſimili, quoniam anno Iubilæi, qui olim centeſimo quoque anno concedi ſolebat, nunc autem vigeſimo quoque quinto anno, fatentur communiter DD. non ſuſpendi Cruciatam, vt multis citatis oſtendimus *cap. præcedenti, dub. 6.* Huius autem aſſertionis diuerſas aſſignant rationes præcitati DD. ſed præcipua eſt, quia dum Pontifex concedit ſpatium. v. g. ſex, vel octo annorum, & agnoſcit etiam intra id ſpatium occur-

Digitized by Google

rere Iubilæum pleniſſimum, credendum eſt mentem ipſius haud fuiſſe Cruciatam ſuſpendere, præſertim cum de ordine ipſius Pontificis, etiam anno Iubilæi publicetur Cruciata; vnde Clemens VIII. explicuit mentem ſuam non fuiſſe Cruciatam ſuſpendere per Iubilæum anni 1600. ergo ſimiliter ſentiendum videtur, quod per Bullæ Cœnæ promulgationem non ſuſpendatur Cruciata, cum de ordine Sanctiſſimi ſingulis annis publicetur.

13. Quintò, quia eſto priuilegia per viam contractus conceſſa, etiam per Bullam Cœnæ reuocentur, ſicut de facto reuocari poſſe oſtendimus in ſecundo notando, nihilominus dum reuocantur, tenetur Princeps recompenſationem facere dato æquiualenti, vt multis citatis probant Bolognet. *conſ.3. num.* 16. Matienzo *lib.5. Recopilat. tit.*10. *lib.6. gl.* 1. *num.* 13. quos, & alios refert, ac ſequitur Sanch. *vbi ſupra, n.9.* ſed priuilegia Cruciatæ cõceduntur per viam contractus, vt patet ex tenore ipſius Bullæ, ac præſertim ex Summario vulgari, vbi ſic habetur, *porque dais tanta limoſna*: ergo cum Pontifex eleemoſynam contributam hucvſque reddi non iuſſerit, conſequenter nec intelliguntur reuocata.

14. Dices primò, modicum eſſe, quod ſinguli contribuere ſolent, modicum autem pro nihilo reputatur. Reſpondetur, quod eſto vnuſquiſque modicum tribuat, ac tota ſumma, quæ quotannis pro Bullæ ſuſceptione contribuitur, excedit 800. aureorum millia, vt notat idem Sanch. *num.* 10.

15. Dices ſecundò, per Bullæ Cœnæ promulgationem non reuocari totam Cruciatam, ſed facultatem ſolum abſoluendi ſemel in vita à caſibus in eadem Bulla reſeruatis, vnde cum multa alia in Cruciata concedantur, quæ ſufficiens, imo ſuperabundans eleemoſynæ ab vno quoque contributæ recompẽſatio ſunt, conſequenter dicendũ ſuſcipienti Cruciatam nullam aliam deberi. Reſpondetur nihilominus contractum ex parte concedentis fieri ad totam Cruciatam, & non ad partem, & conſequenter eſto alicuius partis ſolum fiat reuocatio, ſuſcipienti tamen Cruciatam aliqualis ſaltem debetur recompenſatio, præſertim quia dicta facultas abſoluendi ſemel in vita à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, adeo in Regnis Hiſpaniarum, & à fortiori in prouinciis Indiarum æſtimatur ob nimiam illarum gentium à Romana Curia diſtantiam, vt ipſa ſola omnibus aliis præferatur. Vnde ſi homines earum regionum ſibi perſuaderent talem facultatem per Bullæ Cœnæ promulgationem reuocari, multi ſane abſtinerent à Cruciatæ ſuſſceptione cum notabili præiudicio ſubſidij ad belligerandum contra infideles, prætenſi etiam ab eodem legiſlatore, cuius intentio, & paternus affectus hac quoque de cauſa defraudaretur.

16. Dices tertiò, Sedẽ Apoſtolicam ex conceſſione Cruciatæ nihil penitus percipere, atque ideo viderint ipſi, qui dictam Cruciatam obtinere; præcipue, quia facile potuerunt huiuſmodi reuocationem præuidere, cum notum ſit trecentis abhinc annis, ſaltem qualibet feria quinta maioris hebdomadæ, vniuerſo ſpectante populo, per Summos Pontifices renouari, & de nouo Bullam Cœnæ promulgari, ibique facultates & indulta prius conceſſa reuocari; ſcientibus autem non fit dolus, neque iniuria *cap. ſcienti, de reg. iur. in 6.* ac propterea imputent ſibi obtinentes dictam Cruciatam, ſi in ea obtinenda ſufficienter non prouiderunt circa huiuſmodi reuocationes, ſicut prouidere poſsẽt, ſi quotannis poſt publicationem Bullæ Cœnæ peterẽt reualidationem facultatis Cruciatæ, vt faciendum monent *vbi ſupra* Garzia,

Garzia, & Philarc. qui addit alioquin ita abſolutos non eſſe tutos in conſcientia.

17. Reſpondetur tamen, quod eſto Sedes Apoſtolica ex conceſſione Cruciatæ nihil percipiat in ſe, percipit autem in filio Rege Catholico, nec in eo ſimpliciter, ſed in ſubſidium bellorum contra Infideles, & conſequenter in defenſionem fidei, atque ipſius ſanctæ Sedis. Imo ex dicta ſumma applicantur etiã ſingulis annis aliquot aureorũ millia pro fabrica Eccleſię S. Petri in Vrbe, & vtcunque ſit, contributio dictæ eleemoſynæ ſolũ innititur ſupradictis verbis, *porque dais tanta limoſna, os concedo.* Nec obtinentes Cruciatam ſciunt eius indulta reuocari per Bullæ Cœnæ promulgationem, imo potius fere omnes, etiam doctiſſimi (Garzia, & Bleda exceptis) ex tot viris, quot in Hiſpania, & ſacræ Theologiæ, & ſacrorum canonum doctrina præfulgent, oppoſitũ ſibi perſuadent, tum ob rationes hucuſque inſinuatas; tum quia Commiſſarij eiuſdem Cruciatæ, quibus executio illius cum plena authoritate per Sedem Apoſtolicam committitur, ſic videntur, ſaltem tacite, interpretari, dum ſuſcipientes Cruciatam moneri non curant, ſicut ex officio monere debuiſſent, vt confeſſionum inualiditas euitaretur, quin potius Sebaſtianus Acoſta, Luſitanus, vir ſane doctiſſimus, & in diœceſi Eborenſi eiuſdem Cruciatæ olim Commiſſarius Apoſtolicus, id conſtanter *loco cit.* tuetur. Et quidem ſi prædicti Commiſſarij Apoſtolici opinarentur Cruciatæ priuilegia reuocari per Bullæ Cœnæ promulgationem, tenerentur vel de reualidatione agere, vel ſaltem curarent, vt Cruciata ſtatim poſt Bullæ promulgationem publicaretur, ſic enim tunc tolleretur dicta reuocatio, ſicut nunc fatentur omnes etiam tolli, cum poſtea de more ſolito publicatur.

DVBIVM V.

Qui argumenta dubio præcedenti in contrarium adducta ſoluuntur.

1. SVpereſt nunc ſoluere argumenta, quæ pro contraria opinione dubio præcedenti adduximus. Vnde ad primum concedo per clauſulam, *non obſtantibus*, &c. reuocari facultates omnes tam generales, quàm ſpeciales, quo ad caſus Bullæ Cœnæ, non tamen videntur reuocari facultates indiuiduales, de quarum numero poteſt quodam modo æſtimari ea, quæ virtute Cruciatæ conceditur, quoad dictos caſus; quoniam licet in Cruciata non exprimantur in indiuiduo omnes caſus Bullæ Cœnæ, exprimitur tamen hæreſis, dum peculiariter fit exceptio illius, & conſequenter videntur omnes alij expreſſi; exceptio enim firmat regulam, vt habetur in iure. Atque idem videtur de aliis caſibus ſentiendum, ac ſi omnes eſſent expreſſi, vt in ſimili probat text. *in cap. qui ad agendum, de procurat. lib. 6.* vbi expreſſo aliquo articulo ex multis, ſpeciale mandatum exigentibus, adiecta clauſula generali, omnes alij expreſſi intelliguntur. Hinc autem deducitur facultatem Cruciatæ, quo ad caſus Bullæ Cœnæ, non poſſe reuocari, niſi in indiuiduo reuocentur, non vero in genere, ſeu ſpecie duntaxat, vt habetur ex dictis *in tertio notando*, & colligitur ex Vgol. *de cenſ. part. 3. in verſic. etiam prætextu, & in verſic. niſi in eis.* Alter. *dicto tom. 1. diſputat. 22. cap. 2. in fine*, & Duar. *ſuper Bullam Cœnæ, lib. 3. §. 2. quæſt. 1. n. 8. & 9.* quia tamen hæc ſolutio non ſatis omnibus placet;

2. Idcirco reſpondetur ſecundò, quod *in §. cæterum*, quo reuocantur facultates quæcunque quibuſcunque cõceſſæ abſoluendi à caſibus in Bulla Cœ-

Digitized by Google

næ reſeruatis, non additur clauſula, etiam per viam contractus, ſed ea ſolum apponitur *in* §. *non obſtantibus*, vbi reuocantur quæcunque indulta quibuſcunque conceſſa, ne poſſint per Sedem Apoſtolicam excommunicari, vt notant communiter expoſitores, & potiſſimum Say. *lib.* 3. *de cenſ. cap.* 21. *num.* 12. Vnde cum facultas abſoluendi à caſibus prædictis, virtute Cruciatæ concedatur per modum contractus, vt habetur ex dictis in 5. argumento, conſequenter videtur dicendum, quod nullatenus reuocetur, cum nec ex *vi* §. *cæterum*, vbi dicta clauſula non apponitur, nec ex *vi* §. *non obſtantibus*, vbi de huiuſmodi facultate non agitur.

3. Ad ſecundum reſpondetur, concedendo maiorem, & minorem, ſed negatur conſequentia. Et ratio eſt, quia taciti, & expreſſi idem eſt iudicium, vt *in l. cum quid, ff. ſi cert. pet. & l. de quibus in fine, ff. de legibus.* & late Eucrar. *loco ab expreſſo ad tacitum*, vbi *num.* 1. inquit id facere ad hoc, vt ſicut conditio expreſſa ortum obligationis impedit *l. cedere diem, ff. de verb. ſignific.* ita etiam conditio tacita; atque ideo ſicut indulta Cruciatæ non intelligerentur reuocata per promulgationem Bullæ Cœnæ, ſi adhuc apponeretur clauſula, *niſi in eis etiam caſus, &c.* ita adhuc poſt illius omiſſionem idem eſt ſentiendum, cum adhuc eadem legiſlatoris voluntas tacite ſubintelligatur.

4. Sed quæres, vnde id deducatur. Reſpondetur, quod ex triplici potiſſimum capite. Primò, quia dum Pontifex Cruciatam concedit ex certa ſcientia, agnoſcit Bullam Cœnæ eſſe non ſemel, ſed pluries promulgandam intra ſpatium ab ipſo præfixum pro Cruciatæ duratione, & nihilominus expreſſe vult, quod per totum id ſpatium ſit valida. Secundò, quia expreſſe in conceſſione Cruciatæ facultatem impendit, vt abſque noua licentia ſingulis annis publicetur, idque abſque diei, ſeu temporis determinatione. Tertiò, quia cum conceſſio Cruciatæ per viam contractus onerosi facta ſit, adhuc tamen poſt Bullæ Cœnæ promulgationem, non iubet Pontifex, vt Cruciatam ſuſcipientibus contributa eleemoſyna, vel quid æquiualens reddatur.

5. Sed dices, ex hac opinione ſequi ſaltem, quod omiſſio illius clauſulæ, *niſi in his*, &c. nihil in Bulla Cœnæ operatur, quod non videtur dicendum. Reſpondetur, notando quod ſicut in Bullis Cœnæ editis à Clem. VII. & antiquioribus apponebatur in fine præcitati §. *non obſtantibus* clauſula illa, *& nihilominus quidquid egerint abſoluendo, vel alias, nullius ſit valoris vel momenti*, virtute cuius declarabatur abſolutionem contra tenorem dictæ Bullæ impenſam eſſe nullam, eſto tamen ab illo tempore omiſſa ſit talis clauſula, non ideo licet inferre, quod valida ſit huiuſmodi abſolutio, cum careat iuriſdictione, quæ ad valide abſoluendum neceſſario requiritur. Dicendum igitur eſt, in antiquis Bullis apponi dictam clauſulam, non quia neceſſaria eſſet, ſed ad maiorem declarationem. Ita in caſu noſtro videtur dicendum omiſſionem illius clauſulæ *niſi in his etiam* per quæ prius ad maiorem declarationem apponebatur, nunc nihil operari, quia taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, vt dictum eſt ſupra.

6. Ad tertium reſpondetur, quod circa controuerſiam, quæ inter DD. verſatur, an per Bullam Cœnæ reuocetur facultas, quæ virtute Concilij Trid. Epiſcopis conceditur, abſoluendi ab hæreſi occulta, quid ſentiendũ mihi videatur, dicam in cõmentariis noſtris in eandem Bullam Cœnæ quamprimum (Deo dante) in lucem edendis. Pro nunc autem dico non eſſe eandem rationem

Concilij

Digitized by Google

Concilij & Cruciatæ. Cruciata enim ſingulis annis publicatur,& quæuis publicatio eſt veluti noua confirmatio, ſecus autem Concilium.

7. Nec obſtat quidquam opinio Garziæ, & Bledæ. Nam in primis Garzia teſtificatur de auditu, teſtis autem de auditu non facit fidem,imo etiam ſi ſint plures, non faciunt plenam probationem in iudicio. Vnde non immerito prohibetur in iure, ne teſtis de auditu in iudicio recipiatur. Ita *in l. teſtium, C. de teſtibus,cum gloſſ.* Vnde *Deuter.* 17. Moyſi dictum fuit; *non accipies auditionem vanam*; & faciet ſententia Demoſthenis *orat.* 2. *de Corona*, dum ait, manifeſtiſſimum eſſe impudentiæ ſignum, quempiam teſtificari ea, quibus non afficit; & ſubiungit, quæ nouit aliquis, & quibus gerendis interfuit, ea leges teſtificari iubent; at rem à viuente auditam teſtificari leges non ſinunt. Addatur id magis eſſe indignum, cum nec teſtis refert eum à quo audiuit,nec tempus,aut locum quo ipſe tunc erat, ſicut contingit in caſu noſtro.

8. Deinde nec Bledæ fides habenda eſt,tum quia etiam videtur teſtificari de auditu, tum quia eius dictum videtur potius chimericũ;quoniam ſi loquatur de facultate abſoluendi ſemel in vita à caſibus in Bulla Cœnæ reſeruatis, præſumendo à promulgatione eiuſdm Bullæ,non eſt credendum quod Clem. VIII. reſponderit virtute Cruciatæ non concedi dictam facultatem,cum oppoſitum potius habeatur ex Bulla,& ipſe Clemẽs etiam conceſſerit. Si autem loquatur de huiuſmodi facultate poſt Bullæ Cœnæ promulgationẽ;tũc nec adhuc eſt veroſimile Clementem VIII. qui clementiæ norma extitit, duos Hiſpanos ab Epiſcopatu repuliſſe ex eo ſolum, quia dixerunt in prouinciis Hiſpaniarum poſſe virtute Cruciatæ abſolui à dictis caſibus, eſto ipſe Pontifex aliter ſenſerit, cum tamen nec ille,nec alius prædeceſſor talem expreſſiſſet declarationẽ,poſſet quidem eos paterna charitate corrigere,ſed quod eiſdem Epiſcopatus ideo repulſam dederit,aliorũ eſto iudicium.

9. Sed obiicies, quia omnia hucuſque allegata videntur ſolum iuncti præſumptionibus, quod Pontifex non intendat ſine cauſa reuocare priuilegium virtute Cruciatæ cóceſſum,quoad caſus in Bulla Cœnæ contentos. Id tamen non videtur ſubſiſtere, cum verba dicta Bullæ *in* §. *cæterum*,& §. *non obſtantibus*, vbi reuocantur priuilegia, & facultates conceſſæ quibuſcunque perſonis,etiam Imperatoribus, Regibus,& Regnis, etiam per viam contractus, ſint clariſſima, vt recte obſeruauit Philiarcus *vbi ſupra*, & Duar. *eod. lib.* 3. §. 5. *q.* 1. *n.* 1. *prope finem.* In claris autem non eſt opus recurrere ad præſumptiones vulgat. *l. ille, aut ille*, §. *cum in verbis de leg.* 3. *l. continuus*, §. *cum ita de verb. oblig.* Reſpondetur negando aſſumptum. Nam ſententia noſtra non præſumptionibus ſolum innititur, ſed verbis etiam ipſius Bullæ, cùm nec *in* §. *cæterum*,vbi reuocantur facultates abſoluendi à caſibus ibi reſeruatis,fiat expreſſa mentio ſaltem generalis indulti conceſſi per modum contractus, quod ex traditis in ſecundo notando requiri conſtat;nec iuſſum ſit, vt aliqualis ſaltẽ fiat recompenſatio pro contributione facta,quod in quinto argumento etiam requiri oſtenſum fuit. Adductæ autem ſunt inſuper aliquæ præſumptiones ad maiorem rei comprobationem, & præſertim vrgent, quæ ſumuntur ex tertio argumento.

10. Facit quidem ad hoc propoſitum, facultas,quam ſupremum ſanctæ inquiſitionis Prætorium in Congregatione coram ſanctiſſimo pridie 9. Februarij anno 1627. habita, conceſſit quinquennium miniſtro Prouerb. ſanctiſſimæ Conceptionis Ordinis Minorum

ſtrictio

Digitized by Google

ſtrictioris obſeruantiæ in Gallia, vt poſſit libros prohibitos legere, & retinere, hæreticos, & ſchiſmaticos, tam regulares, quam ſæculares, etiam vtriuſque ſexus ab hæreſi, & cenſuris, ac pœnis eccleſiaſticis ob hæreſim, & huiuſmodi exceſſus incurſis, in foro conſcientiæ, & iniuncta eis ſalutari pœnitentia pro modo culpæ abſoluere, nec vllus in Gallia, vel extra illam hucuſque aſſeruit dictam facultatẽ ſuſpendi, aut reuocari vnquã per Bullæ Cœnæ promulgationem. Nec huius poteſt alia ratio reddi, niſi quia talis facultas fuit conceſſa pro tempore determinato, vidente, & conſentiente Pontifice; imo etiam ſciente futuram Bullæ Cœnæ promulgationẽ, quod in caſu noſtro magis vrget, vt conſtat ex dictis. Quapropter quouſque Pontifex aliud diſponat, ita in hac materia ſentiendum eſſe exiſtimo, ſaluo ſemper meliori iudicio, ac præcipue ſanctæ Sedis Apoſtolicæ cenſura, cui ex nunc me omnino ſubmitto.

DISPVTATIO II.

In expoſitionem Bullæ Defunctorum.

PROOEMIVM.

SVMMVS Pontifex Chriſti Vicarius, non ſolum viuis virtute Cruciatæ, ſed defunctis etiam per indulgentias ſuffragari dignatus eſt. Quamuis enim virtute ſacramenti Pœnitentiæ culpæ omnes remittantur, pœna tamen æterna mortalibus correſpondens regulariter nõ dimittitur omnino, ſed in tẽporalem nobis in hac vita, vel in Purgatorio luendam cõmutatur. Vnde eſto Chriſti fideles, antequam è corporis ergaſtulo proficiſcantur, poſſint huiuſmodi pœnæ ſatisfacere, per ieiunia, vigilias, orationes, & eiuſmodi alias operationes pœnales, vel à confeſſore iniunctas, vel à pœnitente voluntarie aſſumptas: contingit tamen interdum, vt nonnulli, vel ex negligentia, vel morte præuente à vita decedant, dicta pœna nondum plene ſatisfacta, atque ideo in Purgatorio poſtea detinentur, & patiũtur, donec ibi ſoluant vſque ad vltimũ quadrantem, vt ex ore ſuo Chriſtus Dominus aſſeruit. Poſſunt autem defunctorum animæ, dum in Purgatorio ſic detinẽtur, à viuis per ſacrificia, eleemoſynas, orationes, & huiuſmodi alia ſubueniri, vt citius à Purgatorio in Cœlum transferantur, atque interim norũt ibi ſufficienter quæ, & à quibus hic pro ipſis ſoluantur, id illis, Deo reuelante, vel per Angelos Cuſtodes expoſito, vt tradit Suar. *tom. 4. diſp. 47. ſect. 2. ad finem.* Quare vt Chriſti fideles animabus defunctorum facilius ſubuenire queant, concedit Summus Pontifex, vt qui hanc Bullam ſumpſerint, poſſint eam cuicunque animæ in Purgatorio exiſtenti applicare, dummodo duos argenteos in ſubſidium belli contra Infideles ſoluãt; & concedit etiam, vt bis quolibet anno in defunctorum ſpirituale beneficium dicta Bulla ſumi, & applicari valeat. Id autem primo fuit per Clementem VIII. conceſſum

conceſſum, vt tradit Villalobos *initio tractatus de Bulla defunctorum*, & per eius ſucceſſores poſtea confirmatum.

Dubium I.

Vtrum poſsit Summus Pontifex concedere Indulgentias defunctis.

1. PArtem negantem ex catholicis Doctoribus tenuerunt Gerſon *tom.4.ſerm.1.de defunct.q.9.* Hoſt.*ſum.lib.5.ſub tit.de remiſſionib. §.quibus poſſint, & §.vbi operatur*; quem refert, & ſequitur Gabr. *in can. lect.* 57. ex hæreticis vero id tenuit Lutherus, & eius ſequaces, vt conſtat ex Bulla Leonis X. contra Luther. de quo Henriq. *lib.7. cap.3.§.3.* & probatur.

Primò, quia ſi qua ratione poſſet Papa cõcedere indulgẽtias defunctis, maximè propter vniuerſalem poteſtatem ſibi cõceſſam à Chriſto Domino *Matth.*16. at illa poteſtas data eſt ei ſuper terram dumtaxat, cum ibi dicatur: *Quodcunque ſolueris ſuper terram*, &c. ergo non poteſt concedere indulgentias exiſtentibus infra terram, quales ſunt animæ Purgatorij, alias extenderet ſuam iuriſdictionem vltra proprium territorium, & in non ſubditos.

2. Secundò, quia defunctus exiſtens in Purgatorio, debet ibi ſoluere pœnam debitam iure diuino, & non iure aliquo eccleſiaſtico, ergo non poteſt ab ea liberari per Papam. Patet conſequentia; quia licet Papa ſit ſuper omne ius humanum, & illud mutare poſſit, non tamen ſuper ius diuinum.

Tertiò, quia ſi Papa poſſet liberare vnam animam à Purgatorio, eadem ratione poſſet omnes; & ſic poſſet euacuare Purgatoriũ, quod eſt omnino falſum.

3. Verum, his non obſtantibus, Reſpondeo dicendum, Papam poſſe concedere indulgentias defunctis, de quo non licet Catholico dubitare. Ita docet communiter Doctores cum Cord.*lib.5. q.16.* Henriq.*lib.7.c.3.* Gabr.*in additione, quam fecit ad lect.*57. vbi oppoſitum tenuerat cum Hoſt. Idem docent Alex. Alenſ.*4.p.q.*83.D.Bonau. *in 4.diſt.20.p.2.q.3.* Richard.*art.3.q.3.* atque etiam D. Thom. *d.45. q. 2. art.3. quæſtiuncula 2.* Durand. & alij ibidem relati à Gabr. & Suar.*tom.4.in 3.p.diſp.53.ſect.1.n.3.* vbi plures refert Canoniſtas; & probatur.

4. Primò ex communi vſu Romanæ Eccleſiæ, ſæpe enim Sacri Pontifices concedunt indulgentias animabus Purgatorij, eaſque conceſſit D.Gregorius, vt habetur 4.*lib. Dialogorum,c.*57.*& lib.2.c.*22.& alij multi, vt conſtat ex manuſcriptis antiquis Romæ, & alibi repertis, teſte Cord.*vbi ſupra*, & ex aliis multis relatis à Gabr.in principio prædictæ additionis.

5. Secundò, probatur ex definitione Sixti IV. qui, vt referunt Gabr.*lect.*57. & eius Supplementum *in 4.diſt.43.q.3. art.2.propoſ.5.* declarauit, poſſe concedi defunctis indulgentias, & Leo X.*in Bulla Specul.* condemnauit errorem Lutheri, qui vt refert Roſenſis *art.21. contr. Luther.* aſſerebat, non poſſe defunctis indulgentias concedi.

6. Tertiò, quia nihil aliud requiritur ad hoc, vt indulgentiæ valeant pro defunctis, quam quod Pontifex habeat auctoritatem ad diſpenſandum de theſauro Eccleſiæ, & quod defuncti ſint capaces recipiendi tale beneficium. At Pontifex habet plenam auctoritatem diſpenſandi omni indigenti de prædicto theſauro, iuxta illud *Matth.*25. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram*, & illud *Ioan.*20.*Paſce oues meas.* Et animæ etiam Purgatorij ſunt capaces indulgentiæ, cum ſint in gratia, & nondum ad terminum peruenerint. Quod autem nõ ſubdantur

poteſtati Papæ nihil refert, quia ſatis eſt, vt theſaurus ipſe ſubdatur illius poteſtati, licet non ſubdatur is, cui ille applicatur.

7. Quarto, quia animæ Purgatorij poſſunt recipere ſuffragia, & ſatisfactiones, quas quiſq; poteſt illis applicare, ergo etiam poſſunt recipere ſatisfactiones ex theſauro Eccleſiæ: at iſtæ applicantur à Papa mediãtibus indulgentiis. Ergo poſſunt accipere indulgẽtias.

8. Vltimo, quia Papa poteſt concedere indulgentias viuis, & oppoſitum dicere, eſt hæreticum, vt communiter docent, & probant Doctores in materia de indulgentiis. Ergo & defunctis. Verum tamen eſt, quòd hoc ſecundum negare, quamuis eſſet erroneum, non tamen hæreticum, quia non eſt expreſſe definitum reſpectu defunctorum, eo modo, quo viuorum. Bulla enim Leonis licet condemnet omnes errores Lutheri, non tamen in gradu æquali, ſed quoſdam, vt hæreticos, alios, vt ſcandaloſos, alios, vt male ſonantes, & piarũ aurium offenſiuos. Nec obſtat, ſi obiicias, ex hoc etiam probari, non eſſe hæreticum id aſſerere etiam pro viuis. Neganda eſt conſequentia, quia licet non poſſit firmiter probari ex illo teſtimonio Leonis, probatur tamen apertius ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.*45. & Trid. *ſeſſ. fin. in continuatione ſeſſionis de Indulgentiis*; & ex Clemente VI. *extrauagant. Vnigenitus, de pœnitent.* & ex aliis multis.

9. Ad primum de variis interpretationibus illius loci multa infra dicemus. Interim videndi ſunt Cord. & Gabr. pro nunc tamen poteſt reſponderi ex dictis in fine tertiæ probationis noſtræ ſententiæ.

Ad ſecundum ſiquid probaret, etiam conuinceret non poſſe Pontificem concedere viuis indulgentias, quia etiam illi, præcepto diuino & iure diuino, debent pœnas luere pro culpis commiſſis. Quare reſpondeo, quod id poſſunt reſpectu vtrorũque ex ſpeciali Dei priuilegio concedentis facultatem Papæ, vt ex publico Eccleſiæ ærario, vbi Chriſti Domini, & ſuperabundãtes Sanctorum ſatisfactiones repoſitæ ſunt, diſtribuat illis, prout opus fuerit, in ædificationem Eccleſiæ. Et ſi inquiras, in quo fundetur hoc priuilegium. Reſpondeo fundari in loco illo *Matth.*10. *Tibi dabo claues Regni cælorum*, &c. & illo *Ioan.*2. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum.* Et in aliis multis, ex quibus DD. cõmuniter probant in materia de indulgentiis, dari prædictũ theſaurũ.

Ad tertium patebit ex dicendis dubio ſequenti.

Dubium II.

Vtrum poſſit Papa de plenitudine ſuæ poteſtatis euacuare Purgatorium per indulgentias, quas concedit in huiuſmodi Bullis, & in aliis indulgentiis.

1. Partem negantem docent communiter recentiores cum D.Th. *diſt.*45. *& in addit. q.*71. *art.*16 D.Bonau. 4. *diſt.*20. *art.*5. *in corp. & ad* 4. Cord. *lib.*5. *q.*18. dum ait id eſſe moraliter impoſſibile. Nauar. *de Indulg. notab.*31. *num.*48. & alij quos refert, & ſequitur Henriq. *lib.*7. *c.*4 §.1. & probatur.

2. Primò, quia omnis indulgentia requirit rationabilem cauſam: nulla autem rationabilis cauſa aſſignari poteſt ad euacuandum totum Purgatorium; cum nec ipſa reſurrectio Chriſti Domini habita fuerit pro ſufficienti cauſa, vt in gratiam illius, Chriſtus Dominus, cum ad inferos deſcendit, euacuaret totum Purgatorium, vt affirmat Viguer. *in inſtitutionib. cap.*16. §.4. *verſ.*3. & Suar. 3. *p. q.*12. *art.*8. *diſp.*33. *ſect.*3.

3. Secundò,

Digitized by Google

3. Secundò, quia quantitas indulgentiæ pendet ex liberalitate Dei acceptantis; Deus autem fructum ſuffragij pro anima Purgatorij collatū non acceptat, niſi ſecundum idoneitatem & dignitatem animæ, pro qua fit, vt latè probat Cord. *lib.* 5. *q.* 17. ergo quamuis omnibus, & ſingulis exiſtentibus in Purgatorio concederet Papa indulgentiam plenariam, nihilominus non euacuaret Purgatorium, cum non eſſent omnes æqualiter idonei ad recipiendum æqualem illius fructum.

4. Tertiò, quia ſi id Papa poſſet, auari adhuc exiſterent ſacri Pontifices erga animas Purgatorij, nunquam exercendo circa illas hanc poteſtatem euacuando totum Purgatorium.

5. Vltimò: nam Academia Pariſienſis cenſuit ſcandaloſam & ſuſpectam eſſe propoſitionem cuiuſdam Ioannis Angli aſſerentis animas Purgatorij eſſe de iuriſdictione Papæ, & Papam poſſe euacuare totum Purgatorium.

6. Verum his non obſtantibus, ego non video ſufficientem rationem ad negandum, Papam poſſe euacuare totum Purgatorium, ſuppoſito, quod poteſt concedere indulgentias defunctis. Ita docet Gabr. *in canon. lect.* 57. *& in addit. illius ad* 2. cum D. Thom. S. Bonauent. *ſupra*; & S. Antonin. *d. p. ſumm. tit.* 22. *c.* 5. §. 6. Idque etiam concedit de poteſtate abſoluta Papæ Cord. *lib.* 5. *quæſt.* 18. & probatur.

7. Primò, quia de facto concedit Summus Pontifex in Bulla defunctorū, vt defunctus, pro quo illa fuerit accepta, cōſequatur indulgentiā plenariam. Ergo ſi de facto ſumerentur tot Bullæ, quot ſunt animæ Purgatorij, quod fieri non repugnat, vt de ſe conſtat, euacuaretur Purgatorium: ſufficit enim eſſe in gratia ad percipiendum ſolum fructum indulgentiæ, dummodo cauſa ſit legitima, qualis in præſenti eſt, nempe ſubſidium belli contra Infideles; & licet ita eſſet, vt volunt Caiet. & Cord. *vbi ſupra*, quòd non omnes animæ Purgatorij æqualem reciperent fructum, quia non contingit, illas æqualiter eſſe diſpoſitas, & idoneas: hoc tamen nulla ratione probat, non eſſe in Papa poteſtatem ad euacuandum Purgatorium, cum illud non ſit impedimentum ex defectu ſuæ poteſtatis, ſed ex indiſpoſitione earum ad recipiendum integrum fructum Apoſtolicæ conceſſionis.

8. Secundò, quia ſi eſſet in Eccleſia vrgentiſſima neceſſitas pecuniæ pro defenſione fidei contra hæreſes, hæc certè eſſet ſufficiens cauſa, vt Summus Pontifex concederet, vt quoties quis duos argenteos erogaret in ſubſidium talis belli contra hæreſes, liberaret vnam animam à Purgatorio. Ergo tunc poſſent fideles toties iterare hanc eleemoſynam, vt nulla remaneret anima in Purgatorio, quia non poteſt determinari numerus animarum, quas poſſit Papa liberare à Purgatorio, ita vt vltra illum, non poſſit amplius. Ergo poteſt liberare non tot, quin plures, atque adeo totum Purgatorium euacuare.

9. Tertiò, quia Summus Pontifex habet facultatem concedendi indulgentiam plenariā defunctis, vt ſuprà oſtenſum eſt; & ex nullo Scripturæ loco, aut traditione colligi poteſt, quòd non poſſit illam concedere omnibus, & ſingulis exiſtētibus in Purgatorio, data legitima & rationabili cauſa, qualis certè eſſet ſupra relata. Ergo non eſt, cur negemus hanc poteſtatem Pontifici: nam, vt communis docet DD. ſententia, concurrentibus tribus, ſcilicet, auctoritate in dante, pietate in cauſa, & gratia in recipiente, indulgentia valet ei. Nec iuuat dicere, ex his ſolùm conuinci habere poteſtatem logicam, non verò phyſicam. Ita loquitur Cord. *vbi ſupra*; nam illa certè eſt potētia phyſica, vt diſtinguitur con-

tra logicam, ſi ita fas eſt loqui in re morali, quæ non ſolum ſumptis rebus in communi, non implicat contradictionem, exire in actum ſecundum, ſed illis in particulari conſideratis, & ſecundùm legem ordinariam. Ex dictis autem ſatis conſtat, id competere prædictæ poteſtati Papæ, vt etiam fatetur Villalob. *tom.1.tract.26.diffic.7.final.*

10. Ad primum reſpondeo, vrgentem neceſſitatem in Eccleſia eſſe ſufficientem cauſam ad prædictam cōceſſionem. Id autem, quod ibi ſupponitur, nimirum Chriſtum Dominum non eripuiſſe omnes animas Purgatorij, cum ad inferos deſcendit, apud me falſum eſt; nam contrarium docent Sot. 4.*diſt.*15.*q.*1.*art.*1. Gerſ.*alphab.*18.*lit.F.* Turrian. *lib.4.cont. Magdeburgenſes,c.*12. Marſil. *in* 3.*q.*13. *art.*2.*dub.*3. Maior *diſt.*12.& Gabr. *ibi*,& Supplem.*diſt.*46.*q.*1.*art.*1. Anſelm. *in elucidario*; loquens de animabus Purgatorij, ait: Omnes abſoluit, & in gloriam duxit Rex gloriæ, & applicat illud Iſai. 40. *Dices his, qui vincti ſunt, exite, & his, qui in tenebris ſunt, reuelamini*; & D. Auguſt. ſer. 137. de temp. ait: *De electis ſuis, nullum apud inferos reliquit, omnia abſtulit.* Idem docet D. Gregor. *lib.*13.*Mor.*& poteſt probari ex illo Eccleſ.24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Ad ſecundum reſpondeo, falſam eſſe illam Cordubæ ſententiam, de qua infra, & licèt vera eſſet, nihil tamen probaret contra nos, vt oſtendimus in fine primæ probationis noſtræ ſententiæ.

Ad tertium reſpondeo, ſacros Pontifices liberaliter id feciſſe ſemper, quantum eſt ex parte ſua, concedendo ſingulis annis prædictas Bullas defunctorum: quare auaritia ſolum ſe tenet ex parte fidelium, qui parum dant operam pro applicandis indulgentiis conceſſis animabus Purgatorij.

Ad quartum reſpondetur primò, nimios fuiſſe ſemper Pariſienſes in opinionum cenſuris, cum etiam errorem dicant eſſe, aſſerere, intellectus hominum eſſe æquales: quæ tamen eſt opinio probabilis in Philoſophia, & à multis Catholicis aſſerta.

11. Vel ſecundò reſpondeo, in illa propoſitione duo contineri. Primum, quod Papa habeat iuriſdictionem in animas Purgatorij. Secundum, quòd poſſit euacuare totum Purgatoriū. Cenſura ergo Pariſienſis non cadit ſupra hoc ſecundum; ſed ſupra primum, & illo etiam modo intellecta adhuc eſt rigida.

Dvbivm III.

An indulgentiæ defunctis conceſſæ, valeant illis per modum abſolutionis, an ſolutionis tantum.

1. PRo intelligentia huius dubij ſupponendum eſt, quòd indulgentia eccleſiaſtica, iuxta communiorem Doctorum ſententiam eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis remiſſis ex applicatione theſauri Chriſti Domini. Hæc autem remiſſio (dicunt communiter DD.) reſpectu viuorum habet rationem abſolutionis, quia Pontifex habet iuriſdictionem in illos; reſpectu verò defunctorū, non eſt abſolutio, ſed ſolutio, quia non habet iuriſdictionem in illos.

Et ſi quiſpiam obiiciat, quòd qui conſequitur indulgentiam recompenſat tantum, quantum tollitur de pœna debita: ergo nec reſpectu viuorum, indulgentia eſt abſolutio, ſeu liberalis remiſſio pœnæ: quis enim dicet, creditorem remittere debitum ei, qui integrū illud ſoluit? Reſpondeo, quòd idem actus reſpectu diuerſorum ſortitur varias rationes. Vnde, ſicut abſolutio à peccatis mortalibus intra Sacramētum, reſpectu pœnitētis, dicitur omnino gratuita,

Digitized by Google

tuita,& liberalis,reſpectu vero meritorum Chriſti, qui ex iuſtitia meruit nobis remiſſionem, dicitur ſolutio ex iuſtitia. Ita proportionaliter illa ſolutio pretij reſpectu creditoris eſt actus iuſtitiæ,& ſic eſt recompēſatio totius debiti:reſpectu vero debitoris, illa applicatio theſauri, eſt omnino liberalis, & gratuita,quia fit ſine propriis meritis;& talis remiſſio, vt fit à Prælato habente iuriſdictionem in eum, cui cōfertur indulgentia,habet rationem verę abſolutionis. Modo vero inquirimus, an talis remiſſio, reſpectu defunctorum,habeat etiam rationem abſolutionis,& non ſolutionis tantum?

2. Partem affirmantem ſequuntur Medina *de Indulg. diſp. 5. cap.14. & 17.* Gabr.*in Cano.lect.57.in addit.illius.*Mayron. 4. *d.* 19. & fauent Alex. 4.*p. q.*23. *mem.6.* & D. Bonauent. 4.*d.*20.2.*p. q.5. fin.* & probatur.

3. Primò, quia poteſtas concedendi indulgentias,eſt poteſtas clauiū,& fundatur in illo Euangelij. *Tibi dabo claues*, &c. Vnde *in c.quod autem, de pœnit. & remiſſ.* ex eo definit ibi Papa, quod Epiſcopus non poteſt concedere indulgentias,niſi ſubditis, quia ſupponit hāc conceſſionem eſſe actum iuriſdictionis, & clauis,ſed actus clauis eſt claudere,& aperire,quod in ſpiritualibus eſt ligare, & abſoluere Ergo concedente Papa indulgētias defunctis,vere exercet actum abſolutionis circa illas.

4. Secundò, quia ſi quid obſtaret, quominus Papa concederet defunctis indulgentias per modum abſolutionis, maxime quia non habet iuriſdictionem in illos;ſed hoc eſt aperte falſum.Ergo, &c. Probatur minor; tum primò, quia iuſtus vel eſt in Eccleſia militante, vel in triumphante;anima autem Purgatorij non pertinet ad Eccleſiam triumphantem, atque adeo eſt in militante, cum ambulet per fidem,& ſpem,& non per ſpeciē,vt dicebat D.Paul. 1.*Cor.*13. Ergo cum Pontifex habeat iuriſdictionem in omnes,qui ſunt de Eccleſia militante, conſequens eſt, habere illam in animas Purgatorij. Tum ſecundò, quia defunctus, qui mortuus fuit in excommunicatione, poteſt abſolui, vt docent Sylu.*verb.excommunicatio,not.*3. & Abulenſ.*ſuper Matth.c.*16.*& q.*89.& expreſſe habetur *c. à nobis el 2.de ſent.excomm.* vbi dicitur *defuncto etiam abſolutionis beneficium impēdatur.* Et D.Benedictus abſoluit quaſdam Moniales defunctas, vt tradit D.Gregor *lib.2.dialog.c.*23.At abſolutio, eſt actus iuriſdictionis. Ergo habet Papa iuriſdictionem in animas Purgatorij.

5. Nec iuuat dicere,per illam abſolutionem, nullum vinculum tolli à defunctis, ſed ſolum concedi facultatem viuis; vt nomine Eccleſiæ poſſint pro illo offerre publice ſuffragia, & cōferre illi ſepulturam in loco ſacro; hoc (inquam)non iuuat,vt recte notauit Med. *vbi ſupra*,quia *Matth.*16. dicitur, quod abſolutio, quæ fit per Eccleſiā in terra, valet in cœlo. Ergo nec ſolum prodeſt pro foro ciuili,& exteriori,ſed etiam in interiori,& corā Deo. Tum tertiò,quia ſententia excommunicationis non poteſt proferri niſi in ſubditū, & in quem ſuperior habet iuriſdictionē, vt omnes fatentur, & conſtat *in c. à nobis el* 1. *de ſent. excom.* Sed Papa poteſt excommunicare defunctos, vt expreſſe habetur *d.c.à nobis el* 1 *de ſent. excom.* & de facto illos excōmunicauit, vt conſtat ex ſexta ſynodo generali *act.* 13. vbi excommunicātur Origenes, Honorius,& alij iam defuncti. Ergo vere habet iuriſdictionem in illos.

6. Nec obſtat dicere,ibi non excommunicari, ſed declarari excommunicationem incurriſſe, quia Honorius, qui ibi excommunicatur,mortuus eſt Papa, Papa autem ob nullū delictum incurrit

Digitized by Google

ſententiam excommunicationis, quia cum non habeat ſuperiorem in terra, & par in parem nó habeat imperium, nullius Pontificis, aut Concilij cenſura ligari poteſt. Ergo vere ibi non dubitatur fuiſſe excommunicatum, ſed excommunicatur.

7. Tertiò, quia licet defuncti ſecundum ſe præciſe conſiderati non pertineant ad forum Eccleſiæ, & ideo non poſſint recipere indulgentias per modũ abſolutionis, ſed ſolutionis tantum, tamen ratione delictorũ, quæ in hac vita commiſerunt, vere pertinent ad iuriſdictionem Eccleſiæ, quia reus ſortitur forum ratione delicti quocũque ſe transferat, etiam extra locum, in quo commiſit delictum, vt conſtat *ex l. qua.* C. vbi de crimine agi oporteat, & in Authentica, vt omnes obedientiam Iudici Prouinciæ præſtent. Ergo defuncti ratione delictorũ, quæ in hac vita commiſerũt, pertinent ad forum iudiciale Eccleſiæ.

8. Quartò, quia ſi propter aliquid non poſſet Papa cócedere defunctis Indulgentias per modũ abſolutionis, maxime propter locum, *Matth.* 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c.* Defuncti autem non ſunt ſuper terrã. At iſte locus non obſtat, quia illud verbũ *quodcunque ſolueris:* poteſt referri ad ipſum Petrum, vt ſenſus ſit. Quodcunque ſuper terram exiſtens ſolueris, erit ſolutũ & in cœlis; vel poteſt intelligi, quod illa dictio, *ſuper terram*, ſignificet ſolum id, quod non eſt in cœlo, quia ibi opponitur ipſi cœlo; atque adeo ſumitur pro omni loco extra cœlum. Vel tandẽ dici poteſt, non excludi ibi animas Purgatorij quoad abſolutionem à pœna, quia vere ſunt ſuper terram; licet non ſuper vltimam ſuperficiem illius.

9. Vltimò, quia animæ Purgatorij, quouſque intrẽt in Regnum cœlorum, adhuc ſunt viatrices, cum nódum comprehẽderint, necdum ad terminum peruenerint; ſunt (inquam) viatrices, quantum ad Purgatorium, per quod velut per quãdam viam tranſeunt ad patriam, atque adeo vere ſunt in tranſitu ad terminum, licet quodammodo ſint in termino, quantum ad confirmationem in gratia, cum amplius peccare non poſſint.

10. Verum his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, defunctis non concedi indulgentias à Pontifice per modum abſolutionis. Ita docent D. Bonau. *vbi ſupra*, quem refert, & ſequitur Cord. *ſupra de indulgent. propoſitione* 15. & facultas Pariſienſis cenſuit erroneam oppoſitam ſententiã, teſte Maior. *in* 4. *d.* 20. *q.* 2. Richard. *ead. diſt.* 20. *art.* 3. *q.* 3. Sot. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. Bellar. *lib.* 1. *de Purgat. c.* 16. Gabr. etiam *loco cit.* Atque idem videtur ſentire D. Thom. *d. quæſtiunc.* 2. teſte Suar. *vbi ſupra ſect.* 2. *n.* 4. & tenent ſimiliter Canoniſtæ, quos refert ac ſequitur Nau. *comment. de Indulg. not.* 21. & communiter omnes recentiores, & tandem Alex. & Bonau. *locis citat.* & probatur.

11. Primò, ex illo *Matth.* 16. *quodcunque ligaueris ſuper terram.* quod intelligi debet iuxta ſacrorum Canonum, & Pontificum intelligentiam. Gelaſ. autem 24. *q.* 2. *c. ligatur.* ait, *ſuper terrã; nam in ligatione, defunctum nunquam dicit eſſe abſoluendum*; & *in eadem cauſa cap. de excomm.* Leo Papa ait: De excommunicatione priuatis, & ita defunctis, horum cauſa iudicio Dei reſeruanda eſt. Et Gratia. *ead. cauſ. & q. cap.* 1. *ſuper* (inquit Chriſtus) *non ſub terram*; oſtendẽs, quod viuentes pro varietate ſuorum meritorum, ſoluere poſſumus, vel ligare, ſed de mortuis ſententiam ferre non poſſumus. Ergo cum defuncti non ſint ſuper terram, eadem ratione non poterit eis concedi indulgentia per modum abſolutionis.

12. Nec valet ſolutio quorundam doctorum

doctorum aſſerentium illud *quodcunque ſolueris ſuper terram:* ſic exponẽdum eſſe, quodcũque exiſtens ſuper terram quo-ad eſſe, ſiue quoad ſtatum, vel cauſam ſolueris, illud erit ſolutum in cœlis: & ſic(inquiunt)poſſe abſolui animas Purgatorij, quia ſunt ſuper terram, ſaltem quoad cauſam,id eſt, non finaliter ſententiatæ, imo quoad ſtatum, quia ſunt in via ad præmium,& non extra Eccleſiam militantem. Hæc(inquam)expoſitio non eſt conformis literæ, quia ſic redundaret hæc clauſula, *ſuper terram,* cum omne ligabile, aut ſolubile neceſſario ſit ſuper terram in eo ſenſu,id eſt, quo ad eſſe, ſtatum, & cauſam, vt viui, quo ad ſtatum vero, & cauſam, vt defuncti, atque adeo ſuperflue addita fuiſſet illa particula; *ſuper terram.* Lege Cord.*dict.q.16.verſ.ideo ſecundũ alios DD.*

13. Secundò, quia cum abſolutio ſiue à culpa, ſiue à pœna ſit actus iudiciarię poteſtatis,manifeſte conſequitur, non poſſe concedi indulgentiam per modum abſolutionis,niſi ab habente iuriſdictionem in eum, cui confertur; at Papa non habet iuriſdictionem in animas Purgatorij. Ergo non poteſt illis concedere indulgentias per modum abſolutionis. Minor probatur, quia ſi haberet iuriſdictionem in illas, poſſet eas excommunicare, quod eſt aperte falſum, quia excommunicatio fieri nõ poteſt, niſi præmiſſa monitione canonica, defunctus autem non poteſt admoneri; & præterea, quia talis eſt extra tribunal Eccleſiæ,nec vnquam poteſt cenſeri contumax, & tandem quia id expreſſe aſſerit Gelaſ.24.*quæſt.*2.& alij Pontifices ſupra citati.

14. Tertiò probatur, quia in rebus præcipue moralibus, & theologicis ſtandum eſt opinioni communi, niſi aperta ratione conuincatur falſa; nam ſemper illa eſt cenſenda probabilior, & verior,vt ait gloſ.*c.fin.de pœnit.& remiſſ. diſt.*1.& habetur *c.1.de Conſtitut.* & Iſid. *diſt.16.& c.in canonicis,diſt.19.& cap.fin. diſt.63.* Sed hæc ſententia eſt communis DD. & vſus Pontificum confirmat eius veritatem, quia cum concedunt indulgentias defunctis, ſemper dicunt, illas concedere per modum ſuffragij, nunquam autem abſolute ſine addito, vt conceduntur viuis.Ergo ſignum manifeſtum eſt,Papam recognoſcere non habere iuriſdictionem in Purgatorio, atque adeo non poſſe concedere illis indulgentias per modum abſolutionis.

15. Ad primum Reſpondeo, præter ligare, & abſoluere eſſe alios plures actus ad claues pertinentes, etiam reſpectu viuorum,vt communiter docent Doctores in materia de Clauibus.Vnde in præſenti dicimus, quòd remittere illam pœnam Purgatorij defunctis ibi exiſtentibus, quamuis non ſit actus iuriſdictionis, eſt tamen actus Clauium, quatenus per illum remouet impedimentum introitus in regnum cælorum.

16. Ad ſecundum nego minorem,& ad primã probationem, reſpondeo,animas Purgatorij eſſe in ſtatu medio,quia partim pertinent ad Eccleſiam triumphantem,propter ius inamiſſibile,quod habent acquiſitum ad illam, & partim ad Eccleſiam militantem, quatenus ſecundum quid ſunt viatrices,vt dixit D. Thom.vbi ſupra, & hac ratione indirecte ſolum pertinent ad forum Eccleſiæ, iuxta ſtatim dicenda.

17. Ad ſecundam probationem bene reſpondeo ibi. Cum enim dicunt iura abſolui poſſe defunctum, non loquuntur abſolute, & directe, ſed indirecte, quatenus in tantum dicuntur abſolui ipſi, in quantum viuis cõceditur facultas,vt nomine Eccleſiæ poſſint pro illis orare, ſacrificium offerre, in loco ſacro eos ſepelire, &c.Ita explicant Cord.*lib.5.quæſt.*16. & Caſtr. *lib. 2. de iuſt. hæret. punit.cap.*19.& 20.quam explicationem eſſe

Digitized by Google

eſſe legitimam, præter ſupradicta pro noſtra ſententia, ex eo apertè conſtat, quod *in d.c.à nobis,de ſent.excom.* vbi dicitur, defunctum poſſe abſolui, dicitur etiam poſſe excommunicari. Conſtat autem id eſſe falſum de excommunicatione propriè ſumpta, vt eſt quædam cenſura: ergo proportionaliter loquendum eſt de vtroque. Quare ſicut excommunicare defunctum, ſolum eſt, prohibere viuis,ne offerant pro illo publica ſacrificia,orationes,&c. ita illum abſoluere, erit concedere facultatem ad hæc efficienda; quæ facultas ſicut datur à Papa in terra, ita à Deo conceditur in cœlo; & hoc eſt valere illam abſolutionem,non ſolùm quoad forum Eccleſiæ, ſed Dei. Vnde concludo,quòd cum abſoluitur defunctus ab excommunicatione, non valet talis abſolutio quoad eius effectum primarium, quod eſt, auferre vinculum,& obligationem,qua tenebatur excommunicatus non ſe immiſcere ſacris:nam hoc ipſo,quòd moritur,non manet in eo talis obligatio, atque adeo non opus eſt ad illam tollendam aliqua abſolutione proprie ſumpta, ſed ea, quam ſupra explicauimus. Et per hoc patet reſponſio ad tertiam probationem eiuſdem argumenti.

18. Ad tertium, omiſſis aliis ſolutionibus,clarius dicitur,quòd reus ſortitur forum ratione delicti, dummodo extet talis reus. At ſi non extet talis reus,ſicut non extant defuncti, in territorio Eccleſiæ, cum iam è vita deceſſerint, non pertinent ad forum,in quo deliquerunt, ſed ad ſolum forum Dei.

19. Ad quartum, omiſſis variis explicationibus,quas referunt Gabr.*in canon.lect.57.in addit.*& Cord.5.*de Indulg. q.16.* Reſpondeo, iuxta prædicta,illam particulam, *ſuper terram*, denotare iuriſdictionem Papæ ſolum eſſe in viuentes,non in defunctos;ad illam verò conſequitur auctoritas diſpenſandi de theſauro Eccleſiæ,etiam pro defunctis;quæ diſpenſatio non eſt actus iuriſdictionis in ſubditos,ſed clauis propter rationem allatam in ſolutione ad primum. Et licèt aliquando in ſacra Scriptura particula, *ſuper terram*, comprehendat omnem locum extra cœlum, vt *Geneſ.* 1. & 14. & *Pſalm.* 184. & *Hierem.* 33. & *Matth.* 16. non tamen ſemper, ſed ſæpius comprehendit ea duntaxat, quæ ſuper terram ſunt;etiam cum terra contraponitur cælo,vt conſtat *ex Pſal.*146. & 148. *Eccleſiaſt.* 5. *Matth.* 5. & 26. & *Luc.*12. & *Apocal.*5.& 21. & hoc modo intelligendus eſt prædictus locus *Matt.* 16.cui non parum fauet,quod etiam loquitur de Epiſcopis, & tamen conſtat ex communi Doctorum ſententia, non poſſe illos concedere indulgentias defunctis. Verum tamen eſt, quòd D Bonau.*diſt.*20. (vt referunt Gabr. & Cord. *vbi ſupra,*) inquit, quod ſi quis contendat Vicarium Chriſti habere iudiciariam poteſtatem ſupra exiſtentes in Purgatorio, non eſt illi multum reſiſtẽdum, modo hoc dictet ratio, vel auctoritas manifeſta; idque videtur ſentire Henriq.*vbi ſupra*,§.1.ſed Cord.*vbi ſupra*;dicit,eſſe contra prædictum locum *Matthæi* 16. & DD.communiter, & Maior. *in* 4.*diſt.*20. *quæſt.*2. quem refert Nauar *in repet.de Indulgent.notab.*22.§.9. ait facultatem Pariſienſem iudicaſſe eſſe ſcandaloſum, & nullatenus populo prædicandum, Papam habere iuriſdictionem in animas Purgatorij. Verum ego non cenſeo prædictam ſententiam eſſe tam acri cenſura dignam, cum & habeat pro ſe graues Doctores, & vrgentes rationes, & locus *Matthæi* 6. patratur probabiliter explicationes,quas tradit Medina *vbi ſupra*.

Ad vltimum patet ex dictis ad primum.

Dvbivm

Digitized by Google

Dvbivm IV.

An Indulgentiæ defunctis applicatæ per modum ſuffragij proſint illis de congruo tantum, an de condigno, & ex iuſtitia? vbi etiam explicabitur, quid ſit Indulgentia per modum ſuffragij.

1. NOn deſunt graues DD. quibus certum videatur, huiuſmodi indulgentias per modum ſuffragij defunctis conceſſas, ſolum illis prodeſſe de congruo, & non ex iuſtitia, hoc eſt, quaſi iuſtam, & æqualem ſolutionem offerẽtibus. Ita Viguer. *c.* 16. *§.* 4. *verſ.* 24. Caietan. *tract.* 2. *de Indulgent. ad Iul. q.* 5. *ſeu opuſc.* 27. *quæſt.* 5. Cord. 5. *de Indulg. q.* 15. *& q.* 17. *in fin. ad* 2. Canus *de locis* 12. *cap.* 13. *ad* 9. Sot. 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 6. *& quæſt.* 2. *art.* 1. *& diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 4. *ad* 1. quatenus in duobus primis locis de ſacrificio Miſſæ oblato pro defunctis, dicit, quod non valet eis ex iuſtitia, quod à fortiori diceret de indulgentiis. In tertio verò loco, hoc idem concedit de ſatisfactione viuorũ oblata pro defunctis, idem Medi. *C. de ſatisfact. q.* 5. in quantum non audet concedere, quod iuſtus dũ viuit, ſatisfacit ex iuſtitia pro alio viuo, ſeu defuncto, quod etiam tenuit Richard. *d.* 20. *art.* 1. *q.* 3. & eandem tenere debent, qui docent, non valere indulgentias defunctis, quos ſupra retulimus *dubio primo*, & probatur.

2. Primò, quia indulgentia per modum ſuffragij hoc certe ſonat, vt ſcilicet valeat per modum cuiuſdam auxilij, quo viui ſuffragantur defunctis, flagitantes à Deo minutionẽ pœnæ; at Deus non tenetur ex iuſtitia minuere, vel auferre talem pœnam, ſed id facit ex mera liberalitate. Ergo non valet illis indulgentia ex iuſtitia, & de condigno. Minor probatur, quia, vt bene aduertũt Medi. & Cord. *vbi ſupra*, omnis iuſtitia apud Deum fundatur in aliquo eius pacto, nullibi autem legitur Dei pactum, quo promiſerit ſe accepturum in totum indulgentiam per modum ſuffragij, imo videtur repugnare rationi ſuffragij. Nã quando aliquid datur alteri ex iuſtitia, non dicitur impendi illi liberaliter, & per modum ſuffragij.

3. Tertiò, quia huius vitæ pœnæ ſunt alterius, & inferioris rationis à pœnis Purgatorij; ſicut pœna pecuniaria eſt alterius, & inferioris ordinis à pœna ſeruitutis, forum etiam eſt diuerſum, quia hoc noſtrum, quale eſt canonicum, & ciuile, eſt mite, illud vero Purgatorij forum eſt rigidum, velut criminale, & ſanguinolentum; vnde fit, quod ſicut ex eo, quod pœna ſeruitutis eſt alterius rationis, & longe maior, quam pecuniaria; ſi quis, (vt olim fieri ſolebat,) eo quod pecuniam non ſolueret, fieret creditoris ſeruus, non poſſet ex iuſtitia, ſoluta pecunia redimi à ſeruitute, niſi dominus per miſericordiam vellet acceptare pecuniam, vel pretium; & ſimiliter, ſi clericus incidiſſet in forum ſanguinis, non poſſet ex iuſtitia liberari ſola pœna canonica; ita etiã in propoſito, cum pœna Purgatorij ſit alterius rationis, & longè maior pœnis huius vitæ, non poterunt defuncti liberari ſola pœna canonica; ita ſimiliter in propoſito, non poterunt defuncti liberari ex iuſtitia à pœnis Purgatorij per quaſcunque pœnas, vel paſſiones huius vitæ, ſed ſolum ex miſericordia, & liberalitate Dei.

4. Tertiò, quia ſatisfactiones, quas iuſti in hac vita applicãt defunctis, non proſunt illis ex iuſtitia, ita vt ex iuſtitia ſatisfaciant pro illis. Ergo nec etiam indulgentiæ proſunt illis ex iuſtitia. Conſequentia eſt nota, quia per indulgentias applicantur ſatisfactiones Sanctorum in theſauro Eccleſiæ recõditæ. Antecedens vero probatur, quia debitum animæ exiſtentis in Purgatorio non eſt

reale, ſed perſonale ortum ex propriò crimine. Pro debito autem ſic perſonali non poteſt vnus pro alio ſatisfacere ex iuſtitia, vt patet in eo, qui condemnatus eſt ad ſuſtinenda flagella, pro quo, licet quis illa ſuſtineat, non ſatisfacit pro debito alterius ex iuſtitia, ſed poteſt Iudex procedere contra illum, volens, vt à tortoribus flagelletur, vt omnes fatentur, quod tamen ſecus eſt in debito ciuili, & reali, vt in debito pecuniario, pro quo manifeſtum eſt, vnum pro alio poſſe ſatisfacere ex iuſtitia, ſi tantum pecuniæ exoluat, quantum alter debet. Cuius quidẽ diſcriminis ratio eſt, quia ciuilis obligatio tantum eſt realis, id eſt, res huius tantum ſunt pro illo obligatæ; obligatio autem nata ex crimine, eſt perſonalis, quia ipſa perſona, cõmittendo crimen, manſit pœnæ rea, & ideo non poteſt alius pro ea ſoluere ex iuſtitia, ſed ſolũ ex lege, & libertate Iudicis.

5. Quartò, quia Rex Franciæ non tenetur ex iuſtitia acceptare precium oblatum à Rege Hiſpaniæ pro redimẽdis ſeruis, quos apud ſe habet: Ergo ſimiliter, nec Deus tenebitur ex iuſtitia acceptare precium pro redimendis captiuis Purgatorij.

6. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, indulgentias defunctis conceſſas prodeſſe illis ex iuſtitia, & non ex mera tantum liberalitate Dei acceptantis, cum hoc tamen ſtat, quod ſimul valent illis per modum ſuffragij. Ita docent D.Thom.4.*diſt*.45.*q*.2.*art*.3.*quæſtiunc*.2.*ad arg*.3. Dur.4.*diſt*.4.*q*.1.*n*.6. Supplem. Gabr.*diſt*.45.*q*.2.*concl*.2. & Gabr. ipſe *ſuper Cano. lect*.57. Sot.4.*diſt*.21.*q*.2.*art*.3.*poſt* 3.*concluſ. & diſt*.45.*q*.2.*art*.3.*ad fin*. Ledeſm.*tom*.2.*q*.29.*ar*.3. Nauar. contra Caiet. §.*in Leuitico, notab*.22.*n*.18.*atque ad* 21. Couar.*c. Alma mater*, 1.*p*.§.5.*n*.11. citans pro ſe Turrecrematam *in c. animæ defunctorum* 13.*q*.2. & Petrum de Sot. *de inſtitut. ſacer. lect*.3. *de Purgatorio*, & DD. communiter *in* 4. *diſt*.45. quorum aliquos refert, & ſequitur Suar.*d.ſect*.3.*n*.3. & probatur quoad primam partem. Primò, quia per ſatisfactiones viuorum, quas iuſti applicant defunctis, vere ſatisfacit defunctus Deo ex iuſtitia pro tanta pœna, pro quanta eſt ſatisfactio oblata: Ergo etiam ſatisfit illi ex iuſtitia pro defunctis per ſatisfactiones, mediantibus indulgentiis illis applicatas. Conſequentia eſt nota, quia ex hoc, quod tales ſatisfactiones applicentur per Eccleſiam, non fiunt deterioris conditionis, nec amittunt aliquem valorem ſatisfactiuum. Antecedens verò probatur, quia communicatio, quæ fit mortuis, ita fundatur in charitate, ac illa, quæ fit viuis, & conſequẽter actus meus per communicationem charitatis, quoad ſatisfactionẽ, fit opus alterius, qui mihi vnitur per charitatẽ, & cui egò applico tale opus; ergo ita ſatisfacit per mea opera ſibi applicata, quia mea fiunt illius ex mea gratuita donatione. Vnde eo ipſo, quod eſt in Eccleſia ſanctorũ cõmunicatio, ex lege diuina fundata in ipſa natura charitatis, eadem lege fit, vt opera mea applicata defuncto exiſtenti in charitate, fiant illius, atque adeo per illa ſatisfaciat ex iuſtitia, ſicut ſatisfaceret quis creditori per pecuniam ſibi ab altero donatam.

7. Nec obſtat, quod obiicit Cord. id non habere locum in debito perſonali, ſed reali tantum, cum conſtet, eum, qui ad flagella condemnatus eſt, non poſſe huic debito ex iuſtitia ſatisfacere per flagella alteri inflicta, hoc (inquam) non obſtat, quia licet id in humanis ſit verũ, fallit tamẽ in ſpiritualibus, quia Chriſti opera ad hoc ſunt facta, vt ſint pro reatibus noſtris ſatisfactoria, & hanc excellentiã habent, nõ ſolum opera Chriſti, ſed & Sãctorum, vt illis innituntur; alias nec vnus iuſtus poſſet pro alio viuo ex iuſtitia ſatisfacere pro pœna temporali,

Digitized by Google

porali, cum tale debitum ſit perſonale, & ex proprio crimine ortum, quòd licèt concedant nonnulli Doctores ex citatis in prima ſententia, eſt tamen contra cõmunem Theologorum opinionem, vt conſtat ex D. Thom. *in addit. q.* 12. *& in* 4. *diſt.* 45. *a.* 1. *concl.* 1 Sot. 3. *de nat. & grat. cap.* 6. *concl.* 4. *& diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 4. *dub. vlt.* Adrian. *quodlib.* 8. *in* 2. *p.* Caietan. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 16. *q.* 5. Nauar. §. *in Leuit. notab.* 22 *num.* 18. & aliis multis.

8. Secundò, quia Pontifici dedit Deus poteſtatem diſpẽſandi Eccleſiæ theſaurum pro viuis, & pro defunctis. Nam Petro contulit claues, *Matth.* 16. quibus ſecundum legem tolleret illis impedimenta intrandi Regnum cœlorum: ergo ſtatuit acceptare pro eis ſatisfactionem illis applicatam, mediante indulgentia, atque adeo valebit ex iuſtitia, ſuppoſito tali pacto, & lege. Patet conſequentia, quia eo ipſo, quod Deus contulit facultatem Papæ ad diſpenſandũ theſaurum Eccleſiæ, ſtatuit id acceptare pro illis, quibus applicaretur, ſicut ſi quis daret alteri pecunias, vt ſibimet debitum ſolueret, eo ipſo videtur ſe obligare ad acceptandum illarum valorem pro ſolutione illius debiti.

9. Sed reſpondent aduerſarij, quod licèt Deus ſtatuerit acceptare indulgentias pro mortuis, non tamen ſtatuit, quantum debeant illis prodeſſe, ſed id pendet ex liberali Dei acceptatione. Ita reſpondent Cord. & alij *vbi ſupra.* Sed contra eſt, tum quia ſi de lege eſt, vt conſtat ex Concilio Conſtantienſi, quòd valeat defuncto indulgentia pro pœna, oſtendere oportet, cur non valeat ei etiã ex lege tanta indulgentia pro tanta pœna, ſicut valet viuis, cum re vera pro illis etiam reddatur æquiualens, & fiat æqualitas compenſationis cum debito pœnæ; tum quia in Eccleſia prædicatur, & communis fidelium cõſenſus confirmat, quòd etiam pro mortuis valeant indulgentiæ tantum, quantum ſonant. Hoc autem non eſſet verum, ſi indulgentiæ non prodeſſent illis ex iuſtitia, & de condigno: nam, quod tantum valet de congruo, non eſt certum, quòd valebit, nec quantum valebit.

Quòd ſi cũ eodem Cord. reſpondeas, ex parte indulgẽtiarum certũ eſſe, quòd valent quantum ſonant, non tamen ex parte Dei liberaliter acceptantis. Contra eſt, quia ipſæ indulgentiæ habent valorem, vt acceptentur de lege tantum, quantum ſonant. Ergo hoc idẽ habent ex parte Dei ex lege illas acceptantis; nam idem eſt habere valorẽ ex iuſtitia, & eſſe ex lege Deo acceptas. Igitur, aut negare tenetur Cord. omnem legem ex iuſtitia in valore indulgentiarum, aut ſi illum admittit in indulgentia ſimpliciter ſumpta, ita etiam illum admittere debet in quantitate maiori, vel minori eiuſdem indulgentiæ.

Adde, quòd ſi quis contendat ab indulgentiis omnem rationem iuſtitiæ excludere, nec certũ erit in Eccleſia, quòd indulgentiæ valeant pro defunctis, nec quòd valeant, quantum ſonant: ſicut nec certũ eſt, quod ad petitionem Petri orãtis pro Paulo, Deus conferet illi primam gratiã, quia hoc nõ poteſt eſſe meritum de condigno, ſed de congruo tantum. Hoc autem eſſet magna ex parte eneruare vim indulgentiarum, & remiſſiores reddere viuos ad lucrandas indulgentias pro defunctis.

10. Tertiò, quia Eccleſia noſtra, & illa Congregatio fidelium, quæ eſt in Purgatorio, partim pertinet ad vnam, & eandem Eccleſiam militantem, cum adhuc ambulet per fidem, & ſpem, & non per ſpeciẽ, & adhuc peregrinetur à Domino, vt dicit Paul. 3. *Cor.* 1. Sed in hac Congregatione eſt idem pretium meritorum, & ſatiſfactionũ Chriſti, & Chriſtus Dominus meruit ex iuſtitia per modum redemptionis, remiſſionem pœnæ

Digitized by Google

animabus Purgatorij. Ergo applicante Papa huiuſmodi meritum, & ſatisfactionem animabus Purgatorij, mediantibus indulgentiis, valebunt illis de iuſtitia, & de condigno; ſicut quando applicatur illis ſacrificium Miſſæ in ordine ad ſatisfactionem ex opere operato prouenientem.

11. Quartò probatur, & prædicta omnia corroborantur ex extrauag. Leonis X. miſſa ad Caiet. cum erat legatus Germaniæ, cuius verba, prout ad præſens ſpectat inſtitutum, retulit idem Caiet. *3. p q. 48 art. 5. ad 1. D. Thom.* ibi enim dicit Leo Papa, eſſe traditionem Eccleſiæ Romanæ, poſſe Romanum Pontificem omnibus fidelibus in charitate vnitis, tam viuis, quàm defunctis cōcedere indulgentias, & quòd ſi illas cōſequantur, liberabuntur ſecundum diuinam iuſtitiam à tanta pœna, quanta reſpondet illi indulgentiæ. Ergo ſentit Pontifex huiuſmodi indulgentias valere ex iuſtitia, tam viuis, quàm defunctis.

12. Sed iam quoad ſecundam partem, probatur eadem aſſertio, in qua dicebamus, cum ſupradicta iuſtitia ſtare, quòd indulgentiæ defunctis conceſſæ valeant illis per modū ſuffragij. Hoc (inquam) probatur, quia ſuffragari, idem eſt, quod fauere, & auxiliari, ſed cum proprietate dicitur quis auxiliari alicui, & per modum iuſtitiæ, & per modum miſericordiæ. Ergo bene ſtat, quòd indulgentiæ valeant defunctis ex iuſtitia, & per modum ſuffragij. Minor probatur exemplo, nam quando plures candidati petunt præbendam, non cum minori proprietate dicitur Iudex ſuffragari, & auxiliari digniori, cui præbendam confert, exercendo circa illum actum iuſtitiæ, quàm alius, qui per preces eidem fuerit auxiliatus, acceptando prębendam gratis datam, iuxta illud *Matth. 10. Gratis date*, & ſimul etiam debitam digniori ex lege iuſtitiæ diſtributiuæ. Et ſimiliter debitor, qui ſuo creditori valde inopi, & in carcere exiſtenti ſoluit pecuniam, vt liberetur à vinculis, exercet actum iuſtitiæ commutatiuæ, & tamen nullus ſanæ mentis dicit, quod non eſt ei per illum actum valde auxiliatus: ergo ſimiliter in propoſito dicendum eſt reſpectu indulgentiarum, quæ defunctis cōceduntur, nimirum quòd cum omni proprietate dicitur ei ſuffragari Pontifex, & qui exercet pro illis opus, pro quo conceditur indulgentia, licèt alias ex iuſtitia per applicationem indulgentiæ remittatur eis pœna debita in Purgatorio.

13. Iuxta quæ omnia, dicendum videtur, quòd indulgentia per modū ſuffragij, nihil aliud eſt, quam mera diſpēſatio theſauri Eccleſiæ facta exiſtenti extra forum iudiciale Eccleſiæ, qui ſeipſum iuuare non poteſt, ſed indiget potius ab aliis pro aliquo opere iuuari. Ita docet Eman. *in expoſitione Bullæ defunctorum, §. vnico, n. 1.* dicitúrque ibi, quod eſt mera diſpenſatio, ad differentiam indulgentiæ, quæ viuis cōceditur, quæ eſſentialiter eſt abſolutio, & remiſſio pœnæ, vt cōmuniter tradunt Doctores in materia de indulgentiis. Indulgentia autem per modum ſuffragij non eſt abſolutio, nam cum hæc ſit actus iuriſdictionis, & defuncti nō ſint ſub iuriſdictione Pontificis, vt latè oſtendimus ſupra, manifeſte conſequitur hanc indulgentiam non eſſe abſolutionem. Dicitur deinde *facta exiſtenti extra forum Eccleſiæ*, quia indulgentia per modum ſuffragij non habet locum in viuis, vt contra Gabr. *lect.* 57. & Supplem. *4. diſt. 45. q. 3. art. 1. notab. 2.* & Nauar. *de Indulgent. notab. 19. & 22. & §. 23. & ſeqq.* probat Cord. *lib. 5. q. 15.* quia indulgentia per modum ſuffragij dicitur ad differentiam indulgentiæ abſolutè dictæ, quæ exercetur per modum iudiciariæ poteſtatis. Omnis autem indulgentia reſpectu viuorum eſt abſolutio; atque adeo actus iudiciariæ poteſtatis.

Digitized by Google

poteſtatis, & conſequenter non erit reſpectu eorum indulgentia per modum ſuffragij. Vnde Leo Papa *in extrauaganti ſupra citata*, condiſtinguit aperte modum concedendi indulgentias viuis per modum abſolutionis, contra modum concedendi illas mortuis per modum ſuffragij.

14. Et ſi quiſpiã obiiciat, quia ideo dicitur mortuis conferri indulgentias per modum ſuffragij, quia cum concedatur indulgentia pro tali opere, & illud exerceri non poſſit à mortuo, alter viuus illud efficiẽdo pro eo, ſuffragatur illi: ſed ſic eſt, quod idem contingere poteſt reſpectu viuorum, quia ſi Papa concedat indulgentiam viſitanti Eccleſiam D. Petri per ſe, vel per alium, ſi per ſe viſitare non poſſit, tunc alter ſuffragetur illi, efficiendo opus, pro quo conceditur indulgentia, & de facto in Bulla conceditur indulgẽtia eunti ad pugnandum contra infideles, vel mittenti certos pugnatores: ergo mittenti valet indulgẽtia per modum ſuffragij. Reſpondet Cord. *vbi ſupra*; quod quantumuis viuis poſſit fieri aliquod ſuffragium, vel auxilium in ordine ad lucrandã indulgentiam, talis non erit vere, & proprie indulgentia per modum ſuffragij, quia fit per modum abſolutionis, aut iudiciariæ poteſtatis. Verum in hoc videtur potius quæſtio eſſe de nomine, quia vt infra dicemus, Catechumenis cõceditur indulgentia per modum ſuffragij; nam cum Pontifex non habeat in illos iuriſdictionẽ, non poteſt illis concedere indulgẽtiam per modum abſolutionis, abſolutio enim eſt actus iudiciariæ poteſtatis, atque ideo defunctis ſolum concedit per modum ſuffragij. Dicitur tandẽ in prædicta definitione. *Qui ſe iuuare non poteſt, ſed indiget aliquo pio opere ab alio iuuari*, quia requiritur ſecundum multorum Doctorũ ſentẽtiam, aliquod pium opus ad concedendam indulgentiam; ſed certe hæc particula non videtur neceſſaria in prædicta definitione; tum quia, opus quod ab alio fit, cum tantum ſe habeat, vt conditio ſine qua non debet intrare definitionem quidditatiuam rei; tum etiam, quia vt infra probabimus, poſſet Pontifex concedere indulgentias ſine tali opere. Quare breuior, & melior definitio indulgẽtiæ per modum ſuffragij erit, quod ſit mera applicatio theſauri Eccleſiæ, per modum ſolutionis facta defunctis.

15. Ad primum reſpondeo, negando minorem: tenetur enim Deus ex iuſtitia fundata in præcedenti liberalitate ſui pacti acceptare illam ſatisfactionẽ, quia iam habet rationem ſolutionis; & quod ſit per modum ſuffragij, ſolum addit ſupra modum ſolutionis, reſpectum ad illud opus pro defuncto ab alio exhibitũ.

16. Ad ſecundum reſpondeo, quod pœnæ huius vitæ entitatiuè ſunt minoris, & inferioris ordinis, ac rationis, quã pœnæ Purgatorij: pœnæ autem huius vitæ non ſecundum ſe ſumptæ, ſed vt procedunt, & informantur gratia Dei, & meritis Chriſti Domini, non ſunt inferioris rationis, ſed habent proportionatum valorem requiſitum ad remittẽdas pœnas Purgatorij: ſicut huius temporis paſſiones ſecundùm ſe ſumptæ non ſunt condignæ futuræ gloriæ, vt ait idem Apoſtolus *ad Rom.* 8. bene tamen vt procedunt ex gratia Dei, & ex meritis Chriſti Domini.

17. Ad tertium reſpondeo primò, petenda eſt ſolutio ex dictis in prima ratione noſtræ ſententiæ. Secundò reſpondeo, quod remiſſa culpa in peccatore, debitum pœnæ remanens eſt quaſi reale in ordine ad ſolutionem, cum conſtet aperte poſſe ſecundum legem pecunia redimi, quod tamen non contingit in humanis ex lege, ſed ex liberalitate Iudicis, aut partis.

18. Ad quartum reſpondeo, conce-

Digitized by Google

dendo antecedens, ſi non fuerit prius aliqua promiſſio ex parte Regis, qua promiſerit, ſe acceptaturum prædictum precium; tūc enim ex iuſtitia tenetur illud acceptare, & ſic eſt in propoſito; nā ſuppoſito, quod Deus ex ſua miſericordia, conceſſerit nobis Chriſtū, vt preciū noſtræ redēptionis, & promiſerit nobis illud acceptare in hunc finē, tenetur ex iuſtitia acceptare quod ſibi offertur pro animabus Purgatorij, maximè, quod de facto Chriſtus Dominus ſatisfecit pro omnibus electis, & prædeſtinatis, quales conſtat eſſe animas Purgatorij.

Dubium V.

Vtrum conceſſa indulgentia plenaria defuncto ex legitima cauſa, & illi applicata, infallibiliter liberetur anima eius à tota pœna Purgatorij.

1. Videbitur fortaſſe alicui ex dictis in præcedenti quæſtione liquido conſtare, omnino liberari, quia cum indulgentiæ ſint ex iuſtitia ſatisfactoriæ pro pœnis defunctorū, vt oſtenſum eſt, manifeſtè videtur ſequi, quod ſi indulgentia ſit plenaria, plene ſatisfaciat, atque adeo ab omni pœna liberabit. Verum re oculatius inſpecta, adhuc ſuppoſita tali iuſtitia, quæſtio propoſita manet anceps, & dubia. Primò, quia poſſet quis dicere, quod lex Dei, eſt acceptare indulgentias ſecūdùm diſpoſitionem gratiæ exiſtentium in Purgatorio; itaque ſtatuit acceptare ad maius precium ſatisfactionis indulgentiam oblatam pro anima ſibi magis grata, ad eum modum, quo de facto acceptat ad maius præmium opus factum ab homine ſibi magis grato. Ita docent Caiet. & Cord. *dub. præcedenti* relati, & probatur.

2. Primò, quia licet ſacramēta nouæ legis infallibiliter conferant gratiā recipienti illa cum debita diſpoſitione, tamen quantitas gratiæ, quam conferunt adulto, non eſt certa, & determinata, ſed maior, vel minor, ſecundum quātitatem diſpoſitionis ipſius recipientis. Ergo ſimiliter, licet infallibiliter per indulgētiam applicatā animæ Purgatorij liberetur illa ab aliqua pœna, non tamen poteſt eſſe certa quantitas huius pœnæ, ſed erit maior, vel minor ſecundùm maiorem, vel minorem diſpoſitionem ipſius animæ Purgatorij; atque adeo non eſt infallibile, quod per indulgentiam plenariam liberatur anima Purgatorij à tota pœna, cum ex parte ſua poſſit non eſſe ſufficienter diſpoſita ad recipiendum totalem fructum ipſius indulgentiæ; alias certe maiorē vim, & efficaciam haberet indulgentia in ordine ad ſuum effectum, quam ſacramenta in ordine ad ſuum, cum effectus iſtorum commenſuretur diſpoſitioni recipiētis, illius vero non, ſed ſolum petat diſpoſitionem ſimpliciter ad cauſandum adæquatum ſuum effectum.

3. Secūdò probatur ex verbis D. Auguſtini *in Enchirid. c. 99. & in lib. de cura pro mortuis habenda*; & habetur 13. *q. 2. c. tempus*, vbi ait: Specialia ſuffragia facta pro aliquibus, illis tantum proſunt, qui cum viuerent, hæc ſibi, vt poſtea poſſint prodeſſe, meruerunt, & D. Gregor. *lib. 4. Dialog. c.* 39. loquens de Purgatorio, inquit, *Illic nihil quiſque purgationis obtinebit, niſi hoc bonis actibus in hac vita poſitus, vt illic obtineat, promereatur, & cap. 57. &* 58. repetit idem; & D. Thom. 3. *p. q.* 52. *art.* 8. *ad* 1. ait, quod Chriſtus in ſuo deſcenſu, illos tantùm è Purgatorij pœnis eripuit, qui prædictā Chriſti viſitationem in vita meruerunt; quod etiam tradunt multi DD. relati ab Henriq. *lib.* 7. *cap.* 8. *§.* 2. *lit. M. in gloſſ.* Sed ſic eſt, quod non omnes animæ Purgatorij fuerunt æquales in merito, ſed quædam magis, vel minus meruerunt poſtea iuuari. Ergo

Digitized by Google

Ergo licet eis applicetur indulgentia plenaria, non erit infallibile, quod percipient adæquatum,& totalem effectum eius, ſed commenſuratum maiori, vel minori eorum diſpoſitioni, ad modum Sacramentorum, vt ſupra dicebamus.

4. Tertiò, quia ſi applicata indulgentia plenaria animæ Purgatorij infallibiliter liberetur à tota pœna, fruſtra in Eccleſia tot ſacrificia,& ſuffragia repeterentur pro eadem anima, cum iam ſit certum eis non indigere;contrarium tamen vidimus fieri in Eccleſia, & Beda *lib.5.hiſtor. cap.13.* ſcribit probatiſſimas viſiones Sanctorum, quibus reuelatum eſt,multas exiſtere animas in Purgatorio,quæ permanſuræ erant illic vſque ad diem Iudicij, & ſimilia refert Chart. *de quatuor nouiſſimis*; & tamen conſtat prædictas animas penè infinita Eccleſiæ ſuffragia participaſſe: Ergo ſignum eſt,quod non percipiunt totum eorum fructum, ſed iuxta quantitatem diſpoſitionis, quam habent.

5. Quartò, quia ſequeretur poſſe vno die euacuari totum Purgatorium, quia ſuppoſita ſufficientia animæ, pro qua conceſſa eſt indulgentia, poſſent in diuerſis mundi partibus tot homines, totieſque applicare prædictā indulgentiā animabus Purgatorij, quot ſunt animæ in Purgatorio: ergo illud euacuaretur.

6. Quòd ſi ab his Doctoribus inquiras, quænam ſit hæc maior, vel minor diſpoſitio, & idoneitas ex parte animæ Purgatorij ad recipiēdum maiorem,vel minorem fructū indulgentiæ. Reſpondet Caiet.eſſe maiorem,vel minorē affectū deuotionis ad Claues Eccleſiæ,quibus mediantibus conceduntur prædictæ indulgentiæ,& maiorem etiam diligentiam in applicandis ſuffragiis, & indulgentiis pro aliis defunctis; huic enim merito accidentali animæ correſpondet prædictū præmium accidentale,vt ſcilicet maiorem fructum indulgentiæ percipiat,quam alius, qui non habuit tantum affectum. Cord.autem dicit, hanc diſpoſitionem eſſe gratiam,& charitatē, cui non ſolùm correſpondet maius præmium eſſentiale, ſed maius etiam accidentale,& præcipue hoc de liberatione à pœnis Purgatorij, quod plus cæteris accedit ad eſſentiale, quatenus accelerat præmium ipſum eſſentiale,quod in clara Dei viſione conſiſtit, atque adeo debet correſpondere maiori charitati.

Vltimò probatur ex cenſura facultatis Pariſienſis contra Eraſm. *tit.* 8. vbi habentur hæc verba: *Non eſt aſſerendum, quòd ſemper per indulgentias,ſubito à pœnis liberentur,qui ſunt in Purgatorio,nec hoc in ſuis Bullis Pontifices prætendunt.* Ergo per applicationem indulgentiæ plenariæ, non infallibiliter liberatur totaliter anima Purgatorij.

7. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum,quòd ſi indulgentia plenaria ex legitima cauſa defunctis cōceſſa, applicetur illis, implendo opus, quod præcipit Pontifex,infallibiliter liberabitur ſtatim à tota pœna Purgatorij.Ita docent cōmuniter Doctores cum Sot.4.*diſt.29.q.1. art.3. ad fin. & diſt.45. q.1.art.3.ad fin.*quem cum aliis pluribus refert,& ſequitur Henriq. *lib.7.cap.7.* & probatur. Primò, quia indulgentia plenaria (vt omnes fatentur)importat totalem liberationē à pœna debita pro peccatis remiſſis.Ergo ſicut viuus,cui conceditur, liberatur infallibiliter à toto debito,ita vt ſi ſtatim diſcederet è vita, euolaret ad cœlum,ita etiā erit reſpectu defuncti exiſtentis in Purgatorio.

8. Secundò, quia lex de acceptandis indulgentiis fundatur in communione Sanctorum, & in poteſtate diſpenſandi theſaurū: at communicatio Sanctorum, quæ eſt in Eccleſia,nō habet prædictam limitationē,cum conſtet ſatisfactionem magnā applicatā iuſto, licèt pauciſſimū gratiæ habeat, tantū illi prodeſſe,quantum prodeſſet alteri habenti ingentem gratiam, ſi ei applicaretur; & poteſtas deinde

Digitized by Google

deinde diſpenſandi non reſpicit maiorem, vel minorem diſpenſationem, nec maiorem, vel minorem gratiam, licet requirat aliquam, ſed maiorem vel minorem cauſam: Ergo nihil ad quantitatem indulgentiæ facit maior, vel minor gratia recipientis, quamuis ſimpliciter ſit neceſſaria aliqua gratia, per quam mortuus ſit membrum viuum, & capax influxus vitalis.

9. Tertiò, quia indulgentia valet defunctis per modũ ſolutionis (vt omnes Doctores fatentur) ſed indulgentia plenaria exhibet plene totum debitum, & facta integra ſolutione, debitor fit ex iuſtitia liber à toto debito: Ergo per indulgentiam plenariam conceſſam defuncto, omnino liberatur eius anima à pœna Purgatorij, & ſic prædicatur communiter in Eccleſia.

10. Quartò, quia ex opinione Caietani ſequeretur, poſſe contingere plures animas eſſe in Purgatorio incapaces omnino recipiendi indulgentias, quod plane eſt abſurdum, & contra cõmunem omnium ſenſum. Patet ſequela, quia diſpoſitio ex parte defuncti, quã ipſe fingit neceſſariã eſſe ad percipiẽdum fructum indulgentiæ, eſt effectus deuotionis ad Claues, & diligentia in applicandis in hac vita ſuffragiis pro aliis defunctis; ſed multi decedunt, quibus nihil huius deuotionis, & curæ fuit: Ergo omnes illi erunt incapaces recipiendi fructum indulgentiarum.

11. Vltimò, aduerſus Cord. qui ſibi videtur omnino contrarius, dum ex vna parte dicit indulgentias non valere ex iuſtitia, & ex alia affirmat, quod habentes tantam gratiam infallibiliter conſequentur tantum fructum indulgentiæ; hæc enim inter ſe non cohærent, nam indulgentia ſecundum ipſum, non eſt ſatisfactiua ex iuſtitia, ſed de congruo; atque adeo quidquid ex vi illius tollitur de pœna, eſt ex mera Dei liberalitate: at vbi tantum eſt meritum de congruo, adeſt contingentia in effectu, vt de ſe conſtat; ergo non erit infallibile, quod iuxta tantam gratiam correſpondebit illi tantus fructus.

12. Ex dictis colligo, in hoc præcipue differre indulgentiam per modum ſuffragij ab omni alio ſuffragio, quod aliorum ſuffragiorum fructus eſt nobis incertus, & indeterminatus, fructus autem indulgentiæ per modum ſuffragij eſt omnino certus per concedentem ex legitima cauſa duos, vel tres annos indulgentiæ, aut indulgentiam plenariam.

13. Ad primum reſpondeo, negando conſequentiam, quia effectus ſacramentorum eſt gratia gratificans, quæ adultis, ſecundum legem Dei, non datur niſi ad mẽſuram diſpoſitionis, effectus vero indulgentiæ, eſt liberatio à pœna, quæ quantumcunque magna ſit, non præexigit in ſubiecto, niſi gratiam, tanquam conditionem ſine qua non, & non vt veram diſpoſitionem, quia diſpoſitio ſolum eſt in ordine ad formam poſitiuam, liberatio autem à pœna non eſt poſitiuum, ſed potius præſeruatiuum.

14. Ad ſecundum reſpondeo, per illa verba, ſolum velle D. Auguſt. excludi à ſuffragiis Eccleſiæ decedentes in peccato mortali, quia cum non ſint mortui in gratia, non meruerunt, vt ſibi prodeſſent: non autem quod ſuffragia cõmenſurentur ſecundum quantitatem diſpoſitionis gratiæ, aut meritorum illorum. Ad D. etiam Gregor. reſpondeo eodem modo; poteſt tamen dici mentẽ D. Gregorij ibi ſolum eſſe, quod Deus prouidentia ſua ordinauit, vt pro eo, qui meliora geſſit in corpore, aut qui diligentior fuit in iuuando bonis operibus alios, pro illo fiant ſuffragia in Eccleſia. Et adde pro omnibus illis locis, quod ſatis promeruit quis ſibi poſt mortem prodeſſe indulgentias, qui ex Dei prædeſtinatione in gratia deceſſit.

15. Ad tertium, negatur ſequela. Nam ſæpe ex defectu ſufficientiæ cauſæ, ob quam

Digitized by Google

quam conceſſa eſt indulgentia,fieri poteſt,vt non valeat, quantum ſonat ; vel certe,quia non fuit ſufficienter,& debite impletum, quod præcipiebat fieri Pontifex, maxime ſi vera eſt opinio dicentium, opus eſſe in gratia exiſtere illũ, qui pro anima Purgatorij facit diligentias neceſſarias,vt lucretur ei indulgentiam,de quo infra erit ſermo.Et ideo bene, & laudabiliter repetuntur ſuffragia, & indulgentiæ pro eadem anima; de quo videndus eſt Emman. *vbi ſupra, n.5.* qui plures huic rationes congeſſit ex Richard. Alenſ. & Gabr.

16. Ad illud vero de animabus tam longo tempore exiſtentibus in Purgatorio,reſpondeo,quod licet Sot. *in 4. diſt. 19. q. 13. ar. 2.* affirmet, neminẽ in Purgatorio manere ad viginti annos, eſt tamẽ ſine fundamento, & contra plures graues reuelationes,quas refert Bellarm. *de Purgatorio, lib. 2. c. 9. ad fin.* Nam præter relata à Beda, quem ipſe citat, Adam. *in ſerm. pro defunct.* dicit, quoſdam detineri centum annis, aut trecentis: imo Sur. *in vita S. Luzberga* ait, quendam Innocentium Papam fore detinendum in Purgatorio vſque ad diem Iudicij. Adde prædictam Soti ſententiam eſſe contra mores Eccleſiæ, quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat anniuerſarias Miſſas, & officia vltra ducentos annos. Quare Henriq. *lib. 7. cap. 17.* cenſet hanc opinionem Soti eſſe temerariam,& tanquam talem iudicatam fuiſſe in *Tribunali S. Inquiſitionis:* & ideo, inquit, quidam Minorita, qui illam prædicauit, compulſus fuit à cenſoribus fidei palinodiam canere.

17. Sed obiicit Sotus, quia aliquibus pœnis poſſumus in hac vita, breui tempore liberari ab omni debito pœnæ: Ergo multo citius in Purgatorio, cum illæ ſint in infinitũ grauiores iſtis. Reſpondeo eſſe diſparem rationem, quia hic eſt tempus miſericordiæ, illic iuſtitiæ. Sed obiicit vlterius Sotus, quod hic prolongantur pœnæ, quia ſi eſſent multum intenſæ deſtruerent ſubiectum, in Purgatorio vero poſſunt eſſe pœnæ intenſiſſimæ,quia ſubiectum eſt incorruptibile: Ergo rationabiliter credi poteſt de diuina pietate,quod animas illas ad gloriam anhelantes breuiſſimo tempore per intenſiſſimas pœnas purgabit. Reſpondeo, quod ſi quid conuinceret argumentum, etiam probaret,quod nec ad vnam horam manerẽt ibi animæ, quia poteſt Deus augendo intenſionem pœnæ, redigere ad vnam horam pœnas plurium annorum. Quare negamus id efficere, quia oppoſitum eſt conforme iuſtitiæ diuinæ, vt qui multum deliquit, per multum tempus puniatur; & tandem,quia forte eſſet maior pœna recipere intenſiſſimum dolorem breuiſſimo tempore, quam remiſſiorem longiori ſpatio.

18. Ad quartum concedimus ſequelam, nec in hoc eſt aliquod inconueniens,vt ſupra oſtendimus *dub. 2.*

Ad vltimum reſpondeo, cenſuram illam ſolum intendere, non quamcunque cauſam ſufficere ad quantumcunque magnam indulgentiam; vt facile conſtabit ſolerter intuenti illam.

Dvbivm VI.

Vtrum ſit neceſſarium ad hoc, vt anima Purgatorij conſequatur indulgentiam; vt qui pro illa exercet opus præſcriptum à Papa, ſit in gratia.

1. PArtem affirmatiuam docent Ang. *ver. Indulgent. num. 21.* cum Card. *in Clem. 2. de pœnit. & remiſſ.* Sot. 4. d. 45. *q. 2. ar. 3. ad fin.* Caiet. 1. *tom. tit. 10. queſt. 2. ad 2. obiect.* Armill. *verb. Indulgent.* §. 14. Emman. *vbi ſupra, n. 5.* & probatur.

2. Primò, quia illud opus requiri-

 tur,

tur, tanquam conditio neceſſaria, ſine qua non concedit Summus Pontifex illam indulgentiam: Ergo debet fieri in gratia. Patet conſequentia, quia indulgentia habet vim ſatisfactionis viuæ, cum ſit ex theſauro viuo operum vitalium Chriſti Domini, & Sanctorũ: Ergo cum diſpenſatur propter aliquod opus, debet illud eſſe viuum, atque adeo non factum in peccato mortali, ſed in gratia.

3. Secundò, quia ſi is, qui exercet opus præſcriptum à Põtifice, vt viſitare Eccleſiam, aut ieiunare, eſt in peccato mortali, tale opus eſt nullius valoris in ordine ad vitã æternam: Ergo nõ poteſt conducere ad lucrandũ indulgentiã pro defuncto, alias valeret illi ad citius conſequendam vitam æternam, quia quanto minus detentus fuerit in Purgatorio, tanto citius euolabit ad cœlum.

4. Tertiò, quia opus, quod præſcribit Pontifex pro conſequenda indulgentia, debet fieri iuxta intentionem illius; ſed non eſt iuxta eius intentionem, quod fiat in peccato mortali, ſed potius, quod fiat pie, ſicut opus, quod præſcribit, eſt pium. Ergo qui exercet opus aliquod pro defuncto in ordine ad lucrandum illi indulgentiam, debet eſſe in gratia.

5. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, quod ſi quis exiſtẽs in peccato mortali, vere exequatur opus à Papa præſcriptum ad eripiendam animam è Purgatorio, valebit defuncto indulgentia. Ita docent Palud. *4. d. 45. q. 1.* Anch. *de poteſt. cla. q. 32. art. 4.* Felin. *de Indulg. col.* 8. Nauar. *§. in Leuitico, notab.* 17. *n.* 4. & latius *not.* 22. *n.* 30. *&* 31. Cord. *lib. 5. q.* 17. 24. 25. *&* 26. Henriq. *lib. 7. c. 9. & c. 16. art. 2.* & Suar. *diſp.* 54. Sot. *in 4. n.* 6. cum aliis, quos ipſe refert. Sed ante probationem ſuppono, opera, quæ præcipi ſolent, ad lucrandam indulgentiam pro defuncto, eſſe in duplici differentia, quædam enim ſunt, ad quæ illa exercens habet ſe, vt principalis operãs, vt orare, viſitare Eccleſiam, ieiunare; alia vero ad quæ ſe habet quaſi miniſterialiter, & inſtrumẽtaliter, vt elargitio eleemoſynæ.

6. Probatur ergo primò noſtra ſententia de operibus huius ſecũdi generis; quoniam, qui ſumit Bullam pro alio viuo, vel defuncto, dãdo pro illo eleemoſynã taxatam, eſto ſit in peccato mortali, nihil obſtat, quominus alter conſequatur indulgentiã: nam vere impletur conditio requiſita, cum non tantum is dicatur dare eleemoſynã, qui perſonaliter exercet talem actum, ſed etiam, qui præcipit, aut per alium illã erogat. Deinde, quia exiſtens in peccato mortali, poteſt miniſterialiter exercere opus bonum, quod cedat in vtilitatẽ aliorum, vt reſtituere, vel dare eleemoſynam. Ergo ſimiliter poterit viuus in peccato mortali exercere opus, per quod, velut miniſterialiter applicetur indulgentia defunctis. Et præterea, quia licet talis eleemoſyna detur ab exiſtente in peccato mortali, nõ minus cõducit in ordine ad finẽ, & cauſam, propter quam conceditur indulgẽtia Bullæ viuis, aut defunctis, ſcilicet ſubſidium belli, quam ſi daretur ab homine iuſto: Ergo vere acceptatur à Deo in ordine ad conſecutionẽ indulgentiæ. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, quia pecunia, quæ datur per eleemoſynam, ſolum prodeſt in ordine ad ſubſidiũ belli ſecundum quãtitatẽ valoris, quẽ habet iuxta hominũ exiſtimationem; at pecunia iuſti, vel iniuſti habet eundẽ omnino valorẽ: Ergo &c. & etiam in hoc nobis fauet Sot. & Emman. ſup. citati pro cõtraria ſentẽtia.

7. Secundò probatur de operibus primi generis, & de omnibus generaliter, quæ præſcribi ſolent à Pontifice ad lucrandam indulgentiam pro alio, quia ad hoc, vt quis lucretur ſibi indulgentiam, non requiritur, quod toto tẽpore, quo exercet opera iniuncta ſit in gratia, ſed tempore ſolum quo recipiendus eſt fructus

fructus indulgentiæ, vt latè oſtendimus *ſup. diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 4. ergo nec etiam id requiritur ad lucrandã illam defuncto, ſed ſufficit, ipſum opus pium exerceri à viuo, etſi ſit in mortali, & ſufficit, quod defunctus ſit in gratia. Patet conſequẽtia, quia non requiritur melior ſtatus ad lucrandã indulgẽtiam alteri, quam ſibi.

8. Tertiò probatur, quia indulgẽtia habet ſuũ valorẽ ex opere operato, hoc eſt, ex vi ſatisfactionis Chriſti Domini, & Sanctorum, quæ de publico Eccleſiæ theſauro diſpenſatur: Ergo dum ſubiectũ ſit capax, qualis eſt anima iuſti viui, vel defuncti, vere conſequetur indulgẽtiam impleto opere, quod iniungitur à Papa. Nec obſtat, ſi dicas eſſe conditionẽ requiſitam ad percipiendũ fructum indulgentiæ, quod tale opus fiat ab homine iuſto; non (inquã) obſtat, quia quãdiu id Papa non exprimit, indulgentia habebit ſuum effectum ex opere operato, dummodo non ſit obex ex parte ſubiecti, ad eum modum, quo illam habent orationes, & alia ſuffragia nomine Eccleſiæ oblata pro defunctis, licet offerens ſit in mortali.

9. Quartò, quia indulgentia applicatur defuncto nomine Eccleſiæ, ſed Eccleſia eſt in gratia, & ſimiliter anima Purgatorij eſt ſubiectũ gratum, & quod applicatur, eſt ex meritis Chriſti, non autẽ ex meritis exequẽtis opus iniũctũ: Ergo, quod exequẽs ſit in peccato mortali, nõ impediet illius valorẽ. Nõ enim exigit Pontifex opus illius, vt per illud ſatisfaciat pro anima, ſed vt piã quandã conditionẽ, ſine qua non vult applicare illi ſatisfactionẽ Chriſti, & Sanctorum.

10. Ex his omnibus colligo, neminẽ pro alio, viuo, vel defuncto cõſequi poſſe indulgentiã, niſi in cõceſſione exprimatur. Ita colligit Emman. *in Bulla Cruciata*, §. 8. *n.* 13. & ex communi Doctorũ 4. *diſt.* 20. Nec poteſt quis transferre in alium indulgentiã, quam ſemel ſibi lucratus eſt, vt docet Nau. §. *in Leuit. n.* 29. & 31. & D. Tho. *ſupra*. Adria. *de Indulg. concl.* 5. Emman. *vbi ſupra, n.* 13. ex quo fit, quod quando quis alteri lucratur indulgentias ex cõceſſione Pontificis, non prius illam accipit in ſe, & poſtea alteri confert: quorum omnium ratio eſt, quia collatio indulgentiæ pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis, quæ ſolum reſidet apud Pontificem & Epiſcopos, pro quo videndus eſt Henriq. qui pro his omnibus plures refert DD. *lib.* 7. *c.* 8. §. 1.

11. Ad primum reſpondeo, quod ſi illa diſpenſatio ex theſauro, viuo fieret propter illud opus, vt propter cauſam ipſius indulgentiæ, deberet eſſe opus viuum. Cæterum, non fit propter illud, vt propter cauſam, ſed vt propter conditionem, ſine qua non vult Pontifex applicare ſatisfactionem theſauri Eccleſiæ; ad hoc autem, vt deſeruiat tanquam conditio, ſufficit, quod ſit opus pium ex genere ſuo, & ordinetur ad finem conſequendæ indulgentiæ.

12. Ad ſecundũ reſpondeo, quod per indulgentiã tolluntur impedimenta ad intrandũ Regnum cœlorum; atque ideo ipſi potius, & clauibus Eccleſiæ, quibus mediantibus illa conceditur, tribuenda eſt acceleratio cõſequutionis vitæ æternæ, licet ad id deſeruiat, vt conditio ſine qua non opus iniunctũ à Pontifice, quãtumuis exerceatur in mortali, ſicut in adulto intentio, & voluntas recipiendi baptiſmum eſt neceſſaria: & licet intentio ſit mala ex malo fine, quo'ſe baptizat, deſeruit tamen vt conditio, ſine qua non imprimeretur ei character batiſmalis; imo, & gratia, ſi malitia illius malæ intentionis non fuit mortalis, ſed venialis tantum.

13. Ad tertium reſpõdeo, quod licet non ſit iuxta intentionem Pontificis, vt opus illud, quod iniungit pro conſequẽda indulgentia, fiat in peccato mortali, tamen non eſt iuxta intentionem

Digitized by Google

eius, quod ſi de facto ſic fiat, non ſufficiat ad conſequendam indulgentiam pro defuncto, niſi aliàs id ipſe exprimat, quod tamen nunquam facit.

DVBIVM VII.

Vtrum poſſit Sum. Pontif. concedere defuncto indulgẽtiam huius Bullæ propter aliquod bonum opus, quod fecit in vita, abſque eo, quod præcipiat eleemoſynã, aut aliud bonum opus fieri pro illo?

1. TOta ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod ad lucrandũ indulgentiam eſt neceſſarium exercere per ſe, vel per alium aliquod opus pium. Ergo non iniungendo tale opus, non valebit indulgentia. Conſequentia eſt nota. Antecedens probatur, quia ad valorem indulgentiæ requiritur cauſa pia, hæc autẽ nihil aliud eſt, quam pium aliquod opus ad Dei honorem ordinatum. Ergo ſi non imponatur aliquod opus efficiendum, non valebit indulgentia.

Dices, ſufficere pro cauſa pia, pium opus præteritum defuncti. Sed contra, quia opus, pro quo datur indulgẽtia, debet fieri ex intentione lucrandi indulgentiam, & in ordine ad hunc finem, illud autem opus præteritũ defuncti non proceſſit ex tali intẽtione. Ergo oportet fieri aliud pro illo ex prædicta intentione ad lucrandam indulgentiam.

2. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, poſſe Pontificẽ non ſolum de plenitudine ſuæ poteſtatis, & quaſi de potentia Dei abſoluta, ſed de potentia ordinaria concedere indulgentiam plenariam defunctis propter aliquod, vel aliqua bona opera, quæ in vita exiſtentes exercuerunt. Ita docent Nau. *de Indulgent. not.* 22. §. 33. & Felin. ab eo relatus, Cord. 5. *de Indulgent. quæſt.* 21. *propoſ.* 2. & alij recentiores. & probatur.

3. Primò, quia poteſt concedi à Papa valida indulgentia viuo, vel defuncto, abſque eo, quod imponatur ei efficiendum per ſe, vel per alium aliquod opus. Ergo à fortiori poterit concedi propter bonum opus præteritum. Conſequentia eſt euidens, & antecedens docent Durand. 4. *d.* 2. *q.* 4. Supplem. *diſt.* 45. *q.* 3. *a.* 2. *prop.* 10. Mayr. *tract. de Clauib.* Turrecr. *c. quod autem, & c. cum ex eo, de pœnit, & remiſſ.* Cord. 5. *de Indulg. q.* 21. *prop.* 2. vbi adducit Caietanum, & alios id tenentes; & probatur ratione.

4. Primò, quia ad conceſſionem indulgentiæ, ſufficit auctoritas in dante, & gratia in recipiẽte, & pietas in cauſa, ſed poſſent eſſe multæ cauſæ piæ, & iuſtę ad concedendam indulgentiam, abſque eo, quod imponatur aliquod opus; vt ſi detur alicui, quia pro defenſione fidei acerrime propugnauit, aut quia pium aliquem Pontificem à morte liberauit: ergo tunc erit valida talis indulgentia.

5. Secundò probatur, quia de facto quidam Pontifex conceſſit indulgentiã plenariam cuidam Pariſienſi Doctori iam defuncto, pro eo, quod viuẽs defendit, Papam poſſe concedere indulgẽtias defunctis; quod etiam in aliis caſibus fecerunt alij Pontifices: vt referunt Nau. *de Indulg. notab.* 22. §. 33. & Cord. *vbi ſupra.* Ergo cenſendum eſt, id potuiſſe efficere Pontificem, quia vbi oppoſitum non conſtat manifeſtè, ſemper pro Papa eſt præſumendum in foro Eccleſiæ, vt habetur *diſt.* 40. *c. non nos, cum gloſſ. ibi.*

6. Tertiò probatur, quia Papa, abſque impoſitione alicuius operis, poteſt liberare fideles ab obligatione votorũ, exiſtente ſufficienti cauſa: ergo etiam poteſt, illa extante, liberare eoſdem per indulgentias ab obligatione ſuſtinendi pœnas in Purgatorio ſine eo, quòd præcipiat aliquod opus. Vnde ſæpè videmus Pontifices cõcedere nonnullis Romæ moriẽtibus indulgentiã plenariam,

abſque

Digitized by Google

abſque eo, quod eis imponant aliquod opus per ſe, vel per alios efficiendum. Tandem probatur, quia de fide eſt, Papam habere poteſtatem ad diſpẽſandum ex iuſta cauſa theſaurum Eccleſiæ. Ergo licet ita ſit, quod deficiente cauſa, ſit inualida eius diſpenſatio, non tamen deficiente aliquo opere iniuncto à Pontifice; quia hoc non eſt de eſſentia, & quidditate indulgentiæ, ſed conditio, quæ pro voluntate Pontificum ſolet exigi, & ſic poſſunt illam omittere. Quidquid ſit, an magis, vel minus profutura eſſet indulgentia, poſita, vel non poſita illa conditione, de quo modo nihil diſputatur.

7. Ad rationem dubitandi, reſpondeo, cauſam indulgentiæ, non eſſe opus, quod iniungitur efficiendum, in quo multos video deceptos; alias, cum cauſa debeat eſſe proportionata indulgentiæ, fere omnes indulgẽtiæ eſſent inualidæ, & omnes Pontifices abuterentur diſpenſatione theſauri Eccleſiæ, cum pro leui oratione, vt pro recitando quinquies Pater noſter, & Aue Maria, cõcedant indulgentiã plenariam, vt patet ex Bullis, & indulgentiis fratrũ Minorum, & Societatis IESV, & granis benedictis.

8. Quare, omnino dicendum eſt, cauſam, ob quam ſolent ſimiles indulgentiæ concedi, eſſe bonum aliquod commune, vt progreſſus, & augmentum alicuius Religionis, vel ſi nos infectet Lutheranorum rabies, ſi inſurgat peſtis, aut quid ſimile. Tunc enim, vt fideles excitentur ad impetrandum à Deo remedium, concedit Pontifex, vt recitando pro illa intẽtione has orationes, obtineat quis ſibi, vel alteri indulgentiam plenariam. In præſentiarum verò cauſa, quæ poteſt mouere Pontificem ad concedendum defuncto, imò & viuo indulgentiam plenariam, eſt inſigne aliquod opus, quod defunctus in vita geſſit; aut quia de Eccleſia ſingulariter benemeritus eſt in aliquo negocio, & tũc ſine aliquo alio opere iniuncto, valida eſſet indulgentia. Imo poſſet Sum. Pontif. ex eo tantum, vt ſuam poteſtatem ad conferendas indulgentias oſtendat, conferre recenter conuerſis, ſine aliquo opere, indulgentias, quas, ex eo ſolum, quod in gratia exiſtentes, acceptarẽt, illas infallibiliter conſequerentur, vt doctiſſime tradit Pater Deza *in materia de indulg.*

DVBIVM VIII.

Vtrum indulgentia huius Bullæ, & aliæ ſimiles proſint Catechumenis non baptizatis exiſtentibus in Purgatorio?

1. PArtem negantem tuentur D. Anton. 1. *part. tract.* 22. *cap.* 5. §. 6. Auguſt. de Anco. *de poteſt. Eccleſ.* Cord. *c. quãdo de cõſec. diſt.* 40. & probari poteſt.

Primò, quia indulgentiæ ſolum proſunt in Purgatorio his, qui fuerunt de Eccleſia, ſed catechumeni non ſunt de Eccleſia, cum non receperint baptiſmum, qui eſt ianua Eccleſiæ, nec ſint ſignati ſigillo characteris baptiſmalis. Ergo non proſunt illis indulgentiæ.

Secundò, quia catechumenis viuis non proſunt indulgentiæ. Ergo nec mortuis. Conſequentia eſt nota, quia magis pertinent ad Eccleſiam in vita, quam poſt mortem. Antecedens probatur, quia communis Doctorũ ſententia tradit, viuis conferri indulgentiam per modum abſolutionis, & in hoc differre ab indulgẽtia defunctis collata, quæ illis impenditur per modũ ſolutionis. Sed catechumeni non poſſunt accipere indulgentiam per modum abſolutionis; nam clauis, & iuriſdictio ſoluendi ſolum extenditur, ad quos clauis ligandi pertingere poteſt, catechumeni autem non poſſunt ligari. Ergo nec abſolui.

2. Tertiò, quia qui carent baptiſmali

charactere, non ſunt capaces recipiendi effectum ſacrificij ex opere operato: ergo nec etiam ſunt capaces recipiendi effectum indulgentiæ, quæ illis reſpondet ex opere operato ex meritis Chriſti, & Sanctorum ſatisfactionibus. Antecedens docet D.Th.*q.79.art.7.ad* 2.D.Auguſt. *de anima,& eius origine,lib.1.cap.9.* D.Chryſoſt. *hom.3.ad Philipp.* Inclinat Suar. 3.*p. tom.4.diſp.54.ſect.4.num.*8. & Henriq.*lib.9.de Miſſa, cap.15.litt.E.n.*3. & probatur ratione, quia hoc ſacrificium eſt viſibile, & viſibiliter Eccleſiæ datum: ergo effectus eius ex opere operato ſolum communicatur membris viſibilibus illius, ſicut & Sacramentum; conſtat autem fieri membra viſibilia per realem ſuſceptionem baptiſmi, vt omnes fatentur: ergo &c.

3. Verum, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, indulgentiam huius Bullæ, & quaſcunque alias defunctis conceſſas prodeſſe poſſe catechumenis, in Purgatorio exiſtentibus. Ita docent Nau.§.*in Leuit.notab.*31. *n.fin. & not.*32. *n.*8. Henriq.*lib.7.cap.*18.§.3. Emman. *in Bulla Cruciatæ*,§.14.*n.*6.& alij recentiores communiter, præſertim Fauent. *in* 4.*diſt.*19. *quæſt.vnic. diſput.*38. *verſ.*159. & probatur.

4. Primò, quia catechumenus exiſtens in gratia in hac vita, vel in Purgatorio eſt membrum Chriſti viuum, & illi per charitatem vnitur. Ergo eſt aptum recipere influxum ſatisfactionis ab illo, atque adeo indulgentiam, qua mediante applicatur ſatisfactio Chriſti.

5. Secundò, quia catechumeni viui poſſunt lucrari indulgentiam, ſicut & alij baptizati; ergo & mortui. Conſequentia eſt nota. Antecedens patet, quia catechumeni ſunt capaces recipiendi ſatisfactionem, quam alij iuſti illis applicent. Ergo etiam poſſunt illam recipere ab Eccleſia, mediante indulgentia.

6. Tertiò, quia Papa habet poteſtatem, & iuriſdictionem ſuper theſaurum, quem Chriſtus Dominus, Pater futuri ſæculi, reliquit ſuis filiis; ſed catechumeni exiſtentes in gratia ſunt vere, & proprie filij Dei, ergo poteſt Papa pro illis diſpenſare prædictum theſaurum.

7. Quartò, quia Nouitij Religionis poſſunt lucrari indulgentias, quas Profeſſi: nam nomine Religioſi in fauorabilibus intelliguntur Nouitij, eo quòd ſunt in via ad profeſſionem, ſicut alibi latè oſtendimus. Ergo eadem ratione Nouitij Chriſtianæ Religionis, quales ſunt catechumeni, gaudere poterunt indulgentiis Profeſſorum eiuſdem Religionis, cuiuſmodi ſunt baptizati. Nunc ſupereſt argumenta prioris ſententiæ ſoluere.

8. Ad primum reſpondetur, quòd licèt catechumeni exiſtentes in gratia, non ſint de Eccleſia Romana, quo ad numerum, benè tamen quoad meritum. Vel dic, eſſe de Eccleſia latè, vt Eccleſia dicit congregationem habentium fidem veri Dei; & hoc ſufficit ad gaudendum indulgentiis. Vel tandem dici poteſt cum Nauar. & Emman. *vbi ſupra* catechumenos eſſe de Eccleſia reuocabiliter.

9. Ad ſecundum reſpondeo, conuincere non dari catechumenis viuis indulgentiam per modum abſolutionis, non tamen probat non dari per modum ſuffragij, quatenus de communi theſauro Eccleſiæ applicat illis Pontifex cotam quandam pro liberatione pœnarũ, quas pro peccatis commiſſis debent, ad eum modum, quo multi Doctores dicunt, Papam poſſe ſibi ipſi concedere indulgentiam, non per modum abſolutionis, quia hic eſt actus iuriſdictionis, quem nemo poteſt in ſeipſum exercere, ſed per modum ſolutionis, applicando ſibi ex theſauro pretium ad compenſandum debitum.

10. Ad tertium, non deſunt Doctores,

Digitized by Google

res, qui dicant ſacrificium Miſſæ prodeſſe ex opere operato, quaod effectum ſatisfactionis catechumenis, & probant ex D.Th. 3.*p.q.79.art.7.ad 2.*ex *cap. Apoſtolicam, de preſbytero non baptizato*, & ex Trident. *ſeſſ.22.de ſacrif. Miſſa, cap.2.ad fin.* vbi dicitur, *Hoc ſacrificium poteſt offerri pro viuis, & defunctis in Chriſto, & nondum plenè purgatis:* Sed catechumeni, qui ſunt in Purgatorio, ſunt defuncti in Chriſto, nec ad plenum purgati. Ergo poteſt eis prodeſſe hoc ſacrificium.

11. Attamen oppoſita ſententia eſt ſine dubio probabilior, & tenenda cum Suar. *vbi ſupra*, & prædicta omnia ſolùm probant, poſſe offerri ſacrificium Miſſæ pro catechumenis in ordine ad impetrandum, non verò ad communicandum effectum ſatisfactionis ex opere operato. Et in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba Concilij Bracharenſis primi *canon.* 35. vbi prohibetur oblatio pro catechumenis. Quod idem reperitur apud Chryſoſtom. *homil.* 3. *in epiſtola ad Philippenſes.*

Dvbivm IX.

Vtrùm Epiſcopi poſsint, tam iure diuino, quàm humano concedere defunctis indulgentias in ea quantitate, qua illas concedunt viuis.

1. PArtem affirmantem quoad vtramque partem tuetur Supplem. Gab. *in 4 diſt.45. q.2. art.2. propoſ.6.* contendens in hac ſententia eſſe D. Th. 4. *diſt.* 20. *q.2. art.3.* vbi indiſtinctè dicit, quod Prælati Eccleſiæ poſſunt commmunicare viuis, & mortuis de communi theſauro Eccleſiæ per indulgentias. Nomine autem Prælatorum ſatis conſtat, intelligi Epiſcopos. Et probatur.

2. Primò, quòd id habeant iure diuino: nam iure diuino habent Epiſcopi poteſtatem ordinariã ad concedendum ſubditis viuis indulgentias per modum abſolutionis. Ergo eodem iure habent illam ad concedendum ſimiles indulgentias eiſdem ſubditis iam defunctis per modum ſuffragij. Conſequentia eſt nota, quia ex iiſdem locis, ex quibus colligitur, poſſe Papam concedere indulgentias, colligitur etiam poſſe Epiſcopos. Nam *Matth.* 16. *&* 18. vbi dicitur, *quodcunque ſolueritis*; non ſolum datur ad hoc poteſtas Papæ, ſed etiam Eccleſiæ Prælatis: nam verba illa dicta fuerunt Apoſtolis, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi. Ergo ſicut poteſtas Papæ extenditur ad concedendas indulgentias pro defunctis, ita & Epiſcoporum. Antecedens autem latè probat Cord. ex communi Doctorum ſententia *lib.* 5. *q.*12. & colligitur ex *cap. cum ex eo, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur, quòd ante illam limitationem ibi factam, concedebant Epiſcopi indulgentias. Ergo id competebat illis iure ordinario, & diuino.

3. Secundò probatur, quòd ſtando in iure poſitiuo, ij poſſint vti poteſtate, quam à iure diuino habent, niſi eis reſtringatur, & limitetur iure aliquo Pontificio. Sed Capitula, quibus videtur aduerſari facta limitatio, qualia ſunt *cap. quod autem, & cap. cum ex eo, de pœnit. & remiſſ.* non limitant Epiſcopis perſonas, quibus concedere poſſint indulgentias, ſed quantitatem dumtaxat indulgentiarum. Ergo non eſt vnde colligatur talis limitatiò.

4. Nec obſtat, ſi obiicias, id clarè colligi ex verbis Sixti IV. qui teſte Gabr. *in Canon. lect.* 57. declarauit, indulgentias prodeſſe defunctis per modum ſuffragij, dummodo ad ipſos per Papam expreſſe extendantur; hoc, inquam, non obſtat, quia per illa verba, non excludit, Epiſcopos poſſe facere prædictam extenſionem, ſed ſolùm excludit, quod non

Digitized by Google

non poſſint valére defunctis indulgentiæ,quando ad illos non nominatim extenduntur, ſed ſolum adduntur in generali.

5. Tertiò probatur, quia Siliceus Archiepiſcopus Toletanus anno Domini 1551. in quadam Bulla conceſſit defunctis indulgentias per modum ſuffragij, & hic Archiepiſcopus erat vir doctus, quare credendum eſt, id feciſſe de conſilio doctiſſimorum virorum. Ergo eſt dicendum,id poſſe Epiſcopos.Quòd ſi ab his Doctoribus inquiras, in qua quantitate poſſint Epiſcopi concedere defunctis prædictas indulgentias? Reſpondent, quòd ſtando in iure diuino, licet non poſſint illas concedere in tanta quantitate, ſicut Pontifex, quia Papa habet vberiorem poteſtatem in theſauro Eccleſiæ, quam Epiſcopus, & ideo poteſt plus de illo diſpenſare: tamen quantitas, quam poſſunt iure diuino, taxata nõ eſt,ſed id relinquitur arbitrio Pontificis taxandum, ſicut relinquitur taxatio iuriſdictionis in Sacramento. Stando tamen in iure poſitiuo, ſolùm poſſunt concedere Epiſcopi defunctis indulgentias in eadem quantitate, quæ viuis. Hæc verò eſt 40. dierum de iniunctis pœnitentiis,& de non iniunctis, vt habetur ex Conc.Lateran.*cap.indulg. de pœnit.& remiſſ.*& tradunt Cord. *lib.5. q.*14. Henriq. *lib.6.cap.*32. & Nauarr.*de indulg.notab.*31.*n.*12.vbi excipit tres caſus,in quibus etiam non ſubditis poteſt concedere indulgentias. Habent etiam Epiſcopi poteſtatem ad concedendum integrũ annum indulgentiæ in die conſecrationis Baſilicæ, vt habetur *in cap. noſtro,& cap.cum ex eo,de pœnit.& remiſſ.* & tradunt Cord. & Henriq. *vbi ſupra.* Has igitur inquiunt, indulgentias,quas poſſunt Epiſcopi viuis concedere, poſſunt etiam ad defunctos extendere.

6. Verùm, his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, Epiſcopos poſſe concedere indulgentias defunctis,ſtando in iure diuino. Secus autem in iure Eccleſiaſtico. Primam partem huius aſſertionis docent Doctores ſupra relati, & illam probat ſufficienter prima ratio ſupra adducta; & quia communis Doctorum ſententia docet tantùm poſſe Epiſcopũ in ſua diœceſi, ſtando in ſolo iure diuino,in ordine ad diſpenſationes; & ad abſolutiones pro culpis,& pœnis, quantum Papa in tota Eccleſia. Ergo poteſt, ſicut ille, concedere indulgentias, licet non in tanta quantitate, ſicut Papa, iuxta ſupradicta.

7. Et ſi obiicias ex Durand.*in 4.diſt 2. q.5.* quod ille ſolus poteſt diſpenſare communem Eccleſiæ theſaurũ, qui habet curam totius Eccleſiæ,ſed in Eccleſia eſt vnus, & indiuiſus theſaurus, & non ſinguli in ſingulis Eccleſiis. Ergo ad vnum Pontificem tantùm pertinet eius diſpenſatio. Reſpondeo, quòd ſi argumentum conuinceret, etiam probaret, non poſſe Epiſcopos iure diuino cõcedere indulgentias viuis,cuius contrarium ſupra oſtenſum eſt. Quare reſpondeo, quòd ſicut Epiſcopus, & alij Sacerdotes poſſunt mediante ſacramento; diſpenſare de theſauro meritorum Chriſti; ita ſimiliter Papa, & Epiſcopi poſſunt diſpenſare mediantibus indulgentiis,de eodem theſauro, licet iſte in maiori quantitate, quàm illi, vt ſupra oſtenſum eſt.

8. Secundam verò partem docent Nauar. *tit.de indulg.*§.4. Med. *de indulg. diſt.7.cap.*31.*& diſp.9.c.*47.Henriq.*lib.7. c.*32.§.2. Cord. *lib.5.q.*19. citans pro ſe Cord.*in cap.qui aliquando,*§ *in Leuitic.de pœnit.& remiſſ.d ſt.*2. Innocent. *cap.quod autem,eod.tit.* & alios Iuriſperitos, inter quos dicit eſſe communem,& probatur; tum quia, licèt nullus textus appareat, qui id Epiſcopis prohibeat,tamen conſuetudo ipſa, quæ eſt optima legum interpres, habet, quòd nullus,præter Romanum

manum Pontificem, concedat indulgentias defunctis per modum ſuffragij. Ergo ex conſuetudine Eccleſiæ, & tacita voluntate Pontificis, eſt illis reſtricta prædicta facultas concedendi indulgentias ad viuos. Patet conſequentia, quia in his, quæ pertinent ad Sacramenta, & mores, valet argumentum à conſuetudine, etiam negatiuè, vt rectè aduertit Cord. *vbi ſupra*. Tum quia poteſtas Epiſcoporum, quam ij habent ex iure diuino, eſt ſubordinata Papæ, ſicut poteſtas aliorum Apoſtolorum, quorum Epiſcopi ſucceſſores ſunt, erat ſubordinata Petro. Sed Papa reſtringit de facto illis hanc poteſtatem, vt conſtat ex *cap. quod autem, & cap. cum ex eo, & cap. noſtro, de pœnit. & remiſſ.* quorum verba ita eſſe intelligenda docet communis practica Eccleſiæ. Ergo de facto non poſſunt Epiſcopi concedere indulgentias defunctis.

Ad primum reſpondeo, probari primam partem noſtræ aſſertionis.

Ad ſecundum reſpondeo, rectè probari illo argumento, recurrendum eſſe, ad id probandum, ad conſuetudinem Eccleſiæ, quæ vim legis habet.

9. Ad tertium Cord. & Henriq. *vbi ſupra*, dicunt erraſſe Sciliceum in ea conceſſione defunctis facta, ſed modeſtius dicitur, id feciſſe ex ſpeciali commiſſione Papæ.

Tandem, in beneficium commune placuit mihi ex Rodr. *in fin. tractat. Bulla defunctorũ*; apponere hîc ſalubre omnibus Chriſti fidelibus conſilium: nempe, vt antequam ſpiritum emittant, tempore tamen, & occaſione, qua moraliter poſſint præſumere, ſe in ſtatu gratiæ exiſtere, curent, vel in teſtamento, vel quouis alio modo hæredibus imponere, vt Bullam defunctorum pro animabus ipſorum ſingulis annis ſumant, ſicut eos ad certum numerum Miſſarum pro eiſdem celebrandarum paſſim adſtringere ſolent. Tum quia in eo caſu defunctorum animabus vtiliores erunt Bullæ, quàm ſi à filiis, ſeu hæredibus ſumerentur, abſque vllo defunctorum ordine præcedente, ſaltem ex opere operantis, ob pium, & ſanctum affectum, quem, ſic diſponendo, præbuerunt erga ſuaſmet animas, atque etiam indulgentias, quarum lucrum ſeu conſecutio debet à quouis Catholico valde æſtimari, optari, nec non pro viribus, & poſſe inceſſanter procurari; tum quia, attenta opinione Garnicæ, & aliorum, vt Bulla pro defuncto ſumpta illi proſit, neceſſariò requiritur, quòd viuens, dum illam ſumit, in ſtatu gratiæ exiſtat: at ſi defunctus, adhuc viuens, diſpoſuit Bullam pro ipſius anima ſingulis annis ſumendam, tunc eſto contingat, quòd hæres, dum illam ſumit, lethalis culpæ labe reperiatur infectus, adhuc defuncto procul dubio proderit, vt tradit Gabriel præcit. *lect.* 57. & cenſent communiter omnes, &c.

Finis diſputationis in Bullam Defunctorum.

Digitized by Google

DISPVTATIO III.

In expoſitionem Bullæ Compoſitionis.

PROOEMIVM.

1. DE origine huius Bullæ nihil dicunt expoſitores Bullæ Compoſitionis, ſolum Henriq. *lib. 7. de Indulgent. c. 23. §. 5.* ait, expeditionem huius Bullæ cœpiſſe ab Alexandro VI. qui Regi Catholico conceſſit ius in Orbem Indicum, habetque locum huiuſmodi Bulla in omnibus debitis incertis, bene, vel male habitis, dummodo creditor ignoretur, vt patet ex tenore ipſius Bullæ, & docet Sot. 4. *de iuſt. q. 7. art. 1.* & Emman. *in expoſitione huius Bullæ, §. vnico, n. 2.* Vt autẽ creditor dicatur incertus, non ſufficit, vt ignoretur à debitore, ſed quod facta ſufficienti diligentia, inueniri non poſſit, vt docet Sot. *vbi ſupra.* Hæc autem diligentia debet eſſe maior, vel minor pro qualitate rei, vt aduertit Caiet. 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 3.* Debent igitur bona eſſe incerta, niſi in vno, vel altero caſu, vt infra dicemus. Imo etiã fieri poteſt compoſitio, quãdo certus eſt dominus, non tamen eſt certa quãtitas debiti, quia ita habetur in Bulla: tunc autẽ pars quædã debetur domino ſic noto, vt docet Henriq. *vbi ſupra.*

2. Quantitas verò, quæ pro obtinẽda Bulla, in ſubſidium belli erogatur, debet eſſe duorum argẽteorum, & valebit ad cõponendum ſe pro quinque mille dipondiis, hoc eſt, pro centum quadraginta, & ſeptem argenteis; & poteſt quilibet ſe cõponere, vſque ad quantitatem centum mille dipondiorum, acceptis viginti Bullis; ita vt cuique Bullæ reſpondeant quinque mille dipondia, quod Hiſpane dicitur: *haſta cantidad de cien mil marauedis.* Quod ſi quis indiguerit cõpoſitione maioris quantitatis, recurrere debet ad Cõmiſſariũ Cruciatæ, vt ipſe ex auctoritate Apoſtolica, quam ad id habet, faciat prædictã cõpoſitionem, vt docent Henriq. *lib. 7. de Indulg. c. 33.* & Emman. *vbi ſupra in principio,* & patet ex inſtitutione ipſius Cõmiſſarij: poteſtque hæc Bulla ſolùm prodeſſe habitantibus in Regnis, ac Dominiis Hiſpaniarũ Regi ſubiectis, atque ad illa declinantibus.

3. Nemini tamen eorũ prodeſſe poteſt, ſi intuitu, & cõfidentia habẽdi Bullam Compoſitionis, iniuſte acceperint bona aliqua incerta, vt habetur in fine ipſius Bullæ, quod prudentiſſime cautũ eſt; alias vehemens occaſio daretur ad plures illicitos cõtractus, & ad iniuſtas venditiones, & ad alias plures fraudes. Specialia autẽ officia, quibus frequenter annexæ ſunt reſtitutiones bonorum incertorũ, ſunt mercatorũ, calatorũ, piſtorum, dulciariorũ, ſtabulariorũ, ſcribarũ, cauponum, loriariorũ, opificum, cerariorum, ſepariorũ, laniorum, de quibus omnibus agit Alcocer *in ſum. à c. 26. vſque ad c. 32.* & in huiuſmodi officiis, cũ frequentes ſint fraudes, & veri domini ignorentur, optimũ eſt remediũ cõpoſitionis, & conſulendum à Confeſſariis.

DVBIVM I.

Vtrum expeditio huius Bullæ Compoſitionis ſit licita, & ſic compoſiti maneant ſecuri in conſcientia.

1. PArtem negantem docent grauiſſimi viri, teſte Cord. *lib. 5. q. 44.* Ita

Ita Sylu.*excommunicatio* 8.*q*.8.adducens pro ſe Archidiaconum 2.*p.tit*.2.*c*.26. *in fin*.Couar. *reg.peccat*.3.*p*.§.1.*n*.3. Imo & Sot.eandem ſententiam docet 4.*diſt*.21. *q*.2 *art*.4.*ante fin*. dicens non licere alicui duas facere compoſitiones,licet bis duos argenteos cōferat pro duplici Bulla,& in illo articulo aduerſus huiuſmodi Bullas obmurmurat, *& in* 4. *de iuſt.q*. 7.*art*.1.*ad* 3. Sed plus illo Ludou.Lop.*c*. 137. *in prima impreſſ*. Ledeſm. etiam (vt tradit Henriq.) *lib*.7.*de Indulg.cap*.34.*in gloſ.lit.T*.quibus aperte fauet Nau.*c*.17. *n*.93. dicens, non valere compoſitionē, ſi ſit indiſcreta, pro quo adducit Caiet. 2.2.*q*.100.*art*.1.*ad* 7.vbi ait:*Vſurarius nō manet tutus in conſcientia, quia cum Papa componit* 15.*pro* 4 Bañes ſimiliter 2.2.*q*. 26 *art*.5.*dub*.8.Hi enim omnes DD.rem ſuſpectam, & ſcrupuloſam putant, pro duobus argenteis quinque millia dipondia remitti, vt conceditur in Bullis Compoſitionis,vix enim illa quantitas eſt ſeptima pars debiti, ſed probatur ratione.

5. Primò,quia illa bona incerta iure naturali debentur pauperibus: Ergo non poſſunt remitti à Papa,alias faceret contra ius naturale,& grauem iniuriam inferret pauperibus. Conſequentia eſt nota,& antecedens oſtendit Couar.*reg. peccat.p*.3.§.7. ex D.Thom.2.2.*q*.62.*art*. 5.*ad* 3.& Ang.2.*p.q. cui reſtitutio facienda,difficultate* 4. Sylu. Caiet. Palud.Sot. Alex. & alij relati à Nau. *lib*.3. *de reſtit. c*.2.*n*.41.Et ratione patet.Tum quia iſte debitor, cum per iniuſtitiam illa bona occupauerit, non habet titulum ad detinendum illa, atque adeo tenetur illa reſtituere meliori modo,quo poteſt:melior autem modus reſtituendi, eſt reſtituere illa domino in ipſis pauperibus: Ergo eodem iure naturali, quo tenetur illa reſtituere domino, tenetur illa reſtituere pauperibus,cum dominus ignoratur.

6. Tum ſecundò, quia prædicta bona cenſentur redundaſſe in Rempublicam. Ergo iure naturæ refundi debent in partes indigentes illius,ſicut alimenta redundantia refunduntur per membra ipſius corporis. Tum tertiò, quia, cum illa bona ſint veri domini,reſtitutio debet fieri iuxta interpretatiuā eius voluntatem,ſed interpretatiua voluntas hominis Chriſtiani eſt, vt talia bona cedant in bonum ipſius animæ: Ergo iure naturali tenetur debitor ea expendere in eleemoſynis, & aliis operibus piis. Tum quartò,quia quando aliquid in propria forma reſtitui non poteſt, manet obligatio reſtituendi illud in aliquo alio æquiualenti: Ergo cum debita reſtitui non poſſunt vero domino, manebit obligatio illa reſtituendi in pauperibus, ita vt cedant in bonum creditoris. Tum quintò, quia, vt recte docet Couar. *vbi ſupra*, res domini abſentis, ita vt ad eum deferri non poſſit,nec deferenda ſperatur, non poteſt expendi auctoritate humana, niſi in vſus vtiles abſenti,vel conformes præſumptæ eius voluntati: Ergo idem dicendum eſt, quando incertus eſt dominus. Patet conſequentia,quia moraliter loquendo, perinde ſe habet, vt ad præſens ſpectat, quod dominus ſit ignotus, ſiue ita abſens, vt nullo modo res propria, vel æquiualens ei deferri poſſit.

7. Secundò,quia quod pugnat cum lege iuſtitiæ commutatiuæ, non poteſt eſſe iuſtum, ſed iuſtitia commutatiua exigit,vt fiat æqualitas rei ad rem,ita vt tantum quis reddat, quantum accepit: Ergo nullus, præter proprium creditorem,poteſt remittere partem talis debiti,atque adeo remiſſio à Papa erit nulla. Nec poteſt dici, quod ex eo, quod creditor prorſus ignoretur,deſinit eſſe dominus illius rei,& dominium tranſit in alium, quia ſi id ita eſſet, certe debitor ſic ignorans non maneret obligatus

reſtituere,quod tamen falſum eſt.Nam, vt habetur *cap.ſi res,quæſt.*14. peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum, quod etiam de incertis intelligitur,vt declaratur *in cap.cum hi,de vſur.*& docet D.Chryſ. *homil.*15.*ſuper* 1.*Cor.*5. Igitur non poteſt licite Papa impedire, ne fiat reſtitutio in vtilitatem creditorum, niſi id faceret ad punitionem eorum. Et præterea, quia dominium non amittitur,niſi vel voluntate domini, aut legis, vel Iudicis ſententia, quæ tamen lex,nulla talis extat, nec vlla poteſt eſſe iuſta cauſa ad illam condendam.Nam iniuſtum procul dubio eſſet, vt per iniuriam, quam alius mihi intulit, priuer bonis meis. Ergo dominus ignotus non amittit dominium.

8. Tertiò,quia ſi Pontifex poteſt liberare debitorem à medietate debiti, eadem ratione poſſet liberare illum à toto debito,quidquid ſit,an ipſe peccet, vel non peccet. Poteſt enim prima vice remittere illi vnam partem, & poſtea aliam,quouſque exhauriatur totum debitum,& ſic liberabit eum ab obligatione iuris diuini, & naturalis,& à debito reſtitutionis, quod omnem humanam poteſtatem tranſcendit. Dicere autem (vt quidam volunt)Papam fieri dominũ illorum bonorum incertorum, falſum eſt, quia repugnat, eiuſdem rei dari in ſolidum duos dominos. At res illa,cuius dominus ignoratur, pertinet ad verum dominũ illius,cum per hoc,quod ignoretur, non amiſerit ſuum dominium(vt omnes fatentur.)Ergo Papa non eſt dominus illorum bonorum.

9. Quartò,quia eſto Papa ſit diſpenſator illorum bonorum incertorum,tamen non poſſet, pro tam parua quantitate tam magnum debitum remittere, quia hoc non eſſet diſpenſare, ſed diſſipare bona, ſicut non poteſt pro paruiſſima cauſa magnam indulgentiam concedere, ſed cum quadam proportione, maxime,quod cum tam parua quantitas ſit ſufficiens ad faciendam compoſitionem, certe multis occaſio datur fraudandi, & vſuras exercendi, intuitu & confidentia futuræ compoſitionis: Ergo expeditio huius Bullæ non eſt licita, nec ſic ſe componentes manent ſecuri in conſcientia.

10. Verum, his non obſtantibus,reſpondeo dicendum, compoſitiones bonorum incertorum licite fieri poſſe auctoritate Papæ,& per illas, tutos manere in conſcientia ipſos debitores, ſi ex legitima cauſa dentur. Ita docent Anton.2.*p.tit.*2.*cap.*6.*in fin.*Sot.*in* 4.*diſt.*21. *art.*4. *& lib.*4. *de iuſt.q.*2.*ad.*3. Med.*C.de reſtit.q.*9.*cap.*11. Cord. *lib.*5.*q.*44. Alex. 4.*p.quæſt.*85.*num.*62. *art.*2.Henriq.*lib.*7. *de Indulgent.cap.*34. Nauar.*de Indulgent. not.*29. *num.*4. Lop. *vbi ſupra*, Acoſta *in Bulla,quæſt.*21. Villalob.*tract.*29.*concl.*3. *num.*4. Emman. *in Bulla compoſitionis*,§. *vnico*, *num.*3.& recentiores communiter.Et probatur.

11. Primò, quia Princeps poteſt de bonis incertis, quæ Hiſpanè vocantur *Moſtrencos* diſponere,& de facto ita facit per leges huius Regni *l.*1. *tit.*12.*ordin. & l.*2.*tit.*13. *lib.*4.*fori*, quia talium bonorum diſpenſatio ad Principes pertinet:Ergo ſimiliter Papa poteſt diſponere de rebus obnoxiis conſcientiæ, cum ſit Princeps Eccleſiæ, & non ſit alia via, per quam talia bona manifeſtentur, niſi per ſpontaneam confeſſionem habentis, ad quam alliciendus eſt, facta remiſſione alicuius partis.

12. Secundò,quia debita iure naturæ debentur Reipublicæ,vnde deberent expendi inter Ciues, & maxime inter pauperes: Ergo cum Papa ſit ſupremus omnium diſpenſator, poteſt illa applicare ex legitima cauſa,& ſic de facto fecit, vt conſtat *ex c.cum, tit. de vſur. & c. qui habitas, & cap. cum ſane* 14. *quæſt.*5. vbi talia bona pauperibus applicantur.

Et eadem ratione illa applicare poteſt alteri vrgenti neceſſitati, & hoc ſine iniuria pauperum, qui nullum ad illa ius acquiſierant. Nec iuuat dicere, quod aliquando hæc bona non fuerunt iniuſtè acquiſita, atque adeo cum ſint tēporalia, nō pertinere ad Papam diſpenſationem eorū, ſed potius ad Principem ſæcularem. Hoc (inquam) non obſtat, quia id etiam poteſt Papa ratione conſcientiæ ſubditi, quoniā, vt ſic, ordinantur iſta bona ad finem ſupernaturalem.

13. Tertiò, quia, vel talis compoſitio ex voluntate Papæ eſſet contra ius aliquod humanum, & hoc, ſi quod eſſet, non poteſt impedire Papam qui eſt ſupra omne ius humanū; vel eſſet contra aliquod ius diuinum & naturale, & hoc etiam non; nam ſi quod eſſet, maxime illud, quod præcipit eam eſſe reſtituendam vero domino, quæ tamē obligatio ceſſat cum ignoratur dominus. Dices, manere obligationem reſtituendi illa pauperibus, aut illa expendendi in alios vſus in commodum creditoris, quia hoc modo fit illi reſtitutio meliori modo poſſibili. Sed contra. Tum quia fieri poteſt, vt talis creditor iam obierit in peccato mortali, vel ſuppone illum eſſe infidelē. Ergo tunc nulla eſt obligatio reſtituēdi prædicta bona pauperibus, cum nihil animæ eius profutura ſint. Tum quia bona perdita ſine culpa domini, deberent eadem ratione reſtitui pauperibus pro anima illius, vt ſic fieret eidem reſtitutio meliori modo poſſibili, & tamen conſtat, leges eſſe in contrarium, quas nullus dixit eſſe iniuſtas. Ergo ſtando in ſolo iure naturæ, non eſſet prædicta reſtitutio faciēda pauperibus

14. Quartò, quia in bona incerta ſuccedit Chriſtus Dominus, tanquā hæres ab inteſtato, iuxta illud Pauli. *Quem conſtituit hæredē vniuerſorum.* Ergo Vicarius eius poteſtatem habet diſpenſandi talia bona, maximè, cū talis diſpenſatio cedit in bonum fidelium, qui ſunt membra ipſius Chriſti, prouidendo eorum conſcientiis circa bona incerta, bene, vel male acquiſita, & reſtitutioni obnoxia. Quintò, quia iuxta eccleſiaſtica ſtatuta talia bona erant pauperibus elargienda, vel in alios pios vſus conſumenda, vt conſtat *ex dict. c. cum tu, de vſur. & c. cum ſit, de Iudæis.* Sed Papa poteſt diſpēſare in hoc iure poſitiuo, & eccleſiaſtico, vt de ſe conſtat; & bene Sot. 1. *de iuſt. q.* 7. *art. vlt.* Nau. *in manual. prælud.* 9. Ergo poteſt prædicta bona remittere debitoribus certam quantitatem erogantibus in ſubſidium belli contra infideles, quæ eſt legitima cauſa, imo etiamſi nulla eſſet, quia licet ipſe peccaret tanquam prodigus diſpenſator, compoſitus tamen eſſet tutus in conſcientia, & valida eſſet talis diſpenſatio, cum de iure poſitiuo agatur, in quo mala etiam diſpenſatio ex parte dantis, valida eſt.

15. Sextò, quia in ipſa Bulla Compoſitionis dicitur expreſſe, quod facta prædicta cōpoſitione, maneant ſic compoſiti, tuti, & ſecuri in conſcientia, & omnino liberi à reſiduo, & ſic prædicatur, atque ſic habet vſus Pontificum id concedentiū, quos dicere, in hoc errare, abſurdiſſimum eſſet, & periculoſum in fide. Vnde male Peña 22. *q.* 63. *art.* 5. dixit, quod ſi is, qui componitur, eſſet diues, nō illum abſolueret, niſi reſtitueret ſaltem medietatem, & eo amplius. Hoc enim eſt aperte cōtra verba Pontificum aſſerentium, illos manere tutos in conſcientia, elargiendo pecuniā aſſignatam, & quidē quando res hæc, quæ mihi certiſſima eſt, dubia eſſet, ſtandum erat pro ſuperiore, & maxime pro Pontifice, vt conſtat *ex c. in præſentia, de renunciatione.* Ergo, cum Pontifices faciant prædictas compoſitiones, non licet eas condēnare.

Ad primum nego antecedens cum Nau. *ibi* relato, & ad primā probationem reſpondeo, reſtitutionem nō eſſe facien-

dam tunc animæ illius, ſed hæredibus; hæres autem illius eſt Reſpublica, ſtando in ſolo iure naturali, quia diuiſio facta iure gentium ceſſat, quando dominus non inuenitur, ac per conſequens, reuertuntur res in priſtinum ſtatum, quando omnia erant Communitatis.

16. Ad ſecundam reſpódeo, iam illa bona refundi in bonū ipſius Reipublicæ, quandoquidē magna pecuniæ quātitas coaceruatur in ſubſidiū belli contra infideles, quod valde propitium eſt Reipublicæ, & eius mēbris. Ad tertiam reſpondeo, iam fieri Reipublicæ reſtitutionem, quod eſt ſatis conforme voluntati præſumptæ ipſius domini, & rationi cōnſentaneū. Nam cum omnes Ciues ſint partes Reipublicæ, quocūque eorū pereunte, ſi nullum habeat ſucceſſorem, iure propinquitatis ſuccedit Reſpublica. Ad quartam infra dicemus, compoſitionem fieri etiam poſſe de rebus certi domini, ita abſentis, vt ei reſtitutio fieri non poſſit; atque adeo, eandem rationem eſſe de illis, ac de aliis bonis, quorum dominus ignoratur.

17. Ad ſecundum reſpondeo, quod quamuis debitor, qui accepit compoſitionem, nō ſoluat quantū debet ſimpliciter, atque adeo non faciat æqualitatē rei ad rem ſimpliciter, ſoluit tamē quantum debet, ſuppoſita condonatione, vel remiſſione eius, qui habet auctoritatem condonandi, vel remittendi.

18. Ad tertium, concedimus ſequelā, vt patet ex dictis in 5. probatione noſtræ ſententiæ. Nec id eſſet diſpēſare contra ius naturale, vel diuinum; ſicut neque id facit, qui certum debitum ſibi, alteri remittit. Sed per remiſſionem factam à Papa tollitur materia reſtitutionis, & quāuis incognitus creditor, vere ſit dominus illorum bonorum, tamen quouſque compareat, Eccleſia ſuccedit in illa ex interpretatiua voluntate domini, vt cedant in bonum ipſius Eccleſiæ; nec oportet, quod Pontifex ſit dominus, ſed ſufficit, quod habeat ex prædicta voluntate domini liberam diſpoſitionem illorum in vtilitatem Eccleſiæ.

19. Ad quartum reſpondeo, quod licet communia bona Eccleſiæ, temporalia, & ſpiritualia ſint commiſſa Papæ diſpenſationi, vt habetur *in c. ſignificaſti, de elect.* non tamē ad libitum eius ſine cauſa, ſed ex cauſa pia, & rationabili, quia id importat nomen, & auctoritas diſpenſatoris, iuxta illud *Cor.* 10. *Non habemus poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem*, de quo habetur *in cap. decima* 16. *q.* 1. & loquuntur D. Bernar. *de cōſider. ad Eug.* & Aug. *ſer.* 119. *de temp.* Nam idem iudicium eſt de poteſtate Papæ ad diſpenſandum de theſauro ſpirituali, ac temporali. Quare ſicut diſpenſatio theſauri ſpiritualis per indulgentias requirit rationabilem cauſam, ita & diſpenſatio per compoſitionem. Cauſa autem, quæ in Bullis aſſignatur, ſemper eſt ſufficiens, & licet quantitas, quam vnuſquiſque elargitur, ſit parua, tamen quia ex paruis quantitatibus ſimul iunctis vna magna pecuniæ quantitas coaleſcit in notabile bonum Eccleſiæ ad debellandos infideles, & quia ſic fit magis expedire collectio pecuniæ in ſubſidium belli, ſufficiens illa eſt ad hoc, vt Papa non ſolum valide, ſed etiam licite faciat remiſſionem reſidui mediante prædicta compoſitione.

DVBIVM II.

An Epiſcopi (ſecluſa prohibitione Papæ) poſsint in ſua Diæceſi facere prædictam compoſitionem pro ſuis ſubditis?

1. PArtem negantem tuentur D. Anton. 2. *p. tract.* 2. *c.* 6. Sylu. *de reſtit.* 8. §. 8. *fin.* Alex. *lib.* 1. *tit.* 3. *c.* 15. *col.* 4. Nau. *de oratione, notab.* 21 *num.* 62. *in fin.* Cord: 5. *de indulgent. quæſt.* 44. *dub.* 2. Emman.

in

in Bull.compoſ. §.*vnico*, *n.6.* & probant.

2. Primò,*ex c.licet de offic.Vicarij,lib.6.* & *ex Clem.2.de pœnit.& remiſſ.*vbi id tenet Panor. propter illum ex teſte Sylu. *vbi ſupra.*

Secundò,quia diſpenſatio communis pertinet ad communem Principem Eccleſiæ, ſed prædicta bona incerta reſtitutioni obnoxia pertinent ad temporalem Eccleſiæ theſaurum, & ſolus Papa poteſt facere prædictas compoſitiones, & liberare debitorem à tanta ſolutione pecuniarum, ſicut ipſe ſolus liberat per indulgentias animam Purgatorij à ſolutione pœnarum.

3. Tertiò,quia ſi Epiſcopi id poſſent, certe vterentur hac poteſtate,cum cederet in eorum auctoritatem, & in maximum commodum ſubditorum, nec alicubi reperietur, id eſſe eis interdictum, & ſoli Papæ reſeruatum, vt docet Henriq.*lib.7.de Indulg.cap.*33.§.4.

4. Verum,his non obſtãtibus,reſpondeo dicendum, quod licet de facto Epiſcopi non poſſint facere prædictas cõpoſitiones,ſtando in iure poſitiuo,bene tamen ſtando in ſolo iure diuino, eſto non in tanta quantitate, quanta Papa. Prima pars huius aſſertionis eſt cõmunis inter DD.& illã tenent authores ſupra citati,& ſolũ inuenio Henriq.ſupra relatum ab eis diſſentire,& Sotum infra citandum.Et probatur,tum quia ius eccleſiaſticum diſponit ex Pontificum ordinatione prędicta bona incerta in pauperes diſtribui,vt cõſtat ex iuribus *dub. præcedenti* relatis. Ergo nullus Papa inferior poteſt id alterare,aut in eo diſpẽſare,niſi ex mandato Apoſtolico: Tum quia licet id non ſit eis aliquo ſpeciali iure prohibitum,vſu tamen,& cõſuetudine conſtat id reſeruatũ eſſe Papæ.Verum tamen eſt,quod ſi oppoſitum ex legitima conſuetudine in contrarium introductum eſſet,liceret eis de facto facere prædictas cõpoſitiones, vt probat Cord.*vbi ſupra*,& deducitur *ex cap.final. de conſuetudine.*

Secundam vero partem prædictæ aſſertionis docet Sot.*lib.4.de iuſt.q.7.ar.1. ad* 3 Henriq.7.*de Indulg.c.*33.*n.*4. citans pro ſe Peñam,& alios recentiores,tenet etiam Villaſob. *n.*11. & probatur: tum quia ſtando in ſolo iure diuino, aſſimilatur multum poteſtas, quã habet Epiſcopus in ſubditos ſuæ Diœceſis, poteſtati, quam habet Papa in tota Eccleſia, & ideo, niſi prohibiti eſſent Epiſcopi à Papa,eadẽ vota poſſent diſpenſare, quæ Papa. Ergo ſimiliter poſſent eadem ratione facere prædictas compoſitiones, cum in ſua Diœceſi habeãt adminiſtrationẽ, & ſpiritualem curã ſubditorum, & maximè pauperum,quibus valde vtilis ſolet eſſe talis compoſitio:tum quia, licet Epiſcopi non poſſent de theſauro Eccleſiæ tam magnas indulgentias impendere, quantum Papa,quia iſte habet vberiorem poteſtatẽ in publico Eccleſiæ theſauro, atque adeo vberius de eo diſpenſare poteſt; tamen ſtando in iure diuino, non eis taxatur quãtitas indulgentiarum,quas poſſint impẽdere.Ergo ſimiliter in propoſito, ſtãdo in iure diuino,poſſent Epiſcopi diſpẽſare in prædictis bonis incertis pertinentibus ad theſaurũ temporalẽ Eccleſiæ per viam compoſitionis, licet non in tam magna quantitate,quantum Papa ad arbitrium boni viri. Patet conſequentia,quia pretioſior eſt theſaurus ſpiritualis, quam temporalis. Ergo ſi ſtando in ſolo iure diuino poſſunt de illo diſpenſare, idem poſſunt in temporali.

5. Ad primum Sylu.*ibi* rectè dicit, ex illis textibus nihil clare colligi contra noſtram ſententiam; ego etiam addo, quod nec etiam obſcure,licet ad id citet illos Panormitanos.

6. Ad ſecundum reſpondeo, ſolum probare,penes Papam eſſe vberiorẽ poteſtatem ad prædictas compoſitiones facien

faciendas in maiori quantitate,quã penes Epiſcopũ,ſicut in ordine ad concedendas indulgentias, vterque tamen illas poteſt concedere.

7. Ad tertium reſpondeo, aliquando fuiſſe in vſu Epiſcopos facere prædictas compoſitiones, & Papam illas toleraſſe; vt refert Sylu.*vbi ſupra*, ſed modo iam non eſt talis conſuetudo, quia (vt ſupra dixi) vſu ipſo reſeruatum eſt id Summo Pontifici.

Dvbivm III.

Vtrùm Principes ſæculares poſsint concedere ſuis ſubditis prædictam compoſitionem bonorum incertorum.

1. Ratio dubitandi eſt,quia bona incerta pertinent ad communem Eccleſiæ theſaurum,& Rex habet integram poteſtatem ad diſpenſandũ illa in bonum ipſius Reipublicæ, & ſuorũ Ciuium:& ſic in Hiſpania Rex diſponit de bonis incertis, quæ Hiſpanè vocant *los Moſtrencos*: ergo,graui aliquo bello ingruente, ad quod propulſandum, opus eſſet magna pecunia, poſſet ſtatuere, vt quicunque debens incerto domino viginti v.g. medietatem contribueret, maneret liber à reſiduo. Poteſt igitur facere huiuſmodi compoſitiones, & ſic concedit Sot.4.*diſt*.21.*art*.4. & Henriq. *lib*.7.*cap*.33.*num*.3.

2. Verùm ego reſpondeo,loquendum eſſe cum diſtinctione:nam bona incerta ſunt in duplici differentia,vt ad præſens ſpectat.Quædã ſunt incerta,non illicitè acquiſita,ſed perdita,& errantia,vel vacantia,& de his vera eſt ſententia Soti, & Henriq.*vbi ſupra*;quia talia bona pertinent ad cõmune Reipublicæ ærarium, & ad bonam eius politiã pertinet diſponere de his ad vtilitatem Reipublicæ, & Ciuiũ illius; verum tamen eſt,quòd ſi talia incerta bona ſint inuẽta,& facta ſufficienti diligentia non inueniatur eorum dominus, probabile eſt,quòd fiunt ipſius inuẽtotis, niſi aliud leges diſponant,vt tradunt Sot.*lib*.5.*de iuſt.q*.3.*a*.3. *ad* 2. Ledeſm.2.*p.q*.1.*art*.5.*fol*.266. Mercado *c*.5.*verſ.delos Gallazgos*,Med.*in ſum. lib*.2.*c*.14.§.*quarta*,Cabeça *reg*.5. & latè, & bene Petr.Nau.*lib*.4 *de reſtit.c*.2.*n*.27.

3. Nec obſtat *lex* 6.*&* 7.*lib*.6.*tit*.13. vbi talia bona applicantur Cameræ Regiæ,ſi tranſacto integro anno,& duobus menſibus, facta diligenti inquiſitione, non fuerit inuentus dominus,quia talis lex debet intelligi poſt ſententiam, & condemnationẽ iudicis,non ante,vt recte Nauar.*vbi ſupra*. Si igitur talia bona incerta fuerint de rebus inuentis, non opus eſt prædicta Principis cõpoſitione, imò nec Pontificis per ſe loquendo,nec in caſu,quo ſit aliqua ratio dubitandi.

4. Alia verò bona incerta ſunt illicitè acquiſita, & circa hæc Princeps nullam poteſt facere compoſitionem,nec ſic cõpoſitus ex Principis compoſitione manet ſecurus in conſcientia, vt docent Cord.5.*de Indulg.q*.44.*dub*.2. Emman.*in Bulla compoſitionis*,§.*vnic.dub*.7.& Villalob.*dict.tr*.33.*n*.10.& ratione patet,quia Princeps ſæcularis ſolùm poteſt intromittere ſe in gubernationem perſonarum,& rerum temporalium, quãtum ad finem proprium ipſius poteſtatis ſæcularis, qui ſecundum D.Thom. 1.2.*q*.99. *art*.3.*&* 4.& latius *quæſt*.100.*art*.2. & *ibi* Caiet. eſt pax,& iuſtitia politica : ergo ſolùm poteſt ſe intromittere in iis, quæ ad hunc finem conſequendum iuuant,& conſequenter non poterit diſponere de bonis iniuſte acquiſitis, quia hæc cum obligationem conſcientiæ concernant, ad Pontificem pertinet eorũ diſpoſitio, non ad poteſtatem laicam,quæ ad ſpiritualem, aut temporalem Eccleſiæ theſaurum non poteſt ſe extendere. Et per hæc patet ad rationem dubitandi, probantem primã partẽ naturæ aſſertionis.

Dvbivm

Digitized by Google

Dvbivm IV.

An, ſi facta compoſitione, compareat verus dominus, teneatur ſic compoſitus facere illi integram reſtitutionem rei?

1. Ratio dubitandi eſt, quia nemo meretur, vt ſine culpa, aut negligentia priuetur ſuis bonis: ergo ſi compareat verus dominus illorum, tenebitur ſic compoſitus ea reddere illi, aliàs faciet contra iuſtitiam, retinendo ſibi rem alterius inuito domino.

Nihilominus ſit prima concluſio. Si res fuiſſet pauperibus erogata, non teneretur illā reſtituere. Ita docent Henriq. *lib.7.c.*34. & Cord. *de Indulgent.q.*44. & Sylu. *verb.reſtitutio* 8.*q.*4. & probatur primò, quia bona fides non patitur, vt ſemel exactum, iterum exigatur, vt habetur *in reg.bona fides,de reg.iur.in 6.* Secundò, quia talis elargitio, & compoſitio facta fuit ex præſumpta voluntate domini, in quo fundatur præcipua cauſa iuſtificans compoſitionem, vt notauit Couarr. *reg.peccatum*, *q.*3.§.*tu* 5. *&* §.2. *n.*4. vbi etiam de Monſtrenco ait: non applicari per legem, niſi ſub conditione, quòd dominus non compareat, & hunc eſſe conſenſum interpretatiuum domini. Ex quibus rationibus ſufficienter etiam probatur, quod ſi res fuiſſet vſu conſumpta, & non propterea ditior factus eſſet ipſe debitor, nihil reſtituere tenetur vero domino.

2. Secunda concluſio. Si verus dominus compareat, taliter compoſitus tenetur ſuum debitum, quo ad reſiduū, illi reddere in foro conſcientiæ; & ante condemnationis ſententiam, quia in foro exteriori, certum eſt, quòd condemnabitur. Ita Cord. *lib.*5. *de Indulg. q.*44.*dub.*1. Emman. *in Bull.compoſ.*§.*vnic. n.*8. Henriq. *lib.*7.*de Indulg. cap.*34. *n.*4. Lopez 1.*part. Inſtitut.cap.*139. Caietan. 2.2.*q.*62. *art.*6. Sot. *in* 4.*diſt.*21. *quæſt.*2. *art.*4. & Villalob. *d.tract.*39.*num.*9. quidquid in contrarium opinetur Bañes *vbi ſupra*; & Acoſta *q.*93. putantes non teneri ante condemnationis ſententiam. Sed melius Couar. qui nobiſcum ſentit in ſimili caſu, quando ſcilicet inuenta ſunt alicui appropriata à Principe ſecundùm leges Regni.

3. Probatur primò, ſecundùm omnes, iuſtitia compoſitionum fundatur non ſolùm in auctoritate Papæ, ſed etiam in conſenſu ſaltem interpretatiuo veri domini, quia hoc redundat in vtilitatem Reipublicæ, cuius ipſe eſt pars. Sed non eſt credibile, illum habuiſſe conſenſum, vt priuetur ſuo dominio abſolutè, ſed ſolum, dum non appareat: ergo, cum apparuerit, tenebitur debitor illi reſtituere. Nec oppoſitum certè exigit bonum communitatis, quia ad hoc ſufficit, quòd prædicta bona conditionaliter applicentur.

4. Secundò, quia nemo poteſt priuari abſolutè dominio ſuarum rerum, niſi, vel in pœnam, ratione criminis commiſſi, quod tamen hîc nullum eſt; vel ratione legitimæ vſucapionis, quæ etiam hîc non adeſt, vel tandem propter vtilitatem Reipublicæ, quæ hîc etiam omnino deficit.

5. Sed obiicies, in dicto caſu, ſi debitor, facta ſufficienti diligentia, illa bona applicet pauperibus, etiamſi dominus appareat, non tenetur illa reſtituere; vt tenet communis DD. cum Sylu. *reſtit.*8. *quæſt.*4. & ſimiliter, ſi qui inuenit illa bona, eſt pauper, & applicantur ei à confeſſario, non tenetur poſtea, domino comparenti illa reſtituere, vt docent Caiet. 2.2.*q.*66 *art.*5. *ad* 3. Sot. 4.*de iuſt q.*7 *art.*1 *ad* 3. Nau. *c.*17. *n.*93.*&* 171. Ergo idem eſt in propoſito, quia non ſunt fortiores, & efficaciores illæ applicationes, quam illa, qua quis

ſibi applicat per compoſitionem Bullæ. Ita Acoſta *quæſt.*83.

6. Reſpondeo tamen, negando conſequentiam, quia in caſu antecedēti applicantur illa bona pauperibus abſolutè, talis enim applicatio fit ſecūdùm iuris ſtatum, ius autem, quando eſt fauorabile, debet ampliari. In caſu verò conſequenti, illa applicatio fit ſub conditione, & cum fiat per compoſitionem, quæ eſt priuilegium derogans iuri, ſtrictè eſt interpretandum, vt docet Sylu. *verb priuilegium, q.*3. *concl.* 3. quod præcipuè habet verum, quando priuilegium eſt in præiudicium tertij, vt contingit in propoſito. Poteſt etiam dici, quod in caſu pauperis, nihil tenetur reſtituere, quia nec ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis. In caſu verò compoſitionis, tenetur ratione rei acceptæ: pauper autem nec etiam tenetur reſtituere illud, quia elargitio facta eſt abſolutè, & non ſub conditione; quippe qui elargitur, dat illud ex obligatione, & ex præcepto, præceptum verò ſonat obligationem abſolutam. Et eadem ratione, qui poſſidet bona ratione legitimæ præſcriptionis, etiamſi appareat dominus, non tenetur illi dare, vt docet Anton. 1. *part. tit.*1. *cap.*15. §. *vltimo*, Syluest. *verb. præſcriptio*, §. 8. Med. *de reſtitut. quæſt.* 18. & alij multi, quos refert, & ſequitur Couar. *regul. poſſeſſor.* 3. *part.* §. 2. *num.* 1. quia talis tenet ex conceſſione vtriuſque iuris, de quo alibi. Prædicti autem debitores in noſtro caſu ſolum tenentur reſtituere ea, quæ perſeuerant in ſua forma, ſeu ſubſtantia, licet alterata, & ſimiliter ea ratione, qua facti ſunt ditiores, vt docet Cord. *vbi ſupra*, & colligitur ex Caiet. 2. 2. *quæſt.*62. *ar.*6. excipiēda tamen mihi videtur induſtria, & proprij labores, quibus ditiores ſunt facti. Similiter etiam tenentur reddere precium, ſi quod ex illis acquiſierunt, vel ſi tantundem de bonis ſuis cōſumpſiſſent, ſi talia incerta non habuiſſent, hoc enim eſt proprie factum eſſe ditiorem, vt ad præſens ſpectat, & vt docet Caiet. 2.2. *q.*62. *art.*6. Ex quibus omnibus.

7. Infero primò, compoſitum per Bullam compoſitionis, non manere ſecurum in foro exteriori, quia ſi compareat dominus, & ille legitimè probauerit illa eſſe ſua bona, condemnabitur à Iudice, licet oſtendat, ſe eſſe compoſitum per Bullam. Ita Sot. 4. *d.* 21. *q.*7. *art.*4. & Henriq. *vbi ſupra*. Contrarium ſentit Acoſta *in Bulla p.* 84. ſed abſque fundamento valido. Et patet ratione, quia reliqua priuilegia & indulta à Papa conceſſa in Bullis, non valent communiter, niſi pro foro interiori, vt latè diximus *ſupra diſp.* 1. *cap.*3. de abſoluto à cenſuris, virtute Bullæ Cruciatæ. Ergo ſimiliter erit in propoſito, ſecus tamen eſſet, ſi pauperibus id fuiſſet elargitus: tunc enim non condemnaretur à Iudice, niſi creditor probaret, debitorem non feciſſe diligentiam ſufficientem pro inueniendo domino.

8. Secundò infero, quod ſic iuſtè compoſitus, ex quo cœpit, per compoſitioné bona fide poſſidere, poteſt præſcribere, aut vſu capere tempore, nec teneretur reſtituere bona, aut illorum fructus bona fide conſumptos, ſed in quantum ex eis factus eſſet locupletior, vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra.* Et per hæc ſatis patet ad rationem dubitandi in principio poſitam.

9. Tertiò infero, quòd ſi quis, poſtquā compoſitus eſt, ita praue affectus maneat, vt habeat animum, quod reuera non reſtitueret, ſi compoſitione non vteretur, eſt in peccato mortali, non minus, quam fur habens animum non reſtituendi aliquid, etiamſi ſibi nulla fieret remiſſio. Ita docent Nau. *cap.*17. *num.* 93. *in fin.* & Emman. *vbi ſupra, num.* 11. & ſimiliter, qui poſtquam

compo-

Digitized by Google

compoſitus eſt, habet animum nō reſtituendi reſiduum vero domino, etiamſi compareat, verè eſt in peccato mortali. De quibus omnibus admonēdi eſsēt auditores à concionatoribus Cruciatæ, vt rectè docet Emman. *vbi ſupr. in fin. dub. 9.*

Dvbivm V.

An poſsit vti Bulla Compoſitionis, qui iniuſtè accepit bona ex confidentia illius?

1. Ratio dubitandi deſumitūr ex verbis ipſius Bullæ: nam in fine illius, poſtquā dixerat Summus Pontifex prædictam compoſitionē fieri poſſe de omnibus bonis incertis, malè, & iniuſtè acquiſitis, addit hæc verba in Bulla: *Contanto, que el, que aſi ſe huuiere de cōponer, no aya auido las coſas, de que aſi ſe compuſiere en confiança deſta compoſicion, porque entonçes eſtara obligado a reſtituir a la ſancta Cruzada.*

2. Vt huic difficultati ſatisfaciat Emmanuel *in fin. Bull. compoſitionis, n. 75.* aſſerit, quod quando confidentia ipſa eſt cauſa poſitiua illius iniuſtæ acceptionis, vt ſi quis diceret, volo furari, quia poſtea virtute Bullæ me componam, tunc ille non poteſt vti Bulla, quia ita dicit Pontifex in ea. Si tamen quis fuiſſet negligens in abſtinendo ſe ab iniuſta acceptione rei alienæ, in confidentia componendi ſe per Bullam, ita vt talis confidentia ſolum ſe habeat, vt cauſa concomitans; tunc (inquit) talis poterit ſe componere virtute huius Bullæ. Sed hæc diſtinctio multis non placet, tum quia eſt valde obſcura, tum etiam, quia Pontifex intendit omnem confidentiā excludere ab hac compoſitione. Ergo, ſiue confidentia ſit cauſa adæquata, ſiue cōcomitans, & partialis talis iniuſtæ acceptionis, verè ſic cōfidens manet priuatus beneficio compoſitionis. Nec propterea (inquiunt) ſe negare, vt ſi cui, cum actu furatur, veniat in mentem, quod facilè poſtea ſe componet per Bullam, idcirco poſtea non poſſet vti illa, quia aliud eſt, quod veniat in mentem, aliud vero quod exerceat ipſam iniuſtam acceptionem hac ratione, quia habet Bullam, per quam poterit ſe componere, vel facilè illam poterit habere. Nec obſtat (inquiunt) ſi quis dicat, hoc valdè ſcrupuloſum eſſe, quia difficillime poterit quis diſcernere, an exerceat prædictam iniuſtam acceptionem propter prædictam confidentiam, vel non: quia prohibitio vtendi prædicta Bulla, non habet locum, quando quis dubius eſt, ſed quādo habet certitudinem, quod cauſa poſitiua talis iniuſtæ acceptionis fuerit ipſa confidentia componendi ſe per Bullam, ſiue hæc fuerit cauſa totalis, ſiue partialis, & concomitans.

2. Verum nobis ſub diſtinctione, & clarius dicendum videtur, quod quando quis mouetur ex confidentia compoſitionis ad áccipiēdum aliquid iniuſtè, ad quod non moueretur niſi ex confidētia (moraliter loquendo) Bullæ, non poteſt licitè vti illa. Ita docent cōmuniter DD. cum Emman. *in Bulla cōpoſitionis, vbi ſupra,* & Henriq. 7. *de Indulg. c. 34. num* 3. & probatur. Tum quia ita explicat Pontifex in Bulla, vt patet ex verbis pro ratione dubitādi adductis. Tum quia alias valde laxarentur habenæ ad patranda multa latrocinia. Tū quia ratio ipſa exigit, vt quādo legiſlator id exprimit, peccans ex confidentia priuilegij ſibi conceſſi, priuetur illo. Sicut Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 5. de reformat.* contrahētem intra gradus prohibitos ex confidentia, quod hac via facilius diſpenſationem obtinebit, priuat omni ſpe talem diſpenſationem obtinendi.

3. Dixi autem notanter: *quando legiſlator id exprimit*; quia à peccatis ex confidentia Bullæ cōmiſſis rectè poteſt quis virtute Bullæ abſolui, vt latè docuimus

Digitized by Google

ſibi applicat per compoſitionem Bullæ. Ita Acoſta *quæſt.*83.

6. Reſpondeo tamen, negando conſequentiam, quia in caſu antecedẽti applicantur illa bona pauperibus abſolutè, talis enim applicatio fit ſecũdùm iuris ſtatum, ius autem, quando eſt fauorabile, debet ampliari. In caſu verò conſequenti, illa applicatio fit ſub conditione, & cum fiat per compoſitionem, quæ eſt priuilegium derogans iuri, ſtrictè eſt interpretandum, vt docet Sylu. *verb priuilegium, q.* 3. *concl.* 3. quod præcipuè habet verum, quando priuilegium eſt in præiudicium tertij, vt contingit in propoſito. Poteſt etiam dici, quod in caſu pauperis, nihil tenetur reſtituere, quia nec ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis. In caſu verò compoſitionis, tenetur ratione rei acceptæ: pauper autem nec etiam tenetur reſtituere illud, quia elargitio facta eſt abſolutè, & non ſub conditione; quippe qui elargitur, dat illud ex obligatione, & ex præcepto, præceptum verò ſonat obligationem abſolutam. Et eadem ratione, qui poſſidet bona ratione legitimæ præſcriptionis, etiamſi appareat dominus, non tenetur illi dare, vt docet Anton. 1. *part. tit.* 1. *cap.* 15. §. *vltimo*, Sylueſt. *verb. præſcriptio*, §. 8. Med. *de reſtitut. quæſt.* 18. & alij multi, quos refert, & ſequitur Couar. *regul. poſſeſſor.* 3. *part.* §. 2. *num.* 1. quia talis tenet ex conceſſione vtriuſque iuris, de quo alibi. Prædicti autem debitores in noſtro caſu ſolum tenentur reſtituere ea, quæ perſeuerant in ſua forma, ſeu ſubſtantia, licet alterata, & ſimiliter ea ratione, qua facti ſunt ditiores, vt docet Cord. *vbi ſupra*, & colligitur ex Caiet. 2. 2. *quæſt.* 62. *ar.* 6. excipiẽda tamen mihi videtur induſtria, & proprij labores, quibus ditiores ſunt facti. Similiter etiam tenentur reddere precium, ſi quod ex illis acquiſierunt, vel ſi tantundem de bonis ſuis cõſumpſiſſent, ſi talia incerta non habuiſſent, hoc enim eſt proprie factum eſſe ditiorem, vt ad præſens ſpectat, & vt docet Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. Ex quibus omnibus.

7. Infero primò, compoſitum per Bullam compoſitionis, non manere ſecurum in foro exteriori, quia ſi compareat dominus, & ille legitimè probauerit illa eſſe ſua bona, condemnabitur à Iudice, licet oſtendat, ſe eſſe compoſitum per Bullam. Ita Sot. 4. *d.* 21. *q.* 7. *art.* 4. & Henriq. *vbi ſupra.* Contrarium ſentit Acoſta *in Bulla p.* 84. ſed abſque fundamento valido. Et patet ratione, quia reliqua priuilegia & indulta à Papa conceſſa in Bullis, non valent communiter, niſi pro foro interiori, vt latè diximus *ſupra diſp.* 1. *cap.* 3. de abſoluto à cenſuris, virtute Bullæ Cruciatæ. Ergo ſimiliter erit in propoſito, ſecus tamen eſſet, ſi pauperibus id fuiſſet elargitus: tunc enim non condemnaretur à Iudice, niſi creditor probaret, debitorem non feciſſe diligentiam ſufficientem pro inueniendo domino.

8. Secundò infero, quod ſic iuſtè compoſitus, ex quo cœpit, per compoſitionẽ bona fide poſſidere, poteſt præſcribere, aut vſu capere tempore, nec teneretur reſtituere bona, aut illorum fructus bona fide conſumptos, ſed in quantum ex eis factus eſſet locupletior, vt rectè notauit Henriq. *vbi ſupra.* Et per hæc ſatis patet ad rationem dubitandi in principio poſitam.

9. Tertiò infero, quòd ſi quis, poſtquã compoſitus eſt, ita praue affectus maneat, vt habeat animum, quod reuera non reſtitueret, ſi compoſitione non vteretur, eſt in peccato mortali, non minus, quam fur habens animum non reſtituendi aliquid, etiamſi ſibi nulla fieret remiſſio. Ita docent Nau. *cap.* 17. *num.* 93. *in fin.* & Emman. *vbi ſupra*, *num.* 11. & ſimiliter, qui poſtquam

compo-

Digitized by Google

compoſitus eſt,habet animum nó reſtituendi reſiduum vero domino, etiamſi compareat, verè eſt in peccato mortali. De quibus omnibus admonédi eſsét auditores à concionatoribus Cruciatæ, vt rectè docet Emman.*vbi ſupr.in fin.dub.9.*

Dvbivm V.

An poſsit vti Bulla Compoſitionis, qui iniuſtè accepit bona ex confidentia illius?

1. Ratio dubitandi deſumitur ex verbis ipſius Bullæ:nam in fine illius, poſtquã dixerat Summus Pontifex prædictam compoſitioné fieri poſſe de omnibus bonis incertis, malè,& iniuſtè acquiſitis,addit hæc verba in Bulla:*Contanto, que el,que aſi ſe huuiere de cõponer, no aya auido las coſas, de que aſi ſe compuſiere en confiança deſta compoſicion, porque entonçes eſtara obligado a reſtituir a la ſancta Cruzada.*

2. Vt huic difficultati ſatisfaciat Emmanuel *in fin.Bull.compoſitionis,n.75.* aſſerit, quod quando confidentia ipſa eſt cauſa poſitiua illius iniuſtæ acceptionis,vt ſi quis diceret, volo furari, quia poſtea virtute Bullæ me componam, tunc ille non poteſt vti Bulla, quia ita dicit Pontifex in ea.Si tamen quis fuiſſet negligens in abſtinendo ſe ab iniuſta acceptione rei alienæ,in confidentia componendi ſe per Bullam, ita vt talis confidentia ſolum ſe habeat, vt cauſa concomitans;tunc (inquit) talis poterit ſe componere virtute huius Bullæ. Sed hæc diſtinctio multis non placet, tum quia eſt valde obſcura, tum etiam, quia Pontifex intendit omnem confidentiã excludere ab hac compoſitione. Ergo,ſiue confidentia ſit cauſa adæquata,ſiue cócomitans,& partialis talis iniuſtæ acceptionis, verè ſic cõfidens manet priuatus beneficio compoſitionis. Nec propterea (inquiunt) ſe negare, vt ſi cui,cum actu furatur, veniat in mentem,quod facilè poſtea ſe componet per Bullam, idcirco poſtea non poſſet vti illa,quia aliud eſt, quod veniat in mentem,aliud vero quod exerceat ipſam iniuſtam acceptionem hac ratione, quia habet Bullam,per quam poterit ſe componere, vel facilè illam poterit habere. Nec obſtat (inquiunt) ſi quis dicat,hoc valdè ſcrupuloſum eſſe, quia difficillime poterit quis diſcernere, an exerceat prædictam iniuſtam acceptionem propter prædictam confidentiam, vel non: quia prohibitio vtendi prædicta Bulla, non habet locum, quando quis dubius eſt,ſed quãdo habet certitudinem,quod cauſa poſitiua talis iniuſtæ acceptionis fuerit ipſa confidentia componendi ſe per Bullam, ſiue hæc fuerit cauſa totalis,ſiue partialis,& concomitans.

2. Verum nobis ſub diſtinctione, & clarius dicendum videtur,quod quando quis mouetur ex confidentia compoſitionis ad áccipiẽdum aliquid iniuſtè,ad quod non moueretur niſi ex confidẽtia (moraliter loquendo) Bullæ,non poteſt licitè vti illa.Ita docent cõmuniter DD. cum Emman.*in Bulla cõpoſitionis, vbi ſupra,*& Henriq.7.*de Indulg.c.34.num* 3.& probatur.Tum quia ita explicat Pontifex in Bulla, vt patet ex verbis pro ratione dubitãdi adductis. Tum quia alias valde laxarentur habenæ ad patranda multa latrocinia.Tũ quia ratio ipſa exigit,vt quãdo legiſlator id exprimit,peccans ex confidentia priuilegij ſibi conceſſi, priuetur illo. Sicut Concil. Trid. *ſeſſ.24.c.5.de reformat.*contrahẽtem intra gradus prohibitos ex confidentia,quod hac via facilius diſpenſationem obtinebit, priuat omni ſpe talem diſpenſationem obtinendi.

3. Dixi autem notanter:*quando legiſlator id exprimit;*quia à peccatis ex confidentia Bullæ cõmiſſis rectè poteſt quis virtute Bullæ abſolui,vt latè docuimus

ſupra diſp... *c*.1.*dub*... quia cũ Põtifex excludat à lucranda indulgẽtia plenaria eos,qui ex confidentia illius,prõptiores facti fuerũt ad peccandum,non autẽ excludat illos ab abſolutione peccatorum ex fiducia Bullæ commiſſorũ,manifeſte conſequitur, intentionem illius eſſe, vt valeat abſolutio peccatorũ, etiamſi cõmiſſa fuerint ex fiducia Bullæ, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

4. Si autem quis iam decreuerat aliquid iniuſte acquirere, ad quod tamen faciendũ facilitatur ex propoſito,& cõfidẽtia ſumendi Bullam Compoſitionis, vel ex Bulla iam ſuſcepta,reuera talis nõ eſt cenſendus peccare abſolute ex illius cõfidentia,quia tunc non eſt cauſa motiua,ſed velut cõcomitãs,& priuata,inquantum talis confidentia tollit diligẽtiam,quam adhiberet in vitanda illa iniuſta acquiſitione, ſi non ſperaret ſe Bullam accepturum,per quam liberetur à reſtitutione, & hoc, ſine dubio videtur velle Emman. *vbi ſupra*, licet non bene ſe explicet hoc loco.

5. Idem etiam ſentit Henriq.*loco cit.* vbi enumerans eos,quibus prodeſſe poteſt hæc Bulla,ait.*Niſi iniuſte hac bona occupauerint ex confidentia huius Bullæ,tanquã ex immediato motiuo,aut fine principali,at non prohibetur compoſitio.ſi iam decreuerat furta facere, aut ea diutius retineat.* Hæc ille. Vbi etiam aduertere oportet, addidiſſe illa vltima verba, quia licet, qui aliena bona iniuſte retinet, peccet mortaliter, tamen non priuatur à Pontifice beneficio compoſitionis; ſed qui iniuſte illa acquirit. Quare licet iſte,ſic detinendo, peccet, poterit tamen ſe componere ex prædictis bonis incertis iniuncte retentis ex tali fiducia.

6. Etſi obiicias,quod abutens priuilegio,non meretur gaudere illo.Reſpõdeo ita eſſe, ſed quandiu non priuatur illo,vſus illius valet: Aduertere tamen oportet,quod quia multi,& maxime rudes, non valebunt diſtinguere inter cõfidentiam primo,aut ſecundo modo,debent examinationẽ remittere debitores ipſi Cõfeſſario,& in dubio Confeſſarius debet illum obligare ad reſtitutionem, quia in dubiis,tutior pars eſt eligenda.

DVBIVM VI.

An ſit ſufficiens cauſa ad vtendum Bullæ Compoſitionis, quòd creditor ſit ita diſtans,vt nequeat debitum ad eum deferri.

1. Ratio dubitandi eſt, quia Põtifex in Bulla ſolum concedit cõpoſitionem pro bonis incertis, hoc eſt,quorum domini,facta ſufficienti diligentia, ignorãtur;ex hoc autẽ,quod creditor ſit multum diſtans,non fiunt bona eius incerta; eſt enim implicatio in adiecto, quod bona ſint incerta,& dominus eorum ſit certus. Ergo abſentia creditoris non eſt ſufficiens cauſa ad vtendũ prædicta compoſitione, vt expreſſe docent Henriq.*lib.7.c.34.n.2.*& Sot.4.*diſt.21.q.2.art.4.& 4.de iuſt. quæſt.7.art.1.* vbi ait, quòd qui nouit creditorem, cui debet, non poteſt ſe componere cum Bulla, ſed cum crumena.

2. Verum mihi dicendum videtur loquendũ eſſe cum diſtinctione;nam vel poſſeſſor bonorum incertorũ eſt iuſtus, vel iniuſtus poſſeſſor;ſi iuſtus, & aliũde erat obligatus ad mittendum debitum creditori,vbicũque eſſet,non poteſt vti compoſitione,quantumuis in mittendo prædicto debito,plus pecuniæ conſumpturus eſſet,quam res ipſa valeret:ſi tamen ad mittendũ debitũ non erat obligatus,nec in ſoluendo fuit mora culpabilis ex parte illius,non tenetur mittere depoſitum cum expenſis propriis.In caſu vero, quod ipſe diſcederet à loco,vbi rem accepit, quam creditor poſſidebat, tenetur illã mittere ad creditorem cum propriis expenſis, niſi alias prius illum

monuiſſet,

Digitized by Google

monuiſſet, vt accederet ad accipiendum debitum. Si tamen è contra creditor ipſe diſcedat, nõ tenetur debitor rem mittere ad illum cum propriis expenſis. Imo, ſi rationabiliter præſumat, quod creditor non ſoluet expenſas factas pro mittendo debito illo, aut depoſito, nõ tenetur mittere illud. Si vero ſine culpa debitoris, creditor longe diſcedat, & res ad illum mitti non poſſit, niſi cum maioribus expenſis, quam ipſa valeat, tunc locum habet cõpoſitio, vt docent Couar. *reg. peccatum 3. p. §. 1.* Angl. *in ſum. quæſt. de reſtit. dub.* 16. Cuius duplex ratio aſſignari poteſt. Prima, quia bona domini ita diſtantis, vt ea ſibi reſtitui non poſſint, nec vero ſimiliter ſperetur tempus opportunũ reſtitutionis, perinde ſe habent, ac ſi eſſent ignoti domini, cum ita illi, ac iſti impoſſibile ſit fieri reſtitutionem. Secunda, quia cum ex miſſione talis debiti plus nocumenti, quam vtilitatis accreſcat ipſi creditori, rationabiliter præſumitur, talem cõpoſitionem nõ eſſe contra eius voluntatem. Si autẽ debitor ſit iniuſtus poſſeſſor, & diſcedat ad alium locũ, tenetur cum propriis expenſis, mittere rem ad creditorẽ. Si autẽ creditor diſcedat, & quando diſceſſit, nõ erat ſecum allaturus rem ſibi debitam, non tenetur debitor illam mittere ad creditorẽ ex propriis expenſis, quia debitor iniuſtus ſolum tenetur ad reſtitutionẽ rei iniuſte acceptæ, & dãni, quod inde ſecutum eſt creditori ex tali iniuſta acceptione. In prædicto autem caſu nullum damnum ſecutum eſt illi, cum ipſe non eſſet ſecum allaturus rem illam.

3. In caſu tandẽ, quo debitor iniuſtus non habet poſſibilitatem ad mittendam rem creditori, aut in miſſione, plures expenſæ faciendæ eſſent, quam res valeat, propter maximam diſtantiã creditoris, tunc bene poteſt debitor vti cõpoſitione, vt docent Sot. *diſt. 25. q. 2. art. 4. n. 4.* Caſtro *de poteſtate leg. pœnal. c.* 11. de quibus omnibus videndi ſunt Nauar. *c. 17. n. 42. & 43.* Sot. *4. q. 7. art. 1 fol. 335.* Angl. *vbi ſupra,* Emman. *in Bulla compoſitionis, §. vnico, n. 3.* & Acoſt. *q. 83.*

4. Ad rationem dubitandi, reſpondeo quod bona, quæ nullo modo deferri poſſunt, nec deferenda ſperantur ad dominum habẽtur pro incertis, quia in ordine ad reſtitutionem actualẽ perinde ſe habent, ac ſi dominus eſſet ignotus, & incertus. Aduertere tamen oportet, quod cũ quis dubius eſt, inter duos, quiſnam illorum fuerit ab eo defraudatus, tunc non dicitur dominus totaliter incertus, & ſic non habet locum compoſitio, vt optime notauit Emman. *in Bulla compoſ. §. vnico, n. 9.* ex Sot. quem refert, ſed facienda eſt vtrique tunc reſtitutio, vel hæredibus eorum.

Dubium VII.

Quinam ſint caſus, in quibus valeat compoſitio circa redditus Eccleſiaſticos.

1. Reſpondeo hanc compoſitionem locum habere in tribus caſibus. Primus eſt, ſi non recitauit ſaltem poſt tranſactos ſex menſes à conſequutione beneficij, vt ſtatuerat Cõcil. Lateranen. ſub Leone X. *ſeſſ. 6. § ſtatuimus.* Ibi enim habetur, quod qui, ſecluſo legitimo impedimento, non recitat horas canonicas tranſactis ſex menſibus poſt obtentum beneficium, non facit fructus ſuos, ſed tenetur illos reſtituere Eccleſiæ, poteſt tamen talis ſe componere. Vt autem ſe componat, vltra duos argenteos, quos dedit pro expeditione Bullæ, debet alios duos dare pro fabrica Eccleſiæ, vbi eſt tale beneficium. Ita habetur in primo caſu Bullæ Compoſitionis, & tradunt Emman. *vbi ſupra, n.* 14. & Henriq. *lib. 7. c. 36. n. 1.* pro quo refert Pium V. in proprio Motu Nau. *c. 25. n. 122. & de oratione notab. 21. à n.* 58. Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 429. n. 11.* Simanc. *in cathol. inſtit. c.* 19.

Rebuff. *de Priuil. Scholar.* §. 100. Med. *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 11. Ludou. Lopez 2. *p. c.* 95. Nau. *lib.* 2. *de reſt. c.* 2. *n.* 137. 185. *& n.* 196.

2. Modus autem reſtitutionem faciendi, quando non recitant, debet eſſe iuxta motum proprium Pij V. quem refert Nau. *c.* 25. *vbi ſupra*, itavt ſi omittat Matutina, debeat reſtituere medietatem fructuum, qui pro rata illis diebus reſpondent, & ſimiliter, ſi relinquat reliquas omnes horas: ſi autem alteram illarum duntaxat, debet reſtituere ſextam partem fructuũ illi diei reſpondẽtium. Ex quo aperte conſtat, omnino reiiciendam eſſe ſententiam Soti *lib.* 1. *de iuſtit. q.* 6. *art.* 7. aſſerentis, quod ſi quis, paucis diebus, vt per triduum, non recitaret, ad nullam teneretur reſtitutionem. Hoc enim eſt apertè contra Concilij Lateranenſis decretum, poſtea quantum ad hoc à Pio V. confirmatum. Vnde non poſſum non valde mirari, quòd Sotum ſecuti fuerint Cord. *lib.* 1. *q.* 40. *dub.* 2. *& caſ.* 136. & Angl. *q. de reſtit. facien. propter negligentiam Eccleſiæ, art.* 1. vt refert Emman. *vbi ſupra, num.* 15.

3. Secundus deinde caſus, in quo habet locum compoſitio circa redditus eccleſiaſticos, eſt, quando quis non acquiſiuit canonicè tale beneficium, ſed per ſimoniam. E. g. ſi à principio illud obtinuit, poſtea verò nouit, non habere iuſtum titulum: tunc enim talis, licèt teneatur relinquere beneficium, & fructus mala fide perceptos reſtituere, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. poteſt tamẽ per hanc Bullã ſe componere, quia licet Papa non diſpenſet cum illo, vt ſine iuſtò titulo retineat beneficium, atque adeo de nouo debeat fieri collatio per Papam, eximit tamen illum ab obligatione reſtituendi fructus male perceptos, mediante Bulla compoſitionis. Ita docent Henriq. *lib.* 7. *c.* 36. §. 2. & Eman. *vbi ſupra, num.* 16.

4. Tertius caſus, in quo licita eſt compoſitio de redditibus eccleſiaſticis, eſt, quando quis, licèt optimo titulo reciperet beneficium, poteſt eſſe tamen excommunicatus, & talis, dum eſt negligens in petenda abſolutione, non facit fructus ſuos, vt habetur *cap. Paſtoralis, de appell.* §. *fin.* vbi gloſſ. & Nau. *c.* 25. *n.* 124. Cou. 3. *variar. c.* 13. *n.* 8. & ratio eſt, quia beneficium datur propter officium, excommunicatus autem non poteſt illud exercere, nec miniſtrare, & ideo non facit fructus ſuos: poteſt tamen ſe componere circa tales fructus. Verum tamẽ eſt, quod ſi ſuſpenſus, vel excommunicatus indigeat pro ſuſtentatione ſuæ familiæ, iuxta qualitatem ſuam prædictis fructibus, non opus habet compoſitione, vt tradit Nauar. *vbi ſupra, n.* 124. *& c.* 17. *n.* 94. quẽ refert, & ſequitur Emman. *vbi ſupra n.* 17. qui etiam bene aduertit, quod ſi quis tantum ſit ſuſpenſus, aut excommunicatus in foro exteriori, & non coram Deo, non priuatur ſuis fructibus. Ille autẽ, qui in beneficium fuiſſet intruſus, & multos fructus percepiſſet, ſi nolit vti Bulla compoſitionis, debet obtinere Breue *perinde valere*, vt docet Rebuff. *in prax. de gratia: Perinde valere*, & ſic conſolidat titulum cum fructibus, ac ſi principio titulus fuiſſet legitimus, de quo videndi ſunt Nauar. *cap.* 27. *n.* 194. § 6. & Henriq. *vbi ſupra.* vbi agunt de remedio, quo vtetur intruſus.

5. Atque his tribus caſibus poteſt addi quartus, præcedenti valde perſimilis, nimirum, quando quis recipit beneficium abſque intentione aſſumendi ordinem neceſſarium tali beneficio: nam talis, donec habeat dictum propoſitum, tenetur ad reſtitutionem fructuum, vt conſtat *ex cap. commiſſa, de elect. in* 6. & iniuſtè habet locum compoſitio huius Bullæ. Nec obſtat, ſi obiicias, hũc caſum non numerari in Bulla, alios verò ſic, quia ſufficit, quòd non prohibeatur, &

quòd

Digitized by Google

quòd ſit eadem ratio de illo, ac de aliis. Nam, vt patet ex verbis ipſius Bullæ, Pontifex dicit, quòd poſſit fieri compoſitio extra caſus in Bulla expreſſos, in quibus eadẽ videtur ratio militare iuxta arbitrium prudentis Confeſſarij. Circa hoc tamen genus compoſitionis aduertunt quidam recentiores, nullum eſſe dubium, an liceat, vel non liceat, quia in his Papa non eſt diſpenſator, ſed dominus: nam licet ſecundùm ius commune, videatur illos fructus eſſe diſtribuẽdos in fabricam Eccleſiæ, vel in pauperes, ex antiqua tamen conſuetudine applicãtur Fiſco, ſeu Cameræ Apoſtolicæ in vſus ipſius Papæ, & ſic nemini facit iniuriam, indulgendo compoſitionem pro talibus bonis.

DVBIVM VIII.

Quinam ſint caſus, in quibus non liceat compoſitio circa redditus eccleſiaſticos.

1. RESpondeo duos eſſe. Primus eſt, quando quis Canonicus, non aſſiſtendo in choro, accipit diſtributiones quotidianas Eccleſiæ cathedralis, vel collegialis, tunc non licet pro illis compoſitio, vt tradunt Henriquez *vbi ſupra*, §. 3. & Emmanuel *vbi ſupra n.*16. quia tales diſtributiones non dantur fabricæ, aut pauperibus, ſed diſtribuuntur inter reliquos Canonicos aſſiſtentes diuinis officiis, vt conſtat *ex c.* 1. *de Cler. non reſid. lib.* 6. & tradunt Nauar. *c.* 25. *n.* 123. Emman. *vbi ſupra n.* 16. & ſic augentur quaſi per ius accreſcendi portiones illorum; vnde, cum in hoc caſu ſint certi creditores, nempe Canonici aſſiſtentes, non habet tunc locum prædicta compoſitio. Quod idem dicendum videtur cum Emman. *vbi ſupra*, & Henriq. cum in aliqua Eccleſia viget conſtitutio, vt fructus male percepti ſint deſtinati ad certa opera pia, tunc etiam, cum certus ſit creditor, non licet compoſitio. Et ſimiliter ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 8. *ad fin.* non habet locum compoſitio in fructibus hoſpitalis male perceptis.

2. Secundus caſus, in quo non eſt licita compoſitio, eſt, quando quis non reſidet in proprio beneficio, in quo tenetur reſidere: tunc enim talis non facit fructus ſuos, & tenetur ad reſtitutionẽ, vt habetur *cap. conquerente, de Cler. non reſid.* & ex Trid *ſeſſ.* 6. *de refor. c.* 1. *& ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *& ſeſſ.* 23. *c.* 1. § *ſi quis autem*, quod etiam vſque adeo comprehẽdit Epiſcopos, vt licèt eis detur facultas ad nõ reſidendum per duos, aut ad ſummum tres menſes intra annum, id tamen eſt cum hac conditione, quod ad id iuſta adſit cauſa. Quare nõ poſſunt pro libito, illis duobus, vel tribus menſibus non reſidere, nec ſi adſit iuſta cauſa illud tempus prolõgare ſine licentia Papæ, vel Metropolitani, vel alterius antiquioris Epiſcopi, vel loco illius ſubſtituentis. In caſu igitur, quòd beneficiatus, vel Epiſcopus non reſideat, non poteſt componi ſuper illos fructus, quos male percepit, vt patet ex Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. vbi prohibet quamcunque compoſitionem circa fructus ſic male perceptos. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 121. & Emman. *vbi ſupra n.* 18. & Henriq. ſuprà relatus cum citatis ab ipſo.

3. His addi poteſt tertius caſus, in quo non cadit compoſitio, quando quis percipit fructus ex duobus beneficiis incõpatibilibus: Iſte enim eo ipſo, quòd accepit duo beneficia incõpatibilia, perdit primum eorum *per text. in c. de multa, de Preb.* & ſimul ſecundum *per extrau. execrabilis, eod. tit.* de quo Nauar. *c.* 25 *n.* 115. §. 6. Dueñas *reg.* 71. Bernar. Dias *in pract. c.* 42. Syln. *benef.* 4. §. 6. Armil. §. 44. Ludou. Lop. 2. *p. c.* 104. & talis non poteſt vti beneficio compoſitionis, vt teſtatur Commiſſarius Cruciatæ, qui de hoc conſultus, reſpondit, ſe non habere facultatem

cultatem ad componendũ in fructibus ex beneficiis incompatibilibus perceptis; quod ſanè in eo videtur fundari, quod non reſidẽs non poteſt componi, vt ſupra oſtenſum eſt ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. qui autem habet duo beneficia incompatibilia, cenſetur non reſidere in altero, & ideo iure priuatur beneficio compoſitionis.

Dvbivm IX.

Vtrum poſsit licitè concedi compoſitio pro medietate legatorum, prout concedit Pontifex in hac Bulla?

1\. PRo intelligentia huius dubij, ſupponere oportet, in hac Bulla concedi facultatem ad faciendam compoſitionẽ ſuper medietatem legatorum, quæ propter malè ablata, ſunt facta, ſi legatarij per annũ in exequutione fuerint negligentes, vt habetur in originali latino. Vnde, ſi quis, ob leuamẽ ſuæ conſcientiæ, quod hiſpanè dicitur, *para deſcargar ſu conſciencia*, legauit Hoſpitali, vel particulari pauperi ducentos aureos: ſi talis perſona fuerit negligens per annum in exequutione illorum, poteſt hæres defuncti componi ſuper centum, ſoluendo duodecim, vel tredecim argenteos, licet certus ſit legatarius. Hoc autem debet intelligi in legatis, quæ non excedant quantitatem cẽtum mille dipondiorum, quod hiſpanè dicitur, *cien mil marauedis.* nam ſi excedant, ad Commiſſarium generalem debet fieri recurſus, vt faciat prædictam compoſitionem, quam declarationem dicit Garnica ſuper Bullam compoſitionis miſſam fuiſſe ſibi à Commiſſario generali Bullæ, cum illam typis mandare curabat, vt refert Emman. *vbi ſupra, num.* 19.

2\. His ſuppoſitis, videbitur fortaſſe cuipiam, non poſſe Papam prædictam compoſitionẽ facere. Primò, quia tunc eſt certus legatarius, atque adeo eſt certus dominus bonorum illorũ; nam hoc ipſo, quod hęres adiit hæreditatẽ, transfertur dominium rei legatæ in legatarium, & debetur illi ex iuſtitia legatum, vt conſtat *ex l. à triuo. ff. quemadmodum ſeruitutes amittantur.* Ergo iniuſtè cum illo agitur, auferendo illi per emptionẽ medietatem ſui legati.

3\. Secundò, quia vt minimum ligatarius habet tunc ius ad illud legatum, quia illud acceptauerat, vt ſuppono, quamuis hoc non eſſet neceſſariũ, quoniam publica poteſtas ſupplet conſenſum legatarij, & nomine illius acceptat. Ergo abſque iniuria legatarij, nõ poteſt Papa facere prædictam compoſitionem. Nec valęt dicere, quòd hæres per illum annum, quo legatarius fuit negligens, præſcribit; tũ quia poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit: tum quia ſi præſcriberet medietatem legati, etiam totum, quia non eſt maior ratio de præſcriptione partis, quam totius.

4\. Verùm his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, Papam validè, & licitè efficere poſſe prædictam compoſitionem ſuper medietatem legatorum, quæ quis in leuamen ſuæ cõſcientiæ reliquit. Ita docent. Henriq. *lib.* 7. *c.* 37. §. 3. & Emman. *vbi ſupra,* & Garn. ab vtroque relatus ſuper Bullã compoſitionis, & multi DD. relati ab Henriq. *lib.* 7. *q.* 33. *in fin. lit. M.* & ratione probatur.

5\. Primò, quia Summus Põtifex habet poteſtatem commutandi legata facta in pios vſus, in alia pia opera, vt cõſtat *ex clement. contingit. de relig. domib.* Ergo poteſt medietatem legati, imò & totum legatũ, quod quis pro exoneratione ſuæ cõſcientiæ reliquit Eccleſiæ, hoſpitali, vel pauperi, expẽdere in aliud pium opus, maxime publicum, quale eſt ſubſidiũ belli, pro quo expeditur hæc Bulla.

6\. Secundò, quia in omni donatione Eccleſiæ

Eccleſiæ facta intelligitur, excepta auctoritate Papæ, vt tradit Couar. *3. var. reſol. c. 6. n. 2.* Ant. Gab. *tom. 1. ad fin. ver. legatum.* quia Papa, vt caput Eccleſiæ, poteſt vnicuique membro Eccleſiæ applicare quod ad alterũ pertinebat, iuxta neceſſitatẽ vtriuſque membri, & ſic in præſenti concedit prædictam compoſitionem ob maius bonum, ſcilicet expeditionem Bullæ pro communi Eccleſiæ defenſione.

7. Tertiò probatur, quia illa bona, quorum exonerationem intendit teſtator, ſunt incerta, quia eorũ domini ignorantur, & horum adminiſtratio potius pertinet ad Papam, quam ad teſtatorem, qui illa iniuſtè detinebat: Ergo Papa poteſt liberè ea applicare cuicunque operi pio. Nec iuuat id eſſe verũ, niſi teſtator præueniat Papam in diſtributione illorum; tum quia hic nõ præuenitur Papa, quia facultas hæc ſolùm ſe extendit ad legata, quæ fuerunt facta poſt publicationem Bullæ, & nõ ad alia: quod ex eo patet, quia poſtea in ſequenti caſu datur ſpecialiter facultas ad legata antea facta: Ergo in noſtro caſu non extenditur ad illa, & conſequenter non præuenit teſtator ipſum Pontificem, ſed è contra; Tum quia admiſſo, quod illum præueniret, ſemper tamen manet ſaluum ius, & auctoritas Papæ, quã habet ad commutanda pia legata ex iuſta cauſa in alia pia, quæ magis expediunt, vt ſupra oſtendimus *ex clement. contingit. de relig. domib.* vt docet Henriq. *lib. 7. cap. 37. §. 2.* gloſſa refert ſe ad plures doctores à ſe citatos *eod. lib. c. 33. in fin. lit. M.*

8. Sed quæres, quid dicendũ ſit de legatis factis ante publicationẽ, vel tempore ipſius publicationis? Reſpondeo, quod in Bulla dicitur fieri etiam poſſe de illis compoſitionem, quod intelligitur non ſolũ in partẽ, ſed in totum; cum legatarius ſit incertus, de quo benè Henriq. *vbi ſuprà in fin.* & Emman. *ſupr. §. 20.*

9. Ad primum reſpondeo, verũ eſſe, quod in legatarium, antequam acceptet legatum, transfertur dominium, non reale, hoc eſt per legem adinuentum, in quo valde differt à principali hærede, in quem non transfertur dominium, antequam adeat hæreditatem, quod ſatis rationi conſentaneũ eſt, quia hæres tenetur ad æs alienũ, & non ſemper eſt lucroſa hæreditas, & ſic debet prius ſua voluntate illam acceptare: legatum vero ſemper eſt vtile, & ideo ad tranſlationem dominij ciuilis ipſius rei legatæ, non opus eſt expectare conſenſum legatarij. Ad argumẽtum ergo, negatur conſequẽtia, quia licet legatarius à die mortis teſtatoris, abſque alia acceptatione acquirat ius ciuile legati, vt docet Couar. & Reynald. §. 1. *n. 1. de teſtam.* non tamen acquirit perfectum ius, ſed reuocabile à Papa ex iuſta cauſa ob annualem negligentiam legatarij. Nec mirum videri debet, quod Papa hac pœna prædictam negligẽtiam puniat, cum etiam qui ſimul eſt legatarius, & teſtamentarius, & tamen per annum à die monitionis per Iudicem, ſit negligens implere teſtamentum, in pœnam negligentiæ priuetur illo ſpeciali legato, & applicetur pro anima defuncti, vt tradunt Perez *leg. 4. tract. 2. lib. 5. ordinamenti, pag.* 141. Anton. Gabr. *tom. 1. ad fin. ver. teſtamentum*; Sylu. *teſtamentum 2. §. 6.* Nau. *lib. 5. de reſtit. c. 4. n. 166.*

10. Ad ſecundum, bene impugnatur ſolutio ibi data. Quare, vel reſpondeo ex dictis in præcedenti ſolutione: vel dicendum, quod cum bonorum illorum diſpenſatio pertineat per ſe ad Papam, quæcunque illorum diſtributio à teſtatore fiat, cenſenda eſt conditionalis, ſi Papa non diſſentiat, quia vt ſupra oſtendimus, in huiuſmodi piis legatis ſemper excipitur authoritas Papæ.

Dvbivm X.

An locum habeat Compoſitio circa bona, quæ Iudex accipit, vt iniuſtam ſententiam ferat?

1. TOta ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod, vt docet Nau. *c.* 17. *num* 3. vbi id latiſſimè probat, Iudex nō tenetur ad reſtitutionem eius, quod ex mutuo contractu turpi accepit: Ergo non opus habet compoſitione aliqua. Antecedens præter Nau. docent. D. Anton. 2. *p. c.* 5 *in princ.* Ang. *reſt.* 2. §. 3. Monald. *ver. reſtitutio.* & etiam probatur ratione.

2. Primò, quia, quando turpitudo tenet ſe ex vtraque parte, bona ſic habita non debent reſtitui danti, nec pauperibus, aut alteri perſonæ determinatæ: Ergo nulli ſunt de neceſſitate reſtituenda. Antecedēs patet quoad primā eius partem, quia dans, voluntariè dedit, & alienauit à ſe illa bona: Ergo non debēt ſibi reſtitui. Et præterea, quia in foro exteriori non datur ſibi reſtitutio taliū bonorum, vt patet *ex l. vbi autem, & l. idem ſi ob ſtuprum. ff. de cōditione ob turpem, &c.* Quod autem hæc non debeat reſtitui pauperibus de neceſſitate, patet, quia illi nullum habent ius, aut titulum ad talia bona, & deinde, quia leges reprobantes tales contractus turpes, non præcipiunt reſtitutionem fieri alicui determinatæ perſonæ, ſed ſolum præcipiunt, vt tales contractus habeantur pro infectis, atque ideo ſi ex vi talium legum naſceretur aliqua obligatio reſtituendi, maximè, vt reſtitutio fieret ei, qui dedit, quia ſic cōtractus maneret quaſi infectus, reſtitutis rebus ad priſtinum ſtatum, quē habebant ante contractum. Sed conſtat ex eiſdem legibus, quod bona hæc non debēt reſtitui danti, cum potius illis denegetur repetitio, vt modo dicebamus: Ergo iſtæ leges nō intendunt inducere obligationem reſtituendi ante repetitionem iuridicam.

3. Secundò, quia voluntas domini non impedita per legem, ſufficit transferre dominium in eum, qui non ſit inhabilis ad illud acquirendum, ſed nulla eſt lex humana, vel diuina, per quā turpiter accipiens reddatur inhabilis ad acquirendum dominium eius, quod turpiter ei datur: Ergo ſi alter voluntariè dedit, verè qui accepit, acquiſiuit dominium illius, nec tenetur reſtituere. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur, quia leges, quæ loquuntur de hac re, ſolum probant, quod ex turpi pacto nulla naſcatur obligatio, & quod non datur actio ad petendum ea, quæ turpiter promiſſa ſunt, vel ad repetendum ea, quæ turpiter data fuerunt. Ex quibus omnibus nulla eſt conſequutio, quòd ſi res acquiſita fuerit ex turpi pacto, non poſſit licitè retineri, quandiu non repetitur in iudicio. Quare leges, quæ irritant prædictos contractus, ſolùm illos annullant ad hunc finem, vt ex illis non detur actio, nec oriatur obligatio, non tamen, vt impediatur translatio dominij. Quod adhuc clarius patebit, ſi attendamus, quòd bona hæc turpiter acquiſita ſolent repeti à Fiſco, & illi applicari ſecundum communem ſtylum, vt conſtat *ex l. nono de iure. C. de pœna Iudic. & l.* 24. *tit.* 22 *p.* 3. *& l.* 52. *tit.* 14. *p.* 5. quæ autem ad Fiſcum pertinent, non erant reſtitutioni obnoxia, niſi per modum pœnæ poſt Iudicis ſententiam: Ergo ante hanc, non debent prædicta bona reſtitui, & conſequenter translatum erat eorum dominium.

4. Tertiò, quia data, & accepta ob turpem actum meretricibus, non ſunt obnoxia reſtitutioni, & tamen turpitudo verſatur ex parte vtriuſque: Ergo idem erit in omnibus turpiter acquiſitis

ex

ex voluntate dantis, exceptis ſimoniace acceptis, quia ad horum reſtitutionem obligat Summus Pontifex *in cap. de hoc autem, de ſimon.* Imò, & Chriſtus Dominus *Matth.* 10. nam vendens res ſpirituales, vendit quod non eſt ſuum, & agit contra voluntatem domini illarum, dicẽtis: *Quod gratis accepiſtis, gratis date.* Vnde rectè Caiet. 2.2.*q.* 100.*art.*6. Sylu. *verb. ſimonia, q.* 20. Victor. *relect. de ſimon. n.*4. Sot. *lib.*9. *de iuſt. q.*8. *art.* 1. *ad* 6. & Adrian. *quodlib.*9. dixerunt, ſimoniacum, non ſolum iure humano; ſed naturali, & diuino teneri ad reſtitutionem Eccleſiæ, vel pauperibus faciendam.

5. Conuincimus igitur, non teneri ad reſtitutionem Iudicem, qui ob malam ſentẽtiam pecuniam accepit. Scio quoſdam DD. & præcipuè recentiores dicere, prædictas rationes non procedere in bonis à Iudice acceptis ob iniuſtam ſententiam ferendam, quia D. Aug. *epiſt.* 54. *ad Macedo.* & refertur 14.*q.*5. *cap. non ſane*, vbi ait: *Iniquum eſſe vendere iudicia, aut teſtimonia iuſta, multo verò ſceleratius eſſe, pecuniam accipere pro iudicio, vel teſtimonio iniuſto.* Vnde *in cap. ab omni, de vit. & honeſt. cleric.* dicitur, venales ſententias omni iure reprobatas eſſe, *& in cap. ſtatutum, §. ſi quid, de reſcript. in* 6. dicitur, quòd Iudex, vel Notarius accipiens aliquid vltra ſalaria, tenetur ad integram reſtitutionem. Et ratio videtur aperta, quia cum Iudices habeant ſalaria conſtituta legibus publicis, tanquam pretia ſuorum laborum, quidquid vltra accipiunt, iniuſte accipiunt. Vnde, ſicut qui vendit frumentum carius, quam lege ſit taxatum, tenetur reſtituere illum exceſſum, ita Iudices accipientes aliquid, vltra ſalarium conſtitutum, tenentur illud reſtituere, ſi illud accipiant ex pacto, & per modum pretij. Hæc (inquam) non obſtant, quia nonnulla ex præcitatis iuribus, loquuntur de conſilio, non de præcepto. Illud verò *cap. ſtatutum, de reſcript. in* 6. quod vtitur verbo inducente obligationem, potius videtur ſtatuere pœnam, quàm implere præceptum. Nec obſtat, quòd *lib.* 2. *ordinamenti, tit.*9. *lib.* 2. *& tit.* 14. *lib.* 40. *& tit.* 11. *lib.* 30. ſtatuitur, quòd Iudices, Tabelliones, & ſimiles officiales publici, accipientes munera quæcunque à litigantibus, teneãtur in foro conſcientiæ reſtituere in quadruplo, quantumcunque acceptio fuerit occulta. Et inſuper dicunt, quòd debent iurare, cum ipſis traditur officium, ſe ipſos ita ſeruaturos. Iſtæ enim leges iam ſunt abrogatæ, vt affirmant multi viri docti, & poteſt colligi ex eo, quod *in noua recopilatione legum, lib.* 2. *tit.* 5. *lib.* 16. *& lib.* 3. *tit.*9. *lib* 5. quamuis grauiter prohibeatur hæc acceptio munerum ſub certis pœnis, non tamen additur illud de reſtitutione facienda in foro conſcientiæ.

6. Ad illud verò de Iudicibus, reſpondeo, peccare in ea acceptione, non tamen ad reſtitutionem teneri, nec exemplum de frumento aliquid valet, quia emens illud, non dat voluntariè illum exceſſum, ſed coactè, ſicut qui reddit vſuras; & ideo vterque ad reſtitutionem tenetur: dans vero Iudici aliquid, vt iniuſtam ſententiam ferat, voluntariè dat, & non inuitus, nec ad redimendam vexationem, & ideo non tenetur ad reſtitutionẽ, cum aliàs à nulla lege ſibi præcipiatur. Adde, quòd Iudex non accipit ſalarium publicũ pro iniuſtè iudicando: ergo cum accipit pretium in hũc finem, non accipit pro eo, ad quod aliàs tenebatur; & ideo non manet obnoxius reſtitutioni, ſed de hoc alibi latius.

7. Et hæc dicta ſufficiãt ad oſtendendum, Iudicem non teneri ad rẽſtitutionem eorum, quæ accepit pro ferẽda iniuſta ſententia, quando voluntarie ſibi data ſunt; quam ſententiam exiſtimo veram, & conſequenter iuxta illam, dicendum

Digitized by Google

dum eſt, opus non eſſe de prædictis bonis ſic turpiter acceptis, facere aliquam compoſitionem, quia qui huic probabili ſententiæ adhæſerit, tutus manet in cõſcientia, nihil prorſus reſtituendo. Non tamen propterea exiſtimanda eſt ſuperuacanea prædicta conceſſio Pontificis, qua concedit fieri poſſe compoſitionem pro prædictis bonis, quia licet hæc opinio ſit probabilis, oppoſita tamen eſt ſine dubio ſecurior, & ſic ad maiorem ſecuritatem concedit Summus Pontifex prædictam compoſitionem.

8. Supponit ergo Põtifex in hac facultate, quòd debet fieri reſtitutio parti læſæ, de damnis ex tali iniuſta ſententia ſecutis, & concedit compoſitionẽ quantum ad pretium duntaxat, quod Iudex recipit à parte ob iniuſtam ſententiam. Nam licet noſtra, & Nauar. ſententia ſupra relata ſit probabilis, oppoſita tamẽ, quæ obligat Iudicem ad reſtitutionem in prædicto caſu eſt communis DD. Ita D.Thom. 2.2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 5. Adrian. 4. *de reſtitut. q. ſpeciali de extortis per concuſ. & in aliis ſequentib.* Med. *C. de reſtitut. quæſt.* 2. *cap.* 2. *& quæſt.* 20. *&* 28. Tabien. *verb. reſtitutio. quæſt.* 14. *&* 15. Sot. *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Ledeſm. 2. *part. quæſt.* 18. *art.* 5. *ad* 2. Couar. *reg. peccatum, par.* 2. *§.* 2. *per tot.* Cord. *lib.* 1. *quæſt.* 32. & alij multi. Et ſtando in hac ſententia proprie habet locum compoſitio, in qua nulla fit iniuria turpiter danti; nam licet Sotus *vbi ſupra*, minus bene dicat, reſtitutionem faciendam eſſe illi; communis tamen DD, quos nuper retuli, tenèt faciendam eſſe pauperibus, quia in pœnam ſic turpiter dantis pecuniam Iudici, merito priuatur illa, vt dicit Couar. *reg. peccatum,* 3. *p.* §. 1. *n.* 3. ſicut eadem ratione lex exterior negat in tali caſu actionem, & repetitionem, de quo bene Cord. ſupra relatus, & Cou. *vbi ſupra,* 2. *p.* §. 3. Atque hæc, quæ hactenus diximus in hoc dubio, intelligenda ſunt de teſte, de quo loquitur ſeptimus caſus Bullæ: qui enim accipit pecuniam pro falſo teſtimonio reddendo, ſatisfacta parte læſa, poteſt ſe componere pro pretio, quod tulit pro falſo teſtimonio.

Dubium XI.

An locum habeat compoſitio huius Bullæ circa bona accepta, pro ferenda iuſta ſententia.

1. PRo intelligentia huius difficultatis, ſupponere oportet, ne in æquiuoco laboremus, dupliciter poſſe contingere, quòd quis tribuat Iudici pecuniam, vel quidpiam aliud pro ferenda iuſta ſententia. Primo modo, exiſtimans ſe teneri ad illud dandũ. Secũdo modo, videns nullam ad id habere obligationem. Si primo modo contingat, locum non habet compoſitio, vt benè aduertit Emman. *in Bull. compoſ. n.* 26. quia tunc qui dedit, non habuit intentionem, & voluntatem determinatam dandi abſolutè, ſed ex falſa ſuppoſitione, quod ad id dandum tenebatur, & conſequenter non vult dare, ſed adimplere id, ad quod falsò exiſtimat ſe teneri; ſi verò ſecundo modo cõtingat, locum habet compoſitio hæc.

2. Hoc ſuppoſito, præcipua ratio dubitãdi in præſenti difficultate eſt, quod Iudex tenetur reſtituere quidquid accipit à litigãtibus pro adminiſtrãda iuſtitia, quia tunc accipit pretiũ pro eo, quod non eſt pretio æſtimabile: ſcilicet pro veritate, & iuſtitia, quã vẽdit, & ad quam alias ex officio tenebatur: ergo non habet locũ cõpoſitio, aliàs fieret manifeſta iniuria danti, cui debet fieri reſtitutio, vt docent Sylu. & Couar. ſupra relati, quia cũ dederit pro eo, quòd alias ſibi debebatur, inuitus cenſetur dediſſe, niſi aliũde conſtet, quod dederit gratis. Vnde taliter danti competit in foro exteriori

repeti

Digitized by Google

repetitio, vt notat Gloſ. *in c. non ſane* 14. *q.* 5. & aperte definitur *l. fin. tit.* 2. *p.* 3. *&* *l.* 52. *tit.* 14. *p.* 5. vbi late de hoc Greg. Lop.

3. Verum, iis non obſtantibus, reſpondeo cum diſtinctione, quod ſi litigans det Iudici tale pretium, vt pronunciet ſententiam in ſuum fauorem, ſiue iuſtitiam habeat, ſiue non, & contingat quod iuſtitiã habeat, reuera Iudex recipit illud pro adminiſtratione iuſtitiæ, & tenetur ad id reſtituendum pauperibus, vt docent D. Anton. 2. *p. tit.* 2. *c.* 2. §. 1. & Palud. 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *ar.* 5 *in fin.* nã in tali caſu priuatur dans ob turpitudinem à iure illo pretio, & tunc locum habet compoſitio, quia poteſt tunc Papa id alteri applicare, & auferre ab illo in pœnã ſuæ turpitudinis. Si autẽ turpitudo teneat ſe ſolum ex parte Iudicis, quia ſcilicet litigans præbet pretium Iudici ad redimendam ſuam vexationem, quia timet, quod ſi Iudicem muneribus non præueniat, non ſeruabit illi iuſtitiam, quod licitum eſt, vt docent D. Anton. 2. *p. tit.* 2. *c.* 5. §. 1. Cord. *lib.* 1. *q.* 32. *dict.* 1. pro quarta opinione, tunc non habet locum compoſitio, ſed danti, ſi perſona eſt certa, debet fieri reſtitutio, quia alias illi irrogaretur iniuria.

4. Alij vero aliter reſoluũt hanc difficultatem, dicunt enim quod quando quis dat pecuniam pro adminiſtranda iuſtitia, vel alia re, ſiue turpiter, ſiue licite det, ſi cauſa propter quam dat, eſt ſequuta, & adimpleta, non debet reſtitui danti, ſed pauperibus, & conſequenter habet locum compoſitio. Ita Med. *de reſtit. q.* 2. *&* 43. *c.* 16. Cord. *lib.* 1. *q.* 32. *dicta* 5. *pro* 4. *opinio.* Couar. 2. *p.* §. 2. *n.* 7. *cir. fin.* Si vero talis cauſa non fuerit ſubſecuta, tenetur reſtituere parti, niſi lex id prohibeat, & tunc non habet locum compoſitio hæc.

5. Aduertere tamen oportet, hanc cõpoſitionem, quam in ſeptimo caſu concedit Pontifex, non habere locum in cauſis ſpiritualibus, quia ibi ſolum dicitur. *Que ſe puedan componer en cauſas temporales los Iuezes eccleſiaſticos.* Iudices enim eccleſiaſtici ſæpe iudicant de cauſis temporalibus: vt de compellendo debitore ad ſoluendum creditori, aut de puniendo delinquente, & de cauſis etiã ſpiritualibus, vt ſi ageretur de cauſa ordinis, aut de collatione beneficij. In iis ergo, & ſimilibus non admittat Pontifex compoſitionem, & iure quidẽ, quia facere pactum de danda pecunia Iudici eccleſiaſtico, vt ſeruet iuſtitiam in cauſa ſpirituali, eſt contra ipſum ius, vt cõſtat *ex gloſ. c. credentes* 1. *q.* 3. quam dicit memorabilem Nau. *de datis, & promiſſ. not.* 9. *n.* 14. quia cum res eſt ſpiritualis, eius venditio eſt ſimonia, & hoc valde aduertere debent confeſſarij, vt cum opus ſit remedio huius compoſitionis, ſciant diſcernere inter cauſas temporales, & ſpirituales. Et per hæc ſatis patet ad rationem dubitandi. Reſpondeo enim ex diſtinctione ſumpta.

Dubium XII.

Vtrum Aduocati, Scribæ, Tabelliones, & alij Miniſtri iuſtitiæ indigeant compoſitione, quando, vt ſua officia exerceant, recipiunt aliquid à parte.

1. Ratio dubitandi eſt, quia iſti, licet peccent contra iuſtitiam, turpiter accipiendo, eſt tamen probabile, quod non tenentur ad reſtitutionem, & conſequenter opus non habent compoſitione. Verum, quia res eſt dubia, & oppoſitum tenent aliquo cum D. Anton. 2. *p. tit.* 2. *c.* 2. §. 1. & Sot. 4. *de iuſt. q.* 7. *art.* 1. Ideo Summus Pontifex in caſu ſexto cõcedit compoſitionem, vt magis ſecuri maneãt in conſcientia. Et eadem ratione in caſu decimotertio eiuſdem Bullæ conceditur compoſitio mulieri-

Digitized by Google

bus, non publicè fornicantibus reſpectu lucri ob turpem actum ſui corporis. Illæ enim ſecundùm communem DD. ſententiam, quam ſequuntur Archidiacon. Anton. Syluest. & alij, quos refert, & ſequitur Couar. *regul. peccatum, 2 part.* §. 2. *num.* 3. Nauar. *cap.* 12. *num.* 34. nihil reſtituere tenentur. Tamen, quia multi Theologi, & Iuriſperiti contrarium docent, conceditur compoſitio ad tollendam omnem dubitationem.

2. Eadem ratione, vtiliter conceditur compoſitio Scribis, & Aduocatis, & aliis ſimilibus, qui amplius receperunt, præter taxationẽ legum ob ſua munera exercenda: tales enim leges non ſunt purè pœnales, ſed velut quædam directiones, quæ obligant in conſcientia ante condemnationem, & tenentur reſtituere parti, vt docet Medi. *de reſtitut. q.* 31. *&* 36. Nau. *cap.* 23. *num.* 83. *vſque ad* 86. Caſtro *lib.* 2. *de leg. pœnal. cap.* 12. Sot. *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 2. *artic.* 3. Cord. *in ſumm. quæſt.* 78. Quia tamen hoc non admittitur ab omnibus, & vt minimum, res eſt dubia, cõuenienter cõcedit Pontifex pro illis compoſitionem, quando, exquiſitis veris dominis, non inueniuntur. Videte Emman. *vbi ſupra, num.* 28.

3. Pro eo autẽ caſu, qui nonus eſt in Bulla, pro quo conceditur compoſitio, nempe quando quis iniuſtè rogat Iudicem, vt reum legitimè captum abſoluat, & pro ea rogatione pecuniam accepit, minus neceſſe eſt compoſitione, quia verè in eo caſu, nihil tenetur ille reſtituere, cum munus illud, quod exercet in adeundo, & rogando Iudicem, ſit pretio æſtimabile; quare ille tenebitur ſatisfacere parti, ſiquam læſionem ei fecit, pecuniam tamen acceptam retinere poterit, eſt tamen ſecurius, vt ſe componat, & ideo vtiliter etiam in eo caſu concedit Summus Pontifex prædictam compoſitionem.

DVBIVM XIII.

Vtrùm in bonis per ludum male acquiſitis habeat locum Compoſitio?

1. RESpondeo, locum habere, vt patet ex dd. verbis ipſius Bullæ caſu 10. vbi dicitur. *Iten ſe pueden componer de lo que por fuego oueren obligados a reſtituir à pobres.* Pro cuius intelligentia ſupponere oportet, fuiſſe ſententiam quorundam Doctorũ cum Palud. 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 5. aſſerentium, quod quando quis in ludo prohibito per leges, lucratus eſt, tenetur id pauperibus reſtituere, quod falſum eſſe probant Sot. 4. *de Iuſt. quæſt.* 5. *art.* 2. Couar. *regula peccatum,* 2. *part.* §. 4. & ſimiliter quidam Doctores cum Syluestro *verſ. Ludus, quæſt.* 11. & Nauar. *cap.* 19 *num.* 5. dicunt, eum, qui lucratur à clerico de bonis beneficiorum, teneri ad reſtitutionem, quia exiſtimant, clericos non eſſe dominos ſuorum beneficiorum. Sed hoc falſum eſt, neque id refellere eſt huius loci, cum abs re ſit, materiam de ludo hoc loco inſerere, vt fecit Emman. *vbi ſupra à num.* 30. *vſque ad* 46. vbi ſeptem & decem ſtatuit concluſiones de ludo, quarum nonnullæ ſuo loco examinãdæ ſunt. In opinione igitur horum Doctorũ locũ habet primo hæc compoſitio; in mea tamẽ ſententia nõ opus eſt compoſitione in prædictis caſibus, quia exiſtimo illos ad nullam reſtitutionem teneri, conceditur tamen compoſitio à Pontifice ad maiorem ſecuritatem.

2. Habet ſecundò locũ hæc Compoſitio in caſu, quo quis aliquid lucratur ab eo, qui manifeſtè eſt imperitior illo in ludendo; licèt enim tunc imperitior ſciens exceſſum ſui contrarij, voluntariè & ſua ſponte velit cũ illo ludere, atque adeo videatur ipſo facto renunciare ſuo iuri, & conſequenter nonnulli dicant

cum

cum Med. vt refert Emman. *vbi ſupra n.*38.quod lucrans ad nullam reſtitutionem tenetur,quia volenti,& cõſentienti nulla fit iniuria:tamen Alcocer *de lud. n.*19.ait, quod ſi ille expreſſis verbis nõ renunciat, dicens illi, lude; ego enim dono tibi quidquid propter exceſſum, quẽ habes, à me lucratus fueris,tenetur lucrans ad reſtitutionẽ,nam aleator,qui hiſpanè dicitur *tahur*, præ nimia ludendi auiditate cæcus omnino eſt ad videndum nimium exceſſum contrarij, & de nullo præſumi poteſt, quod velit ſponte amittere ſua, & licet oppoſita ſententia mihi multò probabilior ſit,vt docent Nau.*ſum.c.*19.*num.*18.& Ludou. Lop.*in ſum.p.*2.*c.*35. res tamẽ eſt dubia, & tunc conſulendum eſt pœnietnti pro maiori ſecuritate, vt vtatur remedio huius compoſitionis.

3. Tertiò,habet locũ hæc compoſitio, quando quis lucratur ab eo,quem graui metu, vel alia ſimili coactione induxit ad ludẽdum:tunc enim,quia plerunque eſt dubium,an verba,per quæ illũ compulit ad ludendum, ita efficacia fuerint ad cogendum illũ,vt ille alter non omnino liberè ludat, aut ceſſare poſſit à ludo.Tunc enim eſt optimum cõſilium vti beneficio huius compoſitionis.

4. Quartò,tandem habet locum hæc compoſitio,quando ratione fraudis,aliquid eſt acquiſitum in ludo,aut cũ quis ludit cum illis,qui non erant ſui iuris,vt pupilli, filijfamilias,& alij, quod intelligitur,quando verus dominus non cõparet. Vnde, ſi quis luderet cũ Religioſo,cuius tamen perſonã,& Conuentum poſtea ignoraret,poſſet pro ſic acquiſitis in ludendo vti hac compoſitione,ſecus tamen ſi ſciat perſonã,aut Conuentum,quia tũc tenetur ad reſtitutionem, etiãſi aliàs Religioſus haberet facultatem ad expendendũ in aliis rebus eã pecuniam,quam amiſit,vel etiã ad eam alteri donandã, quia Prælatus concedens facultatem ad expendendum centũ argenteos in donationibus,aut aliis rebus honeſtis,nulla ratione cenſetur dare facultatem ad conſumendos illos in ludo, vt benè notauit Emm. *vbi ſupra*,& docent in terminis Alcocer.*de ludo,c.*12.& 14.Med.*in ſum.fol.*113.Lud.Lop.*in ſum. p.*2. *c.*33. Habet igitur locum prædicta compoſitio generaliter loquendo,quoties ex acquiſitis in ludo, aliquid ex iuſtitia debet reſtitui, & neſcitur dominus, aut quoties probabile eſt teneri ad reſtitutionem.

5. Demũ quoties aliquid de iure reſtituẽdũ eſt,& ignorãtur perſonæ,quibus talis reſtitutio fieri debet, habet locum dicta compoſitio. Obſerua autẽ primò, in iis caſibus, quibus tenetur aliquis ad reſtitutionẽ eorũ, quæ ludo acquiſiuit, teneri etiam eum, qui ludi, vel fraudis cõmiſſæ cauſæ extitit. Hinc infert Nau. *ſum.c.*20.*n.*15. eum, qui huiuſmodi luſoribus ſubminiſtrauit domum,mẽſam, candelas, aut alia ad ludum neceſſaria, mortaliter peccare *arg.c.error.*83.*diſt.*teneri etiam ad reſtitutionem tradit Rod. *hic num.*46.

6. Obſerua ſecũdò,in memoratis caſibus teneri eũ,qui lucratus eſt,reſtituere ante condemnationem. Hinc, qui ludo acquiſierũt aliquid à perſonis,quæ non poterant rem alienare, cuiuſmodi ſunt filiusfamilias inſcio patre, vel vxor inſcio marito ex bonis eiuſdẽ mariti, vel ſeruus inſcio domino, vel Monachus, aut furioſus, & eiuſmodi alij, tenentur quidẽ ad reſtitutionem ante condẽnationẽ, & è contra,ſi iſti lucrẽtur,tenentur ſimiliter reſtituere, ſicut enim non poſsũt perdere,ſic nec lucrari.ita Tolet. *ſum.lib.*5.*cap.*27.*n.*4.& tenet Rod. *n.*35. vbi hanc poſteriorem partem probat ex Soto *lib.*4.*de iuſt.q.*5.*art.*2.Caſtr.*lib.*2.*de leg.pœn.c.*2.*n.*260. & Alcoc. *de lud.c.*16. limitat tamen,niſi is,cui licebat ludere, præſciuit eum, cum quo ludebat, eſſe incapacem alienandi; tunc enim talis incapax non tenetur reddere, quæ ludo

acquiſi-

Digitized by Google

acquiſiuit, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria; filio aut familias, & aliis ſupra relatis, quamuis interdicta ſit alienatio, non tamen receptio eorum, quæ eiſdem ſponte conſignantur, ita Angl. *in 4. quæſt. de reſtit. vbi de ludo, dub.* 1. quem ſequitur Rodr. ibidem.

Dvbivm XIV.

An locum habeat compoſitio in bonis per fictionem acquiſitis; nec non in damnis ex venatione factis.

1. Reſpondeo affirmatiue; habet enim locum primò, quando quis fingens ſe habere, & eſſe, quod non eſt, acquiſiuit aliquid, ac ſi reuera haberet illud, quod fingebat. Vt quando quis ob ſimulatam ſanctitatem acquiſiuit officium, vel beneficium, quia probabile eſt, illum teneri ad reſtitutionem eorum, quæ ſic acquiſiuit, vt docet Alenſ. 4. *p. quæſt.* 86. *memb.* 3. Altiſiodor. *lib.* 4. *c. de reſtit.* Adrian. *in mater. de reſtitutione, fol.* 149. Verum tamen eſt, oppoſitum eſſe probabilius, teſte Sot. *quæſt. de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 3. *ad* 4. & Angl. *verb. reſtitutio.* § 80. quia tales dignitates dantur abſolute, & ſine conditione, datur tamen compoſitio ratione dubij.

2. Secundò habet locum compoſitio, cum quis fingens ſe eſſe pauperem, aliqua bona eſt conſecutus, de quibus ait Bulla, quod poſſunt componi, ſi tamen ignoretur verus dominus, cui erat facienda reſtitutio. In quo caſu, non dubito, quin teneantur tales pauperes ficti ad reſtitutionem, vt docent Caiet. *ver. reſtitutio in fin. &* 2. 2. *q.* 187. *art.* 5. Med. *de reſtit. q.* 24. *ad* 5. Sylu. *reſtit.* 3. §. 10. Adrian. & Angel. *vbi ſupra*, nec non Rodr. *in Bulla, n.* 50. & probat Nau. cõtra Sotum *cap.* 17. *n.* 207. quia nemini debet fraus patrocinari. Scio contrarium docere Sotum *loco citato*, Angel. *ver. reſtitutio* §. 8. Medi. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 35. Nau. *apolog. de reddit. quæſt.* 1. *monit.* 34. *& q.* 2. *monit.* 25. *n.* 1. & alios, quos refert, & ſequitur Henriq. dicens ex ſententia horum Doctorũ, quod ſi quis diues paupertatem ſimulans à multis accepit tenues eleemoſynas, non tenetur reſtituere. Sed reuera eadem eſt ratio de eleemoſyna tenui, & magna, quantum attinet ad obligationem reſtituendi, de quo alibi eſt diſſerendum. Ita Rod. *in Bulla, n.* 49. & Villalob. *n.* 31. Tales tamen pauperes ficti non tenentur reſtituere dantibus, ſed pauperibus, vt tenent præcitati Doctores, quia dantes iam à ſe abſtulerunt dominium illorum bonorum abiicientes illa in pauperes. Nec obſtat, quod dicitur in Bulla, illa reſtituenda eſſe dantibus, quia forte illa verba addidit Commiſſarius ſecutus Sotum, qui dicit, quod ſi iſti tenerentur ad reſtitutionem, illa eſſet facienda dantibus, & non pauperibus.

3. Cæterum, varij, & multiplices ſunt modi, quibus in venatione damnum inferri poteſt dominis, de quibus videndi ſunt Sotus 4. *de Iuſtitia, q.* 5. *art.* 4. Cord. *ſum. caſ.* 121. Med. *de reſtitutione, q.* 12. Henriq. *lib.* 7. *c.* 36. §. 7. Emman. *vbi ſupra, n.* 52. & late DD. in materia de reſtitutione. Pro nunc ſatis ſit in vniuerſali dicere, quod quando aliquis quocunque iſtorum modorum damnum intulit, & domini ignorantur, locum habet hæc compoſitio. Et idem dicendum eſt de damno illato ſegetibus, quod cuſtos ſinit gregem paſcere ſegetes, aut vineas. Idem etiam de tabernariis, & aliis ſimilibus negociatoribus, qui vini menſuram decurtant, aut lymphatum vinum pro mero vendunt: In iis enim, & ſimilibus caſibus locum habet hæc compoſitio. Et ad hæc reducuntur alij caſus eiuſdem Bullæ, quos conſulto omiſi, quia vel nullam habent difficultatem, vel ex ſupra dictis ſatis conſtat eorum reſolutio.

Dvbivm

Digitized by Google

DVBIVM XV.

Vtrùm quis teneatur ſub mortali reddere res inuentas, quas vocant, Moſtrencos: *aut alia bona incerta, Ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, aut Sanctiſsimæ Trinitatis.*

1. DE hac difficultate nihil differunt Doctores: non tamen deſunt moderni quidam, quos ego conſului, negatiuam partam tenentes, quorum ſententia probari poteſt.

2. Primò, quia inuentor alicuius rei, facta ſufficienti inquiſitione veri domini, vel hæredum illius, ſi ille non inuenitur, poteſt licitè rem illam detinere, & conſumere. ergo neutri illorum Ordinum tenetur ea in conſcientia reddere. Conſequentia eſt nota, & antecedens docent Sylu. *verb. inuentum q.*1. Nauar. *c.*17. *num.* 170. Sot. 5. *de iuſt. q.*3. *art.*3. Med. *in ſum. fol.* 168. Ledeſ. 2. *p.*41. *q.*1. *art.*5. *fol.*266. Aragon. 2.2. *q.*62. *art.*5. *fol.* 258.. Mercado *c.*5. *verſ. de los hallazgos*, Ludou. Lop. *p.*2. *c.*2. & latè Sarmiento *in* 6 *ſelectar. c.*10. quem ex profeſſo ſequitur Nau. *lib.*4. *c.* 2. *n.*75. & probatur, tum ex doctrina Diui Thomæ 2.2. *q.*6. *art.*5. *ad* 2. vbi ait, quòd ſi res ſit iam pro derelicta, & hoc credat inuentor, non committit furtum, licèt ſibi retineat; ſed ſic eſt, quòd res inuēta, cuius dominus penitus ignoratur, & aliæ, quæ dicuntur Hiſpanè *Moſtrenco*, habentur pro derelicto, vel quaſi; ergo retinens ſibi illas, facta ſufficienti inquiſitione, non committit furtum. Tū, quia in eo caſu, cùm res illa cenſeatur deſerta, & abſque vllo domino (nam proinde ſe habet, moraliter loquendo, habere dominum ignotum, ac nullum) conſequens eſt, talem rem cenſendam eſſe reduci ad priſtinum ſtatum, antequā ab aliquo occuparetur, atque adeò ſit iure gentium primò occupantis; non minus, quàm theſaurus inuentus in mineralibus, licèt reuera habeat dominum: nam, vt habet regula Iuriſtarum, quæ in nullius bonis ſunt, primò occupantis fiunt. Tum quia res inuenta non debetur iure naturę pauperibus, vt multi perperam contendunt; aliàs compoſitio, quam concedit Papa circa res inuentas, eſſet contra ius naturæ, quod tamen dicere, eſt abſurdum, & periculoſum.

3. Nec obſtat dicere cum aliis, quòd debet illas reſtituere non iure naturali, ſed poſitiuo, tam regali, quàm Pontificio: nam leges Regni infrà citandę, quæ prohibent huiuſmodi retentionem, intelligendæ ſunt in foro exteriori, & poſt condemnationem iudicis, vt adnotat Nau. *vbi ſuprà.* Canones etiam loquuntur de rebus inuentis, quarum domini ſciri poſſunt, & non ſit diligens eorum inquiſitio: tunc enim verum eſt illud, quod ex D. Auguſtino, & D. Hieronymo refertur *c. ſi quod, & cap. multi.* 14. *q.*5. Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti. & illud, Peccatum rapinæ ſimile eſt, ſi quis inuenta non reddat.

4. Nec obſtat ſimiliter dicere, quòd iam talia bona debentur Ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, vel ſanctiſſimæ Trinitatis ex ſpeciali conceſſione Pontificum, & Regum. nam Pontifex non transfert in prædictos Ordines aliud ius, quàm id, quod Reges Hiſpaniæ habebant ad prædicta bona. Illo autem iure non obſtāte eſt probabile, iuxta prædictorum Doctorum ſententiam, quòd qui occultè aliquid tenet ex huiuſmodi inuētis, non tenetur reſtituere Regi ante condemnationis ſententiam. ergo neque etiam ante talem condemnationem tenebitur id reſtituere alicui prædictorum Ordinum. Et eadem ratione cenſuræ, quas eorum Fratres publicant ad compellendam reſtitutionem huiuſ-

modi bonorum incertorum, non obligabũt quouſque quis condemnetur, vel ei probetur, retinere tali bona, quod ita dicendum eſſe docet Enriq. *lib.7.c.36.* §.5. vbi ait, quòd inuentor illorum, ſi occultus ſit, poteſt ille expendere de conſilio Epiſcopi, aut de illis ſe componere tuta conſcientia, ex quo apertè colligitur, illum non teneri ad reſpondendum prædictis cenſuris.

Secundò, quia, ſi qua ratione, & titulo deberent reſtitui illa bona Fratribus prædictorum Ordinum, maximè propter conceſſionem Pontificum, qui per literas Apoſtolicas eis applicauerunt prædicta bona, vel propter conceſſionem Regum illis factam: non ratione huius, quia ex conceſſione Regis non amplius illis debetur, quàm Regi debebatur: Regi autem nemo tenetur præſentare rem inuentam, cuius dominum non inuenit, ſed poteſt tuta conſcientia ſibi reſeruare, cùm antequam petatur, non teneatur eam reddere; ſicut non tenetur, iuxta probabilitem aliquorum opinionem, reddere gabellam, niſi petatur, quod Hiſpanè dicitur *Alcauala*: nec reddere tributum pro tranſuectione merciũ vnius Regni in aliud, niſi petatur, vt docet Nauar. *c.23.n.60.* Sylu. *gabella 3.§.8.num.21.* Angel. *Pedagium.§.1.& vectigal.* §.6. Socin. *reg.*208. *verb.Gabella.* Caiet. *ver.vectigal.* Parlad. *lib.rer.quotidian. c.3. num.* 13. Med. 1. 2. *q.96.art.6.* ergo nec tenebitur illud dare alicui prædictorũ Ordinum. Quòd autem nec ad id teneatur, propter conceſſionem Pontificum, patet, tum quia Summus Pontifex in ea cõceſſione non confirmat illis aliud ius, quàm quod Rex trãsfert in illos. ergo ſi regale priuilegium non obligat ad reſtitutionem, itaut ratione illius teneretur quis reſtituere Regi rem inuentam, quam occultè retinet; neque etiam Apoſtolicum indultum ad id obligabit. Tum quia Papa in ea conceſſione nihil eis donat. Nã cùm Rex Hiſpaniæ ſit dominus prædictorum, & eiuſdẽ rei repugnet eſſe duplicem dominum in ſolidum, conſequens ſit, Papam non eſſe dominum eorum, immò nec diſpenſatorem, cùm diſpenſatio apud eorundem dominum reſideat. Quare Pontificum conceſſio in hac parte ſolùm eſt confirmatio, ſeu, vt propriùs dicam, approbatio regalium priuilegiorum antea illis conceſſorum.

5. Tertiò, quia Summus Pontifex concedit in Bulla compoſitionis facultatem vt quis poſſit ſe componere circa bona quoquomodo inuenta, quorum domini ignorantur, vt patet ex verbis eiuſdẽ Bullæ, dũ ait: ***De qualeſquier coſas malganadas, o malauidas, o mal ad queridas, tomadas, o halladas.*** ergo nullus tenetur reſtituere talia bona alicui prædictorum Ordinum, ſed poterit accipere Bullam, & gaudere beneficio compoſitionis, aliàs ſi ſub mortali teneretur illis facere reſtitutionem, nemo poſſet licitè gaudere prædicta Bulla in finem compoſitionis talium bonorum, & conſequẽter priuilegium compoſitionis eſſet nullum, immò & turpe, cùm nemo poſſet eo vti abſque peccato iniuſtitiæ.

6. Quartò, quia vt minimum vnuſquiſque ſe poteſt conformare opinioni probabili; ſed eſt probabile, non teneri inuentorem prædictorum bonorum ea reſtituere Fratribus præfatorum Ordinum. ergo tuta conſcientia poteſt id omittere; immò & ea ſibi retinere poſt factam diligentem inquiſitionem veri domini, & hæredum illius. Conſequentia cum maiori eſt nota; & minor probatur primò, quia hæc opinio habet pro ſe non infirmas rationes, vt conſtat ex ſupradictis. Habet etiam graues DD. nam illam docet Henriq. *lib.7.c.36.§.7.* dum ait, detentorem tuta conſcientia poſſe prædicta bona expendere in alia opera pia, aut de illis ſe componere. Tenuit

Digitized by Google

nuit etiam illam D. Martin. Societatis IESV, antiquiſſimus ſacræ Theologiæ Lector, 2.2.q.66.art.5.dub.3. vbi hanc ſtatuit concluſionem. Attendendæ ſunt leges particulares noſtri Regni, quæ quantum ad res *Moſtrencas*, id eſt, ſenſibiles, non concedunt facultatem, vt ſtatim inuentor poſſit eas ſibi appropriare, ſed debet priùs per 14. mēſes facere certas diligentias, vt patet ex *l. 1. tit. 12. lib. 6. ordinamenti adiuncta l. 2. tit. 13. lib. 4. fori regalis.* At verò, quantum ad alias res inuentas, ſcilicet inanimatas, vniuerſaliter eſt vera ſecunda opinio, aſſerens inuentorem poſſe in conſcientia appropriare ſibi res inuentas, facta ſufficienti diligentia, vt dominus earum inueniri poſſit; nec in hoc eſt aliquis ſcrupulus. Hæc ille. Ergo hæc ſententia eſt probabilis, cùm ad probabilitatem nihil aliud deſiderari poſſit, quàm rationum congruentia, & Doctorum auctoritas.

7. Verùm his non obſtantibus, reſpondeo dicendum, inuentorem prædictorum bonorum incertorum, non ſolùm ſenſibilium, quæ *Moſtrenca* vocantur, ſed etiam inanimatorum, teneri de facto ſub mortali ea reddere alteri ex prædictis Ordinibus ſanctæ Mariæ de Mercede, vel ſanctiſſimæ Trinitatis. Pro hac ſententia nullum inuenio Doctorem, non quia omnes contrarium teneant, ſed quia nullus, quem ego viderim, eam tangit, excepto Henriq. *vbi ſuprà*, qui nonnihil de ea loquitur; ſed probatur

8. Primò, quia Reges tranſtulerunt in prædictos Ordines totum ius, quod ex legibus ciuilibus habebant ad prædicta bona, vt conſtat ex eorum priuilegiis, & ſpecialiter ex conceſſis Ordinis ſanctæ Mariæ de Mercede ab Henriquo II. vbi non ſolùm concedit illis bona ſenſibilia, quæ dicuntur *Moſtrenca*; ſed quæ Hiſpanè dicuntur *muebles, y raiçes*, dummodo eorum domini non inueniantur. quod priuilegium confirmarunt non ſolùm ſequentes Reges vſque ad Philippum II. qui illud confirmauit Pinciæ anno 1559. die 18. Maij, ſed & Pontifices etiam, Leo X. Sixtus IV. Martinus IV. & Nicolaus V. Sixtus V. & Gregorius XIII. anno 1582. teſte Henriq. *vbi ſuprà*, & patet ex literis Apoſtolicis, quas nos perlegimus, & apud prædictos Patres habentur: ſed hæc donatio facta eſt illis in bonum publicum redemptionis captiuorum. Ergo non poteſt licitè inuentor retinere ſibi talia bona, aliàs defraudaret in re graui, & notabili prædictam redemptionem captiuorum.

9. Nec obſtat, ſi dicas, nullam fraudem ibi committi, quia ſi res eſt occulta, non tenetur illam tradere, quouſque petatur. hoc (inquam) non obſtat, quia eam publicè petunt prędicti Fratres per grauiſſimas cenſuras, quas ad id publicare faciunt. Illud autem, quod *ſuprà* dicit Henriq. nimirum, quòd non tenetur quis reddere rem inuentam, niſi vno teſte probetur eam retinere, gratis, & abſque vlla ratione dicitur; nec aliquo iure ciuili, aut canonico fulcitur: nam communis DD. ſententia obligat ſub mortali reddere gabellam, ſaltem ſi petatur: nec vllus vnquam dixit, opus eſſe, ad inducendam prædictam obligationem, id probare vno teſte. Ergo ſimiliter in propoſito.

10. Secundò, quia ſub grauiſſimis cenſuris iubentur inuentores prędictorum bonorum ea reſtituere alicui prædictorū Ordinum. Eſt enim inter illos locus præuentioni, ſicut ſolet eſſe in cauſa mixti fori. Ergo obligat talis reſtitutio ſub mortali. Antecedēs patet ex Paulinis, quas prædicti Fratres obtinēt à Nuncio Apoſtolico Hiſpanię, quarum alteram ego perlegi, datam à D. Camillo Caietano Patriarcha Alexandrino,

no,& Nuncio Apoſtolico, & Delegato à latere, vbi excommunicat excommunicatione maiori latæ ſententiæ omnes occultantes prædicta bona, non ſolùm inuenta, ſed incerta, & quoquo modo pertinentia ad redemptionem captiuorum, ſi intra nouem dies ab eius publicatione non manifeſtauerint illa. Nec poteſt apparenter dici, non obligare prædictas cenſuras, niſi poſt iudicis ſententiam, aut poſtquam fuerit ei probatum, retinere prædicta bona: nam ibi excommunicantur occultantes illa; occultatio autem præcedit tam probationem, quàm ſententiam condemnationis; & licèt prædicta excommunicatio iniuſta eſſet, quod abſque temeritate dici non poteſt, tamen id non conſtat; & ſententia iudicis iuſta, vel iniuſta timenda eſt. Ergo nullus tuta conſcientia poteſt non reſpondere prædictis Paulinis.

11. Tertiò, quia reliqua bona, quæ prædictis Ordinibus, ad effectum redemptionis debentur iure, iuxta priuilegia Apoſtolica, & regalia, inuiolatè ſeruantur. Vnde ſemper in teſtamentis mos eſt Tabellionum dicere: *Item mando à la Merced y Trinidad, parà ayuda de la Redempcion de cautiuos, tantos marauedis, & ſeptimas Hiſpaniæ*, quæ dicuntur conſuetæ obligatoriæ, & ordinariè ſunt triginta quinquæ diponpondia; ex quibus, vt tradit Henriq. *vbi ſuprà*, decem dantur Mercedi, quindecim Trinitati, quinque Eccleſiæ maiori, & alia quinque Petro Antonio, aut Lazaro. Et prædictis etiam fratribus adiudicatur quinta pars bonorum morientis ab inteſtato abſque hærede intra quartum gradum; deducto tamen eo quod pro anima datur. Bona etiam naufragorũ, quæ reperiũtur in mari, ſeu flumine, abſque certo domino, & alia ſimilia, obſeruantur. Ergo ſimiliter obſeruare debent priuilegia adiudicantia illis prædicta bona. Patet conſequentia à ſimili: nam ſi Rex illa bona inuenta, quæ ad ſe iure ciuili pertinebant, alicui conduxiſſet, vnuſquiſque deberet ea reſtituere tali conductori, quod Hiſpanè dicitur *Moſtrencos*, aliàs defraudaret illum bonis ad ſe pertinentibus. Ergo tenetur modò illa tradere alicui prædictorum Ordinum, cùm illis fuerint adiudicata per Regem.

12. Quartò, quia cùm Rex, totum ius, quod in ea bona habebat, donauerit prædictis Ordinibus, conſequens eſt, eandem obligationem habere modò inuentorem reſpectu prædictorum Ordinum, quam habebat reſpectu Regis: ſed talis tenebatur in conſcientia rem inuentam, ſecluſa alia probatione, aut iudicis ſentẽtia, præſentare Regi, aut eius miniſtro. Ergo etiam modò tenetur illam in conſcientia reddere prædictis Fratribus, ante aliquam probationem, aut iudicis ſententiam. Maior cum conſequentia eſt nota, & minor probatur. Primò, quia ita præcipitur *lib. 6. recopilationis, titulo* 13. *lib.* 6. *&* 7. vbi habentur hæc verba, *y mandamos, que el miſmo dia, que fuere hallada, la notifique el que la hallare ante el eſcriuano del Conſejo del dicho lugar.* Ecce legem humanam directiuam, & per verbum, *præcipimus*; quam ſub mortali obligare tenet communis DD. contra Nauarr. *cap.* 23. *num.* 55. 64. *&* 65. & ita etiam docent Caſtro 1. *de leg. pœna. cap.* 9. citans pro ſe Caiet. Sylu. & Ang. *verb. Inobedientia. in fin.* Dried. *de libertate Chriſtiana cap.* 2. *part.* 3. Sot. 1. *de iuſtit. q.* 6. *art.* 5. Adrian. *quolib.* 6. Ledeſm. 2. *part.* 4. *q.* 17. *art.* 1. Couar. *reg. Peccatum,* 2. *part.* §. 4. *&* 5. Caiet. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2 *ad* 2. Victor. *ibidem*, & D. Thom. 1. 2. *q.* 87. *art.* 7. *& q.* 108. *art.* 4. & tandem communis Doctorum reſolutio eſt, quòd quantum ad prædicta bona ſeruandæ ſunt in conſcientia

ſcientia leges Regni,quæ de hoc diſponunt,& applicant,vt notarunt Medi. *in ſum.fol.* 168. & Couar. *reg. Peccatum p.*3. §.1.*num.*5.pro quo affert *l.*1.*tit.*12.*lib.*6. *Ordinamenti,& l.*2.*tit.*13.*lib.*4.*fori.*

13. Vltimò, quia non eſt veriſimile, prædictos Patres, aliàs doctos, & religioſos, velle per cenſuras extorquere huiuſmodi res inuentas, ſi aliàs ex iuſtitia eis non deberentur ante ſententiam iudicis, nec auderent id prædicare,diuulgantes ſub excommunicatione latæ ſententiæ teneri huiuſmodi rerum inuentores, eas illis præſentare. Hoc enim eſſet illaqueare conſcientias, illi autem ad inquirendum verum illius rei dominum, faciunt rem voce præconis publicè proclamari, & ſi dominus compareat, reddunt illam ei, deductis expenſis, ſi quæ factæ ſunt in cuſtodienda re. Quòd ſi diligenter quæſitus dominus intra annum, & diem non compareat, applicatur in redemptionem captiuorum. Ad hæc autem bona colligenda habent prædicti Monachi in oppidis ſæcularem quendam,quem vocant Fratrem, & Syndicum quibuſdam priuilegiis gaudentem, cui incumbit *Moſtrenca*, & alia inuenta retinere in depoſito, & colligere legata, aut quæ voto, vel alia ratione mandata ſunt in redemptionem captiuorum.

14. Ad primum,quicquid ſit de illa opinione, cuius tamen contraria eſt communis Doctorum ſententia cum D.Thoma 2. 2. *q.* 66.*art.*5. *ad* 2. Palud. *in* 4. *d.*15.*q.*2. Ricard.*ibi.art.*5.*q.*7.Sylu. *ver.inuentum q.*1.*dicto* 1.*&* 2.Ang.*q. vltima.* D. Anton.2.*p.tit.*10.*c.*15.§.2.Caiet. *in ſum.ver.furtũ,ad fin.& in d.q.* 66.*art.*5. *ad* 2. Couar. *reg.peccatum.*3.*p.*§.1.*num.*1. Nauar. *c.*17. *num.* 171. Mercad. *tract.de reſtit.c.*15. *verſ.el quinto.*2.*p. q. de reſtitut. difficul.* 16. qui omnes aſſerunt, prædicta bona eſſe ſub mortali reſtituenda pauperibus.Ex qua communi DD. ſententia elici poteſt ſatis firma ratio pro noſtra opinione. Nam Papa,vt vniuerſalis adminiſtrator bonorum, quæ ſunt obnoxia conſcientiæ,applicat prædicta bona inuenta redemptioni captiuorum, qui ſunt valde pauperes; ergo tenetur eorum inuentor ſub mortali, ea applicare in hunc finem.

15. Ad argumẽtum ergo reſpondeo, quòd eſto illa opinio eſſet vera, ſtando in ſolo iure naturali, tamen ſtando in iure Pontificio, & regali præcipiente illa dari prædictis Fratribus, non poſſunt eorum inuentores ſibi retinere,aut in alios pios vſus Eccleſiæ ea expendere;neque hoc eſt aduerſari iuri naturali, quin potiùs ratio naturalis dictat, vt, Papa illa applicante in vſus boni communis, quod ſecundùm rectam rationem præferendum eſt particulari,nemo adquirat ius ad ea,præter illum, cui facta eſt applicatio.

16. Ad reliqua verò, quæ contra obligationem faciendi reſtitutionem prædictis Ordinibus, obiiciuntur, ſatis patet ex probatione ſecundæ noſtræ ſententiæ, vbi oſtenſum eſt, prædictas leges obligare ſub mortali ad præſentandum ſtatim inuenta, de quo latiùs in materia de legibus.

17. Ad ſecundum reſpondeo, quòd quamuis nihil donaret Pontifex,ſed ſolùm confirmaret donata à Regibus; ſola donatio Regum eſſet titulus ſufficiens, vt prædicta bona eis deberentur, antequam peterentur:nec eſt eadem ratio de gabella,vel alcabala, quia de hac nulla lex extat, quæ præcipiat illam dare,antequam petatur; ſecus verò de huiuſmodi bonis,quorum inuẽtores obligant leges Regni ſuprà allatæ, ad præſentandum ſtatim bona ſic inuenta iudici,aut ſcribæ.

18. Ad tertium, quod vehementer vrget,reſpondeo,

Primò, Bullam Compoſitionis non

velle, Pontifices circa inuenta habere locum in locis, vbi fieri poteſt reſtitutio prædictis Fratribus, aliàs inane prorſus eſſet priuilegium eorundem Pōtificum concedentium illa bona prædictis Fratribus in redemptionem captiuorum: quia quiſque poterit dicere, ſe nolle aliquid reſtituere, ſed ſe componere, vt ſic magnam partem rei inuentæ ſibi retineat. Habet tamē locum prædicta compoſitio circa inuenta in multis partibus Regnorum Philippi, in quibus non ſunt prædicti Fratres, & ex quibus talia bona ad eos tranſmitti non poſſunt.

Secundò breuiùs, & fortè meliùs, reſpōdeo in Bulla ſolùm concedi compoſitionem circa inuenta, dummodo nō apparuerit, ad quem illa pertineant, aut cui legitimè reſtitui poſſint. Ex quo fit, quòd cùm talia bona iam ex iure Pontificio, & regali pertineant ad alterum prædictorum Ordinum, qui potuerit commodè illis ea reſtituere, non poterit ſe componere; ſecus verò, ſi talis reſtitutio fieri non poſſit illis, quia ſunt multum diſtantes; tunc enim locum habebit beneficium Compoſitionis.

19. Ad quartum, & vltimum, negatur minor, quia in rebus moralibus non debet cenſeri aliquid practicè probabile, quod vno Doctore, vel altero fulcitur, maximè cùm communis Doctorum ſententia eſt in contrarium. & ita contingit hîc, vt ànnotauimus *in ſolutione ad* 1. vide *ibi*.

DVBIVM XVI.

An Bulla Compoſitionis ſuffragetur etiam illi, qui ingentem pecuniæ ſummam à diuerſis accepit in ſtipendium pro Miſſis celebrandis.

1. RAtio dubitandi eſt, primò, quia ſiue Miſſæ huiuſmodi celebrandæ ſint pro viuis, ſiue pro defunctis, euenire poteſt quòd ſint incogniti, & conſequenter incerti ij, pro quibus ſacrificium Miſſæ applicandum eſt: virtute autem dictæ Bullæ conceditur facultas compoſitionem faciendi de bonis incertis.

2. Secundò, quia valor Miſſæ eſt infiniti valoris, vt tenent DD. infrà citandi: igitur vnico Miſſæ ſacrificio poteſt quis pro multis ſtipendiis ſatisfacere; & conſequenter poterit à fortiori quis virtute Bullæ ſe componere de ſtipendiis acceptis.

3. Tertiò, quia multi DD. ſtatim allegandi cenſent poſſe Sacerdotem pro vna Miſſa tot ſtipendia accipere, quot ad eius diurnam ſuſtentationem ſufficiant, imò ſentiunt aliqui poſſe etiam àccipere ad emendos aliquos libros iuxta ſui profeſſionem neceſſarios. Addunt alij poſſe inſuper accipere id, quod pro honeſta patris, ac matris ſuę ſuſtentatione præcisè requiri agnouerint, dum tali neceſſitate premuntur, vt non niſi mendicando ſuſtentari queant; ſicut enim Sacerdotem mendicare non decet, ita nec illius parentes, quos potiùs tenetur Sacerdos domi ſuæ habere, & de neceſſariis ad victum prouidere. Ita Nugnus *in* 3. *p. tom.* 1. *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *concl.* 4. & Orellana apud Vegam, *ſum. tom.* 2. *c.* 41. *caſu* 1. hinc autem conſtat celebratione vnius Miſſæ poſſe pro pluribus ſtipendiis ſatisfacere: ac ſubinde faciliùs idem poterit virtute Bullæ.

4. Propoſita difficultas petit celebrem illam, & ſatis controuerſam quæſtionem, num fructus ſacrificij Miſſæ ſit infinitus. Pro cuius explicatione

5. Nota primò triplicem conſiderari Miſſæ fructum, iuxta doctrinam Scoti *quolib.* 20. *art.* 2. & 3. nempe generalem, ſpecialem, & medium. Ita etiam Adrian. *quolib.* 8. *art.* 3. Gabr. *in can. Miſſæ lect.* 26. & 27. Sot. *de iuſt. lib.* 9. *q.* 2. *art.* 2. Couar. *cap. Alma mater. p.* 1. §. 5. *num.* 5. Med.

Cod.

Digitized by Google

Cod.de orat. tract.6.q.20. Nauarr. *in cap. quando, de conſecr. diſt.1. notab.20.n.81.* Cord. *in quæſt.lib.1.q.3.notab.3.* & communiter omnes. *Generalis* eſt, quem Eccleſia intendit per Sacerdotem applicari Papæ, Imperatori, Epiſcopo, & cæteris Chriſti fidelibus, atque adeò nequit Sacerdos fructum iſtum ſibi tantùm alterive, etiam ſtipendium pro Miſſa eroganti applicare, cùm ex communi Eccleſiæ lege ſit omnibus debitus, ſed de hoc agendum erit *infrà dub. 3. appendici. Specialis* eſt, quo ſolus Sacerdos, vt priuata perſona gaudet, dum celebrat, itaut nec Miſſam pro ſtipendio petenti teneatur ipſe iure aliquo eum applicare; tum quia fructus iſte proprius, & perſonalis eſt. Tum quia ſi Sacerdos in mortali celebret, nullum inde percipit fructum; obligationi tamen ſatisfacere poſſe tenet communis DD. *Medius* autem eſt is, qui Sacerdoti cōmittitur applicandus illis, pro quibus ſacrum celebrat, & offert; ſatiſque deducitur ex vſu Eccleſiæ, quæ pro viuis, & defunctis, pro ſalute, & itinere, ac aliis eiuſmodi, Miſſas inſtituit. Vnde cùm applicatio iſta non ſit ſpecialis, id eſt, pro Sacerdote celebrante, vt conſtat, nec generalis, alioquin enim fruſtrà ab Eccleſia eſſent peculiares Miſſarum applicationes inſtitutæ, conſequēter medius fructus dicendus eſt; & valet tum ad ea, quæ homo ex merito cōgrui ſibi, vel aliis mereri poteſt; tum ad pœnarum ſatisfactionem pro peccatis. Ita ex Cord. *vbi ſuprà*, tenet Arag. *de iuſt. q.8. de ſacrif. art.3.*

6. Secundò nota Miſſæ ſacrificium eſſe meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium.

Eſt in primis meritorium, quia iuſtis viatoribus gratiæ augmentum obtinet, dum ſpecialia Dei auxilia illis impetrat, quibus ipſi bona opera præſtant, ac ſubinde maiorem gratiam conſequuntur. Fateor itaque ſacrificium Miſſæ non conferre alicui immediatè gratiam iuſtificantem, eiúſve augmentum. eſt ferè communis, & tradit Suar. *tom.3. in 3.p. diſp. 79. ſect. 4.* quippe non videtur decere, vt aliquis, præſertim rationis compos, iuſtificetur, aut creſcat in gratia, non ſolùm abſque vllo omnimo ſuo actu, ſed etiam abſque vllius Sacramenti ſuſceptione, per meram, & ſolam extrinſecam ſacrificij applicationem. tum quia de hoc non videtur poſſe vlla ratione affirmari, quòd poſt hanc vitam recipiet prout geſſit in corpore ſuo. tum quia aliàs, qui vix vnquam aliquid boni egiſſet, poſſet alios, qui in vinea Domini multum inſudaſſent, ſanctitate, & gloria ſuperare, ſi multa ſacra pro eo celebrarentur, quod eſt valde abſurdum. Miſſæ igitur ſacrificium dicitur meritorium, quia gratiæ augmentum obtinet mediantibus gratiis præuenientibus, vt dictum eſt.

7. Eſt etiam ſatisfactorium, operatur namque in viris iuſtis remiſſionem pœnæ temporalis, quæ reſtat poſt remiſſam iam culpam. eſt ferè cōmunis DD. & probatur, quia cùm huiuſmodi effectus non requirat actualem diſpoſitionem in ſuſcipiente, aptiſſimus videtur, vt per cauſam merè extrinſecam alicui conferatur.

Denique eſt impetratorium, valet enim ad quæuis beneficia mediatè, vel immedatè impetranda, quæ ratione aliqua ad ſalutem animæ promerendam ſpectant. Ita Coninch. *q. 83. art. 1. dub. 8. num. 142.* & conſtat ex eo, quia oratio ad hæc impetranda eſt quidem efficaciſſima: ſacrificium autem eſt orationis genus præſtantiſſimum, quod nobis eo etiam fine Chriſtus Dominus inſtituit, vt per gratiſſimæ illius hoſtiæ oblationem, & ſacrificij cruenti repræſentationem faciliùs omnia à Deo impetremus.

8. Tertiò nota ex Suar. *tom. 3. in 3. p. diſp.*

Digitized by Google

p. diſp. 79. *ſect.* 11. *ante* 1. *concluſ.* diſtinguẽdum eſſe in hoc ſacrificio valorem operis ab effectu: valor enim ſignificat dignitatem moralem, quam oblatio habet, vt ipſa ſufficere queat ad meritum, ſatifactionẽ, vel impetrationem, ſi iuxta diuinam ordinationem ad aliquid horum referatur: effectus autem eſt id quod de facto datur, datíve poteſt ob talem oblationem, iuxta Chriſti inſtitutionem; hîc enim agimus de effectu ex opere operato. Atque huiuſmodi effectus dupliciter poteſt eſſe infinitus, intenſiuè nimirum, vt ſi alicui remittatur pœna infinita, aut conferatur infinita gratia; vel extenſiuè, vt ſi infinitis hominibus ſingulis pœna finita remittatur. Rurſus effectus iſte vtroque modo conſideratus dupliciter poteſt adhuc dici infinitus.

Primò quaſi in actu primo, ita videlicet, vt hoc ſacrificium quantum eſt ex parte ſua, & Chriſti inſtitutione, habeat ſufficientem vim ad producendos eiuſmodi effectus, ſi ſufficienter applicaretur.

Secundò, quaſi in actu ſecundo, ita ſcilicet vt de facto producat aliquando effectum infinitum, & hunc ſecundum ſenſum nemo vnquam intendit, nec intendere poteſt, niſi forſitan dicat, per ſacrificium iſtud remitti mediatè peccatum mortale, & pœnam æternã, quatenus contritionis gratiam impetrat, vt tradit Diu. Thom. *in* 4. *diſt.* 12. *cap.* 2. *art.* 2. Neque de hoc eſt præſens diſputatio, ſed de primo ſenſu, ac præſertim de effectu extenſiuè infinito. Hæc namque controuerſia à DD. agitatur, vt inquirant, vtrùm ſacrificium iſtud tanti ſit valoris, vt æquè proſit, ſi pro pluribus offeratur, ac ſi pro vno duntaxat; & cõſequenter an is, qui à pluribus accepit ſtipendium, vt pro ſingulis Miſſam celebret, ſatisfaciat ſemel pro omnibus celebrando.

9. Circa hanc difficultatem ſunt duæ opiniones inter ſe valde oppoſitæ. Prima affirmat hunc effectum eſſe infinitum intenſiuè, & conſequenter ſacrificium Miſſæ pro multis oblatum, tantum valere ſingulis, ac ſi pro vno duntaxat applicaretur. Ita Caiet. 3. *p.* *q.* 79. *art.* 5. *& opuſc. tom.* 2. *tract.* 3. *q.* 2. Sylu. *verb. Miſſa* 1. *q.* 9. Angel. *eod. tit.* *q.* 52. Armilla *ibidem num.* 33. Viguer. *in inſtitut. theolog. cap.* 16. §. 2. Canus *lib.* 12. *de locis, cap.* 13. *ad* 10. Cordub. *lib.* 1. *q.* 3. *opin.* 5 *concluſ.* 2. *&* 3. Petr. de Soto *lect.* 7. *de Euchar.* Petr. Nauar. *lib.* 2. *de reſtit. c.* 2. *num.* 268. Ludou. Beja *part.* 1. *reſponſ. caſu* 22. Arag. *de iuſt. q.* 85. *art.* 3. Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 230. *cap.* 3. & alij, quos refert Suar. *q.* 79. *ſect.* 11. & inclinat D. Thom. 3. *p. q.* 76. *art.* 5. apud Nauar. *ſum. cap* 25. *num.* 94. Ducuntur primò, quia ſacrificium iſtud eſt infinitum ex parte rei oblatæ, ac ſimiliter ex parte offerentis principalis, qui eſt Chriſtus. Neque obſtat quòd Sacerdos offerens ſit perſona finita, non enim offert in ſua, ſed in Chriſti perſona, atque ideo eius ſacrificium reputatur infiniti valoris, ſicut ſacrificium, vt inſinuat Chryſoſt. *homil.* 2. *ſuper* 2. *ad Timoth.* Secundò, quia ſacrificium Miſſæ eſt infinitum in repræſentando, & continendo virtutem paſſionis Chriſti, ideóque æſtimatur veluti organum continens in ſe totam ſacrificij Crucis virtutem, vt habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1.

10. Secunda opinio negat ſacrificium iſtud habere valorem, ſeu effectum infinitum intenſiuè; ac proinde cùm pro multis offertur, non tantum valere ſingulis, ac ſi pro vno ſolùm offerretur. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *queſtiunc.* 3. *ad* 2. D. Bonau. *ibid. art.* 2. *q.* 3. *ad vlt.* Richard. *art.* 2. *q.* 3. Palud. *q.* 2. Maior. etiam *q.* 2. Dur. *q.* 3. Scot. *quolibet.* 20. *art.* 1. *&* 3. Adrian. *quolib.* 8. *art.* 3. Gabr. *in can. lect.* 26. *&* 27. Sotus. *lib.* 9.

de

Digitized by Google

*de iuſt.q.2.art.2.concl.2.*Couar. *cap.Alma mater,1.p.§.5.n.5.& ſeqq.* Nau. *man. cap.25.n.92.* & 110. Medina *tract.de orat.q.*20.Angles *p.1.flor.theol.qq. in 4. ſent. q. de valore Miſſæ, art.2. concl.2.* Ioannes Arboreus *lib.2.Theoſophiæ, c.7.* Ioannes Senius *in concordia cap.*131. Azor. *p.2. inſtit.mor.lib.*10.*cap.*20. *q.*8. & 9. Tolet. *inſtruct.lib.2.cap.8.n.2.* Valent. *tom. 4. in 3.p. diſp. 6. q.11.punct.* 1. ſed præcipuè Bellarm. *tom. 2. controu. lib. 2. de Miſſa, cap.4.propoſit.4.*& Suar.*vbi ſuprà ſect.12. concl.*2.cum multis aliis,quos refert Fraxinellus *tract. de obligat. Sacerd. ſect. 3. prænot.4.§.1.n.2.*Ducuntur potiſſimum, quia eſto res oblata in hoc ſacrificio ſit infinita,ipſa tamē oblatio,in qua ſacrificij eſſentia conſiſtit,finita eſt,& ab offerente finito, cuiuſmodi eſt Sacerdos: igitur ſi pro multis offeratur, non ita prodeſt ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offerretur. Sit igitur

11. Prima concluſio. Hoc ſacrificium ex ſe,& ex natura ſua, tam ratione rei oblatæ, quàm principalis offerentis,qui eſt Chriſtus, habet valorem infinitum, ratione cuius ſi ſufficienter applicaretur, poſſet eſſe infinitè meritorium, & ſatisfactorium; de facto tamen nullam habet vim de nouo merendi, aut ſatisfaciendi, ſed ſolùm impetrandi.

12. Prima pars huius concluſionis probatur ex fundamento primæ ſententiæ. Nam etiam ſi ſacrificium hoc immediatè per os, & manus Sacerdotis offeratur, re vera tamen Chriſtus eſt, qui per illum offert, vel actualiter,vel myſticè,ſeu interpretatiuè, quod in rigore ſatis eſſet ad infinitatem in genere ſacrificij, ſaltem in ordine ad impetrationem.Cùm enim Sacerdos offert hoc ſacrificium, Pater æternus donum illud aſpiciens, non ſiſtit in Sacerdote, ſed in illo reſpicit perſonam filij ſui, quem repræſentat, ideóque acceptat puriſſimam illam oblationem, vt ſummè gratam, & acceptabilem ſibi: igitur ſub hac ratione ſacrificium iſtud in genere ſacrificij habet quandam infinitatem, non ſolùm ex parte rei oblatæ, ſed etiam ex parte offerentis, non minus quàm habuit ſacrificium, quod Chriſtus per ſe in cœna obtulit.

13. Secunda pars, id eſt, quòd ſi ſufficienter applicaretur, poſſet eſſe infinitè meritorium, & ſatisfactorium, probatur ex eo, quia hoc ſacrificium eſt idem prorſus,&eiuſdem dignitatis cum ſacrificio cœnæ, vt rectè Suar. *ſect. 11. dicto 1.* igitur ſicut ſacrificium cœnæ ſi ſufficienter fuiſſet applicatum pro infinitis, verbi gratia, animabus in purgatorio exiſtentibus, omnibus, ac ſingulis prodeſſet; ita de Miſſæ ſacrificio eſt etiam ſentiendum.Conſequentia patet,quoniam verba conſecrationis à Sacerdote prolata non ſunt minus efficacia ad myſterium perficiendum, quàm fuere prolata à Chriſto; quamuis enim Sacerdos non ſit realiter Chriſtus, eſt tamen myſticè Chriſtus, in cuius perſona loquitur, & vera profert eadem verba, quæ Chriſtus protulit:ergo & oblatio quatenus ab illo eſt, ſub hac ratione eſt æquè digna,ac eiuſdem valoris.

14. Tertia pars,id eſt,quòd de facto hoc ſacrificium nullam habet vim de nouo merendi,aut ſatisfaciendi, quatenus offertur in perſona Chriſti,probatur, quia vel offertur in perſona Chriſti, prout conſideratur iam Beatus in cœlo, & ſic cùm Chriſtus non ſit ampliùs in ſtatu merendi,aut ſatisfaciendi, non poteſt offerendo hoc ſacrificium ſatisfacere, aut mereri: nec refert ſi dicas Sacerdotem eſſe in ſtatu merendi; nam actio illa, vt ſic conſiderata, non reputatur eſſe ipſius Sacerdotis, ſed Chriſti. Vel ſecundò offertur in perſona Chriſti, prout conſideratur adhuc

viuens in terris, (quia cùm adhuc viator hoc ſacrificium inſtituerit, vt per Sacerdotes ſuo nomine offerretur, videtur offerri in perſona Chriſti, quatenus erat adhuc viator,) & hoc modo non habebit vim merendi, aut ſatisfaciendi diſtinctum ab ea, quam habebat illa Chriſti inſtitutio, ſiue volitio, qua ſacrificium hoc inſtituebat. Exemplo res fiet manifeſta. Nam ſi dominus præcipiat ſuo diſpenſatori, vt pecuniam aliquam pauperibus diſtribuat, & poſtea in ſomnum incidat, vel moriatur, atque interim diſpenſator eleemoſynam eroget; per illam donationem non plus merebitur, aut ſatisfaciet, quàm fuerit meritus per iuſſionem præcedentem. Ratio eſt, quia ad nouum meritum, ſeu ſatisfactionem requiritur noua libertas; hîc autem reſpectu domini non eſt noua libertas, imò nec noua actio, vt conſtat. Atque eadem eſt huius ſacrificij ratio reſpectu Chriſti viatoris ipſum inſtituentis, vt docet Coninch. *quaſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *num.* 180. qui ideo verius eſſe exiſtimat Sacerdotem ſuſtinere perſonam Chriſti, non prout conſideratur olim fuiſſe, ſed prout adhuc exiſtit; ſicut in perſona Chriſti adhuc exiſtentis profert conſecrationis formam. Et probatur, tum quia ſi Chriſtus omnino eſſe deſineret, forma eſſet falſa, nec Sacerdos per illam quidquam præſtaret. Tum etiam, quia corpus Chriſti tale ſub ſpeciebus ponitur, quale eſt in ſe. Vnde meritò ipſe Coninch. *q.*75. *art.*4. *dub.* 3. tradit per hoc ſacrificium non acquiri nouum noſtræ redemptionis pretium, ſed per Crucis ſacrificium iam acquiſitum tunc applicari.

15. Quarta pars, id eſt, quòd ſacrificium iſtud quatenus offertur in perſona Chriſti, habet infinitam vim impetrandi, probatur ex eo, quia res oblata, & primarius offerens ſunt infinitæ dignitatis, & Chriſtus etiam nunc eſt in ſtatu, quo poteſt interpellare pro nobis, & quod ſibi placuerit ſimiliter in fauorem noſtrum impetrare. Hæc autem impetrandi vis dicitur, & eſt infinita quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam, ſicut aliàs dicitur de merito & ſatisfactione Chriſti; oratio namque, vel oblatio Chriſti glorioſi æquè impetratiua eſt, ac fuit meritoria, vel ſatisfactoria actio Chriſti viatoris. Eſt igitur oblatio illa ex ſe infinitè impetratiua, eſto in re nunquam impetret effectum intenſiuè infinitum, quia nec Chriſtus ſacrificium hoc ad talem effectum inſtituit, nec decuit inſtitui. Hoc tamen intellige de impetratione immediata; mediatè enim poteſt infinitum effectũ impetrare, quatenus peccatori impetrat gratias præuenientes, quibus conuerſus obtinet peccati mortalis, & pœnæ æternæ remiſſionem.

16. Secunda concluſio, ſacrificium Miſſæ habet vim producendi ſuos effectus ex opere operato, ſi conſideretur ex parte tam primarij offerentis, quàm Eccleſiæ, non tamen ex parte Sacerdotis, & aliorum. Pro cuius explicatione obſeruare oportet in Miſſa eſſe tria offerentium genera.

Primus, & principalis offerens eſt Chriſtus Dominus, qui miniſterio Sacerdotũ ſe Patri quotidie offert. Ita habetur expreſsè in Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. vbi ſic ait, *Vna eadémque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Id etiam docet D. Thom. 3. *p. q.*82. *art.*7. *in ſol. ad* 3. *& q.* 83. *art.*1. *in ſol. ſimiliter ad* 3. Sotus *in* 4. *diſt.*13. *q.*2. *art.*1. & Suar. *tom.*3. *diſp.*77. *ſect.* 1. cum multis per eum allegatis. Et probatur ex eo, quia Chriſtus in Scriptura ſæpiſſimè vocatur *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Non

Digitized by Google

Non poteſt autem ſic dici per ſolam oblationem factam in paſſione ſua, vt conſtat, & conſequenter tali nomine potiùs inſignitur, quia nunc etiam perpetuò ſacrificat mediantibus Sacerdotibus. Vnde *homilia de proditione Iudæ*, inquit, *Cùm videris Sacerdotem offerentem, ne ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam; ipſa enim eſt qui offert, & qui offertur.*

18. Secundus offerens eſt tota Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, quæ tanquam communitas quædam, & fidelium congregatio illam immaculatam victimam, Chriſtum Dominum, Deo Patri offert per Sacerdotes miniſtros ſuos. Vnde ſicut ciuitas dicitur agere, quod apud Regem Legatus eius agit; ita Eccleſia dicitur offerre, quod per ſuos Sacerdotes apud Deum Patrē offert. Atque ideo Concilium Tridentinum *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 6. docet Miſſas etiam priuatas eſſe communes, quia nomine totius Eccleſiæ à publicis miniſtris, id eſt, Sacerdotibus offerūtur; & *cap.* 1. ait hoc viſibile Sacramentum relictum eſſe dilectæ ſponſæ ſuę Eccleſię, vt illud per Sacerdotes offerat, & D. Thom. *d. q.* 83. *art.* 1. aſſerit quòd in orationibus, quas profert Sacerdos, loquitur etiam non in perſona propria, ſed in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate conſtituitur. Imò Eccleſia dicitur offerens, non ſolùm, quia ſacrificium illud per Sacerdotes Deo offert, tanquam per ſuos miniſtros, ſed quia de propriis etiam bonis apponit orationes, pios ritus, & ceremonias myſteriis plenas, quibus augetur valor Miſſæ accidentaliter.

19. Tertius offerens eſt ipſe Sacerdos, imò & omnes Catholici non excommunicati per Sacerdotem quodam modo offerre dicuntur, quatenus Sacerdos in perſona totius Eccleſiæ hoc ſacrificium offert, ſed pręcipuè qui Miſſæ ſacrificio aliqua ratione cooperantur, curando nimirum pro ſe celebrari, vel ei miniſtrando, vel etiam aſſiſtendo. Ita expreſsè colligitur ex illis verbis canonis Miſſæ, *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis.* Quæ verba explicans Innoc. ſtatim citandus, inquit, ideo eſſe in canone appoſita, quia prædictum Miſſæ ſacrificium non ſolùm offertur à Sacerdotibus, ſed etiam ab vniuerſis fidelibus, præſertim aſſiſtentibus, eidémque miniſtrantibus. Et meritò, quia quod caput efficit, rectè etiam membra dicuntur efficere. Cùm igitur cuncti fideles ſint Eccleſiæ membra, conſequenter offerunt ſacrificium illud, quod Eccleſia per ſuos Sacerdotes offert. Sic D. Thom. *d. q.* 82. *art.* 6. & 7. Innoc. *lib.* 3. *de myſterio Miſſæ cap.* 5. & 6. Gabr. *lect.* 27. *in can.* & plures alij, quos refert, & ſequitur Suar. *tom.* 3. *diſp.* 77. *ſect.* 3. *initio.*

20. Nec obeſt ſi dicas, vt aliquis offerre dicatur, neceſſariò requiri quòd actione aliqua ad ſacrificium concurrat, offerre enim nil aliud eſt, quàm ſacrificare, aut ſacrificium efficere; id autem non videtur poſſe tribui cunctis fidelibus, maximè laicis: nam vel illi dicuntur offerre per intentionem, ſeu internum actum, vel per externam effectionem ſacrificij. Interna deuotio, ſeu intentio non ſufficit, cùm enim Miſſæ ſacrificium ſit viſibile, conſequenter in actione externa conſiſtit; actio verò externa ſacrificandi non conuenit laicis, quippe cùm non ſint conſecrati, proinde nec poſſunt ſacrificare: igitur nec inde offerentes nuncupari.

Reſpondetur tamen offerentes moraliter poſſe per actionem externam dupliciter tali titulo affici.

Primò generaliſſima quadam ratio-

Digitized by Google

ne quatenus ſunt Eccleſiæ membra, quia quod caput efficit, membra etiã efficere dicuntur. Et ſic cuncti fideles dicuntur offerentes, vt habetur ex dictis.

Secundo modo magis ſpecialiter, dando nimirum eleemoſynam, ſeu ſtipendium Sacerdoti, vt ſacrificet, & offerat: quod enim quis per alium facit, per ſe ipſum facere dicitur, vnde qui per alium occidit, per ſe ipſum occidere dicitur; & qui per alium eleemoſynam porrigit, ipſe porrigere dicitur. Similiter philoſophandũ eſt de aſtantibus, & inſeruientibus ſacrificio Miſſæ; hi namque modo aliqua cooperari dicuntur ipſi Sacerdoti. Vnde ſicut conſulentes homicidium, & illi aſſiſtentes authoritatem præbendo, homicidæ moraliter dicuntur, quippe ex huiuſmudi conſilio, & præſentia illi moraliter cooperantur. Ita offerentes moraliter dicuntur qui quouis modo ex prædictis Sacerdoti cooperantur. Imò tanto perfectiùs rationem iſtam offerendi quis participat, quanto magis, vel pluribus modis ad ipſum ſacrificium offerendum concurrit, & cooperatur: atque ideo magis offert, qui in Miſſa miniſtrat, quàm qui ſimpliciter aſſiſtit, & ſic de aliis. Lege Mirandam *man. Prælat. tom.* 1.*q.*41.*art.*13.

21. Iuxta hæc tria offerentium genera, conſiderandus eſt triplex valor, qui in Miſſæ ſacrificio reperitur.

Primus reſpondet ipſi ſacrificio quoad ſubſtantiam in ſe conſiderato, id eſt, quatenuis à principali offerente procedit, & quidem huiuſmodi valor ſemper eſt indeficiens, infallibilis, & certus quoad gradũ, ſaltem dummodo is, pro quo ſacrificium offertur, non ponat obicem, non enim pẽdet à bono, vel malo Sacerdote, ſed ex Chriſti inſtitutione duntaxat.

22. Secundus valor reſpondet ſecundo offerenti, nempe Eccleſiæ militanti, & eſt ſimiliter indeficiens, ac infallibilis. tum quia Eccleſia ipſa offerens, eſt pia, ſancta & Deo grata; victima etiam quam offert, cùm ſit ipſe Chriſtus ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtens, eſt ſimiliter grata, & accepta Deo, imò gratiſſima, & acceptiſſima. tum quia orationes, & ceremoniæ, quibus offertur, vtpotè myſteriis plenæ, & ab Eccleſia militante, dilectiſſima Chriſti ſponſa inſtitutæ ſunt quoque Deo gratæ, & acceptæ, ac proinde cùm hæc omnia non poſſint non eſſe grata, & accepta Deo, ſimiliter effectus, & valor ſacrificij oblati non poteſt non eſſe infallibiliter indeficiens, nihil pendens à bono, vel malo Sacerdote. Ita D. Thom. 3.*p.q.*82. *art.*6. Gabr. *in can. Miſſæ, lect.* 29. Azor. *tom.*1.*inſtit. moral. lib.*10. *cap.* 20.*q.* 2. §. *deinde ſciendum eſt*. Tolet. etiam *lib.* 2. *cap.*8.*num.* 1. eſto aliquantulum obſcurè, ſed apertè Henriq. *lib.*9. *de Miſſa, cap.* 17.*n.*3. & alij, quos ipſe refert ad marginem, *lit. M.*

23. Differunt autem huiuſmodi valores, quòd primus eſt maior, & certus ſemper in gradu, nihil minuens, aut accreſcens, atque ex infallibili iuſtitiæ lege pro animabus Purgatorij ſatisfacit, vt docet Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.*3. Azor. *tom.*1. *lib.*10.*cap.*22 *q.*10. Henriq. *lib.*9. *de Miſſa cap.* 16. *num.* 1. & Fagundez *lib.* 3. *de primo præcept. Eccl. cap.* 6. *num.* 14. Secundus autem valor eſt minor, nec certus in gradu, ſed maior, vel minor pro maiori, vel minori deuotione, numero, & ſanctitate iuſtorum in Eccleſia militante offerentium. Vnde cùm valor primus ſit certus, & ſubſtantiæ ſacrificij in ſe conſiderati reſpondeat, rectè poteſt appellari ſubſtantialis; ſecundus verò accidentalis, vt tradit Fagundez citatus.

24. Differunt ſimiliter quòd ſacrificium Miſſæ prout offertur in perſona Chriſti, eſt meritorum, ſatisfactorium, &

Digitized by Google

& impetratorium, iuxta ea quæ initio huius dubij in ſecundo notando inſinuauimus;at prout offertur in perſona Eccleſiæ, non habet vim merendi, aut ſatisfaciendi, bene tamen impetrandi, quoniam etſi communitas non poſſit aliquid mereri,aut ſatisfacere, cùm huiuſmodi actiones ſint perſonales, poteſt tamen per Legatum ſuum aliquid impetrare.

25. Tertius valor in hoc ſacrificio conſiderandus reſpondet ipſi Sacerdoti, & aliis offerentibus;atque ideo hic valor nec eſt certus in gradu, cùm accreſcat,vel decreſcat pro maiori,vel minori offerentium bonitate; nec eſt infallibilis,orationes namque,preces,& ritus, quibus Sacerdos in Miſſa vtitur, ſi conſiderentur vt ab ipſo, tanquam à perſona priuata procedunt, nihil valent nec ipſi, nec aliis ex opere operato;imò eidem Sacerdoti ſacrificium potiùs nocet, ſi in peccato mortali exiſtens celebrare contingat. Ita Toletus *loco cit.* & alij mox referendi.

26. Ex dictis itaque ſatis apertè deducitur valorem reſpondētem tam primario offerenti, id eſt, Chriſto, quàm ſecũdario, ideſt, toti Eccleſiæ militanti,eſſe ex opere operato, cùm vterque ſit indeficiens, & infallibilis; valorem autem reſpondentem tertio offerenti, ideſt, Sacerdoti,vt perſonæ priuatæ, & aliis, eſſe ex opere operantis; cùm hic non ſit infallibilis,ſed pendeat à bonitate,vel malitia Sacerdotis,& aliorũ offerentium. Atque hinc etiam conſequenter deducitur veritas prædictæ concluſionis quoad omnes ſuas partes.

27. Cæterùm vt faciliùs comprehendatur, placet inſuper de ſingulis addere authores, & rationes. Quapropter

Primam partem tradunt D.Thom.3. *p.q.*79.*art.*5. *& q.*82. *art.* 1. Scotus *quolib.*20. Caiet.*tom.*2. *opuſc.tract.*3.*q.*2. Albertinus *in* 4.*diſt.*13. *art.* 31. Dominicus de Soto *ibidem q.*2. *art.*1. *& lib.* 9.*de iuſt. q.*2.*art.*2. Petrus de Soto *lect.* 7. *de Euchar.*Canus *lib.*12.*de loc.theol.cap.*13.*ad* 9. Caſtro *verb.Miſſa,hæreſ.*2.Cord.*lib.*1.*q.* 3.Bellarm.*tom.*1.*lib.*2.*de ſacrif.cap.*4.Mirand.*man. Prælat.tom.*1. *q.* 41. *art.* 6. & Suar.*tom.*3.*diſp.*79. *ſect.* 1. *concluſ.* 1. vbi aſſerit nullum Catholicum cõtradicentem inueniſſe. Ducuntur autem tum ex inſtitutione Chriſti,qui ſicut potuit,ita voluit merita ſua in certa proportione ipſi externo actui ſacrificij annectere ad certum effectum conferendum ei, pro quo offertur:quod verò alicui operi non ex natura ſua, ſed ex Chriſti inſtitutione communicauit,ex opere operato communicare dicimus, vt patet in Sacramentis,quæ ideo dicuntur ex opere operato habere vim tollendi peccata, quia id communicauit ipſis, non ex natura rei, ſed ex Chriſti inſtitutione; tum etiam, quia aliàs Chriſtianus populus ſæpiſſimè deciperetur,dum ſacrificium pro ſe, ac præſertim pro defunctis offerri curat, ſi ab offerentium dignitate,aut deuotione vis ſacrificij penderet,quoniam abſque vlla ſua culpa is, pro quo ſacrificium offerendum eſſet, priuaretur omni ſacrificij fructu ſi offerentes in peccato exiſterent. Id autem communi Eccleſiæ ſenſui,& Chriſti inſtitutioni repugnat.

28. Secundam partem (de qua maior eſt controuerſia) tuentur Gabr. *ſuper can.Miſſa,lect.*26.*lit.G.*Azor.*tom.*1.*lib.*10 *c.*20. *q.*2. Enriq. & Tolet.*vbi ſuprà.* Fagundez *n.*13.citantur etiã pro hac parte Innoc.*lib.*3.*cap.*15.Rupertus *lib.* 2. *diuinorum offic.cap.*6.& alij apud Enriq.Scotus ſimiliter apud Suar.*ead.diſp.*79.*art.*1. *ſect.*11.*concl.* 3. vbi ipſe cum Cord. Couar. & aliis oppoſitum cenſet probabilius.Mihi autem ſatis probabile, & magis pium videtur cum priori ſententia aſſerere valorem ſecũndi offerentis, id

Digitized by Google

eſt, Eccleſiæ militantis eo modo quo diximus ſuprà, eſſe ex opere operato, attenta dignitate Eccleſiæ, & gratia, qua apud Deum valet. Cùm enim Eccleſia Deo ſemper ſit accepta, eiuſdem etiam preces, & munera per miniſtros ſuos Deo oblata, ſimiliter ei grata ſunt: ſicut munera vnius Principis alteri per Legatum oblata, ſunt eidem grata, eſto Legatus ſecundùm ſe fortaſſe ingratus exiſtat.

29. Neque obſtat ſi dicas quòd oppoſitum potiùs videtur experientia conſtare, cùm Sacerdos in perſoná Eccleſiæ celebrans, non ſemper impetret id, quod per ſacrificium petit, ſiue ex defectu deuotionis, ſiue quia Deus ſecundùm ſuæ prouidentiæ rationem iudicat hîc, & nunc non conuenire.

Reſpondetur tamen idem poſſe obiici de ſacrificio per Sacerdotẽ in perſona Chriſti celebrato; ſæpe enim experimur nos non impetrare per ſacrificium quod petimus, ídque ob eandem rationem. Nihilominus credibile omnino eſt, nunquam nos ita fruſtrari hoc effectu, quin etſi non concedatur, quod petitur, aliquid tamen aliud largiatur nobis Deus, provt hîc, & nunc iudicat expedire. Vnde Coninch. *dub.* 8. *n.* 144. ait quòd quatenus miniſter ſuſtinet perſonam Chriſti, & Eccleſiæ, eſto non ſemper obtineat in particulari quod petit, attamen nunquam ſua impetratione ita fruſtratur, quin ſaltem Deus largiatur aliquid Ecccleſiæ in genere, provt ipſius prouidentiæ viſum fuerit: imò etiam ſi miniſter improbus exiſtat, at quatenus in perſona Chriſti celebrat, credibile eſt ſemper aliquid obtinere ei, pro quo orat, modò hîc non ponat obicem; id autẽ intellige, dum miniſter pro alio offerat; nec enim videtur rationi conſonum, vt Sacerdos improbus aliquid ſibi impetret per eam orationem, qua enormiter peccat. Atque idem probabiliter cum quadam proportione cenſet ipſe Coninch. *dub.* 7. *num.* 121. dici poſſe de vi operãdi, quam hoc ſacrificium habet ex eo quòd in perſona Eccleſiæ offeratur; & quidem dignitatem Chriſti, & Eccleſiæ ita decet, vt non fruſtretur omnino eius petitio, quam hîc, & nunc per Sacerdotem offert.

30. Tertiam concluſionis partem nemo, quem legerim, reprobat, ſeu impugnat, ſed potiùs amplectũtur omnes, & meritò; cùm enim ſacrificium iſtud ſit actus perfectiſſimus virtutis Religionis, eoſdem planè effectus poteſt habere, quos habent aliæ actiones virtutis, atque eiſdem omnino modis, nempe per modum meriti de condigno, ſeu de congruo; per modum ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Ad hos autem operandi modos neceſſariò requiritur, vt offerens ſit in gratia, præſertim pro primo & ſecundo, quippe qui extra gratiam exiſtit, nec mereri de condigno, nec ſatisfacere poteſt, eſto per modum orationis queat aliquid à Deo impetrare, cùm ritè orat, itaut non peccet in ipſa oratione, vt peccat qui in peccato ſacrificat, niſi ex facti ignorantia aliquando excuſetur. Hinc autem manifeſtè infertur, quòd valor 3. offerentis in Miſſæ ſacrificio ſit ex opere operantis. nam in præſenti negotio opus operantis id dicitur, quod reſpondet cuilibet pro ſuo voluntatis affectu, quia Miſſæ ſacrificium modo aliquo offert, vel id quod ex bono, pióque ac Religioſo Sacerdotis affectu exiſtit, vt docet Azor. *d. cap.* 20. *q.* 2. *verſ. Deinde ſciendum eſt.*

31. Tertia concluſio. Valor Miſſæ reſpondens primo offerenti ex opere operato, ſeu effectus, quem hoc ſacrificium ſic poteſt conferre, eſt finitus intenſiùs. Atque hunc exiſtimo eſſe proprium ſenſum ſecundæ opinionis, & tenet

net expreſsè Suar. *ſect.* 11. *concluſ.* 2. & Fagundez *vbi ſuprà c.6.num.*8. cum aliis multis quos hi referunt. Ratio eſt, tum quia valor huiuſmodi, ſeu effectus ex opere operato, nõ pertinet ad ſufficientiã, ſed ad efficaciã; at quoad efficaciam non poteſt hoc ſacrificium eſſe infinitum, cùm nec ſacrificium Crucis id habuerit: efficacia enim reſpicit effectum in re ipſa dandum; conſtat autem non dari, nec dari poſſe effectum infinitum intenſiuè, tum quia fruſtrà quis plura ſacrificia ad eandem rem obtinendam celebrari curaret, ſi enim Miſſæ fructus ſit infinitus intenſiuè, vna ſufficeret ad obtinenda omnia, quæ petuntur. tum denique, quia hic valor, ſeu effectus non eſt menſurandus ex infinitate ſacrificij, ſed ex inſtitutione, ac promiſſione Chriſti. Vnde eſto ſacrificium hoc incruentũ ex ſe ſit infinitũ, eſt tamen inſtitutum (inter alia) vt ſit quoddam eiuſdem Chriſti inſtrumentum ad ſui ſacrificij cruenti ſatisfactionem nobis applicandam; non potuit autem hoc ſacrificium aſſumi vt inſtrumentum, niſi ad determinatum, & finitum effectum, qui per Chriſti voluntatem taxari debuit, ſicut etiam taxatus eſt effectus Euchariſtiæ, vt eſt ſacramentum, eſto ſub hac ratione ſit etiam quid infinitum.

32. Nec obeſt ſi dicas quòd quanuis Chriſtus Dominus in Miſſæ ſacrificio non immediatè offerat Patri, ſed mediatè, & miniſterio Sacerdotum, actio tamen Sacerdotis, per quem Chriſtus ſe offert, non poteſt minuere infinitum valorem ipſius oblationis, ſicut nihil minuit de valore eleemoſynæ actio ſerui, per quem dominus illam pauperi offert, cùm dominus ſit principalis donans, & de ſuo donet. Similiter Chriſtus eſt principalis offerens, & de ſuo offert.

Reſpondetur tamen negando paritatem rationis. Nam famulus dum eleemoſynam pauperi porrigit, nihil de ſuo dat, ſed profert illam tanquã obiectum extrinſecum, & alienum, ideóque non poteſt meritum, ac valorem illius minuere: Sacerdos autem dum offert Domini corpus, non offert illud vt obiectum extrinſecum, & à ſe alienum, ſed quaſi rem propriam, per hoſtiæ namque, ſeu panis conſecrationem, totam victimam, ſeu totũ Chriſtum quodammodo producit, vt patet; & conſequenter cùm illud poteſtate mirabili producat, non tanquam obiectum extrinſecum offert illud, ſed tanquam rem propriam. Nec etiam obeſt ſi dicas, quòd ſequitur, inde Sacerdotes habere modum aliquem dominij in corpus Domini, ſi illud vt rem propriam offerant. Reſpondetur enim dominium illud habere non abſolutè in Chriſtum Dominum, ſed quatenus cibus eſt, & edulium ſpirituale, & quatenus ſub ſpeciebus huiuſmodi latet, ſub illis enim promiſit Chriſtus hominibus ſe dictum cibum daturum, Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.*

DVBIVM XVII.

Quo eadem materia continuatur, proponendo, & ſoluendo aliqua quæſita.

1. PRo pleniori explicatione prædictorum quæres primò, an idem ſit ſentiendum de valore ſacrificij, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ, vel etiam ex opere operantis reſpectu Sacerdotis, ſeu cuiuſcunque alterius offerentis priuati.

Reſpondetur affirmatiuè; & in primis ſi loquamur de Miſſæ ſacrificio, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ, conueniunt omnes quòd valor eius ſit finitus ad impetrandum. Ratio eſt, quia hic

Digitized by Google

hic valor fundatur in ſanctitate Eccleſiæ, vt dictum eſt ſuprà. Sanctitas autem Eccleſiæ finita eſt, ac ſubinde finitus etiam eſt ipſius valor, & quoad hoc locum habet doctrina D. Thomæ 3. *p. q.* 79. *art.* 1. aſſerentis oblationem magis attendi ex conditione offerentis, quàm ex dignitate rei oblatæ. Atque hinc deducit Suar. *ſect.* 11. *concluſ.* 3. valorem iſtum poſſe creſcere & minui, quo in Eccleſia fuerint ſanctiores.

2. Si autem loquamur de valore Miſſæ, prout tertio offerenti reſpondet, eſt ſimiliter finitus intenſiuè; tum in ratione meriti, quia Sacerdos, ſeu quicunque alius offerens priuatus non meretur niſi vnum, aut alterum gradum gratiæ, ſeu gloriæ: tum in ratione ſatisfactionis, quia non debet niſi certam, ac finitã pœnam; tum etiã in ratione impetrationis, quippe perſona ſic offerens finita eſt, eiúſque actio ſimiliter finita, etiam in genere moris, atque id indicat præcitata D. Thomæ doctrina, quæ ſumpta eſt ex Greg. *lib.* 7. *Regiſtri Epiſt.* 12. dicente; *hinc patenter oſtenditur, quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt, quoniam in omnipotentis Dei iudicio, non quod datur, ſed à quo datur, inſpicitur.* & *Homil.* 5. *in Euangelia* ait ipſe Greg. *Non perpendit Deus in ſuo ſacrificio quantum, ſed ex quanto offeratur.* Ex his autem verbis nõ eſt inferẽdum, rem oblatam nihil conferre, ſed non ſufficere abſque offerente, & dignitate, ac effectu eiuſdem, vt rectè obſeruat Suar. *ibidem concluſ.* 4.

3. Quæres ſecundò, an idem ſit omnino ſentiendum de ſacrificio cruento, ac incruento.

Reſpondetur negatiuè. nam hæc duo ſacrificia conueniunt quodam modo, & differunt etiam inter ſe.

Conueniunt, quòd in vtroque eſt eadem hoſtia, atque idem principalis offerens, nempe Chriſtus, vt habetur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2.

Differunt autem primò in modo offerendi, quia in hoc eſt incruentus, & ſub ſpeciebus ſacramentalibus; in illa eſt cruentus, & in propria, ac naturali Chriſti ſpecie.

Secundò in modo operandi ſuum effectum, tum quia hoc habet omnem virtutem ſuam ex illo, non è conuerſo; tum quia illud eſt cauſa generalis totius noſtræ iuſtificationis, & gratiæ, quam ſub quauis ratione à Deo ſuſcipimus: ſecus eſt de hoc, multas enim gratias, & media ſalutis noſtræ à Deo accipimus indepedenter ab hoc ſacrificio, cuiuſmodi ſunt, quæ nobis vel per alia Sacramenta, vel ratione alicuius meriti præcedentis, vel ex mero Dei placito, abſque vllo ad actiones humanas reſpectu, diuina bonitas confert. Tum etiam, quia ſacrificium cruentũ ſalutem noſtram operatum eſt per modum meriti de condigno, ſatisfactionis, ac ſolutionis pretij ad remiſſionẽ omnium peccatorum, ad omnem gratiam, & gloriam, omniaque Dei beneficia, quæ vnquam alicui puro homini conferantur, & infinities maiora obtinenda ſufficientis; ita tamen vt per illud nulli in particulari pars aliqua huius pretij applicetur: applicatur autem partim per ſacrificium incruentum, partim per Sacramenta, partim actibus noſtris ex gratia factis, & partim ab ipſa prouidentia diuina, quæ ſua bona diſtribuit, prout vult. Cruentum igitur ſacrificium operatur ſuum effectum de condigno, nouum noſtræ redemptionis pretium merendo; incruentum autem abſque vllo nouo merito ex Chriſti voluntate, ac inſtitutione meritum, & pretium iam acquiſitum certis perſonis applicando.

Tertiò differunt, quia cùm immediatus ſacrificij cruenti effectus ſit redemptionis noſtræ pretium, quaſi in abſtracto,

Digitized by Google

ſtracto,& prout concipitur nulli applicatum. Hinc fit quòd effectus ipſe ſit omnino par dignitati eiuſdem ſacrificij, & conſequenter omni ratione non ſolùm illimitatus,ſed inſuper infinitus. Atque ideo pretium iſtud ex ſe ſufficiens eſt ad infinitos homines redimendos,etiam ſi per impoſſibile ſinguli infinita peccata patraſſent, nec-non ad infinities plura, & maiora cuiuſuis generis beneficia à Deo impetranda:incruentum autem ſacrificium, etſi ex ſe & ratione rei oblatæ, ac primarij offerentis ſit quidem infiniti valoris, ſemper tamen habet finitum determinatúmque effectum, quia cùm creatura infinita ſit impoſſibilis, conſequenter nec gratia infinita ei dari, nec effectus vllus indeterminatus determinato actu certæ perſonæ applicari valet.

4. Dices,actio humana Chriſti,qua corpus ſuum in Cruce obtulit,fuit finita, vt conſtat: igitur & valor illius ſacrificij fuit finitus.

Reſpondetur tamen quòd licèt dicta operatio finita eſſet in eſſe phyſico, & naturali, attamen vt vitaliter proueniebat à perſona diuina, & ab homine infinitè grato per vnionis hypoſtaticæ gratiam, ea ipſa actio humana, & oblatio in eſſe moris, & in entitate morali,erat Patri infinitè grata, & accepta.Atque hinc prouenit, quòd cùm effectus immediatus ſacrificij cruenti fuerit abſolutè infinitus, conſequenter ſuffecerit illud ſemel fuiſſe oblatum pro omnibus remiſſionibus, & gratiis à Deo obtinendis: è conuerſo autem cùm effectus ſacrificij incruenti ſit certus,ac limitatus,ſæpiùs pro diuerſis indulgentiis,& gratiis à Deo impetrandis offerri ſolet.

5. Quæres tertiò, an valor, ſeu effectus ſacrificij incruenti ſit ſaltem infinitus extenſiue, itaut ſi pro multis offeratur, ſiue diuerſis ſpecialibus intentionibus,ſiue vna tantùm communi. vt pro populo,ſeu cõmunitate,non minuatur fructus in ſingulis. Authores primæ ſententiæ dub. præcedenti adducti,præſertim Caiet.Sylu. Canus, Cord. Arag. & Petrus de Soto affirmant,ducti potiſſimum ex infinitate rei oblatæ, ſeu ipſius ſacrificij; imò eſto ponatur quòd effectus ſacrificij ſit abſolutè finitus intenſiuè, vt nos tenemus, adhuc videtur poſſe defendi quòd applicatus pro pluribus nõ minuatur, vt patet de igne, qui pluribus ſubiectis æquè diſpoſitis ſimul applicatus poſſet in ſingulis producere calorem æquè intenſum. Atque idem videtur poſſe affirmari de huius ſacrificij fructu, ſi pro pluribus ab offerente applicetur.

Nihilominus reſpondetur negatiuè, atque ita ſentiunt authores pro ſecũda opinione præcedentis dubij allegati, nec videntur repugnare Caiet. Canus, Cord.& nonnulli alij ex citatis pro prima ſententia,non enim agunt de huiuſmodi effectu ſic applicato, ſed de illo, qui reſpondet offerentibus vt ſic, de quo in 4. quæſito erit agendum. Ratio autem potiſſima, & aptiſſima ad hanc veritatem explicandam inſinuatur à Bellarm. *lib. 2. de Miſſa c. 4. propoſitione* 4. & à Suar. *ſect. 12. concl.* 2. pendétque omnino ex Chriſti inſtitutione. nam ſicut quodlibet opus Chriſti ex ſe ſufficiens erat ad noſtram redemptionem plenè operandam, atque vt nos per illud gloriam ſine vllis propriis meritis obtinere poſſemus, quia tamen Chriſtus pactum cum Patre iniuit,vt noſtra redemptio non conſummaretur, niſi per ſuam mortem, nec nos gloriam abſque noſtra cooperatione cõſequeremur, idcirco Chriſti merita non habuerunt completam vim de facto aliter noſtram ſalutem operandi. Ita Miſſæ ſacrificium in quo offertur, & eſt principalis offerens ipſe Chriſtus, eſto ex ſe ſit

Digitized by Google

infiniti valoris,non tamen habet infinitum effectum ratione contrarij pacti, vt ſuprà,initi.

6. Sed iam ſic probatur primò ex caſu Eccleſiæ, quæ vera eſt inſtitutionis Chriſti interpres, cùm à Spiritu ſancto regatur. nam alioquin Sacerdotes immeritò vni ſoli applicarent Miſſæ fructum, ſi enim abſque vnius detrimento, ſeu præiudicio poſſent multi æqualem fructum percipere,nulla quidem adeſſet ratio Miſſam ſic vni applicandi, vt alij excludantur: at ſi Miſſa infiniti ſit valoris extenſiuè, pro pluribus applicata tantum ſingulis valeret, ac ſi pro vno duntaxat celebraretur;igitur ex debito charitatis tenerentur Sacerdotes ad quodlibet ſacrificium pro omnibus fidelibus æqualiter offerendum,cuius tamen oppoſitum fit iuxta laudabilem, & antiquam Eccleſiæ conſuetudinem.

7. Secundò, quia Sacerdos poſſet plura ſtipendia integra pro tot Miſſis celebrandis accipere ſub intuitu vnius Miſſæ,atque vnico ſacrificio pro omnibus ſatisfacere, totum illud ſingulis applicando,quod videtur ſatis abſurdum, & contra communem Eccleſiæ praxim. Tertiò,quia in hoc ſatisfactionis effectu non eſt alia intẽſio effectus,quàm multitudo ſatisfactionis: ſed effectus ſacrificij eſt limitatus intenſiuè, vt habetur ex dictis.ergo ſatisfactio per hoc ſacrificiũ applicanda,ſicut eſt limitata quoad intenſionem, ſeu magnitudinem,ita & quoad multitudinem, & conſequenter reſpectu cuiuſcũque perſonæ, vel multitudinis perſonarum.Patet conſequentia, quoniam quantitas effectus, eiuſdem rationis eſt ſiue vni, ſiue multis applicetur. Atque in hoc eſt magnum diſcrimen circa illam ſimilitudinem, quã ſuprà ex actione ignis deſumptam inſinuauimus.nam quòd ignis poſſit interdum effectum æquè intẽſum in multis obiectis producere, non tamen intenſiorem in eodem ſubiecto cauſare, hoc inde prouenit, quia multiplicatio effectus eſt res ſatis diuerſa à maiori intenſione,& propterea nil mirum, quin virtus cauſæ ad vnam ſufficiat, & non ad aliam. At in caſu noſtro multitudo ſatisfactionis eiuſdem rationis eſt ſiue ad eandem perſonam, ſiue ad diuerſas cõparetur, ac ſubinde ſi reſpectu vnius augeri nequit,nec reſpectu diuerſarum poterit multiplicari. Adde quòd ignis agit ex neceſſitate naturali in quodlibet paſſum æquè propinquum, & diſpoſitum: Miſſæ autem ſuffragium agit ſecundùm Chriſti inſtitutionem, & liberam applicantis intenſionem. Ita Rich. Dur. Medin. & Cord. *vbi ſuprà.*

8. Quæres quartò, an vis huius ſacrificij poſſit modo aliquo dici ſaltem ſyncategorematicè infinita.

Reſpondetur affirmatiuè, ſi ſermo ſit de fructu offerentibus reſpondente,qui per modum impetrationis obtinetur;is enim ratione deuotionis, aut multitudinis offerentium poteſt in infinitum ſemper creſcere.Ratio eſt,tum quia quo offerẽtes plures ſunt, aut deuotiùs offerunt ſacrificium,eo maiorem habet vim impetrandi; ſicut enim multiplicantur perſonæ offerentes, ita multiplicantur oblationes quaſi partiales, & ex omnibus conflatur quaſi vna integra, quæ (moraliter loquendo) eo maioris valoris exiſtit, quo ex pluribus partialibus conſtat,ſi cætera ſint paria.tum quia licèt fructus impetrationis non fundetur in promiſſione aliqua ſpeciali, fũdatur ſaltem in intrinſeca dignitate,& valore ipſius ſacrificij in ſe conſiderati,& conſequenter ſacrificium iſtud de ſe eſt ſufficiens ad impetrandum quodlibet beneficium, ſeu beneficiorum multitudinem.quamuis enim beneficia in numero, ſeu perfectione augeantur in infinitum, adhuc illa ſacrificium ratione rei oblatæ,

oblatæ, & principalis offerentis longè ſuperat, atque excedit. Ita habetur ex D.Thom. *in 4.diſt.45.q.2.art.4.queſtiunc. 2.*& Suar. *d.diſp.79.ſect.12.concl.3.*

9. Hinc infertur quòd quando plures eandem Miſſam audiunt, vel ei inſeruiunt, & ita eam modo aliquo ſimul cum Sacerdote offerunt, omnes, & ſinguli quatenus offerẽtes ſunt, integrum percipiunt fructum, non minorem, quàm ſi vnus tantùm eſſet offerens. Vnde iuxta hunc ſenſum poteſt fructus huius ſacrificij dici ſimiliter quodammodo infinitus, vel potiùs augmentabilis in infinitum extenſiuè. Ita Suar. *ibidem concluſ.*1.& Coninch. *dub.* 10. *n.* 189. Ratio eſt, tum quia aliàs audientes Miſſam, quo plures concurrerent, eo minorem fructum perciperent, ſolùm ob multitudinem audientium, quod eſt valde abſurdum; imò multorum preces per modum vnius Deo oblatæ, ſunt magis efficaces, quàm ſi ſingulæ ſeparatim offerantur. Hìc enim locum etiam habet commune illud axioma, *virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa*; atque ideo Eccleſia in neceſſitatibus publicis curat multos ad orandum ſimul conuenire. tum quia cùm ibi ſint diſtinctę oblationes, vt diximus, conſequenter ſunt etiã diſtincti effectus iis reſpondentes, qui potiùs creſcunt ex multitudine offerentium, cùm ſic mutuò ſeſe ad maiorem deuotionem excitent.

Dvbivm XVIII.

Quo ſoluuntur rationes dubitandi initio dubij primi adducta.

1. SVpereſt nunc rationes in contrarium adductas diluere. Quare ad primam dicimus, parum referre, quòd ſint incogniti ij, pro quibus Miſſæ ſunt celebrandæ, modò habeatur notitia Intentionis erogantium, ſeu legantium eleemoſynam pro Miſſis celebrandis: bona enim, de quorum domini intentione conſtat, non incerta, ſed certa æſtimanda ſunt.

2. Ad ſecundam ſatis conſtat ex dictis. Miſſa namque eſto ex ſe ſit infiniti valoris quoad ſufficientiam, non tamen quoad efficaciam, id eſt, licèt ex ſe, tam ratione rei oblatæ, quàm ratione principalis offerentis ſit infiniti valoris intenſiuè, imò & extenſiuè; de facto tamen quoad ſatisfactionem, & meritum nequaquam eſt infiniti valoris, atque ideo pro multis applicata minus valet. Eſt tamen infiniti valoris extenſiuè, & ſyncategorematicè, quoad impetrationem, & ratione offerentium, vt habetur ex dictis in tertio quæſito. Adde quòd etiam ſi Miſſa eſſet infiniti valoris quocumque alio modo, adhuc non poſſet Sacerdos vnico ſacrificio multis oneribus ſatisfacere: ſtipendium namque non datur pro Miſſæ valore, ſiue finitus, ſiue infinitus ſit, alioquin cùm talis valor ſit res ſpiritualis, ſimonia committeretur, ſed datur tanquam merces laboris, & operæ in Sacerdotis ſuſtentationem; quod cùm ſit lege, conſuetudinéve taxatum, nequit Sacerdos abſque iniuſtitia illud excedere: neque infinitus Miſſæ valor à violatione promiſſi, & pacti, & nonnunquam à iuramento promiſſorio, ſubindéque à periurio Sacerdotem eximeret.

3. Sed obiicies primò, quia nulla ſacra Scriptura, nulla traditio, nullum Concilium, aut Pontifex tradidit vnquam quòd Miſſa ſit finiti valoris, & vna pro multis dicta non valeat pro omnibus, ac ſi pro vno duntaxat offeratur: ergo falſa eſt ſolutio, & conſequenter concluſio tertia non eſt tenenda.

Reſpondetur in primis, argumenta ab auctoritate ſacræ Scripturæ negatiuè nihil põderis apud Theologos habere;

Digitized by Google

imò contra hæreticos falsò opinantes omnia ad fidem, & mores neceſſaria contineri in ſacra Scriptura, oppoſitum cenſent omnes DD. Catholici, vt tradit Bellarm. *tom.1. controu. lib.4. de verbo Dei non ſcripto, à cap.3. & vltrà.* Atque ideo nihil prædictæ noſtræ ſolutioni, & concluſioni derogat, eſto in ſacra Scriptura expreſſa non habeatur.

4. Quo autem ad traditiones obſeruare oportet ex Bañes 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 10. *dub.* 6. *concluſ.* 6. Ayala *de diuin. tradit. p.* 3. *in principio*, Mendoza *controu. theol. quæſt.* 4. Schol. *ad* 4. *argum* & Azor. *inſtit. moral. p.1. lib.*8. *c.*4. *quæſ.* 3. triplex traditionum genus exiſtere; quædam ſunt diuinæ, illæ nimirum, quas ab ipſius Chriſti ore Apoſtoli acceperunt, vel quas, Spiritu ſancto dictante, vel Chriſto Domino iubente promulgarunt. Aliæ Apoſtolicæ, quas ipſi Apoſtoli tanquam Eccleſiarũ præfecti, Doctores, Magiſtri, & Rectores inſtituerunt, ſic enim canones, qui dicuntur Apoſtolorũ, condiderunt. Et aliæ eccleſiaſticæ, quas ipſius Eccleſiæ mos, vſúſque conſtituit, & obſeruat. Addit autem Azor. *ibid. in calce cap.* pro certo tenẽdum eſſe quòd ſicut Eccleſia in ferendis legibus ſuis ſcriptis errare nequit, aliquid cõtra fidẽ, ac rectos mores ſtatuendo; ita in traditionibus, & obſeruationibus fidei, & morum, ſimiliter decipi, aut errare non poteſt. Vnde cùm antiquiſſima ſit Eccleſiæ conſuetudo, vt Miſſa, ſeu Miſſæ pro vno celebrentur, & pro diuerſis cauſis diuerſæ Miſſæ dicantur, iuxta ritum in Miſſali præfixum; & conſtet etiam ex vetuſtiſſimis Eccleſiarum, ac monaſteriorum tabulis perpetua fuiſſe inſtituta, & paſſim à ſtipendia largientibus inſtitui anniuerſaria pro vno, & tali dicenda, eáque eſſe ab earumdem Eccleſiarum, ſeu monaſteriorum Sacerdotibus ſub iuramento, ſeu promiſſione acceptata; idcirco manifeſtè hinc ſequitur eccleſiaſticam eſſe traditionem, vnam Miſſam non æquè multis prodeſſe ac paucis.

5. Idem colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.*4. vbi Miſſarum reſtrictio ad minorem numerũ facienda conceditur, non tamen cuicumque, ſed Epiſcopis, & Generalibus Ordinũ, in Synodis, & Capitulis generalibus, nec ſimpliciter, ſed ex cauſa legitima, nec de omnibus Miſſis, ſed de aliquibus tantùm, vt ex infrà dicẽdis fiet manifeſtum. Id autẽ fruſtrà Conciliũ indulgeret, ſi vnico ſacrificio poſſet pro pluribus ſatisfieri.

6. Demum idem deducitur ex Iul. II. & Leone X. apud Confett. *in collect. priuileg.* vterque enim indulſit Sacerdotibus Ordin. Min. de Obſeruantia, vt vnico ſacrificio ſatisfaciant pro pluribus, pro quibus totidem eleemoſynas vſque ad ſummam vnius Iulij recepe-rint, vterque etiam indulſit Correctoribus generalibus Ordinis Minorũ, vt in actu viſitationis poſſent cũ ſuis Fratribus diſpẽſare, vt præ multitudine celebrandarũ Miſſarum, quæ eorumdẽ Fratrum vires excedũt, poſſint vnico ſacrificio cum nouẽ collectis pro nouẽ Miſſarum obligatione ſatisfacere. iudicant igitur ſummi Pontifices vnã Miſſam ex ſe non valere pro pluribus, alioquin ſuperfluum eſſet huiuſmodi indultum.

7. Obiicies ſecundò, ex præcit. Concilij, & Pontificum indultis manifeſtè inferri potiùs oppoſitum, nempe vnico ſacrificio poſſe pro pluribus ſtipendiis ſatisfieri, & conſequenter fructum Miſſæ pro pluribus ſtipem conferentibus applicatũ, ita valere pro ſingulis, ac ſi pro vno duntaxat applicaretur.

Reſpondetur negando illationem, tum quia aliàs ſuperfluum eſſet, & inutile dictum indultum, vt diximus *ſuprà.* Tum quia ſaltem inde habetur, Sacerdotes non poſſe priuata authoritate vnico ſacrificio ſatisfacere pluribus

ribus

Digitized by Google

ribus obligationibus, cùm Miſſarum reductio ad minorem numerum ſolis Epiſcopis,& Generalibus Ordinum reſpectiuè committatur. tum quia adhuc dictis Prælatis committitur poteſtas reducendi potius ſtipendia, quàm Miſſas, nempe vt ex multis paruis eleemoſynis fiat iuſtum ſtipendium. Ita Ioan. Franc. Leo *praxi for. eccleſiaſt. p. 2. de voto, & voti diſpenſatione c. 11. num.* 36. Quapropter ex Concilio nullatenus inferendum eſt, vnam Miſſam abſolute pro pluribus valere, ſed ſolùm ob impoſſibilitatē actus, vel non iuſta ſtipendia, obligationes Miſſarum diminui poſſe. Ac ſimiliter de Pontificiis indultis dicendum eſt, Pontifices nimirum non abſolutè declarare, vnam Miſſam valere pro multis, ſed in dictis obligationibus diſpenſare ſolùm iuſta interueniente cauſa, vel magnæ paupertatis, vel ſummæ neceſſitatis, quæ Regulares aliàs à perfectionis vitæ operibus rationabiliter retardaret, vt rectè obſeruat Fraxinel. *tract. de Sacerd. obligat. ſect. 6. in reſp. ad tertium argumentum.*

8. Obiicies tertiò. Per vnicum actum ieiunandi, ſeu officium recitandi, poteſt quis multis obligationibus iuris diuini, & eccleſiaſtici ſatisfacere; qui enim ieiunat in die Veneris, quia tenetur ex voto, & eſt vigilia Apoſtoli, ſeu dies Quadrageſimæ; ſimiliter qui Officium recitat ad quod tenetur etiam ex voto, & quia ſacris Ordinibus initiatus eſt, vtrique prædicto iuri per vnum actum ſatisfacit: igitur per vnum Miſſæ ſacrificium poteſt etiam Sacerdos pro multis obligationibus ſatisfacere, ſi pro ſingulis ſigillatim offeratur.

Reſpondetur debita eſſe in duplici differentia, quædam ſunt legalia, illa nimirum, quæ ex lege, voto, præcepto, ſeu pœnitentia iniunguntur: & alia realia, quæ in iuſtitia commutatiua conſiſtunt, vt obligatio ex mutuo, emptione, venditione, &c. pluribus igitur debitis prioris generis vnico actu ſatisfieri poteſt, non autem ſecundi generis. Ratio eſt, quia debita legalia ex legiſlatoris intentione pendent; intentio enim legis, voti, præcepti, & pœnitentiæ poteſt in vnum, idémque opus tendere; vt ſi Confeſſarius pœnitenti iniungat, quòd pauperi aureum erogare teneatur, ſatisfaciet quidem pœnitens præcepto Confeſſarij ſi aureum eroget pauperi in extrema neceſſitate exiſtenti, cui lege charitatis tenebatur ſub mortali ſubuenire, vt tradit Franc. Vict. *ſum. ſacram. de ſatisfact. num.* 205. At in debitis realibus attenditur æqualitas rei ad rem. Vnde, quia vnum debitum non poteſt eſſe æquale pluribus ſatisfactionibus, idcirco nec vna eadémque ſolutione poteſt pluribus debitis ſatisfieri. Ita Sanch. *ſum. lib. 1. cap. 14. n. 5. poſt med. Cod. de ſatisfaction. q. 4. verſ. corollariè ſequitur.* Hinc autem fit, quòd quia debitum Sacerdotis ad celebrandum pro aliquo, quo ſtipem ſub huiuſmodi intuitu acceperat, eſt reale iuſtitiæ commutatiuæ, vt habetur ex Suar. *in 3. p. tom. 3. diſp. 86. ſect.* 1. Ideo Sacerdos vnico ſacrificio nequit pluribus ſatisfactionibus ſatisfacere.

9. Neque obſtat dicere quòd ſicut ſi quis Sacerdos plures ſimul abſoluat, ſeu baptizet, dicendo; Ego vos abſoluo, ſeu baptizo; omnes reuera abſoluuntur, vel baptizantur, & reſpectiuè ſuſcipiunt fructum Sacramenti ex opere operato; ita à fortiori de Miſſa pro pluribus applicata videtur dicendum.

Reſpondetur enim primò negando paritatem rationis, quoniam effectus Baptiſmi, ſeu abſolutionis, non conſiſtit in actione, ſed in receptione, vt notat Azor. *inſtit. mor. p. 1. dub. 10. cap. 20. q. 9.* fructus autem Miſſæ reſpondet ſolùm conſecrationi, iuxta ſententiam probabiliorem, quam tradit Coninch.

vbi ſuprà dub. 5. concluſ. 6. num. 96.

Reſpondetur ſecundò, quot ſunt formæ ſacramentales actualiter, vel virtualiter, ſeu æquiualenter, & quot ſunt ſuſcipientes, tot eſſe Sacramenta. Hæc autem forma; Ego vos baptizo, ſeu abſoluo, æquiualet his; Ego abſoluo, ſeu baptizo te, & te, iuxta DD. communiter *in 4. diſt. 6.* atque ideo nihil nobis officit ſimilitudo de Baptiſmo, ſeu abſolutione. Ita Cord. *lib. 1. q. 3. opinione 5. concluſ. 4. in ſolutione ad* 10. *argumentum.*

10. Tertia ratio dubitandi petit controuerſiam, an Sacerdotes poſſint pro vna Miſſa tot accipere ſtipendia, quot ad diurnam eorum ſufficiant ſuſtentationem. Partem affirmatiuam amplectuntur Canus *de loc. theol. lib. 12. cap. 13. ad 10. arg.* Sotus *de inſt. lib. 9. q. 3. art. 1. fine, & in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. fine.* Petrus à Soto *de Euchar. lect. 7.* Ledeſ. *ſum. p. 1. de ſacr. Euchar. cap.* 18. *quaſt.* 8. Ioan. à Cruce *in direct. confeſſ. p. 2. de ſacr. Miſſæ quaſt. 1. dub. 7.* Beja *par. 1. caſ.* 12. Nugnus *in 3. par. tom. 1. quaſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *concluſ.* 4. Honcala *de valore Miſſæ art. 11. & 16.* Arag. 2. 2. *quaſt.* 85. *art.* 3. *dub. de iuſto Miſſarum ſtipendio, verſ. His tamen non obſtantibus.* Angel. *verb. Miſſa, n.* 52. Rodr. *ſum. tom. 1. cap.* 251. *n.* 4. *& tom.* 4. *cap.* 52. *n.* 4. Molfeſius *ſum. tom 1. tract.* 3. *cap.* 16. *n.* 17. & Fernandez *in exam. theol. mor. p. 3. cap. 5. §.* 8. *num.* 3. Ducuntur, tum quia ſic conceditur iure diuino, Matth. 10. & Luc. 10. *Dignus eſt operarius*, ſeu *mercenarius cibo ſuo*, ſeu *mercede ſua*, & 1. Cor. 9. *Qui in altari deſeruit, de altari viuere debet.* tum quia non eſt cogendus Sacerdos pauper mendicare, indecentíve modo aliquo victum quærere, vt habetur ex Trid. *ſeſſ. 22. c. 2. de reform.* tum denique, quia ſic videtur deduci ex præcit. Trid. & Pontificum indultis, quibus conceditur Epiſcopis, & Generalibus Ordinum, Miſſarum obligationes ad minorem numerum reducere, & vnico ſacrificio cum nouem Collectis ſatisfacere pro nouem Miſſis; hinc enim colligitur, id intrinſecam iniuſtitiam non continere, alioquin nec Epiſcopus, nec etiam Pontifex poſſet alios iure ſuo priuare.

11. Nihilominus abſolutè dicendum eſt, Sacerdotes etiá pauperes non poſſe pro vna Miſſa plura ſtipendia iuſta, id eſt, lege, ſeu communi æſtimatione taxata accipere. Ita ex præcitatis tenent Ledeſm. Ioan. à Cruce & Molfeſius. ita Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 24. dub.* 5. *num.* 28. Azor. *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *quaſ.* 2. Suar. *in 3. p. tom. 3. diſp.* 86. *ſect.* 4. Vaſq. ſimiliter 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 234. *cap.* 2. Henriq. *lib. 9. de ſacr. cap. 22. §.* 5. Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 16. num* 188. Cord. *lib. 1. quaſt. 4. dub.* 2. Angles *in 4. p. 1. quaſt. de valore Miſſæ, art. 2. concluſ. 2. append.* 2. Miranda *in man. Prælat. tom. 1. quaſt. 41. art. 23. concluſ.* 5. Rodr. etiam *tom. 1. quaſt. reg. quaſt.* 43. *art.* 17. Mart. Nau. *ſum. cap. 25. num.* 92. Petr. Nau. *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num.* 329. Graff. *lib. 2. ſuarum deciſ. cap.* 44. Regin. *lib.* 13. *prax. pænit. num* 234. Naldus *verb. Capellania num.* 11. Bonac. *de ſacr. diſp. 4. quaſt. vlt. punct. 7. §.* 2. Fraxinel. *de ſac. oblig. ſect. 4. concluſ.* 2. & plures alij.

12. Suadetur autem ſic primò, quia paupertas (ſecluſa extrema neceſſitate, de qua non agitur in præſenti) non dat facultatem accipiendi, ſeu retinendi rem alienam, inuito domino, nec vendendi rem carius, quàm valet; nec mercenarius, aut miles poteſt aliquid vltra ſuam mercedem, iuſtúmve ſtipendium, ratione paupertatis vſurpare abſque vllo domini conſenſu: igitur nec Sacerdos poteſt ſub intuitu paupertatis aliquid vltra iuſtum ſtipédium inuito domino accipere, & conſequenter nequit pro vna Miſſa plura iuſta ſtipendia ſibi aſſumere.

13. Secundò,

Digitized by Google

13. Secundò, quia Sacerdos qui infirmitate, alióve impedimento detentus Miſſam celebrare nequit, ſimiliter nequit vt ſuæ ſubueniat paupertati ſtipendium aliquod accipere in fraudem illius, pro quo non eſt ſacrum facturus: igitur neque ille, qui vnum duntaxat ſacrum facere poteſt, poterit ſub intuitu paupertatis poſt primum ſtipendium accipere ſecundum, quoniam qui ex iuſto ſtipendio iam obligatus eſt ad Miſſam hodie, v.g. pro vno dicendam, perinde ſe habet reſpectu alterius, ac ille, qui ex legitimo impedimento celebrare non valet.

14. Tertiò, adhuc retenta opinione eorum, qui ſentiunt fructum Miſſæ ex opere operato infinitum eſſe, non poteſt rationabiliter affirmari, quòd pro vna Miſſa pluſquam vnum iuſtum ſtipendium vſurpari queat, quia ſtipendium non datur vt pretium ob Miſſæ fructum applicandum, cùm is ſit res ſpiritualis, & conſequenter tunc non minus committeretur ſimonia, quàm cùm Prælato pecunia exhibetur ob applicandum, ſeu conferendum beneficium, vt omnes teſtantur: nec datur vt pura eleemoſyna, alioquin Sacerdos diues non poſſet illud accipere; nec eſſet vllo modo ex iuſtitia debitum, cuius oppoſitum conſtabit ex infrà dicendis: datur igitur, & accipitur, vel vt merces laboris, & operæ, vel in ſubſidium congruæ ſuſtentationis; vtrumque enim probabile eſt. Siue autem hoc, ſiue illo modo detur, ſequitur inde quòd nec commendans Miſſas tenetur pluſquam iuſtum ſtipendium dare, nec Sacerdos aliquid vltra illud vſurpare poteſt. Nam illud Matth. 10. *dignus eſt operarius*, &c. & illud Pauli 1. Cor. 9. *qui altari ſeruit*, &c. vtrumque intelligitur non abſolutè, ſed proportionabiliter, id eſt, quòd ſecundùm miniſterium, & laborem, quiſpiam in ſpiritualibus miniſtrans præmietur, aut ſuſtẽtetur plus, minúſve recipiendo, ſecundùm quod plus minúſve laborat, aut ſeruit: alioquin Diaconus, ſiue etiam Acolytus, qui altari duntaxat deſeruit, æqualem deberet mercedem, ſeu ſuſtentationem vitæ accipere, ſicut celebrans; & hic ſicut Curatus, vel Epiſcopus, Cord. *lib. 1. q. 4. dub. 2. opinione 2.* Rodr. *tom. 1. queſt. reg. q. 46. art. 17.* & Fraxinel. *ſect. 6. in ſolut. ad arg. 11.* Idque adhuc clariùs deducitur ſi verba Pauli originaliter citentur, quæ ſunt huiuſmodi, *qui altario ſeruiunt, cum altario participant*, participare namque cum aliquo eſt partem habere cum illo; ac ſubinde qui altari deſeruiunt, verè dicuntur cum altari, ſeu de altari participare, non planè, ſed iuxta taxationem ex lege, ſeu conſuetudine factam. Ita Nugnus *de ſacr. tom. 1. p. 3. tract. de ſacrif. dub. 9. ad 3.* & Fraxinel *vbi ſuprà.*

15. Nec refert quòd Presbyter ſit pauper, & conſequenter ad ſui congruam ſuſtentationem indigeat pluſquam vno ſtipendio; ij enim qui ſtipendium Sacerdoti exhibent, vt pro ipſis ſacrificium offerat, nullo iure coguntur eum alere. tum quia Eccleſia non inſtituit Miſſas ad alendos pauperes Sacerdotes, ſed ad memoriã Paſſionis Chriſti recolendam, & Dei ipſius maiorem gloriam, ac populi Chriſtiani vtilitatem. tum quia Clerici ex ſacr. Concil. Trid. præſcripto *ſeſſ. 21. de reform. c. 2.* non admittuntur ad ſacros Ordines, niſi vel ex patrimonio, vel ex Eccleſiaſticis beneficiis habeant, vnde commodè ſuſtententur. Idque antea fuerat iam cautum, *cap. non liceat, cap. Epiſcopus, & cap tuis.* hinc ſi quis ſciente Epiſcopo aliter ordinetur, cogitur Epiſcopus ei alimenta præſtare. *cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de praben.* Si autem inſcio Epiſcopo, ſibi imputet, & aliunde ſibi victum quærat. *cap. Clericus victum. 61. diſt.* imò iuxta opinionẽ, quam Fagundez *lib. 3. de Eccleſiæ*

præceptis

Digitized by Google

præceptis cap. 8. *num.* 7. cum multis per eum citatis, cenſet meliorem, & magis cómunem, qui ſine patrimonio, aut beneficio ordinatur, manet ipſo iure ſuſpenſus, & ſic celebrans irregularitatem contrahit, *cap. Sanctorum, & cap. neminem* 70. *diſt.* At ſi Presbyter poſtquam ordinatus eſt, in paupertatem incidat, illi curandum eſt vt ex agricultura, ſeu quouis alio honeſto labore, vel exercitio corporali, aut ſpirituali acquirat ſuæ ſuſtentationi neceſſaria. Ita Nauar. *ſum. cap.* 25. *num.* 91. alioquin quilibet poſſet abſque beneficio, & patrimonio ad ſacerdotium promoueri. Cord. *vbi ſuprà q.* 3. *dub.* 2. *ad finem.*

16. Tandem huic controuerſiæ finem impoſuit ſacra Congregatio Concilij Tridentini, quæ ſub die 21. Iunij 1625. authoritate ſibi ſpecialiter attributa à S. D. N. Vrbano VIII inter alia ſic ſtatuit, *Deinde vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantuncunque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuſcumque, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, ſacra Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac præcipit vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; itaut alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ ſatisfactioni non ſatisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Quid clariùs? Inſuper ibidem ſic habetur. *Id verò vt deinceps obſeruetur exactiùs, ſacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſcumque perſonis, Eccleſiis, ac locis piis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt. certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.* Hinc igitur manifeſtè conſtat, nec ſub intuitu paupertatis, vel ſub prætextu priuilegij, ſeu indulti cuiuſlibet, poſſe Sacerdotem pro vna Miſſa plura ſtipendia ſibi aſſumere, etiam exigua, atque incongrua, & ſuæ ſuſtentationi inſufficientia.

17. Imò ex dictis manent ſoluta, quæ in contrarium adduximus. Nam illud *Matth.* 1. *&* 1. *Cor.* 9. habetur ex dictis in tertio argumento quomodo ſit exponendum. Id autem quod ſubiungitur, ne Sacerdos mendicare cogatur, ſoluitur ex dictis poſt tertium argumentum. Illud denique quod de indultis Concilij & Pontificum inſinuatur, ſoluitur ex præcitato S. Congregationis decreto, atque ex infrà dicendis magis patebit.

Dvbivm XIX.

An ſit licitus vſus accipiendi iuſta ſtipendia pro Miſſarum celebratione.

1. Ratio dubitandi eſt primò, quia, regulariter loquendo, id non poteſt fieri niſi interueniente pacto aliquo, ſeu conuentione; omnis autem huiuſmodi pactio eſt iure prohibita, *cap. tua nos, de ſimonia, cap. vlt. de pactis, cap. quàm piè* 1. *q.* 2. & profectò talis conuentio videtur eſſe ſimoniaca, quia datur ſpirituale pro temporali. Vnde Diu. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *&* 3. *ad* 2. ait licitè poſſe ſtipendium accipi, dummodo pactum non intercedat, alioquin erit ſimonia; & *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 2 *quæſtiunc.* 2. *ad* 4. inquit paciſci de Miſſa dicenda ſemper eſſe ſimoniam.

2. Secundò, quia Concil. Trident.

Digitized by Google

ſeſſ.22. in decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ, præſcribit ne fiat vlla conuentio, aut pactum ſuper ſtipendium Miſſarum nouarum; imponit etiam Epiſcopis, vt in Miſſarum celebratione omnia de medio tollant, quæ auaritiam, irreuerentiámve ſapiant, ac redoleant: redolet autem auaritiam ſi Clerici, potiſſimum diuites, ſtipendium accipiant, illúdque in pactum deducant, cùm hi nequeant illud accipere titulo ſuſtentationis, aut eleemoſynæ, vt conſtat, nec ea acceptio aliunde cohoneſtari poſſe videatur.

3. Cæterum dico primò. Licitus omnino eſt vſus accipiendi, & dandi iuſtum ſtipendium pro ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritualia, & conſequenter id abſque vlla ſimoniæ labe fieri poteſt, etiam ſi Sacerdos huiuſmodi ſtipendium in pactum deducat. Ita Adrian. *quodlib.9. art.* 1. Caiet. 2.2. *q.*100. *art.*2. *verſ. ad euidentiam.* Sotus 9. *de iuſt. q.* 6. *art.*1. *concluſ. vlt.* Nauarr. *ſum. c.*23. *n.*102. Gutier. *lib.*1. *qq. Canonic. cap.*26. *num.*10. Cord. *de caſib. conſcientiæ caſu* 27. Enriq. *lib.*9. *de Miſſa cap.* 21. *num.*4. Ledeſma *ſum. de ſacram. Euchariſtia cap.*18. *verſ.* 3. Graff. *lib.*2. *deciſ. aur. cap.*96. *à num.*32. Cenedo multos referens *collect.* 44. *n.* 5. *p.*2. Suar. *diſp.* 86. *ſect.*1. Vaſq. *tom.* 3. *diſp.*234. Coninch. 3. *p. q.*83. *art.*1. *dub.*11. *concluſ.* 1. *num.*197. Bonac. *tom.*1. *diſp.*4. *q. vlt. punct.*8. *num.* 2. & alij, quos refert Fagundez *lib.*3. *de præcept. Eccleſiæ cap.*7. *num.*5.

4. Suadetur autem ſic primò, quia huiuſmodi ſtipendium datur, & accipitur, non quaſi in pretium Miſſæ, ſed in ſuſtentationem Sacerdotum; at accipere, ſeu dare aliquid pro ſuſtentatione, tantum abeſt quòd ſit ſimoniacum, vt debeatur potiùs de iure naturali; vnuſquiſque enim meretur de iure naturæ ſuſtentari ab eo, cui inſeruit, & in cuius obſequio occupatur: igitur cùm præcipuum Sacerdotis munus ſit ſacrificare, & Miſſas celebrare, iuſtè, ac rationabiliter poteſt ab eo, pro quo ſacrificium offert, ſuam ſuſtẽtationem exigere, illámque in pactum deducere abſque vlla ſimoniæ labe.

5. Secundò, quia hæc eſt antiquiſſima vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudo ab eius Paſtoribus non tolerata ſolùm, ſed approbata etiam: durum autem eſſet, ac impius & intolerabilis error vitio damnare vniuerſalem totius Eccleſiæ conſuetudinem, maximè cùm fundetur authoritate Chriſti, dicentis Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, & D. Pauli 1. Cor. 9. *Quis vnquam militat ſtipendijs ſuis? aut quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat.*

6. Dico ſecundò. Non eſt denegandum, quin in hoc negotio intercedat pactum aliquod inter ſtipendium dantem, & ſacrificantem; aliàs nullatenus poſſet intelligi, quo pacto inter illos oriatur, ſeu oriri queat obligatio ex iuſtitia. Ita tenent ferè omnes præcitati DD. atque id nititur explicare Suar. *vbi ſuprà*, hoc exemplo. Nam ſi quis Sacerdotem alat, & ab illo poſtulet ſacrificium pro ſe offerri, non tamen ſub hac conditione, ſed vel ſolùm ex miſericordia, aut intuitu Religionis, aut ex mera liberalitate; tunc Sacerdos non tenetur ſacrificium pro illo offerre, imò abſque vlla iniuſtitia, poteſt ab alio iuſtũ Miſſæ ſtipendium accipere, vt pro eo ſacrificium offerat. E conuerſo, eſto Sacerdos offerat ſacrificium pro me, & mihi id euidenter conſtet, non ideo teneor ex iuſtitia illi ſtipendium dare, quia non ex mea, ſed ex ſua liberali voluntate id præſtitit. Vt igitur vtrinque oriatur obligatio ex iuſtitia, requiritur pactum, ſaltem implicitum, hæc enim obligatio pendet ex mutuo conſenſu, vel ex mutua promiſſione ſub conditione oneroſa, vtrinque etiam acceptata, in quo

Digitized by Google

ratio pacti, & conuentionis conſiſtit:& quidem hoc modo tacitè, vel expreſsè fit conuentio inter dantem ſtipendium, & recipientem; ille namque eo animo dat, vt alterum obliget: hic autem ſtipendium recipit animo ſe obligandi,& faciendi id, cuius cauſa datur; hoc enim ratio, & natura æqualitatis requirit. Conſtat igitur ex dictis in huiuſmodi actionibus non poſſe obligationem ex iuſtitia abſque pacto intelligi, & conſequenter nec in hoc pacto intrinſecam malitiam reperiri.

7. Quapropter ad primam rationem dubitandi ex variis textibus deſumptam, reſpondent aliqui, pactum hoc, eſto ex ſe malum non ſit, olim tamen fuiſſe prohibitum ob ſpeciem mali, & certam indecentiam, quam habet; eam verò prohibitionem per contrariam conſuetudinem eſſe abrogatam. Hæc tamen ſolutio inanis eſt, & falſo nititur fundamento, quia nec talis prohibitio oſtendi poteſt, nec habet locum vbi ſtipendij ratio interuenire ſolet: licuit autem ſemper in Eccleſia dare Miniſtris ſacrificiorum ſtipendium ad eorum ſuſtentationem. Vnde in ratione ſtipendij intrinſecè includitur pactio aliqua, ſicut intrinſecè ex illo oritur obligatio iuſtitiæ, atque ideo mercedi operarij,& ſtipendio militis à Chriſto, & Paulo merito comparatur.

Secundò reſpondent alij, in actione ſacrificandi duo poſſe conſiderari.

Primum eſt ſacrificium ipſum, & fructus ſpiritualis, & ſub hac ratione certiſſimum eſt non poſſe Miſſam pretio æſtimari, aut in pactum deduci, eſſet namque manifeſta ſimonia, & magna rei ſacræ irreuerentia.

Secundum eſt corporalis labor, ſeu occupatio, & ſub hoc prætextu dicitur miniſterium illud pretio æſtimabile, & conſequenter poteſt in pactum deduci; res enim materialis non amittit ſuum temporalem valorem ob conditionem ſpiritualem eidem annexam, vt patet de calice conſecrato,& aliis eiuſmodi.

Hæc ſolutio mihi nec probabilis,nec tenenda videtur, quidquid in contrarium opinetur Suar. *loco cit.* Nam in Miſſæ celebratione duplex labor conſideratur. Alter eſt cum ipſa celebratione coniunctus, vt legere Miſſam,flectere genua, & manus clauere; & hic ſpiritualis dicitur, cùm huiuſmodi actio laborioſa rem ſpiritualem producat, nempe gratiam, habeátque originem à principio ſpirituali,ideſt, ab ordine ſacro, atque ideo ſimonia eſt pro hoc labore pecuniam accipere. Ita Caiet. *ſum. verb. ſimonia.* Sylu. *tit. eodem.* §.5. Sotus *de iuſt. lib.9.q.6.art.*2.& Arag. *de iuſt. quæſt.* 100. *de ſimonia, art.* 2. *dub. de vẽdente laborem*, &c. *concl.* 1. vbi pro hac ſententia refert D.Thomam, Petrum de Aliaco, & Abbatem, qui *cap. ſuam, de ſimonia*, recedit ab opinione,quam in contrarium tenuerat *in cap. ſignificatum, de præbendis.* Alter labor eſt, qui ipſam celebrationem antecedit,vt ad loca diſtantia accedere, tali hora, vel altari celebrare,&c. qui labor ſicut eſt merè temporalis, extrinſecus, & per accidens ſacrificio annexus, ita per ſe eſt pretio æſtimabilis; atque ideo eo poteſt maiori pretio æſtimari, quo magis creſcit labor ipſe, vel ratione diſtantiæ, vel ex quauis alia circunſtantia. Ita Abb. *in cap. cùm ſecundum, n.*3. *de præb.* Caiet. 2.2. *q.*100. *art.*3. Arag. *loco cit. concl.*3. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 45. & communiter omnes. Vnde cùm prædicta ſolutio non diſtinguat de quo labore ſit intelligenda, nec probabilis, nec tenenda videtur. Ad hæc, ſæpe contingit ceſſare omnino laborem,qui celebrationem ipſam antecedit,vt patet in Regularibus, qui pro celebrandis Miſſis nec coguntur iter facere, cùm parum,aut nihil diſtet Eccleſia ab eorundem cellis; nec tali,

vel

Digitized by Google

vel tali hora ſacrum facere, modò celebrent ante meridiem.

8. Dicès quòd ſaltem poteſt Sacerdos ſtipendium ſuſcipere, quia interim priuat ſe facultate dandi operam aliis rebus, ex quibus poſſet lucrum referre.

Reſpondetur quòd, regulariter loquendo, huiuſmodi lucrum non eſt proportionatum toti ſtipendio, quod de lege, vel conſuetudine pro vnius Miſſæ celebratione exhibetur, cùm tempus quod expendit, ſit ſatis breue, id eſt, ſemi horæ, ſeu vnius horæ ad ſummum.

9. Tertiò igitur reſpondetur, in caſu noſtro non dari ſtipendium tanquam pretium Miſſæ, & conſequenter ſub hac ratione excluditur pactum, nempe extrinſecus ſuperadditum, quòd videatur res ipſa ſpiritualis vendi, vel locari, ſeu ſtipendium taxari, iuxta eiuſdem rei ſpiritualis valorem, ac æſtimationem: ſed dicimus dari ſtipendium duntaxat ob ſuſtẽtationem Miniſtris neceſſariam, & lege naturali debitam; ac ſubinde non excluditur pactum de huiuſmodi ſtipendio, quod in his humanis actionibus intrinſecè continetur, iuxta illud, *non alligabis os boui trituranti*. Vnde Suar. *ibidem* infert, in hoc nullam rei ſpirituali fieri iniuriam, ſed humanæ potius neceſſitati ſubueniri, quippe miniſter ſine alimento, nec viuere vllo modo poteſt, nec ſpirituali miniſterio etiã vacare, prout decet. Atque ideo in Concil. Agathen. *cap.* 36. & refertur 1. *q.* 2. *cap. Clerici*, ſic diſponitur; *Clerici omnes qui Eccleſia fideliter vigilantérque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundùm ſeruitij ſui meritum per ordinationem Canonum à ſæcularibus conſequantur*. Et in hoc ſenſu eſt interpretandus D. Thom. *vbi ſuprà.*

10. Ad ſecundam rationem ex Concil. Tridentino habitam, reſpondetur ibi ſolùm agi de Miſſis nouis, in quibus ibidem prohibetur etiam fieri pactum, & conuentiones; cùm enim nec conſuetudine, nec Epiſcoporum ſtatuto ſit adhuc illarum ſtipendium taxatum, inde poſſent proculdubio noui Sacerdotes occaſionem ſumere quærendi magna ſtipendia excedentia id, quod pro debita ſuſtentatione ipſis competit. Prohibet ſimiliter Concilium omnem auaritiæ ſpeciem, & ſuperſtitionem in Miſſarum celebratione; in recipiendo autem, & exigendo iuſtum, & conſuetum ſtipendium pro ſuſtentatione, nec vitium auaritiæ reperitur, nec ſuperſtitio, vt ſatis conſtat ex dictis.

11. Sed quæres primò, an Sacerdos, qui vel ratione patrimonij, vel beneficij eccleſiaſtici abundanter habet, vnde ſuſtentetur, poſſit pro Miſſæ celebratione ſtipendium accipere, vel exigere.

Atque in primis circa Sacerdotem ex patrimonio diuitem, tenent nonnulli partem negatiuam, ducti, quia ſtipendium pro Miſſarum celebratione ſolùm accipi poteſt in ſuſtentationem, & conſequenter qui hac non indigent, nequeunt illud recipere. Ita ſentire videntur Caiet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Sylu. *verb. Simonia, q.* 3. Adrianus *in* 4. & materia *de reſtit. fol.* 91. & Gratianus *cap. Paſtores*, §. *verum, q.* 2. vbi multa congerit iura, quibus ſignificatur Sacerdotes diuites non poſſe ritè redditibus eccleſiaſticis frui, atque eiſdem ſuſtentari.

12. Cæterùm oppoſitum eſſe abſolutè tenendum, mihi certiſſimum eſt. Ita D. Thom. *quodlib.* 6. *art.* 10. Gabr. *ſuper can. Miſſæ lect.* 28. Victoria *in relectione de ſimonia.* Suar. *tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 3. Sotus *de iuſt. lib.* 9. *q.* 6. *art.* 1. Arag. ſimiliter *de iuſt. q.* 100. *de ſimonia, art.* 2. *dub. de Clerico diuite.* Nau. *ſum. cap.* 23. *n.* 102. Gloſ. & DD. *in cap. Clericos,* 1. *q.* 2. & eſt communis. Ducor, tum quia Sacerdoti miniſtranti ex iuſtitia debetur alimẽtum, iuxta illud Matth. 10. *Dignus eſt operarius*, &c. ac ſubinde iuſtè poteſt illud

Digitized by Google

illud recipere, eſto ſit temporaliter diues; id namque eſt valde extrinſecum, & per accidens, quod non tollit ius proprium illi, cui per ſe competit. Tum quia ſicut Sacerdos etiamſi propria induſtria, laboréve poſſit integrum victum lucrari, non tamen tenetur, ſed de altari viuere valet, vt habetur ex 1. *Cor.* 9. ſic etiam poterit idem facere, eſto temporales habeat redditus; vſus enim artis, vel propria induſtria temporalibus diuitiis interdum æquiualet. Tum etiam, quia ſicut *in cap. charitatem*, 12. *q.* 1. *& in cap. cùm ſit Romana, de ſimonia*, conceditur quòd Epiſcopi, licèt alioquin diuites ſint, poſſint pro Eccleſiarum viſitatione aliquod ſtipendium recipere; ita ſimiliter Clerici, quamuis aliàs ſint diuites, poterunt recipere, quę ad victum fuerint neceſſaria.

13. Ad fundamentum contrariæ opinionis, reſpondetur præciſam rationem conferendi ſtipendia non eſſe, quia miniſtri ſunt pauperes, ſed quia Altari deſeruiunt, nemo enim cogitur propriis ſtipendiis militare; militarent autem clerici ſuis ſtipendiis, ſi aliis inſeruientes ſe ſuis opibus ſuſtentarent. Vnde eſto diuites ſint, licitè poterunt ſuſtentationis ſtipendia recipere, imò & illa in pactum deducere: quia quod iure petitur, iure etiam in pactum deducitur. Cùm igitur de iure naturali debeatur victus laboranti, vt habetur ex dictis, conſequenter ſiue diues, ſiue pauper, poterit paciſci de illo.

14. Nec obſtat id quod inſinuatur ex D. Hieron. qui *in Epiſtola ad Damaſum*, & refertur 1. *q.* 1. *cap. Clericos*, inquit expreſsè Clericos diuites non eſſe ſuſtentandos de bonis Eccleſiaſticis. Nam Gloſ. ibi multipliciter reſpondet.

Primò, quòd ſub illis verbis non continetur præceptum, ſed exhortatio.

Secundò, quòd loquitur de iis, qui occaſione ampliandi patrimonij ſui, ſe à diuinis ſubtrahunt obſequiis.

Et tertiò, quòd ibi eſt ſermo de quarta pauperibus debita, quę abundantibus dari prohibetur.

Addit autem Arag. *vbi ſuprà*, aliam ſolutionem, dicendo id eſſe exponendum iuxta morem antiquum: erat enim conſuetudo in primitiua Eccleſia, vt viduæ, & pauperes, & ſacris initiati, ſiue exercerēt ſacra miniſteria, ſiue non, alerentur ex Eccleſiæ facultatibus, & ærario publico; ait ergo Hieronymus Clericos ſacris initiatos, ſi ſint pauperes, alendos fore, eſto nihil muneris in Eccleſia exerceant; at ſi diuites ſint, habuerintve parentes, qui ipſis ſuffragari poſſint, non eſſe ex Eccleſiæ facultatibus alendos, nempe ſi ſacra myſteria non exerceant.

15. Vt autem quod de Sacerdote diuite ex beneficio ſentiendum ſit, aperiamus, prænotare oportet, beneficia quædam eſſe ſimplicia, & alia curata. De ſimplicibus certum eſt, attendendam ſemper fore eorum inſtitutionem. Nam quæ ad effectum celebrandi ſunt inſtituta, obligationem inducunt celebrandi ſingulis, vel certis tantùm diebus iuxta intentionem eorum, qui ſub hac conditione oneroſa redditus Eccleſiæ tribuunt, & huiuſmodi ſunt, quæ Capellaniæ dicuntur. Ea verò, quæ ob alios fines inſtituta ſunt, & nec expreſsè ex vi ſuæ inſtitutionis huiuſmodi onus imponunt, nec de eo ſufficienter conſtat ex conſuetudine, ſeu alia lege, vel ſtatuto, non inducunt talem obligationem. Ratio eſt, quia beneficium datur propter officium, & conſequenter ſolùm obligat ad illud officium, ſub cuius intuitu datur: cùm igitur beneficia aliquando non dentur ob officium celebrandi Miſſam, ſed ob officium pſallendi, ſeu quouis alio modo Eccleſiæ inſeruiendi, proinde nec obligat ad officium

Digitized by Google

officiũ celebrandi Miſſam,& huiuſmodi ſunt multæ dignitates eccleſiaſticæ, Canonicatus, portiones, præſtimonia, & eiuſmodi alia. Imò etiam ſi cum officio horum beneficiorum interdum ſit coniunctum onus celebrandi Miſſam in tali Eccleſia, adhuc tamen per ſe,& ex vi inſtitutionis eorum non oritur obligatio applicandi illam Miſſam pro hac, vel illa intentione, niſi aliunde ex peculiari conſuetudine, ſeu ſtatuto talis Eccleſiæ id conſtet; ſunt namque illa duo valde diuerſa, nec vnum per ſe, & directè ex alio ſequitur.Ita Suar. *loco cit. ſect.* 1. atque ex mox dicendis magis fiat manifeſtum.

16. De beneficiis curatis ſolet ſpecialiter controuerti, an eſto Parochi teneantur celebrare ſingulis diebus, poſſint noua ſtipendia accipere pro Miſſarum celebratione. Partem negantem tenet Sotus *lib.9. de iuſt. q. 3. art. 1. & in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2.* & Nugnus *in 3. p. q. 83. art. 1. concl. 2. pag. mihi* 501. Fundamentum eorum eſt, quia Parochi aluntur à ſuis ouibus, ac ſubinde tenentur pro illis ſacrificium offerre, ſicut tenentur per ſe, vel per alium in ſuis Eccleſiis celebrare.

17. Hæc opinio nullo nititur valido fundamento, & conſequenter non eſt tenenda, ſed potiùs abſolutè dicendum, Parochos nõ teneri ad ſacrificandum ſaltem quotidie pro ouibus ſuis, quamuis teneantur in Eccleſiis ſuis celebrare ſaltem diebus feſtis, vt populus Miſſam audire poſſit. Ita Maior. *in 4. diſt. 45. q. 3. dub. 3.* Palud. *ibidem*, ſimiliter *q. 3. dub. 3.* Nau. *ſum. c. 25. n.* 135. Cord. *lib. 1. q. 4. dub. 5.* ibi, *& quia de Curatis.* Suar. *loc. cit.* Rod. *ſum. 1. p. cap. 251. concluſ.* 1. & latè Bonac. *tom. 1. diſp. 4. q. vlt. punct. 7. propoſit.* 2. cum aliis per eum relatis *num.* 5. Suadetur autem ſic,

18. Primò, quia beneficium curatum inſtituitur ad animas doctrina, & ſacramentorum adminiſtratione paſcendas, non verò ad ſacrificandum pro illis. Hoc enim non eſt ex ſe neceſſarium ad animarum regimen: igitur ex vi ſui beneficij Parochus ſolùm tenetur ad officium, ſub cuius intuitu fuit inſtitutum,& ſibi datum.

19. Secundò, quoniam huiuſmodi obligatio nullo iure poſitiuo cauetur, vt conſtat. tum quia nec ſcriptum, nec conſuetudine declaratum oſtendi poteſt. tum quia non eſt veriſimile quòd in vniuerſa Eccleſia vigeat conſuetudo aliqua præcepto eiuſdem Eccleſiæ contraria.

20. Tertiò, quia nec Epiſcopus pro ſuo Epiſcopatu, nec Papa pro vniuerſa Eccleſia tenetur quotidie ſacrum facere, ſed alia habent paſtoralia munera, ratione quorum redditus eccleſiaſticos poſſideant: igitur idem eſt de Parochis ſeruata proportione dicendum. hæc autem limitanda cenſeo, niſi obſtet ſtatutum aliquod, ſeu conſuetudo, cui ſemper ſtandum erit.

21. Fundamentum contrariæ opinionis facilè ſoluitur ex dictis; quanuis enim Parochi alantur à ſubditis, non tamen propter obligationem celebrandi pro ipſis, ſed quia eis miniſterio Sacramentorũ inſeruiunt. Negatur etiam ſimilitudo adducta. aliud namque eſt teneri ad dicendam Miſſam, vt Parochiani poſſint eam audire,& aliud teneri ad offerendum pro ipſis: atque ideo etſi prius concedamus, poſterius tamen negamus, ſunt enim valde diuerſa, vt aliis citatis probat Fraxinellus *in ſuo tract. de oblig. ſac. ſect. 3. prænot.* 2. Nec dictis obeſt declaratio S. Congregationis Concilij ſub anno 1626. dum ait Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique oneri ſatisfacere.

Digitized by Google

Reſpondetur enim id intelligi dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione, quod nos etiam certiſſimum reputamus, & fatetur Bonac. *punct.* 8. *num.* 6. cum aliis, quos ipſe refert.

22. Quæres ſecundò, quódnam ſit iuſtum Miſſarum ſtipendium. Atque in primis hîc non agimus de ſtipendio, quod ex aliquo eccleſiaſtico titulo, ſeu ex redditibus certis, & ſtabilibus procedit, tunc enim certiſſimum eſt, quidquid tali titulo annexum reperitur, ſeu ob piam cauſam relictum, aut donatum fuit Eccleſiæ, eſſe iuſtum talis obligationis ſtipendium, neque in hoc poteſt eſſe exceſſus. tum quia huiuſmodi redditus voluntariè Eccleſiæ donãtur. tum quia decens Sacerdotis ſtatus habet latitudinem, ac propterea ſi is, qui Capellaniam, vel ſimile beneficium inſtituit, vult pinguiores redditus, ſeu maius ſtipendium ob ſingula ſacrificia relinquere, totum id rationem iuſti ſtipendij ſubire dicitur. E conuerſo autem ſi interdum eueniat, quòd redditus ſint adeò tenues, vt mediocre, vel minimum ſtipendium non attingant, quomodo, & à quo id ſit ad æquitatem reducendum dicemus *dub. ſequenti.* Solùm igitur in præſenti agendum erit de ſtipendiis, quæ à fidelibus voluntariè exhibentur pro Miſſarum celebratione, & ab Hiſpanis *pitanze* vocantur.

23. De his itaque dicimus illa iuſta æſtimari ſtipendia, quæ à Superiori poteſtatem habente taxata ſunt. Ratio eſt, quia licèt Miſſarum ſtipendia non ſint verè pretia, tamen quatenus in eis dandis, & recipiendis ratio iuſtitiæ intercedit, ſeruant quandam proportionem, & in eis requiritur medium aliquod æqualitatis, ſine qua nec vera iuſtitiæ ratio, nec medium illius inueniri poteſt: igitur ſicut pretia rerum poſſunt communi lege, & publica poteſtate taxari; ita & iuſta Miſſarum ſtipendia, vltra quam taxationem aliquid maius exigi non poteſt. Patet conſequentia, tum à paritate rationis, tum quia cùm hoc medium non ſit ex natura rei definitum, nequit certiori modo, aut via præſcribi, quàm ſi lege communi, & publica poteſtate taxetur. Hæc autem poteſtas eſt in Eccleſia, vel vniuerſalis in Romano Pontifice, vel particularis pro ſuis diœceſibus in Epiſcopis. Vnde non licet Sacerdoti maiora, vel plura ſtipendia pro vna Miſſa exigere, quàm ſint à prædictis taxata. Ita Suar. *d. diſp.* 86. *ſect.* 2. Miranda *in man. Prælat. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 23. *concl.* 1. & eſt communis.

24. Si Miſſarum ſtipendium non ſit cõmuni lege taxatum, illud erit iuſtũ, quod cõmuni cõſuetudine fuerit receptum, & approbatum, ſeu quod à viris prudentibus, & Deum timentibus communiter peti, aut dari ſolet. Ita præfati authores, & eſt ferè communis. Probatur autem, tum quia excluſa lege taxante, hæc eſt communis via cenſendi, ſeu iudicandi iuſta pretia rerum, vnde quoniam Miſſarum ſtipendium, eſto non ſit propriè pretium, cum eo tamen proportionem ſeruat, idem conſequenter de illo ſentiendum eſt. tum etiam, quia non debet, nec expedit committi cuiuſcunque voluntati, vt ſuo arbitrio poſſit iuſtum Miſſarum ſtipendium taxare, augere, vel minuere; id enim repugnat rationi iuſtitiæ; igitur dum lege, & authoritate publica hoc non eſt definitum, ex communi æſtimatione, & conſuetudine, quæ habet vim legis, id erit petendum, ſeu iudicandum. Hinc fit quòd ſi contingat, ſtipendium non eſſe lege taxatum, cùm æqualitas iuſta non conſiſtat in indiuiſibili, ſed ſuam habeat latitudinem, vt habent rerum omnium pretia, quæ communi tãtùm æſtimatione præſcribuntur; cõmunis enim

æſtimatio

Digitized by Google

æſtimatio non ſemper eſtadeò fixa, & certa; idcirco ſicut in his pretiis ſolent gradus diſtingui, in infimũ, medium, & ſummum; ita etiam poſſunt huiuſmodi ſtipendia diſtingui. Atque ideo ſubiungit Suar. *concluſ.* 2. cauendum eſſe Sacerdotibus, ne more venalium rerum ſe in hoc negotio gerant, cum fidelibus nimirum contendendo, vt rigoroſa, & ſumma ſtipendia exigant; nam etſi in rigore non ſit iniuſtitia, eſt tamen quædam irreuerentia, ex qua plerumque ſcandalum prouenire ſolet. Ad hæc, ſi Sacerdos mediocri, vel infimo ſtipendio, iuſto tamen, ſemel contentus ſit, non poteſt illud deinceps arbitrio ſuo reducere ad rigoroſum ſtipendium, minuendo ſcilicet Miſſarum numerum; tum quia id eſſet contra iuſtam dantis voluntatem: tum, quia eſſet etiam acceptio rei alienæ domino rationabiliter inuito.

25. Quæres tertiò, an liceat hoc ſtipendium ita taxari, vt neque plus, neque minus, iuſtè accipi poſſit.

Negatiuè reſpondent Sot. *lib.* 9. *de iuſt. q.* 6. *art.* 1. *ad* 2. & plures alij ſtatim citandi, & rationem aſſignant, quia hoc eſſet impedimentum, & obſtaculum ponere piis fidelium voluntatibus. Vt autem hæc ſententia, & veritas faciliùs comprehendatur,

26. Dico primò, certiſſimum eſt, nec in dubium reuocari poteſt, quin hoc ſtipendium ita taxari poſſit, vt nec Sacerdotibus liceat maius exigere, nec etiam fideles minus dare poſſint. Hæc aſſertio quoad priorem partem neceſſaria videtur ad vitanda ſcandala, & ſacrilegia, quæ in exactionibus iniquis ſtipendiorum committi poſſunt; quoad poſteriorem verò expedit, vel etiam requiritur ad præcauendum ne laici cogant pauperes Sacerdotes, vt vili ſtipendio contenti ad hoc miniſterium obligentur. Et quidem ſi Sacerdotibus præſcribitur terminus, vltra quem plus non exigant, ratio æqualitatis poſtulat, vt laicis etiam iniungatur, ne minori ſtipendio poſſint Sacerdotes ad hoc obligare. Ita Cord. *lib.* 1. *q.* 4. & Suar. *ſect.* 2. *verſ. Sed circa hoc*, & eſt communis.

27. Dico ſecundò. Non obſtante dicta concluſione adhuc certiſſimum etiam eſt, quòd non prohibetur, nec prohiberi poteſt, quominus fideles maiora, ac duplicata ſtipendia exhibeant, ſi velint, modò id ſpontaneè faciant, ac ſimiliter non prohibetur, quominus Sacerdos minori ſtipẽdio cõtentus poſſit pro aliis ſacrificium offerre. Prior pars probatur, tum ex ratione Soti, quam ſuprà adduximus. Tum quia aliud eſt ex iuſtitia exigere, aliud quod gratis donatur accipere: igitur lex iuſtitię, per ſe loquendo, non impedit miſericordię, aut liberalitatis, vel etiam Religionis opus. Poſterior pars probatur, tum quia non obſtante lege iuſtitiæ, poteſt quiſpiam remittere, & cedere iuri ſuo; tum quia cùm poſſit Sacerdos omnino gratis, & abſque vllo ſtipendio ſe ad offerendum ſacrificium obligare, à fortiori poterit minori ſtipendio eſſe contentus.

28. Conſtat igitur ex vtraque præcedenti aſſertione, quòd poſita dicta taxatione, nec maius ſtipendium iuſtè exigi poteſt, neque minus dari, niſi volentibus, & conſentientibus, tam laicis, quàm Sacerdotibus. Ita Cord. *tract. de caſ. conſc. q.* 27. Calet. *ſum. verb. Simonia, in* 4. *regula*. Gutier, *lib.* 1. *quaſt. can. cap.* 29. *n.* 3. Petrus Cenedo ſimiliter *quaſt. can. q.* 27. *n.* 4. Ledeſma *ſum.* 1. *p. tit. de ſacram. Euchar. cap.* 18. *verſ. octaua concluſio.* Suar. *vbi ſuprà*, & Fagundez *lib.* 3. *de pracept. Eccleſ. cap.* 7. *n.* 6.

29. Dico tertiò, ſi in aliqua Eccleſia lex, ſeu ſtatutum feratur, vt pro nullo celebretur Miſſæ ſacrificium, niſi ex tali, vel tali ſtipendio, illicitum eſſet.

Digitized by Google

Ita D.Thom. 2. 2. *q*. 100. *art*. 3. *ad* 2. *ibidem* Caiet. & Arag. *verſic. non licet*, Nau. *ſum. cap*. 23. *n*. 106. Med. *ſum. p*. 1. *cap*. 14. §. 20. & ferè omnes ſuprà citati, quam ſententiam, moraliter loquendo, veram cenſet Suar. citatus, maximè ſi reſpectu perſonarum ſingularum talis lex fieret, quia per eam, (vt ait D.Thom.) præcluderetur via gratis impendendi pietatis officium; at reſpectu alicuius communitatis ſtatutum illud non ſemper eſſet malum, imò eſt in vſu plurium Eccleſiarum; pertinet namque vel ad quandam totius Capituli decentiam, vel ad congruam ſuſtentationem totius Eccleſiæ, & expenſarum, quæ in illa fieri conſueſcunt. Nihilominus nunquam intelligendum eſt per huiuſmodi ſtatuta prohiberi, quo minus, ſi miſericordiæ, pietatiſve ratio exigat, vt dictum ſacrificium abſque tali ſtipendio aliquando celebretur, id licitè fieri poſſit, ſaltem ex voluntate ac conſenſu eorum, ad quos de iure ſpectat; alioquin talis prohibitio ſic intellecta, pugnaret proculdubio contra rationem, æquitatem, & Chriſtianam pietatem, atque hoc præcipuè intendit D.Thom. *loco cit.* neque aliud ratio ipſius ſuadere videtur.

29. Quæres quartò, an licitè Sacerdos, cui ab vno, ſeu diuerſis plura fuere ſtipendia oblata pro tot Miſſis dicendis, non tamen integra, ſed minora, quàm per legem communem, ſeu conſuetudinem taxata ſunt, poſſit eas ad minorem numerum reducere, ad ratam eleemoſynæ, quæ iuxta taxationem factam debetur. Affirmatiuè reſpondent Cord. *lib*. 3. *q*. 4. *dub*. 1. Angles *in* 4. *ſent. p*. 1. *quæſt. de valore Miſſæ art*. 2. *concl*. 2. *Append*. 2. Miranda *in man. Prælat. tom*. 1. *quæſt*. 41. *art*. 13. *concluſ*. 3. Suar. *d. diſp*. 86. *ſect*. 4. *verſ. vnde conſequenter infero*. Vaſq. *in* 3. *part. tom*. 3. *diſp*. 234. *cap*. 3. *n*. 19. Filliuc. *tom*. 1. *tract*. 5. *cap*. 6. *num*. 181. Nugnus *in* 3. *p. tom*. 1. *q*. 83. *art*. 1. *dub*. 9. *concl*. 2. Fraxinel. *ſect*. 4. *concl*. 1. §. 2. Azor. *p*. 3. *lib*. 12. *c*. 6. *q*. 3. & alij. Ducuntur, tum quia dum Sacerdoti non datur iuſtum, & integrum ſtipendium, fit illi iniuria, & iniuſtitia; tum quia quod iuſtitiæ terminum non excedit, iuſtè fieri poteſt; non autem exceditur iuſtitiæ terminus, cùm quis ſtipendium lege, vel conſuetudine taxatum, & non amplius recipit.

30. Limitat Cord. & poſt illum Fraxinellus, id intelligi, niſi adſit expreſſa promiſſio, vel iuramentum de dicenda Miſſa pro illo paruo ſtipendio, alioquin violaretur fidelitatis virtus, & periurium committeretur. Hanc tamen limitationem non eſſe neceſſariam cenſet Suar. quia adhuc Sacerdoti fit iniuria, cogitur enim ob paupertatem inæquale ſtipendium acceptare; atque ideo non obſtante pacto, ſeu promiſſione verbali poteſt compenſatione vti, & ſe indemnem ſeruare, reducendo Miſſas ad iuſtum, non tamen rigoroſum ſtipendium, ſicut famulus, ſeu operarius, cui condigna merces non tribuitur, poteſt damnum ſuum omni meliori modo poſſibili reſarcire, eſtò in principio ob paupertatem coactus ſit paciſci pro iniuſto, & inæquali ſtipendio.

Addit inſuper Cord. & poſt illum Azorius, poſſe Sacerdotem Miſſis iam celebratis auxilium iudicis implorare, vt curet conſuetum ſibi ſtipendium tradi, iuxta *cap. ad Apoſtolicam, de ſimonia*; ſi verò iudex, aut non poſſit commodè recuperari, poſſet ipſe Sacerdos ius ſibi dicere, compenſatione vtendo, ſicut de aliis debitis liquidis, & certis communiter ſentiunt DD.

31. Mihi oppoſitum videtur verius, & abſolutè tenendum. tum quia eſto ſtipendia non ſint integra, non tamen tollitur Sacerdoti libertas acceptandi, vel non acceptandi illa; & conſequenter

Digitized by Google

ter ſi illa acceptet, iuri ſuo ceſſiſſe videtur, & ſibi, ſuæque imprudentiæ imputet incommodum inde proueniẽs, cùm pinguius potuiſſet ſtipendium exigere, vel tenue oblatum non acceptare. tum quia ſicut qui tenuem acceptauit capellaniam quotidianam, ideſt, cum onere quotidie celebrandi, tenetur ad huiuſmodi onus donec Miſſarum numerus à legitimo Superiore minuatur, vt tradit Azor. *3. p. lib.12.c.6.q.4.* ita qui exigua contentus ſtipe promiſit Miſſam pro aliquo offerre, tenetur totum eius valorem pro illo applicare. tum etiam, quia ex oppoſito fraudarentur animæ defunctorum, qui ſperantes conſequi fructum tot, vel tot Miſſarum, ſufficiens ſtipendium pro illis dicendis reliquerunt: vnde non ſolùm hæredes ſunt in hoc caſu æſtimandi rei, ſed Sacerdotes etiam, qui tenui ſtipẽdio contenti non celebrant Miſſarum numerum expreſsè petitum, ac promiſſum. Ita Henriq. *lib.9. de Miſſa cap. 22. num. 5.* & Coninch. *q.83. art.1. dub. 10. num. 191.* ſubobſcurè tamen, ſed expreſsè Rodr. *ſum. tom.4. cap. 52. n. 4.* & Bonac. *d. diſp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 8.* qui etiam multos citat pro hac ſententia, quorum aliqui contrarium ſentiunt, vel nullam huius difficultatis mentionem faciunt. Et quidem noſtra concluſio videtur expreſsè haberi ex præcitato decreto de celebratione Miſſarum, vbi ſacra Concilij Trid. Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij præcipit, vt ſi pro pluribus Miſſis plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, aut locis piis, tot Miſſæ abſolutè celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

DVBIVM XX.

An Miſſarum obligationes poßint ad minorem numerum reduci, à quo, & quomodo.

1. SVppono nullum Sacerdotem priuata authoritate poſſe Miſſarum numerum, & obligationes reducere. Ratio eſt, quia voluntatem relinquentium, ſeu donantium ſtipendia, quibus determinatus Miſſarum numerus exquiritur, nemo, qui ſit Papa inferior, mutare poteſt; id enim ſolius Papæ munus exiſtit, cùm ille ſolus vltimam teſtatoris voluntatem mutare poſſit; imò nec Papa abſque cauſa legitima id præſtare poteſt. Ita Nau. *tom.1. conſil. lib.3. de celebrat. Miſſarum, conſil.9. num.9.* Azor. *p.3. lib.12. cap.6. q.4.* & alij.

2. Cæterùm dico primò. Epiſcopi, & Generalis Ordinum poſſunt tanquam Sedis Apoſtolicæ Legati ex cõmiſſione Concilij Trid. iuſta cauſa interueniente Miſſarum numerum minuere, Epiſcopi quidem in Synodo diœceſana, & Generales in Capitulis generalibus, ita habetur expreſsè *ſeſſ. 25. de reformatione cap. 4.* ſub his verbis. *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis vel tam magnũ Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis, nequeat ſatisfieri, vel eleemoſynam eiuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, vt facilè non inueniatur qui velit huic ſe muneri ſubiicere; vnde depereunt pia teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur. Sancta Synoda cupiens hæc ad pios vſus relicta, quo planiùs, & vtiliùs poteſt impleri: facultatem dat Epiſcopis, vt in Synodo diœceſana, itémque Abbatibus, & generalibus Ordinum, vt in ſuis Capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poßint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas*

Digitized by Google

hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat. hæc ibi.

3. Dico ſecundò. Prædicta reductio non extenditur ad Miſſas in fundatione beneficij eccleſiaſtici impoſitas, nec ad Miſſas poſt idem Concilium quoquomodo imponendas.

Prior pars ſuadetur, tum ex declaratione S. Congregationis eiuſdem Concilij, quæ ſub anno 1597. die 3. Martij cenſuit non licere Epiſcopo ex præcitato Concilij decreto reducere onera Miſſarum in fundatione appoſita. ſic refert Piaſecius *in praxi Epiſc. p. 2. c. 3. num. 3.* Vgolin. etiam *de offic. Epiſc. cap. 61. num. 1.* Forbus *in annot. ad compend. priuil. verb. Miſſa 3.* ibi, *ſecundò notandum*, & Garc. *de benef. tom. 2. part. 7. cap. 1. n. 131.* tum quia mentem fundatorum ad pios vſus diſponentium, inferior à Papa, eſto ſit Apoſtolicæ Sedis Legatus, alterare non poteſt, *Clem. 2. ante medium*, & *ibi* gloſ. *verb. Sedis Apoſt.* & Abb. *num. 3. de relig. dom.* Felin. *in cap. cùm acceſſiſſent, num. 17. in fin. de conſtit.* & Graff. *deciſ. aur. part. 1. lib. 2. cap. 35. num. 11.* Limita tamen, niſi in ipſa fundatione expreſsè caueatur, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, ſic enim declarauit S. Congregatio Concilij anno 1626. in reſponſione ad primum dubium.

4. Poſterior pars ſuadetur, tum quia ſic habetur ex decreto ſimiliter ſacræ Congregationis eiuſdem Concilij, quæ anno 1625. die 21. Iunij prohibuit ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alio quouis modo reducant vlla Miſſarum celebrandarum onera, quæ ſint aut poſt idem Concilium, aut in limine fundationis impoſita; ſed pro his reducendis, aut moderandis, ſeu commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurrant, reductiones autem, moderationes, ſeu commutationes alioquin factas, omnino nullas, & inanes declarat. tum etiam, quia in his, in quibus poteſt quis diſpenſare, non poteſt in futurum ſtatuere; eſſet namque occaſio peccandi, & fideles decipiendi. Ita M.A. Genuenſ. *in man. Prelat. cap. 72. num. 3.* citans Feder. *conſ. 175.* & Felin. *in cap. fin. de conſtit. cap. mala, diſt. 8.* tenent etiam Rodr. *qq. regul. tom. 1. q. 43. art. 13. & in ſum. 1. p. cap. 152.* nec non Miranda *in man. Prelat. tom. 1. q. 43. art. 24.*

Nec refert ſi dicas Concilium Tridentinum quoad hoc corrigi, ſeu limitari per prædictum eiuſdem Concilij decretum, vt falsò aliqui arbitrantur, & quidem falſum eſſe conſtat, quoniam aliàs adderetur clauſula aliqua reuocatoria, nempe, non obſtante Concilij decreto, aut alia ſimilis, qua fieret modo aliquo ſpecialis eiuſdem Concilij mentio, vt tenent communiter omnes.

5. Dico tertiò. Prædicta reducendi facultas valet ſolùm quoad alias Miſſas ante Concilium in magna multitudine, & cum magno onere à teſtatoribus relictas, ſiue in perpetuum, ſiue in numero determinato ſint celebrandæ. Ita refert Paſſar. *in comp. priuil. fol. 132.* fuiſſe ſibi reſponſum ab eadem ſacra Congregatione ſub anno 1575. & tenent Miranda *in man. Prelat. tom. 1. q. 41. art. 24.* Riccius *in praxi tom. 1. reſol. 341. num. 4.* Ragucius in Vaſq. *Eccleſ. diſcipl. de Epiſc. q. 6. n. 86.* Piaſec. *in praxi Epiſc. part. 2. cap. 3. art. 5. num. 3.* Garc. *de benef. tom. 2. par. 7. cap. 1. num. 131.* & plures alij. Imò idem habere locum in Anniuerſariis, ſi ob eorum numerum, vel ſtipendij tenuitatem obiri nequeunt, declarauit eadem S. Congregatio inſtante Archiepiſcopo, ſeu Capitulo Neapolitano ſub anno 1583. 25. Nouembris, vt teſtatur Steph. Quaranta *ſumm. Bull. verb. Miſſa.*

6. Ex

Digitized by Google

6. Ex dictis igitur conſtat cauendos eſſe Enriq. *lib.9.cap.22. num.6. lit. P.* & Miranda *loco cit.* dum aſſerunt Epiſcopum ex vi Concilij poſſe reducere Miſſas in fundatione beneficij appoſitas: ac ſimiliter Poſſeuinum *cap.2. num. 25. q.9.*& Naldum *verb. Miſſa num. 9.* dum ſentiunt Concilium generaliter, & abſolutè loqui de Miſſis, & legatis ſiue ante, ſiue poſt Conciliũ relictis: vtrumque enim eſſe falſum, habetur ex dictis *in ſecunda concluſ.* iuxta declarationes ſacræ Cógregationis Concilij, à quibus (teſte Bonac. *ſuprà* §.2.*num.*10.) non eſt abſque firmiori fundamento vllatenus recedendum.

7. Sed quæres primò, an Epiſcopi poſſint huiuſmodi reductionem efficere extra Synodum diœceſanam, & ſimiliter Abbates, ac Generales extra Capitula generalia.

Quoad Epiſcopos multi, & probabiliter quidem opinantur poſſe id efficere extra Synodum. Ita Enriq. *lib.9 de Miſſa cap.26.num.6.lit.P.* Nauarr. *in man. c.25. num.*138. Regin. *in praxi pœnit. tom. 2. lib.*23.*cap.*17.*num.*239. Miranda *in man. Prælat.tom.*1.*q.*41.*art.* 24. Barboſa *de poteſt.Epiſc.p.*2.*allegat.*28. *n.*12. Molfeſius *ſum.tom.*1.*tract.*3.*cap.*37.*n.* 29. Fagund. *de* 1. *præcept. Eccl.lib.*3. *cap.*7.*num.*14. & alij. Ducuntur primò, quia (vt ait Nauarr.) hoc quod continetur in Concil. Trid. quoad Abbates, & generales Ordinum, videtur ius nouum, non tamen quoad Epiſcopos, qui conſequenter poſſunt id nũc facere ſine Synodo, arg. *cap.cùm acceſſiſſent, & cap.ex parte, de conſtit.* cum vbi adnotatis; ſicut poterant iure antiquo, quod non videtur per Concilium ſublatum, cùm hoc ſit factum ad augendum, non ad tollendum, arg. *cap.finalis, de verb. ſignif.* ac ſubinde ius Concilij reſpectu Epiſcoporum videtur ſanè dicendum cumulatiuum, non priuatiuum.

8. Hæc probatio parui ponderis, & momenti eſt; nullibi enim in iure reperitur expreſsè hæc facultas Epiſcopis conceſſa ante Concilium Tridentinum; & quidem ſi antea de iure communi id poſſent Epiſcopi, fruſtrà eis poſtea concederetur; nec iura per Nauarr. allegata, de Miſſis, aut anniuerſariis loquuntur, *cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit.* ſolùm agit de quadam primiceriatus dignitate per ſtatutum Canonicorum Trullenſis Eccleſiæ extincta, cuius redditus Canonici inter ſe diuiſerunt, *& in cap. ex parte,* ſolùm agitur, & quæritur, an poſſint Canonici numerum Canonicorum reſtringere, & reſoluitur non poſſe, præſertim ſine cauſa.

9. Cæterùm poteſt idem probari ſecundò, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22.*cap.*6. ſtatuit, vt Epiſcopi in commutationibus vltimarum voluntatum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati ſummariè, & extraiudicialiter procedant, & veritate comperta id, quod ſibi melius in Domino viſum fuerit, prouideant: at huiuſmodi Miſſæ plerumque ſunt in teſtamento & vltimis voluntatibus relictæ; & hæc reformatio eſtò abſolutè reſtrictio dicatur, nihilominus ſi varietas temporis, & tenuitas ſtipendij ſpectentur, non reſtrictio, ſed compoſitio eſt, reformatio rationabilis, & commutatio quædam, quaſi iuſtitiæ ad æqualitatem: igitur cùm idem Concilium *ſeſſ.*25.*cap.*4. Epiſcopis concedit, vt in Synodo diœceſana poſſint pro ſua conſcientia ſtatuere circa hæc quid eis magis ad vtilitatem animarum viſum fuerit, non concedit talem poteſtatem priuatiuè, quaſi velit eos priuare poteſtate aliter faciendi, ſed cumulatiuè, vt iuxta temporis, & neceſſitatis exigentiam poſſint id vel in Synodo, vel ſine illa efficere.

10. Tertiò, quia cùm Concilium *d. ſeſſ.*25. *cap.* 4. totum hoc negotium re-

Digitized by Google

miſit ad Epiſcopum, & ad Synodum diœceſanam, videtur ſupponere Synodos diœceſanas ſingulis annis eſſe celebrandas, ſic enim præſcripſerat *ſeſſ.*24. *præcedenti, cap.*2. *in decreto Reformationis.* Vnde cùm ipſæ nunc rariſſimè, & ferè nunquam celebrentur, ſaltem in aliquibus diœceſibus, videtur ſimiliter ceſſare vltima diſpoſitio *ſeſſ.* 25. cùm iſta ſit dependens ab illa, atque ex obſeruatione illius pendeat huius obſeruatio.

11. Hinc nonnulli ex præcitatis authoribus ſentiunt non opus eſſe Synodo ad faciendam huiuſmodi reductionem, de qua loquitur Concilium, ſed ſatis eſſe quòd id præſtet Epiſcopus de Capituli conſenſu, ſi neceſſitas vrgeat, & fauet Felin. *in cap. cùm acceſſerint, de conſtit. col.*8. *num.*19. Enriq. ait ſufficere quòd id efficiat Epiſcopus de conſilio Capituli. Atque ſic fuiſſe determinatum in Synodo Salmanticenſi, vbi plures doctiſſimi viri erant congregati, teſtatur idem author. At Fagundez *num.*15. conſtanter aſſerit poſſe Epiſcopos aliquando id efficere propria ſua authoritate, de conſilio tantùm virorum prudentum, ac litteratorum, & rationem reddit, quia cùm frequentes ſint Epiſcoporum occupationes, & grauiſſima eiſdem occurrant negotia, idcirco non facile poſſunt Capitulum adire, ſeu conuocare, vt ibi de huiuſmodi reductionibus agant, & Capitularium iudicium exquirant, cùm tamen aliunde viros litteratos facilè habeant, & conſulere queant.

12. Hæc opinio videtur ſatis probabilis, & æquitati conſona, tum ob ſecundam & tertiam probationem, tum quia alioquin nō ſatis fuiſſet per Concilium circa hæc prouiſum. Nam ſi contingat quòd Miſſæ, vel ob ſtipendij tenuitatem, vel ob Sacerdotum carentiam non celebrentur, tunc niſi Epiſcopis liceat extra Synodum prouidere, id profectò in notabile animarum defunctorum præiudicium, & conſcientiarum hæredum detrimentum reſultabit; cùm nec decretum de Synodo quotannis celebranda obſeruetur, vt conſtat, nec hęredes ipſi præ nimia, qua forſitan opprimūtur, inopia, poſſint Sedis Apoſtolicæ remedium procurare; videtur igitur dicendum id licere Epiſcopis extra Synodum; imò abſque Capituli conſenſu, cùm id nullo iure caueatur expreſsè; & conſequenter ſufficiet eiuſdem Capituli, vel etiam virorum literatorum conſilium. Doctores autem aſſerentes requiri Capituli conſenſum, poſſent exponi de honeſtate, ſeu congruentia, non de neceſſitate.

13. Nihilominus dicta opinio mihi non omnino probatur, niſi in caſu alicuius grauis neceſſitatis, & præciſis priuilegiis, quibus fulgent aliquando Epiſcopi, ſicut de Eminentiſſimo Cardinali Borromæo olim Archiepiſcopo Milanenſi, teſtatur Bonac. *loco cit. num.* 9. nam in Tridentino conceditur facultas Epiſcopis moderandi numerum Miſſarum, non tamen ſimpliciter, & abſolutè, ſed in Synodo diœceſana. atque ideo regulariter ita eſt interpretandum, & ita cenſent Bonac. *ibidem.* Garc. *de benef. tom.*2. *p.*7. *c.*1. *num.*134. Azor. 3. *p. lib.*12. *cap.*6. *q.*4. & alij. Vnde quoad Abbates, & Generales Ordinum, à fortiori dicendum eſt, non poſſe Miſſarum numerum iuxta Concilij diſpoſitionem reducere, niſi in ſuis Capitulis generalibus, ita enim Concilium expreſsè ſtatuit, & tenent communiter omnes DD.

14. Quæres ſecundò, quid intelligatur nomine Eccleſiaſtici beneficij, cùm dicimus Miſſas in fundatione beneficij appoſitas non poſſe ab Epiſcopis, nec à Generalibus Religionum ex vi Tridentini reduci ad minorem numerum.

Reſpondetur intelligi Capellaniam, ſeu Capellam, cùm habeat ſpirituale annexum,

Digitized by Google

annexum; vt ex ſacris Canonibus explicat Paul. Fuſc. *de viſit. & regim. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Vnde, quamuis Capellania ſit parui valoris, & modici fructus, non ideo excluditur, vt non ſit beneficium eccleſiaſticum; valor enim non minuit eius qualitatem, vt ex eod. Fuſc. *num.* 10. cenſet Fraxinellus *ſect.* 7. §. 5. *num.* 7. Capella autem ſumitur tum pro altari in aliqua Eccleſia conſtructo, tum pro Capella extra Eccleſiam poſita, ob maiorem fortaſſe alicuius populi commoditatem. Ita Mandoſius *in reg. de Annalib. q.* 17. apud Fuſc. *loco cit. n.* 6. Nullus igitur Prælatus poteſt Miſſas reducere, quæ ex fundatione, ſeu dotatione alicuius Eccleſiæ, Capellæ, ſeu altaris celebrari debent, etiam ſi fructus beneficiorum huiuſmodi pro Miſſarum oneribus ſuſtinendis non ſufficiant, vt habetur ex dictis *dub. præcedenti*; poteſt tamen Epiſcopus, ſeu Abbas, & Generalis reſpectiuè; Miſſas reducere, quæ ex variis defunctorum relictis abſque vllo beneficij eccleſiaſtici titulo impoſitæ ſunt, etiam teſtamento, vt in aliqua determinata Eccleſia, capella, ſeu altari celebrari debeant. Ita Fraxinel. *ibidem num.* 12. vbi inſuper addit ſic poſſe interpretari authores, qui aſſerunt poſſe ex vi Concilij reduci Miſſas in capellis, capellaniis, ſeu altari fundatas.

15. Quæres tertiò, quomodo ſit facienda huiuſmodi reductio. Negotium hoc ſatis difficile eſt, & in quo cautè, ac prudenter Prælatus procedere tenetur, agitur namque de mutanda vltima defuncti voluntate, quæ modis omnibus ſeruanda eſt, 13. *q.* 1. Atque ideo in primis iuſta cauſa adeſſe debet. Io. Driedo *lib.* 2. *de libert. cap.* 4. & Io. Molan. *de pijs teſtament. cap.* 63. apud Fraxin. *ſect.* 7. §. 4. *num.* 2. Iuſta verò cauſa æſtimatur, ſi curſu temporis, vel Clericorum, vel Religioſorum numerus diminuatur; aut Eccleſiæ, ſeu monaſterij redditus extenuentur, aut denique impenſæ maiores fiant. Azor. 3. *p. lib.* 12. *cap.* 6. *q.* 5.

16. Deinde præcipua conditio à Concilio Trid. *vbi ſuprà* determinata ea eſt, vt defunctorum, qui pro ſuarum animarum ſalute, ea legata reliquerunt, commemoratio fiat. Quæ commemoratio fieri poterit, ſi Prælatus ſtatuat, vt ſemel in hebdomada generalis Miſſa celebretur, vel cantetur pro defunctis; vel vt ſingulis feriis ſecundis recitetur, ſeu cantetur primum nocturnum defunctorum; vel aliquid aliud eiuſmodi fiat, quo animabus benefactorum conſulatur. Barth. Vgol. *de offic. Epiſc. cap.* 61. *num.* 1. & Fraxin. *ibidem num.* 17. In Miſſis autem reductis commemoratio fiat per intentionem applicationis Miſſarum, per preces in ſecundo Memento, & per Collectas in Miſſis faciendas, atque ita declaraſſe ſacrã Congregationem Concilij *ſuper præcit. cap.* 4. in deciſione, quæ incipit, Commemorationi faciendæ, refert Ioan. Franc. Leo *in praxi for. eccleſiaſt. part.* 2. *de voto, & voti diſpenſ. cap.* 11. *num.* 38.

17. Enriq. *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 22. *n.* 7. agens de reductione à Regularibus facienda, ſic ait, Generalis Paſtor Ordinis cum Capitulo generali poteſt prudenter facere eam numeri reductionem Miſſarum, ſicut de Epiſcopo dictum eſt. Quòd ſi ad finem anni ſuperſint multarum Miſſarum ſtipendia, quibus monaſterium ſatisfacere non potuit, ſolent eædem Miſſæ pro dictis reputari, & ſtipendia vim obtinent eleemoſynæ, Papa rationabiliter commutante voluntatem contribuentium; nec in hoc fit illis vlla iniuria, tum quia quoad impetrationem diuinorum donorum ſatisfit ipſis per Miſſas, quæ in tali monaſterio celebrantur generali intentione pro benefactoribus, tum quia quoad ſatisfactionem temporalem fit eiſdem compenſatio per bonorum operum

Digitized by Google

monaſterij, vel Religionis applicationem, ſeu communicationem; qualis fit Confratribus,& benefactoribus; imò & per commemorationem in aliis Miſſis, & ſuffragiis. Hæc Henriq. Huius doctrinæ fundamentum eſt, quia Papa eſtò non ſit diuinæ legis, & naturalis dominus; eſt tamẽ illius diſpenſator;& quamuis nõ habeat rerũ omnium temporalium,& humanarum contractuum abſolutum dominium,habet tamen iuriſdictionem, ac poteſtatem ad eorum gubernationem,quatenus ad finem ſupernaturalem modo aliquo expediunt; atque ideo poteſt rationabili cauſa interueniente relaxare obligationem votorum, iuramentorum, & pactorum, quæ inter homines iniri conſueſcunt, etiam ſi diuino,& naturali iure, Deo, & hominibus ad ea ſeruanda teneamur: ac ſimiliter in reſtitutione bonorum, quæ ſunt incerta, & in obligationibus vltimarum voluntatum, habet diſpenſandi facultatem, ob commune Eccleſiarum beneficium. Ita Dried. & Molan. *vbi ſuprà*.Sylu. *verb. Papa,q.* 12. *&* 13. Cord. *lib.*3.*q.*4. *dub.*3.& Regin. *tom.* 2. *lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 239. vbi etiam ſubiungit, quòd ſicut Papa poteſt taxare generaliter ſtipendia pro Miſſis, atque etiam augere, ſi expedire iudicauerit; ita poteſt in illis diſpenſare in huius, illiúſve monaſterij, ſeu Eccleſiæ beneficium, ſi neceſſitas eius ita exigat.

DVBIVM XXI.

An Sacerdos vnico ſacrificio poſſit pluribus obligationibus aliquando ſatisfacere.

1. PRo huius dubij explicatione præmittendum eſt,quibus perſonis Miſſæ ſacrificium conferat fructum ſuum. Sunt igitur diſtinguendæ duæ habitudines, ſeu rationes perſonarum ad hoc ſacrificium,nempe offerentis,& eius pro quo offertur: quamuis enim vna,eadémque perſona poſſit interdum eſſe offerens, & pro quo offertur; poſſunt tamen ad inuicem perſonaliter ſeparari, & de facto aliquandò ſeparantur iſtæ duæ habitudines. Poteſt namque quis eſſe offerens,& nullatenus pro ſe offerre, ſed totum ſacrificij fructum alteri applicare: & è conuerſo, poteſt euenire quòd nullo modo quis offerat, nec ſacrificio interſit,& tamen pro ipſo ſacrificium offeratur. Offerentes igitur ad 4.capita reducuntur,ſeu reduci poſſunt; nam primus offerens eſt Chriſtus Dominus. Secundus dici poteſt Eccleſia, cuius nomine etiam offertur, & ſub qua quodam modo cuncta eius membra comprehenduntur. Tertius offerens eſt Sacerdos ipſe, qui vt miniſter, & in perſona Chriſti ſacrificium offert. In 4.ordine ſunt omnes alij, qui ſpecialiter cum Sacerdote concurrunt ad idem ſacrificium offerendum. De hac perſonarum habitudine, id eſt, de offerentibus egimus *dub. vlt. principali præcedenti concl.* 2. Supereſt nunc dicendum de ſecunda, id eſt, de iis, quibus applicatur, ſeu pro quibus offertur ex opere operato pars aliqua fructus ſacrificij huius ſecundùm ſe, & prout eſt à Miniſtro in perſona Chriſti offerente. Quapropter

2. Dico primò, certũ, ac indubitatum eſt, Miſſæ ſacrificium conferre ſuum effectum ex opere operato eis, pro quibus offertur à Sacerdote, etiam ſi ille, pro quo fit oblatio, nullo modo offerat, dummodo non ponat obicem. Hæc aſſertio eſt omnium communis. Et probatur ſic; nam effectus ex opere operato alicuĩ dandus, confertur illi infallibiliter, niſi ponat obicem, vt patet in Sacramentis, quorum effectus eſt ex opere operato, & conſequenter illum confe

Digitized by Google

conferunt infallibiliter eis, qui Sacramenta recipiunt, niſi obicem ponant: ſed ille cui conferendus eſt effectus huius ſacrificij, non eſt determinatus à Chriſto ex vi ſuæ inſtitutionis, nec determinatur nunc per voluntatem eius vt exiſtentis in cœlo; ergo nequit alius eſſe, niſi is, quem Sacerdos ſua intentione determinauerit, ſeu pro quo obtulerit, aut effectum huiuſmodi applicauerit. Conſequentia eſt legitima, & tenet à ſufficienti partium enumeratione. Minor autem explicatur ſic, quia alioquin vel dicta inſtitutio facta eſſet, ita vt fructus maneat neceſſariò in ipſo Miniſtro offerente; id tamen non eſt dicendum, tum quia oppoſitum conſtat ex Eccleſiæ vſu, qui eſt vt pro aliis offeratur; tum ex communi ratione ſacrificij publici, ſeu oblati à Sacerdote vt publico Chriſti miniſtro cuius munus eſt, vt pro peccatoribus offerat. Vel facta eſt inſtitutio ita, vt fructus ſit totius Eccleſiæ, ac inter cuncta eius membra diſtribuatur iuxta vniuſcuiuſque capacitatem ex vi inſtitutionis abſque noua applicatione, ſicut videntur ſenſiſſe Præpoſitiuus, & alij antiqui, aſſerentes hoc ſacrificium non magis prodeſſe ei, pro quo offertur, quàm cæteris, vt referunt D. Thom. & plures alij *in 4. ſent. diſt.* 45. qui meritò talem opinionem reiiciunt, tum quia eſt contra communem ſenſum, tum quia aliàs Sacerdos offerens vnum ſacrificium pro multis, æquè ſatisfaceret ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offerret; non enim maiorem, minorémve fructum ideo reciperent, quod eſt abſurdum; imò ſequeretur inde inanem, ſeu ſuperuacaneam eſſe peculiarem huius ſacrificij applicationem, quod eſt temerarium. Vel denique facta eſt inſtitutio ita, vt Chriſtus hanc applicationem ſuæ voluntati, & intentioni reſeruauerit, ſicut, referente Scoto *quodlib.* 10. videntur ſenſiſſe nonnulli, dicẽtes applicationem Sacerdotis non valere, niſi cum Chriſti voluntate, ac intentione concordet; vnde inferebant, fruſtrà, & temerè Sacerdotem applicare alicui hoc ſacrificium, cùm ei non conſtet de Chriſti voluntate: id tamen eſſe contra ſenſum, & traditionem Eccleſiæ, nemo inficiari poteſt; ac propterea fatendum eſt, id non debuiſſe pendere ex noua Chriſti voluntate hominibus incognita, ſed certam debuiſſe circa hoc ſtatui legem, vt poſſent fideles humano more ſacrificium offerre, & applicare, ſicut in Sacramentorum effectibus factum eſſe cernimus. Supereſt igitur dicendum inſtitutionem hanc fuiſſe factam, itaut effectus huiuſmodi conferatur illi, cui Sacerdos offerens, tanquam myſteriorum diſpenſator, illum applicauerit; qui inſtitutionis modus non ſolùm eſt vſui Eccleſię conſentaneus, ſed rationabilis etiam; nam ſicut Sacerdotis officium eſt intercedere inter Deum, & homines, ita conueniens videtur, vt ipſe ſacrificium Deo pro hominibus offerat.

3. Dico ſecundò, Sacerdos offerens non tenetur applicare partem aliquam fructus ex opere operato quoad ſatisfactionem pro tota Eccleſia, vt inter cuncta eius membra diſtribuatur iuxta proportionem Deo cognitam, imò nec de facto ita accidit: benè tamen quoad impetrationem.

4. Prior pars ſuadetur ſic, quia vel talis obligatio, ſeu applicatio fundatur in ipſamet inſtitutione, & Chriſti voluntate, vel in ordinatione Eccleſiæ; neutrum autem poteſt cum fundamento probabili affirmari. Non primum, quia nullibi reperitur tale præceptum fuiſſe à Chriſto impoſitum, nec id ex aliquo Scripturæ teſtimonio, Patrum traditione, ſeu Eccleſiæ declaratione conſtare, aut ſaltem deduci poteſt: tum etiam, quia ſi ex omnibus ſacrificiis in Eccle-

Eccleſia celebrari ſolitis pars aliqua fructus quoad ſatisfactionem applicaretur, ſemper animabus in Purgatorio exiſtentibus, facilè quidem, & breui tempore inde euaderēt, imò viui etiam, ij præſertim, qui in ſtatu gratiæ perdurant, vix haberent aliquem pœnæ reatum, ſi ex omnibus Miſſis in toto orbe celebratis aliquam pœnæ remiſſionem perciperent, quod an ſit credibile, aliorum eſto iudicium. Nec ſecundum, tum quia nullibi eſt ſcriptum tale præceptum eccleſiaſticum, tum quia vt Eccleſia poſſet hoc præcipere, deberet deſignare quanta, vel quota pars effectus eſſet applicanda pro vniuerſa Eccleſia: hoc autem nec fecit, nec facilè fingi poteſt; igitur dicendum potiùs eſt quòd nulla ſit talis obligatio in Sacerdotibus, ſed vnuſquiſque operari debet iuxta ſuam propriam, & peculiarem obligationem; vel ſi nullam habuerit, iuxta prudens, & honeſtum arbitrium, vt rectè obſeruat Suar. *d. diſp. 79. ſect. 9. quæſito 2. ad finem.*

5. Poſterior pars probatur, tum ex Canone Miſſæ, vbi habetur orandum eſſe pro omnibus in perſona Eccleſiæ, & generaliter offertur pro omnibus, quoad impetrationem. tum ex *cap. viſum eſt, de conſecrat. diſt.* 1. vbi ſic habetur; *ſicut nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuſlibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemnibus fundantur.* Et quidem ita tenet communis vſus Eccleſiæ, quæ ab initio ſemper voluit, vt in omnibus ſacrificiis oretur pro membris ipſius; idque tanquam rationi, & charitati conſonum omnes fatentur, vt ſic de communi ſacrificio cuncti fideles participent, & fructum aliquem percipiant. Atque hinc apertè deducitur diuiſionem illam, quam ex doctrina Scoti, & aliorum alibi inſinuauimus, in fructum, ſeu valorem generalem, medium, & ſpecialem, interpretandum fore, ita vt quoad fructum generalem intelligatur de ſola impetratione, non ſatisfactione; ſed an fructus iſte impetrationis poſſit dici ex opere operato, negat Suar. Sed oppoſitum oſtendimus *ſuprà dub. vltimo principali præcedenti*, cum Fagundez, & aliis, cùm valor iſte non in merito Sacerdotis, ſed in ſanctitate Eccleſiæ, & ipſius ſacrificij dignitate fundetur.

6. Sed obiicies, omnes fideles dicuntur, & ſunt offerētes, quatenus ſunt membra Eccleſiæ offerentis per Sacerdotem, etſi nullum actum habeant circa ſacrificium, vt dictum eſt in ſecunda concluſione dubij vltimi principalis præcedentis: ſed omnis offerens eſt particeps fructus huius ſacrificij pro ratione, & modo, quo offert: igitur omnes fideles participant fructum etiam ſatisfactionis ex opere operato.

Reſpondetur minorem non habere locum in iis, qui dicuntur offerentes per generaliſſimam quandam rationem. Hi enim ſunt offerentes ſolùm in habitu, & per quandam remotam, ac extrinſecam habitudinem, quæ non eſt ſatis ad percipiendum fructum ſatisfactionis ex opere operato. Ratio eſt, quia fructus Paſſionis Chriſti, quoad meritum, & ſatisfactionem non applicatur ex opere operato, niſi per propriam aliquam actionem, vel receptionem ſenſibilem, vel per ſpecialem alterius applicationem: at in præſenti caſu non datur hic fructus per ſpecialem alterius applicationem, vt ſupponimus: nec ſic offerentes aliquid recipiunt, per quod eis talis fructus applicetur, vt contingit in Sacramentis; nec etiam aliquid agunt, quia habitu duntaxat, & per extrinſecam denominationem dicuntur offerentes: illa autem denominatio non fundatur in aliquo actu hominis, qui

ad

Digitized by Google

ad Dei cultum ſpectet, aut ad meritum, ſeu ſatisfactionem ſic offerentis valere poſſit.

7. Obiicies iterum, vt oblatio Sacerdotis ſit ſpeciali modo impetratiua, ſufficit quòd Sacerdos offerat Eccleſiæ nomine, adeò vt quamuis Sacerdos iniquus exiſtat, adhuc actio illa vim ſuam impetrandi retineat: ergo idem ſimiliter ſufficit, vt oblatio illa ſit ſatisfactiua ex opere operato independenter à ſanctitate Miniſtri.

Reſpondetur negando conſequentiam. nam diſpar ratio eſt de impetratione, ac ſatisfactione; ad impetrandum enim ſufficit ſanctitas habitualis Eccleſiæ, ad quam reſpiciens Deus, quando illius nomine fit oblatio, ſeu oratio, inclinatur ad concedendum id, quod petitur, quamuis Eccleſia per ſeipſam non oret; ſicut dum à Deo petimus, vt nos exaudiat per merita alicuius Sancti, illa profectò concurrunt ad impetrandum nobis id, quod petimus, eſtò Sanctus ille non oret pro nobis. Similiter Sacerdos in perſona Eccleſiæ orans, eſto ipſe Sanctus non ſit, vt tamen impetret, ſufficit quòd Deo repræſentet Eccleſiæ ſanctitatem: ad ſatisfaciendum autem de nouo ex opere operato non ſufficit hæc repræſentatio, ſed neceſſaria eſt realis actio, vel paſſio alicuius perſonæ Deo gratæ, vt tradunt Suar. *ead. diſp. 69. ſect. 8. aſſert.* 2. & poſt illum Miranda *d. q. 41. art.* 13. *concluſ.* 2.

8. Dico tertiò. Omnibus & ſingulis offerentibus, qui proprium aliquem concurſum ad oblationem ſacrificij habent, proprius aliquis fructus ex opere operato reſpondet; non ſolùm quoad impetrationem, ſed etiam quoad meritum, & ſatisfactioné, itaut ſi conſtituamus hominem Miſſę ſacrificio aſſiſtentem, vel miniſtrantem, cui Sacerdos intentione ſua ſpeciali nullum ſacrificij fructum ex opere operato applicet, adhuc homo ille aliquem ſuæ aſſiſtentiæ, ſeu miniſterij fructum ex opere operato conſequetur. Ita videtur ſenſiſſe D. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. Caiet. *tom.* 2. *opuſc. tract.* 3. *q.* 2. Sylu. *verb. Miſſa* 1. *q.* 9. & expreſsè tradit Suar. *ead. diſp.* 79. *ſect.* 8. *aſſert.* 4. & Miranda *eod. art.* 13. *concluſ.* 4. & videtur facere communis Eccleſiæ vſus in celebratione Miſſæ, cùm in canone dicitur; *Et omnium circunſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Vbi apertè fit ſermo de offerentibus ab ipſo Sacerdote diſtinctis. Ratio autem eſt, tum quia oblatio huius ſacrificij eſt fructuoſa ex opere operato, proindéque rationi conſonum eſt, vt omnes ad illam per proprium actum, ſeu concurſum moralem cooperantes participent eiuſdem oblationis fructum. tum etiam, quia ſicut vſus Sacramenti conſiſtit in receptione, ita ratio ſacrificij in oblatione, & conſequenter ſicut omnes, qui Sacramentum recipiunt, fructum illius participant; ita omnes offerentes per proprium concurſum, ſeu actionem participant fructum ſacrificij.

9. Hinc igitur infero duplicem fructum ex opere operato à fortiori reſpondere Sacerdoti ſacrificium Miſſæ offerenti. Nam ſicut Sacerdos ibi duplicem perſonam, Chriſti videlicet, & propriam induit, & ſub vtraque ratione offert, ita ſub vtraque fructus ſacrificij eidem Sacerdoti correſpondet. Vnde quatenus offert in perſona Chriſti, eſt miniſter publicus, atque illius oblationi correſpondet fructus quidam huius ſacrificij proprius ex opere operato. Ratio eſt, quia hoc ſacrificium habet effectum ex opere operato, vt conſtat ex ſæpiùs dictis: ergo maximè reſpondet illi prout eſt actio miniſtri à Chriſto deputati, & per quem Chriſtus ipſe operatur. Ita D. Thom. *eod. art.* 5. & 7. Suar. *aſſert.* 3. & Miranda *concluſ.* 3. At

certum eſt quòd ob huiuſmodi publicum miniſterium, quod gerit Sacerdos, non exuit rationem perſonæ priuatæ, ſub qua etiam concurrit,quoniam,Paulo atteſtante *ad Hebr.*7. ipſe etiam indiget,vt pro ſe offerat. Et quidem non debet in hoc eſſe peioris conditionis, quàm reliqui priuati afferentes, ac propterea ſub hac etiam ratione reſpondet illi alter fructus. Vnde cùm Sacerdos Miſſam celebrat pro aliquo, qui ſibi ſtipendium dederat, priorem fructum tenetur illi applicare,non poſteriorem: ſicut enim Sacerdos ſtipendium accipit, vt publicus Chriſti Miniſter, ita eroganti ſtipendium non tenetur applicare niſi totum fructum, qui reſpondet ſacrificio, vt eſt à Miniſtro publico: & conſequenter non tenetur Sacerdos ſe priuare peculiari illo fructu ſuæ priuatæ oblationi, ac deuotioni reſpondente. Atque hîc fiet omnino manifeſta ratio prædictæ diuiſionis fructus in generalem, medium, & ſpecialem: de generali egimus in ſecunda aſſertione, medius eſt qui Sacerdoti in perſona Chriſti offerenti reſpōdet;ſpecialis verò dicitur is, qui correſpōdet eidem Sacerdoti, vt perſonæ priuatæ offerenti.

10. Quapropter ex hactenus dictis conſtat euidenter Sacerdotem vnico ſacrificio non ſatisfacere pluribus obligationibus. Nā fructus generalis debetur Eccleſiæ, medius debetur totus ſtipendium eroganti; ſpecialis verò eſt ipſius offerentis:ſed an poſſit iſte vltimus alteri applicari,& per eius applicationem poſſit Sacerdos duplici ſaltem obligationi ſatisfacere, valde ambiguum eſt; quid autem in hac parte probabilius ſentiamus, ex mox dicendis *dub.*2. habetur. Sed

11. Quæres primò quomodo inter ſe differant hi duo effectus, ſeu fructus ſacrificij Miſſæ,medius nimirum,& ſpecialis.

Reſpondetur triplicem præcipuè differentiam inter vtrumque reperiri.

12. Prima eſt quòd prior fructus non eſt principaliter propter ipſum offerentem, ſed propter populum, ſeu alios, pro quibus poteſt ſacrificiū offerri: tunc enim Sacerdos gerit perſonam publicam,& eſt interceſſor inter Deum, & populum. Poſterior verò præcipuè eſt propter ſingulos offerentes; tunc enim non offerunt vt publici Miniſtri, ſed vt priuatæ perſonæ, quibus datum eſt, vt ſua priuata oblatione aliquid ex ſacrificio haurire valeant.

13. Secunda eſt, quia prior fructus nulli communicatur, niſi illi, cui à Sacerdote offerente applicatus fuerit;poſterior verò ex ſe, & abſque vlla applicatione communicatur vnicuique offerenti pro rata; cùm enim hic fructus principaliter ſit propter ipſum offerentem, qui tunc non gerit perſonam publicam, ſed propriam, & priuatam; idcirco vt ſibi proſit ſua oblatio, non requiritur intentio Sacerdotis pro ſe, vel pro alia perſona ſpecialiter offerentis, quin potiùs nec priuatus quicunque offerens poteſt ab huius fructus participatione excludi, eſtò Sacerdos id velit, aut tentet; nec ad obtinendum huiuſmodi fructum requiritur in tali offerente ſpecialis intentio conſequendi illum, ſed ſufficit intentio offerendi, ſeu concurrendi ad ſacrificium, celebrando, miniſtrando, ſeu audiendo Miſſam.

14. Tertia differentia eſt, quia ad priorem fructum non eſt neceſſaria ſanctitas Sacerdotis, vt docet D. Thom. *3.p.q.82.art.6.& in 4.diſt.45.q. 2. art. 1. quæſtiunc.*3.Sotus *diſt.*13.*art.*1. & communiter DD. atque ex multis iuribus confirmari poteſt,ex *cap. non nocet*, ex *cap. intra* 1.*q.*1.& ex *cap.vtrùm ſub figura, de conſecrat. diſt.* 2. Ad poſteriorem autem neceſſaria eſt Sacerdotis ſanctitas.

Vnde

Digitized by Google

Vnde ſi Sacerdos ſit in peccato dum Miſſam celebrat, reſpondet eius oblationi prior fructus, non tamen poſterior. Ratio eſt, quia Sacerdos quoad priorem fructum non gerit perſonam ſuam, ſed Chriſti, ac propterea ſicut oblatio ſub hac ratione eſt grata, & munda; ita etiam eſt efficax, non enim applicatur meritum miniſtri, ſed Chriſti: at reſpectu poſterioris fructus aliter contingit. Præterea id etiam videtur ſatis congruum, quippe cùm prior fructus nó ſit ob perſonam Sacerdotis, vt talis eſt, ſed ob Eccleſiam, ſeu populum, idcirco non debuit ex ſanctitate ipſius Sacerdotis pendere. Hac enim de cauſa inſtitutum fuit quòd Sacramenta æquè per malos, & bonos miniſtros perficerentur, & alios ſanctificarent. Ad hæc, alioquin Miſſa Sacerdotis iniuſti oblata pro animabus Purgatorij nihil illis prodeſſet. Ac ſimiliter Sacerdos, qui in mortali miſſaret pro ſtipendio accepto, obligationi ſuæ non ſatisfaceret, ſed teneretur iterum in gratia ſatisfacere, quæ omnia ſunt abſurda.

15. Quæres ſecundò, an Sacerdos poſſit fructum ſibi, vt priuatæ perſonæ reſpondentem, alteri applicare, itaut vnico ſacrificio poſſit duabus ſaltem obligationibus ſatisfacere, applicando nimirum vtrumque prædictum fructum alicui, ſeu aliquibus.

Nonnulli partem negatiuam amplectuntur, ducti, quia ſi quis priuaret ſe fructu, quo indiget, id eſſet contra ordinem charitatis. Quæ opinio diſplicet Suar. *ſect. 9. verſ. ſupereſt dubium.* tum quia ratio adducta non probat de poteſtate ſimpliciter, ſed vt licitè fiat. tum etiam, quia non loquitur abſolutè, & vniuerſaliter, ſed cum limitatione, ideſt, cum ipſemet Sacerdos indiget; & tunc adhuc probatio non concludit, quia hic fructus, de quo agitur, non eſt remiſſio alicuius culpæ; nec eſt vllus ſanctitatis, gratiæ, aut gloriæ gradus, ſed eſt ſatisfactio, ſeu remiſſio alicuius pœnæ: in huiuſmodi autem malis pœnæ, non eſt contra charitatem propriam quòd aliquis cedat iuri ſuo, priuãdo ſe tali commodo, vt alteri bene faciat. Atque hoc confirmat omnium piorum vſus; applicant enim ſatiſfactiones ſuas pro animabus in Purgatorio exiſtentibus, nó quia putent ſe illis non indigere, eſſet namque hæc arrogans cogitatio; ſed quia vel ſperant aliis modis ſibi interim prouidere poſſe; vel cupiunt aliis benefacere, eſto ipſi aliquid amplius patiantur.

16. Quapropter Suar. in calce præcit. ſectionis, eſto eandem teneat opinionem, ducitur tamen, quia in vniuerſum cenſet omnem effectum ex opere operato eſſe proprium, & perſonale beneficium, & quaſi priuilegium perſonæ conceſſum, quod non poteſt ipſe in alium transferre; ſicut de indulgentia docet S. Thom. *in 4. diſt. 20. art. 5. quæſtiunc. 3. ad 2.* vbi ait eum, cui conceditur, non poſſe fructum illius transferre in alium, niſi id ſpecialiter in ipſamet indulgentia concedatur. Idem conſtat inductione in Sacramentorum effectibus; per Baptiſmum namque datur baptizato totius pœnæ remiſſio, non tamen cum poteſtate aliquam illius partem alteri applicandi; & ſic de aliis Sacramentis. Idem igitur dicendum videtur de hoc effectu ſacrificij quatenus perſonalis eſt; nulla enim poteſt aſſignari ſpecialis ratio ad exceptionem faciendam, imò nec vlla ſufficiente authoritate conſtare poteſt.

17. Alij partem affirmantem tuentur, ducti forſitan rationibus in refutatione primæ opinionis adductis. Ita Molfeſius *ſum. tom. 1. tract. 3. cap. 15. n. 4.* Barthol. ab Angelis *in exam. confeſſ. dialog. 5. §. 507.* & alij quos hi referunt. Allegat pro hac opinione Bonac. mox citandus

tandus Mirandam *in man. Prælat.tom.*1. *q.*41.*art.*4.*concluſ.*1. Nauarr. *in man.cap.* 25.*n.*92. & Henriq. *lib.*9.*c.*21.*n.*7.*lit.O.* Hi tamen authores ſolùm aſſerunt poſſe Sacerdotem applicare partem ſuam ſacrificij, non verò poſſe vnico ſacrificio ſatisfacere duplici obligationi, eſto hac intentione partem ſuam applicet, quod eſt ſatis diuerſum.

18. Hanc opinionem limitant Nauarr.*conſil.*1.*de celebrat.Miſſ.* & Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*6.*n.*181. dicentes ſacrificantem poſſe partem ſacrificij ſibi debitam applicare iis, pro quibus tenetur: quia tamen neſcitur quanta ſit, arbitrantur partem trium Miſſarum poſſe ſupplere vni, quæ dicenda eſſet, & applicanda tota alicui. Vnde concludunt id poſſe ſeruare illos, qui cùm multa acceperint ſtipendia, nequeunt omnibus ſatisfacere.

19. Mihi tamen videtur dicendum, poſſe quidem Sacerdotem partem ſuam ſacrificij alteri applicare, non tamen ideo poſſe vnico ſacrificio pluribus obligationibus ſatisfacere.

20. Priorem partem tenent Henriq. Miranda, Molfeſius, & Barth.ab Angel. *vbi ſuprà*, Nauarr.*man.cap.*25.*n.*92. Naldus *ſum. verb. Miſſa, n.*12. Philiarcus *ſum.p.*1.*lib.*2. *cap.*14. Sotus *in* 4.*diſt.*11. *q.*2.*art.*5.*& diſt.*13.*q.*2.*art.*1. Nugnus *in* 3.*p.tom.*1.*q.*83.*art.*1.§.*in* 3.*p.dub.*3.*versùs finem*, & alij. Suadetur autem primò, quia nec ex natura talis ſacrificij repugnat, vt omnis qui illud offert, eo modo, quo offert, poſſit pro quocumque voluerit, ipſius fructum applicare, vt conſtat; nec eſt vlla prohibitio per Eccleſiam facta de hac re; nec etiam eſt ratio, ob quam hæc poteſtas, & facultas huiuſmodi offerentibus denegetur. Secundò, quia valor ſpecialis huius ſacrificij eſt eiuſdem rationis cum valore medio: igitur ſicut Sacerdos poteſt hunc alteri applicare, ita & illum, & conſequenter non eſt ita proprius, ac perſonalis, quin liceat Sacerdoti eum alteri directè, & totum conferre, vt tradit Henriq.*ibidem.*

21. Poſteriorem partem eiuſdem aſſertionis tenent Suar. *vbi ſuprà, & diſp.* 86.*ſect.*1. *verſ.ſed quæret tandem.* Rodriq. *ſum.*1.*p.cap.*250.*n.*2. Miranda *man. Prælat.tom.*1.*q.*41.*art.*17. Poſſeuinus *cap.*2. *n.*25. *quæſito* 6. Bonac. *de ſacram.diſp.*4. *q.vlt.punct.*8.*n.*16. & alij. Ratio eſt, tum quia cùm Sacerdos non ſit capax talis fructus niſi ſit in gratia, vt habetur ex dictis; ſe autem eſſe in gratia nemo abſque reuelatione ſciat certò, vel ſcire poſſit, conſequenter nec etiam poteſt valorem iſtum certò applicare alteri, qui certam tradidit eleemoſynam, & certum petiit valorem. tum, quia cùm ignoretur an valor ſpecialis ſit æqualis valori medio, qui poteſt, & debet eleemoſynam tradenti, proinde non eſt dicendum, Sacerdotem poſſe per applicationem fructus ſpecialis ſatisfacere alicui eleemoſynam tradenti pro vna Miſſa, & conſequenter nullatenus ſentiendum eſt, poſſe Sacerdotem vnico ſacrificio duabus obligationibus ſatisfacere.

22. Quæres tertiò, an Sacerdos vnico ſacrificio poſſit duplici obligationi ſaltem ſatisfacere, dum Miſſa ab vno petitur ad rem aliquam impetrandam, & ab alio in ſatisfactionem, nimirum pro mortuis, & Sacerdos intendat applicare ſacrificium, primò vt impetratorium, ſecundò autem vt ſatisfactorium.

Reſpondetur negatiuè. Ita Nauar. *de celebrat.Miſſ.conſil.*8. Rodr. *eod.cap.*250. *n.*6. Eman. Sà *verb. Miſſa in* 44. Poſſeuinus *eod.n.*25.*quæſito* 7. Bonac. *vbi ſuprà n.*1. & alij per eum relati. Ratio eſt, tum quia ſtipendium non datur pro ſacrificio, ſeu illius fructu, alioquin committeretur vitium ſimoniæ, ſed pro labore: non

Digitized by Google

non licet autem pro eodem labore duplex ſtipendium accipere. tum etiam, quia in eo caſu Sacerdos taxam excederet, quam tamen de iure obſeruare tenetur; tum denique, quia ſic defraudaret tradentes eleemoſynam, cùm vnuſquiſque cenſeatur petere non partem fructus, ſed integrum Miſſæ fructum, qui ſtipem offerentibus applicari conſueuit. Limitat autem Bonac. niſi eleemoſynam tradentes annuant voluntati Sacerdotis; ſcienti namque, & volenti nulla fit iniuria.

Dvbivm XXII.

An ſi Sacerdos contra iuſtitiam, ſeu obedientiam applicet alicui fructum, ſit valida talis applicatio.

1. Difficultas hæc grauis eſt, ſed vtilis etiam, ac neceſſaria, quam ideo in Regularium præcipuè beneficium placuit in calce huius tractatus apponere, eam tamen (quantum qualitas materiæ permittet) breuiter explicare curabo. Quapropter Honcala *in tract. de valore Miſſæ art. 2. & 10.* apud Cord. mox citandum, indiſtinctè ait, quòd non valet Miſſæ applicatio per Sacerdotem facta contra vel diſpoſitionem fundatoris, vel Eccleſiæ ſtatutum, aut Superioris præceptum. Idem (dubitando tamen) inquiunt Scot. *quolib. 20.* & Gabr. *lect. 26. in can.* ducti forſitan, quia Chriſtus Dominus non confert fructum ſuum per iniurioſam actionem. Quæ ratio parum, aut nihil vrget, quoniam eſtò Chriſtus nolit iniurioſam actionem, permittit tamen illam, & per eandem interdum magna, & ſupernaturalia beneficia confert, non ipſi peccanti, ſed aliis, vt patet in Sacramentis, quorum Miniſtri eſtò illa per iniuſtam, ſeu iniquam actionem adminiſtrent, Deus tamen per eam ſanctificat hominem, gratiam conferendo, niſi obicem ponat.

2. Cord. *in quæſt. Theolog. lib. 1. q. 3. notab. 5.* limitat dictam opinionem, dum ait, ſe idem ſentire, maximè ſi applicatio aliàs facta per Sacerdotem, irritetur ipſo facto per Prælatum, alioquin credit quòd valeat ei, cui Sacerdos de facto applicat, multa enim prohibentur, quæ facta tenent, de quorum numero eſt ſpecialis Miſſæ applicatio: ait tamen quòd grauiter peccaret Sacerdos ſic applicando contra præceptum, ſi quod eſt: niſi intendat manere obligatus ad applicandam aliam Miſſam ei, cui aliàs ex fundatione, ſtatuto, ſeu pacto, aut Superioris præcepto tenetur; modò conſuetudo aliter non interpretetur.

3. Alij diſtinctione vtuntur, dicentes obligationem Sacerdotis ad offerendum pro aliquo, poſſe oriri, vel ex propria voluntate, ſeu priuato contractu, vt quia promiſit, *ſeu ſtipendium* accepit, vel ex voluntate Superioris. In priori caſu aſſerunt præſentem voluntatem præualere priori obligationi, quia cùm prior illa obligatio ortum habuerit à priori volũtate, per poſteriorem retractatur, & licèt mala ſit, tamen eo ipſo, quòd eſt poſterior, & abſoluta, conſequenter eſt efficacior: ideóque etiam ſi malè faciat, ſacrificium alteri applicando, factum tamen tenet. In poſteriori autem caſu dicunt voluntatem Superioris præualere contra Sacerdotis voluntatem. Atque hinc cõcludunt non obſtante tali Sacerdotis voluntate fructum ſacrificij applicari, cui Superior, vel Eccleſia vult. Ita Armilla *verb. Miſſa num. 33.* & Martinus de Ledeſma *ſum. 2. p. q. 16. art. 14. circa finem*, apud Suar. ſtatim citandum.

4. Hanc diſtinctionem reprobat Suar. *d. diſp. 79. ſect. 9. verſ. Alij nihilominus*, inquiens, nec in antiquis DD.

Digitized by Google

reperiri, nec ſolidum habere fundamentum.

Primò, quia ſicut in adminiſtratione Sacramentorum Sacerdos operatur vt Miniſter Chriſti, ita & in oblatione huius ſacrificij: igitur ſicut in adminiſtratione Sacramenti nequit intentio Sacerdotis à Superiore irritari; ita & in oblatione, & applicatione huius ſacrificij, in qua Sacerdos gerit vices Chriſti, intentio illius non ſubditur intentioni Eccleſiæ, vel alterius cuiuſcunque ſuperioris, ita vt per illam irritari poſſit, eſto ſubdi queat quoad obligationem faciendi, vel non faciendi.

5. Secundò, quia actus offerendi conuenit Sacerdoti ex vi poteſtatis, & characteris ſacerdotalis, vt conſtat ex forma ordinationis eius; *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis*. Adde, quòd hic actus non requirit iuriſdictionem, ſed ſolùm ordinationem, vt conſtat: igitur non poteſt per ſolam Superioris prohibitionem irritari; id enim generatim verum eſt in omnibus aliis Ordinis actibus, qui iuriſdictionem non requirunt. Vnde ſi Superior præcipiat, vt non baptizet hunc, vel baptizet hunc, & non illum, nihilominus ſi ſubditus aliter faciat, factum tenet, nec poteſt Superior intentionem, ſeu voluntatem illius irritare.

6. Tertiò, quia etſi Religioſus nihil proprium habeat, non ideo tamen eſt priuatus intrinſeco ſuorum actuum dominio, quod eſt per liberum arbitrium, ratione cuius poteſt abſolutè velle contrarium eius, quod ſuperior vult. Ad hæc Sacerdos tunc operatur, vt Chriſti Miniſter per poteſtatem ſibi ab eo datam, & conſequenter nequit voluntas illa à Superiore irritari.

7. Ex dictis igitur concludit Suar. applicationem Sacerdotis factam contra fundatoris diſpoſitionem, vel Eccleſiæ ſtatutum, validam eſſe, teneri autem poſtea damnum reſarcire, ſuámque obligationem (quæ extincta non fuit) explere. Atque idem cenſet de Religioſo, qui in ſimili caſu inobediens ſit, tenetur poſtea ex eadem obedientia Superioris voluntatem explere, niſi fortaſſe conſtet, occaſionem, vel rationem talis præcepti omnino iam ceſſaſſe.

8. At Bonac. *tract. de indulg. diſp. 6. q. 1. punct. 3. num.* 10. abſolutè ait præualere applicationem factam per Sacerdotem, & allegat in ſui fauorem Suar. *loco cit.* & Nugnum *in addit. q. 25. art. 3. diffic. 1. verſic. ad 4. argumentum, & q. 26. art. 1. concluſ. 6.* & ratio illius eſt, tum quia Prælatus non videtur dominus actus meri interni principaliter dependentis à voluntate ſubditi applicantis ſuffragium; tum quia conſecratio facta à ſubdito inuito Prælato valida eſt: ergo etiam videtur valida ſacrificij applicatio.

9. Nouiſſimè Villalobos *tom. 1. tract. 8. diffic.* 10. eandem amplectitur ſententiam. Imò addit ita communiter ſentire DD. præſertim Salmanticenſes, vt inſinuat Rodr. *vbi ſuprà.* Ducitur autem, quia dum Sacerdos offert ſacrificium, gerit perſonam Chriſti, atque ideo licèt peccet contra obedientiam, valet tamen eius applicatio. Nihilominus

10. Dico primò, Prælati Regulares poſſunt ſubditis præcipere, eóſque obligare, vt certa, ac determinata intentione celebrent, fructum Miſſæ iuxta Prælatorum voluntatem applicando. Ita Honcala, Cord. & Suar. *ſuprà.* Rodr. *in Bulla compoſitionis, caſu* 11. & Fraxinel. *in tract. de oblig. Sacerd. ſect. 7. §. 6. & 7.* Ratio eſt, quia Prælati Regulares triplex ſuperioritatis genus habent in ſibi ſubditos.

11. Prima ſuperioritas eſt ſpiritualis, ratione cuius ſicut Prælatis incumbit cura animarum ſubditorum, ita ſubditi tenentur Prælatis obedire in omnibus, quæ ad huiuſmodi finē diriguntur.

Secunda

Digitized by Google

Secunda eſt temporalis politica, ratione cuius Prælati tenentur rempublicam, & communitatem ſibi commiſſam debita prudentia, & politia gubernare, ſubditi verò tenentur Prælatis obedire in iis, quæ ſibi iniunguntur, vt communitas ipſa in pace, & bono regimine conſeruetur.

12. Tertia eſt temporalis œconomica, ratione cuius Prælati tenentur ea, quæ ad familiam ſibi concreditam ſpectant, paterno affectu diſponere, omnibus, & ſingulis ſibi ſubditis, vt verè Patres, de rebus neceſſariis prouidendo. His igitur ſic præhabitis ex Rodr. probatur iam noſtra aſſertio,

13. Primò ratione ſuperioritatis ſpiritualis, quia niſi ſubditi applicent Miſſæ ſacrificium iuxta determinationem ſuperioris, benefactores defraudantur iniuſtè, & peccatum committitur.

14. Secundò ratione ſuperioritatis politicæ, quæ ſpiritualem correſpondentiam ad temporales eleemoſynas requirit.

15. Tertiò ratione ſuperioritatis œconomicæ, quæ familiæ ſuſtentationẽ, & rerum domeſticarum reparationem poſtulat. Vnde cùm ad huiuſmodi ſuſtentationem & reparationem requirantur ſimiliter eleemoſynæ, conſequenter dicendum eſt poſſe Prælatos ſubditis præcipere, vt Miſſas pro eleemoſynas erogantibus applicare teneantur.

16. Dico ſecundò, ſi Miſſæ fructus à ſubditis applicetur contra intentionem, ac determinationem Prælatorum, peccant ſubditi contra obedientiam, & ad reſtitutionem tenentur. Ita Suar. Rodr. & Fraxinel. *locis citatis*, & plerumque omnes. Ratio eſt, atque in primis quòd peccent, exiſtimo non poſſe in dubium reuocari; eſt namque tranſgreſſio obedientiæ in re iuſta, & honeſtà. Quòd autem ad reſtitutionem teneantur, patet, tum quia Prælati ſunt domini operationum ſuorum ſubditorum, & conſequenter ſubditi non ſunt tuti in conſcientia, niſi repetant operationes contra determinationem Prælatorum factas in caſu, quo agitur de debita compenſatione facienda. Tum etiam, quia aliàs defraudarentur benefactores, dum pro acceptis ſtipendiis non redditur promiſſa ſatisfactio.

17. Dices, Prælati non ſunt domini actuum interiorum ſuorum ſubditorum. Igitur cùm intentio applicandi, ſeu applicatio ipſa ſit actus interior, proinde non ſubiicitur obedientiæ Prælatorum, & conſequenter non tenentur ad reſtitutionem ſubditi, aliter applicantes, quàm à Superiore ſit illis iniunctum.

Reſpondetur Prælatos non eſſe Superiores actuum merè interiorum, benè tamen eorum, qui cum exterioribus coniunguntur, ſaltem vt cauſa per ſe, & huiuſmodi eſt Miſſæ applicatio. De hac materia ſatis diffusè egimus in noſtra Bullæ Cœnæ explicatione *lib. 2. q. 9. &* 10. Nunc autem pro pleniori huius obiectionis declaratione breuiter

18. Obſerua, primò actus morales eſſe in duplici differentia, quidam dicuntur eliciti, nempe qui à voluntate duntaxat eliciuntur, & extrinſecus non manifeſtantur, cuiuſmodi ſunt actus purè interni. Alij dicuntur imperati, & hi ſunt actus exteriores, prout à voluntate imperantur. Conueniunt autem, & differunt inter ſe. Conueniunt, quoniam tam actus eliciti, quàm imperati à voluntate dependent, alioquin actus hominis dicerentur, non tamen morales, ſicut eſt dormientis percuſſio, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *q. 6. art. 1. &* 2. Sed differunt, quoniam actus elicitus eſt merè internus, ac ſubinde inſenſibilis ſecundùm ſe, cùm nec ſenſibus ſubſter,

ſcet, nec Angelis, ſed ſoli Deo innoteſcat. At verò actus imperatus tametſi à voluntate procedat, non tamen eſt purè internus, ſed externus ſimul, quin ideo dicantur duo, ſed vnicus tantùm actus moralis, ex actu interno pro formali, & ex actu externo pro materiali compoſitus; ſicut Petrus, qui non duo ſuppoſita, ſed vnicum tantùm exiſtit ex parte formali, id eſt, anima, & ex parte materiali, ideſt, corpore compoſitum.

19. Obſerua ſecundò quòd quanuis iurisdictio legis humanæ non extendatur directè ad actus elicitos, & purè mentales, bene tamen indirectè; ſed circa modum differunt DD. connexio namque actus interni cum externo tripliciter contingit, vno modo tanquam cauſa per ſe; ſecundò vt cauſa per accidens, & tertiò quaſi pars actus integri, & compoſiti. tunc coniungitur vt cauſa per ſe, quando neceſſariò requiritur ad conſtitutionem actus externi phyſicè, & moraliter ſimul: conſtat autem nullum actum externum eſſe huiuſmodi abſque actu interiori voluntatis; atque ideo ſola voluntas, qua actio exterior eſt volita, dicitur coniungi illi, vt cauſa per ſe. Tunc coniungitur vt cauſa per accidens, quando requiritur ad aliquod eſſe morale quod lex humana poteſt intendere, ſeu præcipere, quanuis actus ille internus ad materialem illam actionem, prout exteriùs apparet, neceſſarius non ſit; ſicut intentio, v.g. baptizandi, neceſſaria eſt vt fiat Baptiſmus. eſtò non ſit neceſſaria vt fiat ablutio, neque vt exteriùs verba proferantur. tunc demum actus internus externo coniungitùr quaſi pars actus integri; cùm eidem connectitur omnino extrinſecè, tam phyſicè, quàm moraliter; ideſt, tam reſpectu actionis externæ materialiter ſumptæ, quàm reſpectu eiuſdem ſub ratione Sacramenti, ſeu contractus, vt erit in prædicto exemplo intentio baptizandi gratis, & non ex pretio, ſeu alia ſimili cauſa, à quo non pendet Baptiſmus, nec vt ablutio, nec vt Sacramentum.

20. Vnde ſi huiuſmodi connexio primo modo contingat, actus internus per externum ſatis manifeſtatur, tanquam cauſa per effectum, vt voluntas audiendi Miſſam, per actum audiendi liberum, cùm ab illa phyſicè, & moraliter pendeat, vt habetur ex dictis: ſi autem ſecundo, aut tertio modo, non manifeſtatur, quoniam actus internus, ſiue vt cauſa per accidens, ſiue vt pars integralis ſumatur, per accidens ſe habet ad actum externum, vt eſt in eodem exemplo attentio aſſiſtentis ad Miſſam audiendam, vel intentio illam audiendi ob Dei cultum, vel ob turpem finem. Hinc ſi priori modo actus internus conſideretur, nulla eſt ambigendi occaſio, poſſe legem humanam illum, vt ſic indirectè præcipere; lex enim, ſeu Superior præcipit actum externum humanum, & liberè exercendum, impoſſibile autem eſt illum ſic præcipere, quin ſimul compræcipiat (vt ita dicam) actũ internum, qui ad externum tanquam eius cauſa neceſſaria requiritur; tota igitur controuerſia ad actus internos ſecundo & tertio modo ſumptos reducitur.

21. Quare omiſſis hinc inde variis opinionibus, mihi videtur abſolutè dicendum, quòd ſi actus interior cum exteriori coniunctus ſit, ſiue vt cauſa per ſe, ſiue vt cauſa per accidens, dummodo verè influat in illum, eccleſiaſticæ legi ſubiicitur: ſi autem actus interior ſit coniunctus cum exteriori, vt pars accidentaria actus integri, tunc oppoſitum probabilius cenſeo. Ita multis allegatis defendunt Suar. *lib. 4. de legibus c. 13. num. 6. & ſeqq.* & Lorca 1. 2. *tom. 2.* ſimiliter *de leg. diſp. 16. memb. 2 verſ. ſed Caiet.* & quidem quoad priorem partem,

tem, videtur hæc ſententia ferè communis Theologorũ. Sed probatur, quia in Republica Chriſtiana ſunt neceſſarij humanus conuictus, necnon cultus Religionis in Eccleſia conſuetus, non ſolùm materialiter, & ſecundùm eſſe phyſicum conſiderati, ſed formaliter etiam ſumpti, vt ſunt tales actus morales, ideſt, quatenus ſunt contractus, Sacramentum, ſacrificium, cultus, oratio, & ſimiles; igitur ad rectum Eccleſiæ regimen neceſſaria fuit illi poteſtas ad præcipiendum vſum, & exercitium huiuſmodi actuum ſecundùm tales rationes formales. Vnde cùm actus iſti morales nequeant conſiſtere ſine actibus internis, vt patet de Sacramento, ſacrificio, oratione, & ſimilibus, in quibus actus internus neceſſariò requiritur. Hinc fit vt per Eccleſiam ſimul præcipi queant actus interni, ſiue per actus externos ſufficienter manifeſtentur, ſiue non, quia non præcipiuntur per ſe, ſed compræcipiuntur: ad hoc autem ſatis eſt illa neceſſaria connexio, quæ ex cauſalitate, ſeu influxu actuum interiorum in exteriores prouenit.

22. Quo verò ad poſteriorem partem de actu interno, vt eſt pars actus integri, quòd non ſubſit legi eccleſiaſticæ, probatur tum ex vſu Eccleſię, quæ ad huiuſmodi intentionem non neceſſariam ad ſubſtantiam moralium actuũ, nuſquam cogere conſueuit, ſed fideles inducit, ſpirituales gratias, & fauores offerendo, ſub illa conditione, & non aliter, vt habetur exemplo indulgentiæ, quæ conceditur oranti pro tali, vel tali intentione. tum, quia actus ille internus nullo modo eſt neceſſarius ad eſſe phyſicũ vel morale actus externi, ſed ſolùm coniungitur illi, vt pars accidentaria actus integri, ac proinde non poteſt præcipi, ſeu prohiberi eodem præcepto, quo actus exterior: diſtincto autem præcepto nec præcipi, nec prohiberi poſſe, fatentur omnes; ſicut de actibus elicitis, cùm ſint purè mentales, nemo inficiatur.

23. Hanc igitur ad obiectionem reſpondetur, applicationem, ſeu intentionem applicandi fructum Miſſæ, eſſe quidem actum internum, non tamen purè mentalem, ſed coniunctum cum exteriori, non vt eſt pars actus integri, ſed vt cauſa per ſe, vel ſaltem per accidens actus externi cùm influat in illum, & conſequenter ſubiici diſpoſitioni legis eccleſiaſticæ, ſeu imperio ſuperioris. Imò Rodr. *vbi ſuprà* idipſum tribuit cuicunque actui interiori coniuncto cum exteriori, abſque vlla limitatione, ſeu diſtinctione, & in ſui fauorem adducit D. Thomam 2.2.*q.* 104. *art.* 5. Sylu. *ſum. verb. hora* §.11. *& tit. obed. q.* 1. Nau. *ſum. cap.* 23. *num.* 38. Cord. *lib.* 4. *q.* 13. & Couar. *in reg. peccatum, par.* 2. *initio.*

24. Dico tertiò. Satis probabile eſt, quòd poſſit Prælatus ante Miſſæ celebrationem, Sacerdotis intẽtionem irritare, ſi ſuæ ſubdito priùs explicatæ contraria exiſtat. Hanc aſſertionem impugnat Suar. vt habetur ex dictis; ſed vltra Scotum & Gabr. eam tenent expreſsè Honcala citatus, Rod. *ſum. p.* 1. *cap.* 250. *concl.* 10. Cord. & Fraxin. *vbi ſuprà*, & probatur ſic, tum quia Prælatus poteſt vota ſubditorũ irritare, etiam ipſis inuitis, præſertim ſi obedientiæ quam in regula profitentur, præiudicium inferant: igitur ob eandem cauſam poterit intentiones eorũdem in caſu noſtro irritare; vtrobique enim par ratio eſſe videtur. tum quia ex oppoſito grauia proueniũt incõuenientia; nam Prælati nunquam tuta conſcientia poterunt fidem facere indubiam, & authenticam de Miſſis celebratis pro acceptis eleemoſynis: benefactores tam viui, quàm defuncti facilè, & iniuſtè priuarentur ſuffragiis promiſſis, ſeu in teſtamento relictis; & ſubditis præberetur anſa obedien-

Digitized by Google

iam ſuorum ſuperiorum paſſim tranſgrediendi, maximè in re adeò graui. Vnde deducitur hanc ſententiam eſſe rationi, & æquitati valde conſonam, oppoſitam verò periculoſam, & conſequenter indignam, & fortaſſe ſcandaloſam.

25. Supereſt rationibus in contrarium adductis ſatisfacere.

Ad primam negatur conſequentia. nam intentio Sacerdotis in adminiſtratione Sacramentorum, & in conſecratione Miſſæ non poteſt per Superiorem irritari, non ideo præcipuè, quia tunc Sacerdos ſit Miniſter Chriſti, ſed potiùs, quia huiuſmodi intentio eſt de eſſentia Sacramenti, aut ſacrificij, itaut abſque illa nec fiat Sacramentum, nec ſit verum ſacrificium: at intentio eiuſdem in applicatione fructus, ſeu valoris Miſſæ aliter contingit, quòd enim huic, vel illi applicetur dictus fructus, ſeu valor, non eſt de eſſentia ſacrificij, atque ideo nil mirum quin poſſit per Prælatum irritari. Vnde ſi aliquando contingat, quòd Sacerdos nec ſibi, nec alteri applicet huiuſmodi fructum, Sotus, Cord, & alij cenſent reponi in theſauro Eccleſiæ, vel iuxta doctrinã Suar. *d.ſect.9.dub.3.* manet in eodem theſauro, quippe fructus ille non eſt de nouo comparatus, & à Deo acceptatus, ſed eſt pars aliqua infiniti valoris paſſionis Chriſti, qui iam totus eſt in theſauo Eccleſiæ, & in acceptione diuina; proindéque dum actu aliter non applicatur, manet in Eccleſiæ theſauro. Cæterùm (vt fatetur ipſe Suar.) parum, aut nihil refert, hoc, vel illo modo loqui; in idem enim coincidunt, adhuc tamen in eo caſu nemo vnquam aſſeruit, non eſſe verum ſacrificium.

26. Ad ſecundam reſpondetur aliud eſſe loqui de oblatione huius ſacrificij, aliud de applicatione. Oblatio namque vel eſt idem realiter cum conſecratione, vt nonnulli probabiliter opinantur, & inſinuat Rodr. *d.cap.250.concl.* 10. vel ita ſunt neceſſariò coniunctæ, vt poſita vna nequeat Miniſter voluntate, ſeu intentione ſua aliam auferre, ſicut cenſet ipſe Suar. *diſp.76.ſect.vlt.ad finem.* Vnde ſicut intentio Miniſtri in conſecratione non poteſt per ſuperiorem irritari, ob rationem aſſignatam, ita de intentione eiuſdem in oblatione videtur ſentiendum, vel ob realem identitatem conſecrationis cũ oblatione, vel ob neceſſariam vtriuſque connexionem: ſecus de applicatione dictum eſt, poteſt enim per Superiorem irritari intentio, qua Miniſter certum fructum alicui applicat, cùm talis applicatio nõ ſit de eſſentia ſacrificij, nec cum aliquo eſſentiali eiuſdem identificetur realiter, vel ſaltem ſit inſeparabiliter connexo, vt ſatis conſtat, & habetur ex dictis. Hinc eſto Superior præcipiat ſubdito, vt baptizet hunc, & non illum; ſi tamen ſubditus aliter faciat, factum tenet, quoniam intentio miniſtri in adminiſtratione Sacramẽtorum eſt quid eſſentiale, vt dictum eſt *ſuprà*.

27. Ad tertiam reſpondetur ſolùm conuincere de applicatione ſimpliciter, non autem de applicatione valida; multa enim poſſumus ſimpliciter, quæ tamen facta non ſunt valida in genere moris ob aliquod impedimentum occurrens, vt patet in materia de abſolutione, quæ collata à non habente iuriſdictionem non eſt valida, ſimiliter in materia de cenſuris, & de matrimonio. Vnde cùm Superior ſit dominus operationum ſuorum ſubditorum in genere moris; ideóque de Religioſo dicitur quòd non habet velle, neque nolle, arg. *cap.nullus, cap. quorumdam, de elect. lib.6.* proinde dicendum eſt quòd intentio Sacerdotis in applicatione ſubſit ſuæ iuriſdictioni; nõ adeò quòd Miſſam per ſubditum celebratam poſſit ipſe alicui applica

Digitized by Google

applicare, applicatio namque eſt actus proprius celebrantis, non Superioris; qui tamen poteſt irritare intentionem ſubditi, ſi ſuæ contraria exiſtat in applicatione huiuſmodi fructus. Nec eſt dicendum quòd Sacerdos dum Miſſam celebrat, ſit ſuo Prælato ſuperior, alioquin ſi id abſolutè admittatur, ſequeretur non poſſe illi præcipere, vt tali, vel tali intentione Miſſam celebret, cuius oppoſitum oſtendimus *ſuprà*, & fatetur Suar. & comprobat communis vſus, ac praxis Religionum, & tenent expreſsè grauiſſimi DD. Sotus, Gabr. Honcala, Cord. Fraxinel *vbi ſuprà*, & Petr. Nau. *de reſtit. lib. 3. cap. 1. num.* 83. & alij.

28. Dices inde ſequi quòd ſacrificiũ tunc erit inutile, & nullum, quia ſi per Prælatũ irritetur applicatio per Sacerdotem facta, non proderit in primis ei, cui per Sacerdotem fuerat applicatum, nec item poterit alteri applicari per Superiorem, cùm id ſit actus proprius ipſius celebrantis, vt dictum eſt *ſuprà*. Igitur erit omnino inutile tale ſacrificium, & conſequenter nullum, quod videtur pluſquam abſurdum. Fraxinellus citatus opinatur, quòd dum Prælatus irritat ſubditi celebrantis applicationem, tunc ſacrificium valet ei, cui per ipſum Prælatum applicatur, & allegat pro ſe Rodr. *in ſumma loco cit.* ſed immeritò, quia nec Rodr. id aſſerit, imò oppoſitum, nec poteſt cum probabili fundamento affirmari.

Reſpondetur igitur, adhuc in eo caſu ſacrificium eſſe vtile, & validum, & probatur, ſeu declaratur hoc exemplo, quoniam ſicut dum ſacrificium applicatur pro anima, quæ non indiget, quia à Purgatorio eſt iam in Paradiſum trãſlata; vel pro anima, quæ non eſt capax, quippe reperitur apud inferos damnata, tunc pientiſſimus Deus, tanquam fidelis diſpenſator, valorem illius ſacrificij, vel applicat illis, quos dicto fructu magis egere agnoſcit; vel illis, quibus de iuſtitia debetur, vel reſeruat in Eccleſiæ theſauro. Nec etiam in eo caſu dicendum eſt, quòd ſacrificium ſit nullum, quia eſto valor medius tunc nulli applicetur, valet tamen reſpectu fructus generalis, qui toti Eccleſiæ applicatur; & reſpectu fructus ſpecialis, qui applicatur eidem celebranti, iuxta doctrinam Scoti, & aliorum ſuperiùs traditam, & hoc ſufficiens eſſe, vt ſacrificium ſit, & dicatur vtile, & validum, tenet communis DD.

29. Ex dictis autem ſatis conſtat inualiditas opinionis Bonacinæ, & ſolutio ad vtramque eius probationem, nec authores ab eo allegati eidem valde ſuffragantur, præcipuè Suar. qui ſuprà ſaltem in eo caſu cenſet ſubditum peccare contra obedientiam, & teneri voluntatem Superioris poſtea explere.

30. Villalobos verò nil noui contra noſtras aſſertiones adducit, nec verum eſt quòd Rodr. aſſeruerit Magiſtros Salmanticenſes abſolutè id determinaſſe, ſed maiorem eorum partem cenſuiſſe non poſſe Prælatos ſubditorum applicationes irritare, itaut Prælatorum applicatio valeat, quod nos etiam fatemur.

DVBIVM VLTIMVM.

Quo nonnullæ difficultates ſoluuntur, vt pleniùs præcedentes comprehendantur.

1. IN primis igitur quæritur, an qui ex titulo, vel ex conuentione tenetur in aliqua Eccleſia, Oratorio, vel Altari celebrare, poſſit alibi licitè, & abſque vlla labe peccati celebrare.

Reſpondetur negatiuè. Ita Nauar. *ſum. cap. 25. num.* 134. Sylu. *verb. Miſſa 1. quæſito* 10. *ad finem.* Henriq. *lib. 9. c.* 23.

Digitized by Google

num. 5. Vgolinus *de officio Epiſcopi cap.* 14.*num* 4.Graff. *lib.* 3.*conſil. tom.* 1.*conſil. vnico, de patron.num.* 15. Azor. *tom.*1.*lib.* 10.*cap.*24.*q.* 8.Fagund.*lib.*3.*de* 1.*præcepto Eccleſ. cap.* 9. *num.* 7. Fraxinel. *de oblig. ſac. ſect.* 4. *concluſ.* 4. §. 9. *num.* 3. & alij apud Riccium, *verb. praxis Capellaniarum*, *deciſ.* 405. Probatur autem, tum quia in re graui & magni momenti infideliter agit, non adimplendo id quod promiſerat, & ex iuſtitia tenebatur obſeruare, tum quia facit contra voluntatem, & intentionem teſtatoris, nec præſtat id, ad quod fuit aſſumptus. tum etiam, quia Sacellani, ſiue Capellani tenentur dicere Miſſas, quas vbi, & quomodo inſtitutio Sacellorum, vel eorum promiſſio habet, arg. *cap. cùm dilectus, de conſuetud. & cap. qualiter, de pact.* quod adeò verum eſt, vt etiam ſi adſit conſenſus hæredum, non excuſetur Sacerdos, voluntas namque teſtatoris non hæredum adimplenda omnino eſt; ita Marc. Anton. Genu. *Man. Paſt.cap.*72. *num.*12.Bonac.*tom.*1.*diſp.*4. *q. vlt. punct.* 7. §. 4. *num.* 3. & alij apud Fraxinel. citatum §.10.

2. Limita primò, niſi iuſtum adſit impedimentũ, vt ſi Eccleſia ſit violata, vel capella impedita, vel inundatio ſuperueniat, vel Capellanus iuſta de cauſa eſſet abſens à loco, vbi celebrare debuiſſet, ac præſertim ſi contingat, quòd intentio fundatoris circa hoc dubia exiſtat, tunc Capellanus alibi debet pro illo celebrare; tum quia fundator maiorem percipit vtilitatem ex Miſſa alicubi, quàm nullibi celebrata, tum quia probabiliter præſumendum eſt, fundatorem principaliùs attendiſſe Miſſarum fructum ſibi, & ſuis defunctis applicari, quàm loci particularis venerationem. Ita Azor.*d. cap.*24.*q.* 8.Graff. *p.*1. *deciſ. aur. lib.*2.*cap.* 53. *num.* 12. & Fraxinel. *vbi ſuprà* §.11.qui §.12. etiam addit quòd ſi altare, capellàve ſit impedita, in eadem Eccleſia ob fundatoris deuotionem eſt celebrandum donec Altare, ſeu Capella conſtruatur, ſeu reparetur, & allegat pro ſe M. Anton. Genuen. *praxis. c.*72.*num.*4. *verſ. Quartò quæritur.*

3. Limita ſecundò poſſe aliquando Capellanum excuſari ex paruitate materiæ, vt ſi, v.g bis, vel ter in anno non celebret in tali Sacello, ſiue Altari, nec enim credibile videtur, fundatorem voluiſſe tanto cum rigore onus huiuſmodi imponere, vt ſaltem vno, vel alio die non liceat Capellano alibi pro ſua deuotione ſingulis annis celebrare.

4. Cæterùm adhuc in caſu propoſito vrget difficultas, an Sacerdos ſine iuſta cauſa alibi, quàm in loco deſignato celebrans, non ſolùm peccet, ſed teneatur etiam ad compenſationem, ſeu reſtitutionem faciendam. Azor. *loco cit. & tom.*1. *lib.* 6. *cap.* 24. *q.* 7. abſolutè tenet partem affirmatiuam, & rationem aſſignat, quia ſuo muneri, & officio non ſatisfecit, ac proinde quod debebat non ſoluit: debebat enim deſignato loco, vel Altari cultum, atque in loco Sacra facere, vt alij excitarentur ad preces in eodem loco fundendos. Ita etiam ſentiunt Graffius, Riccius, & alij ex præcit. DD.

5. Mihi autem videtur ſatis probabile non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, tum quia non priuauit fundatorem fructu ſacrificij, eſtò peccauerit alibi celebrando. tum quia debitor qui creditori non perſoluit pecuniam in loco debito, ſed alibi, non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus intereſt creditoris non fuiſſe ſibi in loco debito ſatisfactum. Ita Capellanus qui in loco ſibi deſignato non celebrauit, non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus intereſt fundatoris Miſſas non fuiſſe in eodem loco celebratas. Vnde tunc Capellanum cenſeo teneri ad reſtitutionem, ſeu compenſationem faciendam, dum ſuffragium aliquod defunctis ſubtraxerit,

Digitized by Google

traxerit, quia nimirum ſi in deſignato Altari celebraſſet, aliqui ad eum conueniſſent, vt Sacrum audirent, & preces Deo pro mortuis effudiſſent. Idem videtur dicendum de Sacerdote, qui accepta ſtipe tenebatur in loco priuilegiato celebrare, non tamen ibi, ſed alibi Sacrum fecit, etiam ſi exiſtimauerit ſe priuilegio calculi, vel imaginis benedictæ poſſe è pœnis Purgatorij eripere animam illius, pro qua tenebatur in Altari priuilegiato celebrare; hic enim violauit fidem datam, cum alterius detrimento: Miſſa namque in Altari priuilegiato celebrata magis prodeſt, quàm breuis aliqua oratio priuilegio calculi, ſeu imaginis recitata. Ita Bonac. *vbi ſuprà num.* 5. Fraxinellus etiam citatus *concluſ.* 5. §. 3. & alij, quos ipſi referunt. Modus autem reſtitutionis faciendæ erit huiuſmodi defectum aliis precibus compenſare, vel ſi Miſſas forſitan non celebrauit, ſecundùm mentem, & ad beneficium fundatoris, aut ſtipem exhibentis, tunc vel ſtipendia reddat eis, à quibus acceperat, vel Miſſas per ſe, aut per alios Sacerdotes in loco deſignato celebrari curet. Ita idem Fraxinellus *eod.* §. 3. *&* 4. & communiter omnes.

6. Quæres ſecundò, an Sacerdotes, qui pro Miſſis celebrandis ſtipendia acceperunt, & earum celebrationem notabiliter differunt, lethaliter peccent.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia non ſolùm Dei honorem, ſed proximi etiam beneficium, præcipuè defunctorum, defraudant; ſicut illi, qui pecuniaria habent debita, & ſolutionem, ſeu reſtitutionem per longum tempus differunt. Nam ſi Miſſæ celebratio à dante ſtipem procuretur ad obtinendam victoriam contra aliquod vitium, ſeu ad conſequendam ſanitatem, aut quemuis alium felicem euentum, poteſt quidem ex dilatione contingere in huiuſmodi indigentiis damnum ſpirituale, vel temporale, quoniam vel nunquam, vel tardiùs finem ſuę petitionis conſequitur; ſi verò ſacrificium exquiratur pro ſatisfactione alicuius animæ in Purgatorio detentæ, ſumma committitur iniuſtitia in dilatione ſacrificij; anima enim, quæ interim acerbiſſimis cruciatur doloribus, forſitan ob illius ſacrificij dilationem inde non eripitur. Ita Sylu. *verb. Miſſa*, 1. *q.* 10. *in fine*, Angel. *eod. tit.* §. 51. Petr. Nau. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *n.* 366. *& ſeqq.* Arag. *de iuſt. q.* 85. *art.* 3. Regin. *tom.* 2. *lib.* 23. *n.* 236. Rod. *ſum.* 1. *p. cap.* 250. *concluſ.* 7. Fraxinel. *ſect.* 4. *concluſ.* 3. §. 1. *n.* 2. & Bonac. *vbi ſuprà*, §. 5. *n.* 1. cum aliis per eum citatis.

7. Si autem inſtes, an poſſit euenire caſus, quo Sacerdos, qui Miſſæ celebrationem diſtulit, teneatur ad reſtitutionem ſtipendij accepti.

Bonac. *ibidem num.* 2. affirmatiuè reſpondet; & mihi etiam probatur. Ratio eſt, quia ſi tradens ſtipendium intendat, & explicet Sacerdoti, vt ſacrificium offerat pro impetranda infirmi ſanitate, Sacerdos autem celebrationem differat in tempus, quo infirmus iam obierat, tunc eſto ſacrificium poſſit defuncto prodeſſe, quoad ſatisfactionem, non tamen quoad impetrationem ſanitatis, quam intendit is, qui ſtipem tradidit: ſimiliter ſi Miſſa petatur pro conſequendo aliquo beneficio, & tempore, quo Miſſa celebratur, beneficium eſt alteri collatum, profectò in his, & ſimilibus caſibus Sacerdos, qui notabiliter diſtulit, ad reſtitutionem accepti ſtipendij videtur obligandus. lege Petr. Nau. & Rod. *locis cit.* Hinc

8. Infero primò quanta ſint reprehenſione digni teſtamentarij, ſeu hæredes, qui legantium pias voluntates notabiliter differunt adimplere, quamuis enim prædictorum negligentia nequeat defunctis quoad meritum nocere, cùm meritum à prompta, & recta in

Digitized by Google

Deum voluntate originem ducat, iuxta doctrinam D.Thomæ *quodlib. 6. art.* 13. nocet tamen eiſdem quoad ſatisfactionem, non quòd ob huiuſmodi dilationem puniantur defuncti, ſed quia pro illis non applicatur opportunum ſuffragium, vt à pœnis Purgatorij liberetur; ita tradit ipſe Doctor Ang. *ibidem*, & Sylu. *verb. Teſt.* 1. *q* 9. atque ideo conſtat teſtamentarios, & hæredes, qui executiones teſtamentorum differunt, grauiter peccare, & cenſuris etiam eſſe coërcendos; vt habetur ex multis iuribus per Gratianum adductis in Decreto *cap. qui, cum duob. ſeqq.* 13. *q.* 2.

9. Infero ſecundò mercenariis Sacerdotibus cauendum eſſe, ne plura accipiant Miſſarum ſtipendia anticipata, quàm poſſint infra modicum tempus omnibus ſatisfacere. Ita habetur ex declaratione S. Congregationis ſuper decreta circa Miſſarum celebrationem edita ſub anno 1625. *in reſp. ad* 11. & meritò, quia alioquin exponerent ſe periculo, aut ſimpliciter (morte ſuperueniente) non perſoluendi, aut ex dilatione intentionem tradentium eleemoſynas defraudandi. Ita Rodr. Petr. Nauar. Regin. & alij *locis citatis*. Vnde conſulta eadem ſacra Congregatio, an Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis nonniſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium minuatur, declarauit non poſſe, niſi de cõſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt habetur ex reſponſione ad 15. Similiter ſi quis ex peculiari deuotione, quem fortaſſe gerit erga alicuius monaſterij Religioſos, vel etiam erga aliquem priuatum Sacerdotem, ſciens non poſſe ab illis, vel ab illo intra modicum tempus onera ſuſcepta adimpleri, conſentiat tamen vt Miſſæ à ſe commendatæ, tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, declarauit eadem ſacra Congregatio *in reſp. ad* 12. per decretum ab ipſa antea editum non prohiberi, quominus in eo caſu noua eleemoſyna accipiatur pro Miſſis iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.

10. Quæres tertiò, an Canonicus, qui ex deuotione, ſeu onere Capellaniæ, vel ratione eleemoſynæ celebrat in Eccleſia ſua collegiata tempore diuinorum Officiorum, ſit habendus vt diuino Officio præſens ad effectum recipiendi diſtributiones, ac eleemoſynas, quæ ſolis præſentibus conferuntur. Bonac. *eod.* §. 5. *num.* 7. negatiuè reſpondet, quoad diſtributiones illius horæ, qua à choro abeſt. Rationem aſſignat, quia diſtributiones conferuntur iis, qui diuino Officio interſunt; qui autem Sacrum facit in quauis alia capella, dum Officium diuinum in choro perſoluitur, non dicitur, nec cenſetur illi intereſſe. Atque id etiam verum eſſe tenent authores ſtatim citandi, quamuis Superioris permiſſu, ſeu conſenſu tunc celebret: Superior enim non poteſt, per ſe loquendo, diſpenſare in iure communi, modò ſit Summo Pontifice inferior. Ita Stephanus Gratianus *in diſceptationibus forenſibus c.* 298. *n.* 21. Auguſt. Barboſa *in remiſſ. circa Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *n.* 57. Riccius *in praxi, deciſione* 419. Bonac. *ibidem*, & alij.

11. Limita primò, niſi ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ex decreto Concilij Prouincialis, aut ex conſuetudine præſcripta aliud ſit alicubi obſeruandum: priuilegia namque Pontificia, & decreta ſpecialia ſeruanda eſſe, tenet expreſsè Bonac. *loco cit.* vbi id confirmat exemplo Concilij Prouincialis Mediolanenſis. Valere etiam conſuetudinem vt quis in abſentia percipiat diſtributiones quotidianas, quando huiuſmodi

conſuetudo

Digitized by Google

conſuetudo inducta eſt ſciente, & tolerante Pontifice, affirmant Couar. *lib.3. var.cap.13.num.5.in fine.*Dueñas *reg.*206. *verſ. Limita quintò.* & Monet. *q.*12. *à n.*45.qui inſuper *à num.*48.*verſ.infertur, & à num.* 52. *cum ſeqq.* ait validam eſſe talem conſuetudinem, vel conſtitutionem, qua cauetur, quòd Clerici recedentes à choro dum diuinum Officium canitur, lucrantur diſtributiones, ſi id fieri contingat ob celebrandam Miſſam, vel ſacramentalem confeſſionem, atque ita refert Barboſa *vbi ſuprà.*

12. Limita ſecundò, niſi aliquando ob penuriam, ſeu abſentiam Sacerdotum, cogatur Præfectus chori alicui Sacerdoti Canonico præcipere, vt dum Officiũ in choro perſoluitur, inde exeat, ſtatæque horæ abſit, Miſſæ celebrandæ cauſa; tunc enim vt præſens habendus eſt, & conſequenter illius horæ diſtributionis particeps erit: ita fuiſſe in præcit. Concilio Prouinciali Mediolanenſi ſtatutum refert Bonac. Vnde conſtat Canonicum, qui tempore diuinorum Officiorum abeſt à choro, etiamſi abſit cauſa Miſſæ celebrandæ, non poſſe percipere diſtributiones illi horæ, ſeu horis reſpondẽtes, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, & Præfecti chori obediẽtiam, Miſſam celebret in Eccleſia ſua collegiata, dum horæ Canonicæ in choro perſoluuntur. Atque idem ſentiendum eſſe, dum fiunt funera, vel anniuerſalia, affirmat idem Bonac. imò teſtatur ita cenſuiſſe congregationem Pœnitentiariæ Mediolanenſis ipſomet præſente, & ſic conſulente.

13. Sed adhuc vrget eadem difficultas, an Canonici poſſint ex liberalitate tanquam præſentem habere, & diſtributionem participem efficere Canonicum, qui præciſo quocunque priuilegio, ſeu ſtatuto celebrauit tempore diuinorum Officiorum, vel etiam per aliquot menſes abfuit abſque vlla neceſſitate, ſeu Eccleſiæ propriæ vtilitate.

Reſpondetur negatiuè. Ratio eſt, tum quia ſic habetur ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.*12. ſub his verbis. *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, percipiant; reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſa his careant, iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit, Conſuetudinem,* &c. *quod ſancta Synodus in vſum reuocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus.* Tum quia Canonici non habent facultatem diſpenſandi in iure communi; iure autem communi cautum eſt ne Canonici abſentes abſque neceſſitate, vel Eccleſiæ propriæ vtilitate, tanquam præſentes habeantur. Ita cenſet Bonac. *n.* 8. atque ita ait cenſuiſſe etiam Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanenſis, eadem ſimiliter præſente, & conſulente.

14. Nec obſtat ſi dicas quemlibet poſſe cedere iuri ſuo, & conſequenter poſſe Canonicos iuri ſuo circa diſtributiones cedere, eáſque abſentibus condonare.

Reſpondetur enim poſſe quemlibet iuri ſuo cedere, niſi à iure impediatur, aut niſi hoc vergat in alterius præiudicium. Impediuntur autem Canonici per decretum Tridentini, ne circa diſtributiones iuri ſuo cedant: atque huiuſmodi ceſſio facilè poſſet in fundatorum præiudicium redundare; quippe multi Canonici occaſionem abſentiæ aſſumerent ſpe remiſſionis ab aliis Canonicis obtinendæ, & hoc modo Eccleſiæ cultus cum aliquo fortaſſe ſcandalo, & fundatorum præiudicio paulatim minueretur.

15. Quæres quartò, an Sacerdos, qui per aliquorum dierum ſpatium infirmitate detentus, non potuit onus quotidianæ celebrationis iuxta Capellaniæ inſtitutionem adimplere, teneatur pro rata per alium ſupplere.

Partem affirmatiuam tuentur nonnulli

Digitized by Google

nulli abſolutè. Ratio eſt, quia Sacerdos tenetur fundatoris intentionem, pacta, & conuentiones omnino adimplere: igitur cùm intentio fundatoris, & conuentio, (vt ſupponimus) extiterit, vt Miſſa quotidie celebretur, ſequitur Sacerdotem debere quotidie celebrare, aut per alium ſupplere, ſeu hæredibus fundatoris Capellaniæ reſtitutionem facere. Ita Sylu. *verb. Miſſa* 1.*q*.7.*num*.7. Tabiena etiam *verb. Miſſa n*.45. Azor. 1. *p.lib*. 10.*c*.24.*q*.7. Petr. à Ledeſma *ſum*. 1. *p. de Euch. cap*. 128. *pagina mihi* 224. & alij.

16. Cæterùm mihi probabilius, & æquitati magis conſonum videtur dicendum quòd ſi infirmitas ſit breuis, nimirum octo, vel quindecim dierum, non tenetur Capellanus per alium ſupplere, nec pro rata hæredibus reſtitutionem facere: ſi autem infirmitas ſit longior, cuiuſmodi eſſet duorum, vel trium menſium, tùnc exiſtimo non excuſari ab obligatione celebrationis per alium, vel ab onere reſtitutionis hæredibus faciendæ. Hæc poſterior pars ſuadetur ratione ſuperiùs adducta. Prior autem probatur.

17. Primò, quia non eſt credibile fundatorem intendiſſe adeò ſtrictè Sacerdotem obligare, vt nec per modicum tempus infirmitatis excuſetur ab obligatione celebrandi. Atque hæc interpretatio colligitur manifeſtè ex Concil. Trid. Parochis concedente facultatem, vt ex legitima cauſa poſſint ſingulis annis per ſpatium duorum menſium abeſſe: igitur ſicut Concilium non id cenſet longum, & ſufficiens ſpatium ad inducendam Parochis obligationem ratione abſentiæ, à fortiori non eſt cenſendum ſufficiens ſpatium quindecim dierum ad inducendam Capellano infirmo obligationem celebrandi per alium, vel reſtitutionem hæredibus faciendam.

18. Secundò probatur argumento deſumpto ex *l. fin. C. de condit. inſer.* vbi Paulus Iuriſconſultus, etſi Gentilis, determinat quendam ſeruum, cui promiſſa fuerat libertas cum conditione per certum ſpatium inſeruiendi, non priuari huiuſmodi indulto, eſto infirmitate oppreſſus totum illud ſpatium inſeruire nequeat, & quaſi rationem inſinuans ait; *ſeruire enim nobis intelliguntur etiam ij, quos curamus ægrotos, qui cupientes ſeruire, propter aduerſam valetudinem impediuntur.* Idem clariùs deducitur ex *l. arboribus* §. *de illa. ff. de vſufructu*, vbi gloſ. ait, ſalarium non eſſe denegandum famulo, qui exiguo tempore ægrotauit, hinc ſic conficitur argumentum, Sacerdos non eſt deterioris conditionis famulo quocunque; ſed famulo ægrotanti per octo, quindecimve dierum ſpatium non eſt denegandum ſalarium, iuxta gloſſam: igitur nec Sacerdoti eſt denegandum ſtipendium, eſto ob infirmitatem breui temporis ſpatio celebrare non potuerit. Ita Petr. Nauarr. *lib*. 2. *de reſtit. c*. 2. *n*. 211. Rodr. *ſum*. 1. *p. cap*. 250. *n*. 3. Enriq. *lib*. 9. *cap*. 24. *num*. 4. Fraxinel. *de oblig. ſac. ſect*. 4. *cõcl*. 4. §. 13. Riccius *in ſua praxi deciſ*. 403. *num*. 5. & Bonac. *punct*. 8. *num*. 17. cum aliis per eum allegatis. Sed

19. Limita primò, niſi in fundatione Capellaniæ expreſsè habeatur, vt Sacerdos in infirmitatem incidẽs ſuppleat per aliũ; vel ſi non ſit electa perſona, ſed ſolùm habeatur ratio Miſſæ quotidie celebrandæ: vt ſi dicatur in fundatione Capellaniæ; Volo Miſſam quotidie in tali, vel tali Altari celebrari, aut obligo Sacerdotem ad prouidendum quotidie de Miſſa per ſe, vel per alium; tunc enim Capellanus etiam infirmus, non excuſatur ab onere celebrandi per alium. Ratio eſt, quia tunc non perſona, ſed locus eligitur ad ſacrificium, voluit enim inſtitutor, quòd locus à ſe deſignatus quotidie frequentetur, & colatur: ſi verò

dixerit,

Digitized by Google

dixerit, Volo vt Sacerdos ad hanc Capellaniam electus Sacrum quotidie celebret; tunc non locus, ſed perſona Sacerdotis eligitur,& in hoc caſu intelligitur noſtra aſſertio. Ita Petr. Nauarr. Enriq. Azor. & Riccius *vbi ſuprà*, & Naldus *verb. Miſſa*, *num.6.* & alij cum Bonacin. *loco cit.*

20. Limita ſecundò,niſi aliter diſponant peculiaria decreta,ſeu conſuetudo legitimè præſcripta; quoniam tunc huiuſmodi decretis, ſeu cõſuetudini ſtandum erit: nam in diœceſi Mediolanenſi extat decretum Concilij Prouincialis, vbi habetur,eum qui per annum ſaltem munus Miſſæ quotidianæ obierit,poſſe, ſi verè per menſem infirmitate fuerit impeditus, Epiſcopi iudicio integram eleemoſynam percipere,vt teſtatur Bonac.*ibidem.*

21. Ex dictis autem deducitur id duntaxat procedere in caſu,de quo agimus, dum Sacerdos non potuit ob infirmitatem celebrare. Secus ſi Miſſæ celebrationem prætermiſerit aliis de cauſis, etiam iuſtis;negotium namque Capellano ſuperueniens,non debet fundatori obeſſe, contra eiuſdem fundatoris voluntatem, quidquid in contrarium ſentire videatur Azor. *vbi ſuprà*, inquiës quòd ſi Sacerdos fuerit legitimè impeditus,aut commodè, diligenter,& religiosè rem diuinam facere nequeat, iure non cogitur quotidie ſacrificium offerre,quod ego etiam fateor; tenetur tamen per alium ſupplere,tum ob rationem aſſignatam; tum quia alioquin mortuos defraudat, & debito Miſſæ fructu,ac ſuffragio priuat. Et hæc dicta ſufficiant circa hanc materiam, de qua plura apud DD. & præſertim Summiſtas,agentes de ſacrificio Miſſæ, paſſim reperies: nobis enim ſat eſt hæc inſinuaſſe ad pleniorem noſtræ Bullæ explicationem,quam,& me ipſum in omnibus, & per omnia correctioni S.M. Eccleſiæ ſubmitto libenter, atque ex toto corde,&c.

Finis Diſputationis in Bullam de Compoſitione.

Digitized by Google

APPENDIX

DE OPINIONE PROBABILI.

Dubium I.

An liceat, dum varietas opinionum probabilium occurrit, ſequi quamcumque, etiam minus probabilem.

1. IN calce totius huius tractatus de expoſitionibus Cruciatæ, Defunctorum, & Compoſitionis, placuit propoſitam difficultatem agitare, vt quid in huiuſmodi occaſione ſit agendum, dignoſcere quiſpiam poſſit. Atque in primis pro præſentis controuerſiæ explicatione

2. Suppono, opinionem, vt tradit communis Philoſophorum doctrina, eſſe aſſenſum pro vna parte cum formidine alterius: generatur autem (vt inſinuat Lorch. 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 39.) argumentis ineuidentibus, nempe authoritate ſapientum, & rationibus, quæ non concludunt omnino, ſed perſuadent duntaxat. Hinc prouenit, opiniones non omnes eſſe æquè ſecuras, ſed alias aliis eſſe tutiores; nec illa tutior æſtimatur, quæ probabilior, ſed illa, quam quis ſequendo, nullius culpæ periculo ſe exponit: vt ſi, v. g. extent diuerſæ, & contrariæ opiniones circa alicuius rei reſtitutionem, ſit ne facienda, tunc affirmans æſtimabitur tutior, cùm in reſtituendo nullius ſit culpæ periculum, ſecus in non reſtituendo.

3. Suppono ſecundò, opiniones ſimiliter non omnes eadem probabilitate gaudere, ſed alias aliis eſſe probabiliores. Illa autem dicitur probabilior, quæ firmiori nititur fundamento; atque illa ſimpliciter æſtimatur probabilis, quæ aliquo etiam nititur fundamento, eſto non ita firma, ſicut oppoſita. Nam quamuis maior, minórve alicuius opinionis probabilitas regulariter ſit menſuranda ex numero, & qualitate authorum, iuxta illud Ariſtotelis 1. topic. 1. *Probabiliora ſunt, quæ videntur omnibus, vel multis, vel ſapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & illuſtribus.* Rationes tamen, & fundamenta cuiuſlibet opinionis ſunt præ omnibus attendenda, arg. *l.* 1. §. *ſed neque. C. de veteri iure enucleando*, vbi ſic habetur; *ſed neque ex multitudine authorũ quod melius, & æquius eſt, iudicari debet, cùm poſſit vnius forſitan, & deterioris ſententia, & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare.* Hinc Ioan. Lupus *cap. per veſtras, de donat. inter virum, & vxorem, not.* 3. §. 20. *n.* 12. inquit non eſſe credendũ DD. quantumcumque doctrina pollentibus, dum fundamento in ſuis opinionibus carent, ac proinde id præcipuè probabilius æſtimabitur, quod firmiori nititur fundamento.

4. Suppono tertiò, nec illam ęſtimari communem opinionem, quæ in ſui fauorẽ plures habet DD. dum nulla præmiſſa diſputatione, ſed (vt aiunt) per tranſennam, eam ſequuntur, vt rectè Menoch. *de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 71. *n.* 39 Hinc iure optimo Nau. *in ſum. lat. c.* 27. *n.* 189. aſſerit cõmuniorem reputari opinionem,

Digitized by Google

opinionem, quæ approbatur à ſex, ſeptémve DD. Claſſicis rem ex profeſſo tractantibus, quàm quæ à 50. qui ſola priorum authoritate ducuntur, more ouium, ſeu volucrum, quæ plures vnam præeuntem ſequutæ eandem viam arripiunt, vt ex Decio, & Alex. docet Azor *tom.1.lib.2.c.13.* Vnde pōdus authoritatis potius ex authorum qualitate, quàm ex numero æſtimandum eſt.

5. His præhabitis partem negantem ſequuntur S. Anton. *3.p.tit. 3. cap. 10. §. 10.* Caiet. *verb. opinio, ibidem* Sylu. §. 2. & plures Summiſtæ *eod. verbo.* Sotus *lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 5.* Nau. *cap. ſi quis autem, de pœnit. num. 53.* & Henricus *quodlib. 4. q. 35.* Imò pro eadem ſententia allegatur D. Thom. *quodlib. 8. art. 14.* dum ait exiſtente contrarietate opinionum præferendam eſſe tutiorem. Verùm Doctor ſanctus non inquit id eſſe vniuerſim neceſſarium, ſed cùm ex huiuſmodi contrarietate manet quis ita dubius, vt neutri præbeat aſſenſum: at ex mox dicendis conſtabit non ſemper contrarias opiniones dubium generare: eidē ſētētiæ videtur ſubſcribere Cord. *lib. 2. q. 3.* in oppoſitam tamen propendet *lib. 3. q. 9.* Atque ratione id etiam ſuadetur. Nam in iure conſtitutum eſt, vt in dubiis tutiorem partem ſequamur, vt conſtat ex *c. iuuenis, de ſponſal. cap. ad audientiam, & cap. petitio, de homic. & cap. ſi quis, de pœnit. diſt. 7.* vbi dicitur; *quod certum eſt teneatur, dimittatur quod eſt incertum.* D. Aug. *lib. 1. de baptiſ. c. 3.* ait in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus grauiter peccare eum, qui certis incerta præponit; ſed conſtat opinionem minus probabilem plerumque eſſe incertam, & contrariam eſſe tutiorem: igitur non poteſt hæc omitti tuta conſcientia.

6. Nihilominus contrarium verius cenſeo, nempe exiſtente opinionum probabilitate pro vtraque parte, ſiue vna ſit probabilior, ſiue ſint æquè probabiles, neminē teneri probabiliorem, aut tutiorē amplecti. Ita Med. *1.2. q. 19. art. 7.* Vaſq. *ibidem diſp. 62. cap. 4. & 5. n. 27.* Lorch. etiam *ibi, tom. 1. diſp. 39. concl. 2.* Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 31. n. 54.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffic. 10. n. 2.* Sanch. autem *lib. 2. de matrim. diſp. 41. n. 9. ad finem,* id cēſet probabiliſſimum, & nunc temporis idem tenent omnino ferè omnes Scholaſtici. Atque in primis id facilè exemplis pōſſumus illuſtrare. Nā multi fuerunt in ea opinione, vt nefas eſſe dicerent ex mutuo ratione lucri ceſſantis quidpiam exigere, vel accipere: alij affirmarunt id licere; & quamuis primum ſit ſine controuerſia tutius, nullo tamen iure compellitur quis eam partem amplecti. Item multi dicunt non licere furem occidere in defenſionem rei familiaris, etiam magni pretij; alij cōtrà opinantur id licitum eſſe, tutior quidem eſt prima opinio, tuta tamen conſcientia poteſt quis ſecundam ſequi, ſicut de facto ſequuntur Caiet. *2.2. q. 64. art. 7.* Sot. *lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8.* & alij, quos refert Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 12. verſ. quæritur, an inter opiniones.* Item plerique DD. docuerunt lucrum adquiſitum ludo legibus prohibito, eſſe in foro conſcientiæ reſtituendum. Alij tamen oppoſitū tradiderunt, dicentes non debere reſtitui; & quamuis prius ſit tutius, poteſt tamen quiſpiam licitè retinere, quod prędicto modo acquiſiuit. Vnde licèt priorem partem ſequantur S. Bonau. *in 4. diſt. 15. p. 2. art. 2. q. 1.* Palud. *q. 3. art. 2.* Ric. *art. 1. q. 8.* & alij per Azor. *ibidem* relati; poſteriorem tamen defendunt Alex. Adrian. Caſtro, & Sotus, & alij quos refert, & ſequitur Salon. *2.2. q. 61. tract. de dominio, q. 5.*

7. Inſuper ſic probatur noſtra concluſio.

Primò, quia omnes fatentur, ſi opinio ſit probabilior, tuta conſcientia eligi poſſe: ſed inter probabiliorem, & minus proba-

Digitized by Google

probabilem (modò vtraque ſit verè probabilis, non eſt differentia alicuius momenti, cùm nec maior probabilitas attingat certitudinem, nec minor declinet in dubium: igitur id quod ſequenti probabiliorem opinionem licitum eſſe concedimus, concedendum eſt etiam ſequenti probabilem.

8. Secundò, quia niſi concedamus licitè poſſe eligi quamcunque opinionem probabilem, peccarent docentes opiniones probabiles pro parte minus tuta, quippe anſam errandi præberent iis, qui eiuſmodi opinionibus vterentur: eſt autem parum æquitati conſonum, viros doctos, ac pios ſub hoc intuitu condemnare, ſunt etenim ſcholæ probabilibus ſententiis contrariis, & diſſentientibus plenæ.

9. Tertiò, quia in actionibus humanis prudenter agit, & ſufficienter cauet periculum, qui id quod probabile eſt, amplectitur, eſtò oppoſitum ſit etiam probabile; nec temerarius cenſeri debet, qui viros prudentes, & fide dignos ſequitur dum via aliqua ſecurè incedunt, eſto videat alios eandem viam tanquam periculoſam cauere: ergo qui in moralibus fidem adhibeat viris, authoritate, & fide præditis, dum opinionem probabilem docent, eſto ipſe ſciat alios aliud ſentire, non eſt temerarius, ſed prudenter agit: quanuis autem prudentiùs, ac ſecuriùs ageret, ſi parti tutiori adhæreret, non ideo tamen eſſet reprehenſibilis; nemo enim tenetur eligere quod melius eſt, ſed quod bonum, vt meritò obſeruat Lorch. *loco cit.*

10. Hinc facile ſoluuntur, quæ in contrarium adducta ſunt. Nam ex ipſa opinionis natura conſtat longè diuerſam eſſe dubij, & opinionis rationem. Dubium enim neutri parti determinatè prebet aſſenſum, ſed eſt quaſi in æquilibrio: opinio autem aſſentitur vni parti determinatè, eſto cum formidine alterius. atque hoc genus aſſenſus ſufficit ad prudentém electionem, ob humanæ mentis imbecillitatem, ac difficultatem inueniendi medium. Vnde meritò Theologi docent non eſſe agendum contra conſcientiam dubiam, quippe animus dubius, ſi quidpiam agat, periculo peccandi ſe exponit. Ita Adrian. *quodlib.* 2. *part.* 1. Sylu. *verb. dubium q.* 2. Cord. *lib.* 2. *q.* 5. Met. 1. 2. *q.* 19 *art.* 6. & Nau. *cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt.* 7. Qui verò opinatur, licèt ex vi opinionis certò, & firmiter non adhæreat parti, quam opinatur, nulli tamen periculo peccandi ſe exponit, ob rationes ſuprà inſinuatas. Quare rectè iura in contrarium adducta decernunt, in dubiis tutius eſſe eligendum, quod nos etiam fatemur; ſecus de opinionibus probabilibus. Similiter S. Auguſtinus aſſerens grauiter peccare eum, qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, certis incerta proponit, non loquebatur (vt patet ex contextu) dum variæ opiniones occurrunt, ſed dum quis de vna parte dubius eſt, de altera autem certus; in quo caſu nemo Theologorum dubitat tutiorem partem eſſe eligendam.

11. Sed obiicies, quia videtur impoſſibile, quòd ſi intellectus duas opiniones probabiles apprehendat, alicui determinatè præbeat aſſenſum, ſed potiùs eſſet dicendum quòd manebit dubius, & ſuſpenſo iudicio. Ratio eſt, quia ſi vtramque exiſtimat probabilem, aut vtrique aſſentitur, aut nulli, non enim eſt maior ratio, quare potius vni, quàm alteri: vtrique autem præbere aſſenſum, eſt impoſſibile, quoniam qui opinatur, vnum arbitratur eſſe verum, & oppoſitum falſum: igitur ſi oppoſitum exiſtimet etiam eſſe verum, profectò eandem propoſitionem exiſtimabit ſimul eſſe veram, & falſam, & eiuſdem propoſitionis aſſenſum, ac diſſenſum habebit, quod videtur omnino impoſſibile.

Reſpondetur

Reſpondetur tamen, eum qui vtramque opinionem iudicat probabilem, & eum qui omnino dubius eſt, longè inter ſe differre; iſte namque nulli parti præbet aſſenſum, ille verò poteſt vtrique parti aſſentiri, quoniam aſſenſus probabilis, non eſt aſſenſus ſimpliciter, cùm non ſit certus, ac proinde non pugnat cum altero aſſenſu oppoſito, qui etiam eſt probabilis. Nec id abſurdum cenſeri debet, quia ſicut contraria in gradibus remiſſis ſe compatiuntur in eodẽ ſubiecto, ſic aſſenſus probabiles oppoſiti, qui eſto ſint quodam modo contrarij, imperfectè tamen, & in gradibus remiſſis. Quapropter qui duas opiniones cenſet eſſe probabiles, nõ cenſet abſolutè duo cõtradictoria eſſe ſimul vera, ſed iudicat vtrumque contradictoriũ apparere verum probabiliter, & neutrũ ſufficienter conſtare quod ſit falſum. Adde alia de cauſa etiam differre, eum qui duas opiniones probabiles cenſet, & eum, qui ſimpliciter, & abſolutè eſt dubius, ob fundamenta oppoſita; hic enim rationes probãtes partem aduerſam ſoluere nequit, & conſequenter manet ſuſpenſus; illa verò ſufficiẽter ſoluit motiua, & inconuenientia, quæ oppoſitam probant opinionem, atque ideo format aſſenſum, vtramque non re ipſa, ſed apparenter eſſe veram.

12. Neque obſtat ſi dicas, quoties quis operatur cum formidine alterius partis; habet conſcientiã ambiguam, & dubiã, cum qua operari nõ licet, vt habetur ex dictis; qui autem opinatur, adhæret vni parti cum formidine partis aduerſæ, vt dictum eſt *ſuprà.* Non (inquam) obſtat, quia longè inter ſe differunt, dubitatio, ſeu hæſitatio, & formido: nam hæſitãtis intellectus pẽdet neutri parti aſſentiẽs, formidoloſus verò nõ excludit aſſenſũ vnius partis, quia formido illa in eo cõſiſtit, vt per actum reflexum iudicet quis rationes illius partis non eſſe euidentes, & conſequenter fieri poſſe, vt opinio, quam ipſe ſequitur, non ſit vera.

Dubium II.

An in aliquo caſu ſit neceſſariò ſequenda opinio tutior.

1. Quæ hactenus diximus de ſecuritate conſcientiæ, ſequendo probabilem opinionem, probabiliori, ſeu tutiori omiſſa, vniuerſim, ſeu regulariter vera ſunt; quia tamen morales regulę non rarò exceptiones patiuntur, oportet nunc explicare, an aliquando neceſſariũ ſit tutiorem opinionem amplecti, quod præſertim controuertitur circa adminiſtrationẽ Sacramentorum. In hac igitur difficultate DD. variè ſentiũt. Petr. à Soto *lib. de inſtit. Sacerdotum, lect. 2. de Euchariſtia*, & Alanus *lib. 1. de Euchariſtia, c.* 11. exiſtimant inter diuerſas opiniones de materia ſacramẽti Euchariſtiæ eligendam eſſe tutiorem, & peccare eum, qui vtitur materia non certa. Ratio autem poſſet aſſignari, quia Chriſtus Dominus Sacramentum huiuſmodi in materia determinata inſtituit, vnde ſi quis in alia materia conſecraret, Sacramentum eſſet irritum, & conſequenter aliter agens, grauiter peccaret exponendo ſe periculo irritum faciendi Sacramentum.

2. Alij indiſtinctè arbitrantur eodẽ modo licitè poſſe in adminiſtratione Sacramentorum, ac in aliis actionibus, quãcumque probabilem opinionẽ admitti. Ita plurimi recentiores, qui ad hoc ſentiendũ ducuntur ex eo, quia ſicut licitum eſt vti opinione probabili, ne aliquid reſtituatur, eſto periculũ ſit, an res illa ſit aliena, eodem modo licebit in adminiſtratione Sacramentorum ſequi opinionem probabilem, eſto periculum ſit efficiendi irritum Sacramentum, vtrobique enim eſt par ratio.

3. Pro huius difficultatis explicatio-

Digitized by Google

ne præmitto breuiter,in adminiſtratione, ſeu ſuſceptione Sacramenti duo poſſe conſiderari; alterum eſt reuerentia debita Sacramentis ex virtute Religionis;alterum eſt obligatio,qua quis ex charitate tenetur prouidere indigenti,de remedio ſalutis per Sacramentum. Quare his ſic præmiſſis,

4. Dico primò, ſi loquamur de huiuſmodi charitatis debito, ſatis probabilem exiſtimo priorem ſententiam, quam tenet expreſsè Vaſquez *d.diſp.63. cap.3.* & pro eadem allegatur etiam Scotus *in 4.diſt.11.q.6.* & ſuadetur ſic, quia obligatio charitatis,& miſericordiæ id poſtulare videtur, vt ſi proximo poſſimus certum,ac ſine vllo periculo adhibere remedium, non adhibeamus illud, quod forſitan in re nullius erit momenti: qui autem Sacramentum adminiſtrans, minus tutam eligeret partem, eſto pars illa eſſet probabilior, huic periculo re ipſa exponeret proximum;vel quia re ipſa nullum eſſet Sacramentum illud, vel quia effectu gratiæ careret: igitur qui in adminiſtratione Sacramẽti ſequitur opinionem probabilem, imò etiam probabiliorẽ, minus tutam, cùm poſſit tutam eligere,& ſequi, non ſatisfacit debito charitatis,& conſequenter eſto non peccet contra Religionem, peccat tamen contra charitatem, ſeu miſericordiam.

5. Sed obiicies,quia ſi hæc doctrina ſit vera,ſequeretur non poſſe pœnitentem aliquem abſolui cum ſola attritione cognita ab ipſo pœnitente, & Confeſſario;ſic enim non adhiberetur ei remedium ſine periculo, ſed remedium potiùs,quod adhuc controuertitur, an conferat gratiam. Similiter non poſſet pœnitens abſolui, qui priorem confeſſionem facit informem,niſi illam repetat, cùm etiam adhuc ſit controuerſia inter DD.an talis confeſſio ſit repetenda; atque ideo nõ adhiberetur ei remedium certum,& ſine periculo,ſi non repetita priori confeſſione impenderetur illi beneficium abſolutionis. Reſpondet Vaſquez *vbi ſuprà*, in his caſibus non opus eſſe, tutiorem partem eligere, aſſeritque doctrinam traditam de ſequenda tutiori opinione ob charitatis, ſeu miſericordiæ obligationem,intelligendam eſſe ex parte eorum,quæ Miniſter Sacramenti ex ſe adhibet, vt ea ſint certa,& abſque vllo periculo in re: dolor autem eſt quid requiſitum ad Sacramentum ex parte recipientis. Vnde ſi ipſe velit cum ſola attritione accedere, dum poſſet cum contritione, non fit contra charitatis debitum, dum recipienti ita diſpoſito beneficium abſolutionis confertur, dummodo Confeſſarius, quæ ex parte ipſius requiruntur, adhibeat certa, & citra opinionis periculum. Atque idem videtur dicendum de pœnitente, qui confeſſionem fecit informem; poſſet enim licitè abſolui abſque eo, quòd priorem repetat confeſſionem, tum ob rationem iam inſinuatam, tum ob aliam dubio ſequenti aſſignandam.

Prædictam concluſionem prudenter limitat Lorcha *ead.diſp. 39. memb. 2.* vt intelligatur dum pro parte minus tuta adſit, non ſolùm periculum efficiendi irritum Sacramentum, ſed detrimenti etiam ſpiritualis grauiſſimi,ſui, vel alterius. Ratio eſt, quia etiam ſi communia pericula,& nocumenta imminentia,cõmuni ſimiliter diligentia, ac probabili ſcientia ſufficienter caueantur; at cùm incommodum aliquod maximum, & irreparabile occurrit, recta ratio poſtulat, vt is ad quem ſpectat, non ſatiſfaciat communem, ſed maiorem adhibendo diligentiam, itaut ſi poſſit, omnem eius periculi probabilitatem amoueat. Vnde infert ipſe author licitè poſſe quempiam vti opinione probabili circa eſſentialia Sacramentorum, quæ

Digitized by Google

quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis.

6. Dico ſecundò, ſi in adminiſtratione Sacramentorum ſpectetur ſolùm reuerentia Sacramentis debita ex virtute Religionis, circa materiam & formam Sacramentorū obſeruandus eſt vniuerſim communis Eccleſiæ vſus, & conſuetudo, eſtò ſit opinio aliqua probabiliſſima in contrarium. Ita Vaſquez *cap. 2.* Salon. 2. 2. *q. 63. art. 4. controu. 2. ad 3.* Sanch. *lib. 3. de matrim. diſp. 20. n. 4.* & alij. Vnde lethaliter peccaret, qui omiſſa Sacramenti forma, qua ſolet Eccleſia vti, aliam adhiberet, eſto ſit ſufficiens: vt ſi quis omiſſa forma illa in Baptiſmo conſueta, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, diceret, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*. Ratio eſt, nō quia aliàs licitum non ſit probabilē opinionem amplecti, etiā minus tutam in operatione, ſed quia Eccleſia communi conſuetudine videtur præſcripſiſſe modum adminiſtrandi Sacramenta; qui autem Eccleſiæ vſui, & antiquæ conſuetudini, quæ habet vim legis, in re graui opponitur, lethaliter peccat. Ad hæc, conſuetudo communis Eccleſiæ ſemper eſt tutior pars, & conſequenter in ea non poteſt eſſe periculum.

7. Dico tertiò, ſi communis Eccleſiæ vſus, & conſuetudo recepta non obſtet, & in adminiſtratione Sacramenti ſit varietas opinionum probabilium, ſiue circa materiam, ſiue circa formam, vel etiam iuriſdictionem, liberum eſt ſequi opinionem probabilem, etiam pro parte minus tuta, in qua poteſt eſſe periculum efficiēdi irritum Sacramentum, aut illius effectum impediendi. Hanc concluſionem tenent expreſsè Vaſquez & Lorcha *locis cit.* & communiter recentiores, ſpectata duntaxt reuerentia Sacramentis debita ex virtute Religionis. Suadetur autem, tum quia non videtur maior ratio ob quam in Sacramentorum adminiſtratione debeamus ſequi tutiorem partem, & non ſufficiat ſequi probabilem, quàm in qualibet alia materia. tum quia ſi ratio probabilis ſuadet non fieri irritum Sacramentum, probabiliter etiam ſequitur ritè, & rectè poſſe adminiſtrari ſequendo opinionem probabilem; atque ideo non erit contra prudentiam illa vti, prudētia enim non dictat operandum eſſe ſemper cum euidentia.

8. Dices etiam prudentiam dictare, ne quis exponat ſe periculo probabili inferendi grauem irreuerentiam Sacramento, nimirum efficiendo illud irritum, aut illius effectum impediendo, prout re vera ſe exponit ſequens prædictam opinionem. Sed contrà, quia cùm agitur de reſtituenda re aliena, poteſt quis ſequi opinionem probabilem, nempe quòd in eo caſu non teneatur ad reſtitutionē, & tamen tunc etiam ſe exponit periculo inferendi creditori iniuriam, cōtra iuſtitiam retinendo apud ſe inuito domino bona illius: ergo æquè licitum eſt in noſtro caſu vti opinione probabili, non obſtante prædicto periculo. Probo conſequentiam, quia ſicut in primo caſu de reſtitutione ſi quæ iniuria fit creditori, eſt merè materialis, & non formalis, ac ſubinde operanti non imputatur ad culpam, cùm probabiliter, & ſecundùm rationem exiſtimet ſe poſſe prædicta bona retinere: ita in propoſito licèt Sacramentum fiat irritum, talis iniuria, ſeu irreuerentia eſt merè materialis, non moralis, nec formalis, quia probabiliter, & ſecundùm rationem exiſtimat non fieri irritum Sacramentum.

9. Obiicies rurſus, quia probabilitas opinionis, quam quis ſequitur, non excludit in hac parte periculum efficiendi in re irritum Sacramentum; & qui illa vtitur, rectè nouit id ita contingere poſſe: ergo cùm à conſilio, & ex delibe-

Digitized by Google

ratione eligat opinionem illam, cui annexum eſt periculum prædictæ iniuriæ, & irreuerentiæ, erit quidem huiuſmodi irreuerentia formalis, vtpote liberè volita in ſua cauſa.

Reſpondet Vaſquez negando conſequentiam. quoniam probabilitas opinionis excuſat ſufficienter à culpa, vt patet in ſimili: nam etſi Concil. Trid. *ſeſſ.* 14.*cap.* 4. definiat contritionem imperfectam, quam Theologi attritionem vocant, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, vt cum ſacramento Pœnitentiæ quis iuſticetur; non tamen definit, an hoc intelligatur de attritione exiſtimata cõtritione, vel de attritione etiam cognita tali: hinc autem orta eſt inter DD. controuerſia, de qua ſit definitio Concilij interpretanda, nonnullis affirmantibus ſufficere attritionem cognitam, vt quis ad Sacramentum ritè accedat; aliis id negantibus: igitur licitum erit Sacramentũ adminiſtrari ei, quem Confeſſarius nouit conſcium eſſe ſe ſolam attritionem habere, licèt aliàs ſit periculum, ſaltem fruſtrandi ſuo effectu Sacramentum; igitur ſicut iſti non imputatur ad culpam, quòd quis cum opinione probabili accedat ad Sacramentum, etiam ſi inde fortaſſe eueniat, quòd fiat Sacramentum irritum; ita, &c.

10. Cæterùm, quanuis hæc omnia ita ſe habeant, non tamen videtur ſufficienter ſatisfieri propoſitæ difficultati. Nam ſi quis, v.g. habeat peccata reſeruata, & ab eis fuerit abſolutus per Confeſſarium electum virtute Cruciatæ, non verò approbatum ab ordinario loci, ſeu pœnitentis, & poſtea inſtet mortis articulus, re vera teneretur confiteri prædicta peccata certo, & indubitato Confeſſario, ne aliàs exponeret ſe periculo damnationis æternæ, quoniam ſi in re, falſa ſit opinio aſſerens virtute Cruciatæ poſſe eligi huiuſmodi Confeſſarium pro reſeruatis, non obtinuit veram abſolutionem, & conſequenter manet in dãnationis ſtatu: igitur prædicta ſolutio non ſaluat opinionem iſtã, quam nitimur defendere, eſſe ſecuram, & tutam in conſcientia in ordine ad mortis articulum, imò neque etiam in aliis caſibus extra illum.

11. Confirmatur, quia probabilitas opinionis non tollit ipſius rei incertitudinem, vt diximus *ſuprà*; vera etiam iuriſdictio eſt de neceſſitate huius Sacramenti: ergo quoties incerta eſt iuriſdictio, exponit ſe pœnitens periculo non accipiendi veram abſolutionem, atque adeò manendi in ſtatu damnationis. Vnde quanuis ille ob probabilitatem opinionis, quam ſequitur, excuſetur à ſacrilegio, & conſequenter non peccet contra Religionem, vt oſtendimus *ſupra*, peccabit tamen contra charitatem, ex qua quiſque tenetur ſibi, & aliis adhibere remedium certum ſalutis æternæ, & abſque periculo manendi in ſtatu damnationis.

12. Quare vt prædictæ difficultati omni ex parte ſatisfiat, neceſſariò oſtendere oportet, quòd tam in caſu iam relato, quàm in quouis alio ſimili pœnitens ſequendo opinionem probabilem, etiamſi in re ipſa ſit falſa, manet verè, & realiter abſolutus, & conſequenter tunc Confeſſarius ille habet pro tunc veram, & certam iuriſdictionem. Ad quam rem, licèt valde difficilem, meliùs enucleandam, triplicem viam ſequenti dubio aperiam.

DVBIVM VLTIMVM.

Quo proponitur triplex via pro explicatione præcedentis difficultatis.

1. PRima fundatur in quodam principio certo, & cõmuni inter Theologos, & Iuriſtas, nimirũ quoad eligẽdum Con

Confeſſarium ſufficit facultas Superioris de præſenti rationabiliter præſumpta; illa autem dicitur rationabiliter præſumpta, quæ fundatur in rationibus, aut ſignis ſufficientibus ad oſtendendum illam eſſe voluntatem Prælati, hoc principium docet D. Thom. & D. Bonau. *in 4.diſt.*21. *in expoſitione littera.* Sylu.*verbo Confeſſor* 1.*quæſt.*6. Nauar. *in ſum.cap.*9.*n.*6.*& cap.placuit,de pœnit.d.*6. *num.*103. Ledeſm. 2.*p.q.*7.*art.*5.*dub.*30. Sotus *in* 4.*diſtinct.*18.*q* 4. *art.*3. Palud. *diſp.*19.*q.*2.*num.*25. & Capreolus *ibi ad primam contra tertiam concluſionem*, Raymund. *in ſum.tit.de pœnit. & remiſſ.*§.15. & alij per nos allegati *cap.* 2. *dub*... Ex hoc ergo principio communiter recepto philoſophari licet in hunc modum; ſufficit ad eligendum Confeſſarium facultas Superioris rationabiliter præſumpta, ſed cum viget diuerſitas opinionum probabilium, an iſte habeat iuriſdictionem ad abſoluendum, quibuſdam id affirmantibus, quibuſdam negantibus, tunc adeſt prædicta Pontificis facultas rationabiliter præſumpta: ergo cùm quis ſequens probabilem opinionem eligit Confeſſarium, re vera talis Confeſſarius habet veram iuriſdictionem ad illum abſoluendum. Maior, & conſequentia huius diſcurſus ſunt maniſtæ; Minorem verò probo, quia circa poteſtatem, & iuriſdictionem ad abſoluendum, ſæpe inter Doctores multiplex eſt opinionum varietas, vt patet in ea controuerſia, an Epiſcopi non obſtante prohibitione Bullæ Cœnæ poſſint abſoluere ab hæreſi occulta in foro interiori; & in illa alia, an per Bullam poſſit vbique eligi approbatus à quocunque Ordinario; ac tandem in ea, an virtute Bullæ poſſit quis diſpenſari ab irregularitate, quæ ex puro delicto naſcitur. In his ergo & ſimilibus quæſtionibus vſus, & conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ obtinet, quòd Epiſcopi, & Confeſſarij vtantur iuriſdictione probabili, & quæ ſub opinione eſt in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ: ergo cenſet Eccleſia, exiſtente illa opinionum varietate, adeſſe tunc facultatem Pontificis rationabiliter præſumptam, ne aliàs illaqueentur animæ, dum exiſtimantes ſe recipere veram abſolutionem, abſque vera abſolutione manerent; vnde doctè Ludouic. Lopez *in ſuo inſtructorio, c.*88. ait, quòd quando dubium exagitat animum an lex obliget in tali caſu, interpretandum eſt, quòd non obligat, quoniam non eſt voluntas Pontificis obligare in tali dubio; igitur exiſtente dubio, & opinionum varietate, an Pontifex, v.g. per promulgationẽ Bullæ Cœnæ prohibeat vſum Cruciatæ, interpretandum eſt non velle obligare in tali dubio ad non vtendum probabili opinione concedente prædictum vſum Bullæ; atque idem ſentiendum eſt, quoties varietas opinionum probabilium occurrit.

2. Deinde, quia cùm (vt nuper dicebam) frequentes fiunt in Eccleſia Dei quæſtiones, & dubia circa iuriſdictionem Sacramenti Pœnitentiæ, an iſte iuriſdictionem habeat, vel non ad abſoluendum, certè ſi abſolutiones ab eo impenſæ ſequendo quamcunque partem contradictionis eſſent inualidæ, Eccleſiæ, & Pontificium regimen eſſet valde defectuoſum, dum huic tam graui incommodo non ſubuenirent, dando iuriſdictionem in tali dubio, ne alias frequenter irritetur Sacramentum Confeſſionis, & pœnitentes maneant in ſtatu damnationis: ergo dicendum eſt adeſſe tunc facultatem Pontificis interpretatiuam, & rationabliter præſumptam, dantem neceſſariam iuriſdictionem, vt abſolutiones dicto modo impenſæ ſint validæ.

3. Secunda via fundatur in alio principio communiter recepto, tam à Iuriſtis,

quàm à Theologis, nimirum quòd titulus coloratus cum cõmuni errore vulgi dat iuriſdictionem iuxta famoſam legẽ, *Barbarius Philippus, ff. de officio Prætoris*, ex qua Doctores communiter colligũt, quòd qui communi exiſtimatione reputatur Iudex, licet munus illud vero titulo non obtineat, geſta tamen ab illo ſunt valida, propter commune bonum reipublicæ. Vnde omnes Theologi vnanimi conſenſu dicunt, quod ſi Parochus, qui communiter talis reputatur, in re tamen aliter eſt, quia per ſimoniam obtinuit beneficium, ſi talis (inquam) audiat confeſſiones, validæ ſunt eius abſolutiones, quia Eccleſia tunc cõfert iuriſdictionem, ſupplens defectum illum, ne aliàs illa ignorantia cedat in detrimentum animarum, Idémque docent, quando Confeſſarius erat approbatus ad tempus limitatum, ipſo tamen tacente limitationem, pœnitentes tranſacto illo tempore, bona fide illi confitentur ſua peccata, tunc aiunt, validæ ſunt abſolutiones ab eo impenſæ, ita tradunt in his, & ſimilibus caſibus Caietan. *verbo abſolutio, c. 3. & verbo confeſſio, c. 3.* Nauar. *c. 9. n. 8.* cum Panormitano *cap. nihil, n. 12. de electione.* Roſella, & Sylu. *verbo Confeſſor 1. q. 19.* & alij communiter. Sic ergo in propoſito, quia probabilitas opinionis præbet titulum coloratum, & cauſat communem errorem opinantium illam eſſe veram, Eccleſia tunc ſupplet defectum, conferens Confeſſariis ſequentibus illam opinionem, veram iuriſdictionem, quia in hoc caſu eadem prorſus ratio militat, ac in præcedentibus ſupra relatis, cum ignorantia, quæ naſcitur ex ſententia probabili Doctorum ſit communis, & publica, & cedere poſſit in graue detrimentum animarum, ſi Confeſſarij abſoluentes iuxta probabilitatem illius opinionis carerent ſua iuriſdictione.

4. Sed reſpondebis fortaſſe eſſe diſparem rationem inter præſentem caſum, & inter alios de Parocho, & Confeſſore approbato ad tempus, quia in iſtis concurrit cum communi errore vulgi titulus coloratus, nempe, quod Parochus fuerit ab Epiſcopo electus, & illi facta fuerit collatio beneficij; & quod Confeſſarius fuerit ab Ordinario approbatus ad audiendum confeſſiones; in caſu tamen, v.g. de eligendo Confeſſore non approbato ab Ordinario loci, præter communem errorem vulgi ortum ex ipſa probabilitate opinionis, nullus titulus coloratus concurrit; quod tamen omnino neceſſarium erat ad conferendam iuriſdictionem, prout præcitati DD. docent.

Reſpondeo, quod in noſtro caſu electio Confeſſarij, quam facit pœnitens virtute opinionis probabilis, quam ſequitur, eſt titulus coloratus, vt ille cenſeatur Confeſſarius legitimus, exiſtente autem titulo colorato cum communi errore vulgi, Eccleſia dat iuriſdictionẽ, vt communis fert omnium Doctorum ſententia; quare cùm hæc noſtra ſolutio, ac modus dicendi prædictæ communi ſententiæ innitatur, tantum procul dubio, quantum illa habet veritatis, atque hæc de hac ſecunda via, de qua cum Compluti exiſterem, conſului ſapientiſſimum Magiſtrum Franciſcum Suarez, qui cum in ea eſſet opinione non licere vti iuriſdictione probabili in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, certè ob prædictum modum dicendi mutauit ſententiam, & poſtea illam typis mandauit 4. *tom. de pœnit. diſput. 26. ſect. 6. num. 7.* omiſit tamen in traditione illius titulum coloratum, quem omnino neceſſarium eſſe concurrere cum communi vulgi ignorantia tradunt vnanimi conſenſu omnes Doctores, ipſe autem aliam viam poſtea adinuenit, fœlici eius ingenio ſatis dignam, quæ, & nobis valde placet, &

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim illam ſubiiciemus, & confirmabimus.

5. Tertiam viam, quam etiam ſatis planam eſſe cenſeo, tradit Magiſter Suarez *vbi ſuprà, n.*8. vbi ait, quod in confeſſionibus, quæ fiunt ſequendo probabilem opinionem circa iuriſdictionem ſacramentalem, dummodo in eis aperiatur aliquod peccatum veniale, vel aliquod mortale non reſeruatum, ſemper interueniet materia aliqua, circa quam Confeſſarius habet certam, & indubitatam iuriſdictionem, & hæc (inquit) ſola ſufficiens eſt, vt confeſſio bona fide facta, & ſimiliter abſolutio ab eo impenſa, ſequendo probabilem opinionem, ſit valida, licèt aliàs opinio illa probabilis, quam ſequitur, re ipſa ſit falſa.

6. Fundamentum huius doctrinæ eſt, quia tunc Confeſſarius habet iuriſdictionem directam circa partem materiæ confeſſionis ſibi factæ, nempe circa venialia, aut mortalia non reſeruata; & hæc eſt omnino ſufficiens ad valorem abſolutionis à reſeruatis in eadem confeſſione confeſſis, ſuppoſita bona fide confitentis, & Confeſſoris. Ita planè colligitur ex communi ſententia Theologorum. nam omnes fatentur, quod in caſu, quo quis habeat peccatum reſeruatum, & reſeruationem ignoret, vel inculpabiliter illius obliuiſcatur, certè ſi bona fide confiteatur habenti iuriſdictionem circa non reſeruata, indirectè manet etiam abſolutus à peccato reſeruato. Et ſimiliter quando quis habens mortale peccatum, cuius inculpabilem habet obliuionem, ſi confiteatur ſola venialia ſimplici Sacerdoti, valida eſt abſolutio tã à venialibus, quàm à mortalibus, ab illis quidem per ſe, ab iſtis per accidens, iuxta opinionem de qua egimus *cap.* 2. Eadem ergo ratione, qui ſequendo opinionem probabilem circa iuriſdictionem confitetur alicui peccata, à quibus certum eſt poſſe ab eo abſolui, manet etiam indirectè, & per accidens abſolutus à reſeruatis, quæ illi confitetur; cuius communis, & receptiſſimæ doctrinæ nulla alia eſt ratio, niſi quod ſufficit in prædictis caſibus Confeſſarium habere iuriſdictionem circa partem materiæ, vt ratione illius indirectè poſſit abſoluere à reſeruatis eum, qui ad illum accedit, ſequendo probabilem opinionem.

7. Vnde conſequenter etiam dicendum eſſe arbitror, non oportere in hac re Confeſſarios ſcrupuloſè procedere, ſed tuta cõſcientia admittere poſſe omnes fideles vtriuſque ſexus ad abſoluendum illos ab omnibus peccatis reſeruatis ſuis Prælatis, ſicut etiam à reſeruatis Summo Pontifici, à quibus in Bulla datur facultas abſoluendi. nam hoc ipſo quod iuxta probabilem opinionem cenſentur habere iuriſdictionem, certè quoties illa vtuntur, re vera illam habent ex præſumpta rationabiliter voluntate Pontificis, vel tacita Eccleſiæ conceſſione, aut ratione indirectæ iuriſdictionis, circa non reſeruata, vt ſuprà manet explicatum, & confirmatum tam authoritate Doctorum, quàm efficacitate rationum.

FINIS APPENDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

ABBATES qui Epiſcopalem iuriſdictionem exercent, poſſunt confeſſarios approbare. num.3.pag.123

Aborſum procurantes fœtus animati, excommunicationem incurrunt;non tamen mulier ipſa prægnans. num.2. & 3. 219

Aborſus non dicitur cauſari niſi re ipſa ſequatur.n.5. eadem

Aborſum cauſare non eſt idem ac impedire conceptionem fœtus.n.6.ead.

Aborſum cauſantes, vel conſulentes, virtute Bullæ abſolui poſſunt. n.7. 220

Abſolutio à cenſura ad reincidentiam quotuplex ſit.n.5. 225

Abſoluere non poteſt ad reincidentiam, qui non poteſt excommunicare. n. 10. 226

Abſolutio ad reincidentiam virtute Cruciatæ, non poteſt impendi.n.10. 227

Abſolutio à cenſura illicitè datur non ſatisfacta parte cùm commode poſſit.n.1. ead.

Abſolutio poteſt eſſe iniuſta, & ſimul valida.n.2. ead.

Abſoluendi poteſtas ſine limitatione conceſſa iuxta ius commune eſt interpretanda.n.3. ibid.

Abſolutio à cenſura virtute Bullæ Cruciatæ conceſſa, nulla præmiſſa ſatisfactione, dum commodè fieri poſſit, eſt inualida.n.5. 228

Abſolutio à ceſſatione à diuinis, virtute Bullæ non poteſt dari.num.3.& 4. 232

Affinitas orta ex copula fornicaria in primo,& ſecundo gradu dirimit matrimonium, in tertio, & quarto non dirimit.n.2. 448

Altaria quinque in ead. Eccleſia quomodo viſitari debeant.n.3.& 4. 423

Approbatio Sacerdoti ſæculari neceſſaria eſt re ipſa exhibita, nec ſufficit petita, quamuis iniuſtè denegetur. n.3. 93

Eadem approbatio neceſſaria eſt cuiuis religioſo.n.7. 94

Ad approbationem, ſeu delegationem non ſufficit futura ratihabitio, in præſenti probabiliter præſumptâ. n.1. 100

Approbari quis poteſt dupliciter ad confeſſiones audiendas.n.6. 124

Approbatio Ordinarij loci, vel ſaltem pœnitentis neceſſaria eſt, ac ſufficiens, vt quis ſit vbique per Bullam eligibilis.n.1. 130

Archiepiſcopus non poteſt cum ſubditis Epiſcoporum ſuffraganeorum diſpenſare in votis.n.6. 349

Cum ipſis autem Epiſcopis, ſuis ſuffraganeis poteſt.n.11. 351

B

BEneficia alia ſimplicia, alia curata num.15. 540

Digitized by Google

Bulla vnde dicatur.n.2. p.1.2
Bulla Cruciatæ cur ita dicta.n.3. 2
Bulla Cruciatæ per alium ſumi poteſt. n.2. ibid.
Bulla Cruciatæ ſemel accepta ſi inculpate amittatur, priuilegia illius non amittuntur.n.2. 3
ad Bullæ Cruciatæ valorem non eſt opus nomen eſſe inſcriptum.n.3. 4
Bullam Cruciatæ ſecum deferre nihil eſt opus; ſed ſufficit domi habere. n.7. ibid.
Bulla Cruciatæ iis tantum conceditur, qui Hiſpaniarum Regna,atque inſulas adiacentes incolunt, vel qui eo adueniunt.n.4. 5
Bullæ Cruciatæ priuilegio non priuatur is, qui peccat ex fiducia Bullæ. n.7. 7
Bulla Cruciatæ ex credita pecuniâ accepta prodeſt, etiamſi præ nimia paupertate nunquam ſit reſtituenda. n.2. 9
Bulla Cruciatæ per pecuniam furtiuam obtenta non prodeſt furi, niſi facta reſtitutione.n.2. p.10.&.n.5.p.11
Bullam Cruciatæ habens in articulo mortis,non poteſt,præſente Parocho vel alio approbato,ſimplici Sacrdoti confiteri.n.3. 190
per Bullam Cruciatæ quænam Bullæ reualidentur.n.2. 440
Bullæ Cœnæ promulgatio non officit Cruciatæ.n.8.& ſeq. 458

C

CApitulum, Sede vacante, poteſt confeſſarios approbare.n.2.123
Poteſt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poteſt Epiſcopus.n.13.351
Cardinales etiamſi Epiſcopi non ſint, nec Legati,de conſuetudine,nec non de iure communi, & Eccleſiaſtico, poſſunt confeſſarium ſibi eligere. n.11.& 12. 112
Cardinalium familiares, & domeſtici poſſunt, de eorum licentia confeſſarium ſibi eligere.n.17. 113
Cardinalis non poteſt aliquem,qui ſuæ non ſit familiæ, eligere ſibi, vel ſuis commenſalibus in confeſſarium ſine Ordinarij approbatione.n.11. 118
Cardinalis ex ſibi ſubditis, ſeu commenſalibus poteſt ſibi,& ſuæ familiæ eligere quem maluerit in confeſſarium abſque Ordinarij approbatione.20. 121
Cardinalis habens commenſalem Sacerdotem regularem aliàs exemptum, poteſt eundem eligere ſibi, & ſuæ familiæ in confeſſarium. n.21. 122
Carnes edendi facultas diebus prohibitis de conſilio vtriuſque medici, priuilegio Cruciatæ conceditur.n.1. 251
in Carnium eſu diſpenſatus ratione infirmitatis actualis, excuſatur à ieiunio.n.1. 256
in Carnium eſu diſpenſatus, vt præſeruetur ab infirmitate imminenti,quia cibi quadrageſimales illi nocent,non deobligatur à ieiunio. ibid.
Carnibus veſcens in quadrageſima,duplex peccatum mortale committit. n.15. 266
Catechumenis in purgatorio exiſtentibus proſunt Indulgentiæ.n.3. 486
Catechumenis Miſſæ ſacrificium prodeſt ad impetrandum, non verò ad communicandum effectum ſatisfactionis ex opere operato.n.11. 487
Clementina Dudum in Concil. Vienneſi, edita in gratiam Dominicanorum, & Franciſcanorum non derogatur per Concilium Trident. n.13. 95
Vi huius Clementinæ ad quid teneantur Prælati ordinis Prædicatorum, & Minorum.n.23. 99
Vi eiuſdem Clementinæ ad quid teneantur fratres illorum ordinum. n.25. ead.

Digitized by Google

Vi eiuſdem Clementinæ quid poſſint Epiſcopi.n.26. ibid.
Communionis annuæ præcepto non poteſt ſatisfieri niſi in parochia. n.10. 246
Communionis præceptum non obligat ante 12.annum.n.3. 275
Communio Sanctorum in Symbolo quid ſignificet.n.7. 428
Compoſitionis Bulla vnde originem duxerit.n.1. 490
Compoſitiones bonorum incertorum licitè fieri poſſunt auctoritate Papæ. n.10. 492
Compoſitiones facere poſſunt Epiſcopi pro ſuis ſubditis iure diuino,non poſitiuo.n.4. 495
Compoſitionem bonorum incertorum quomodo concedere poſſint Principes ſæculares.n.1. 496
Compoſitione facta, ſi compareat verus dominus, non ſunt reſtituenda bona pauperibus erogata.n.1. 497
reſiduum vero domino reſtituendum.n.2. ead.
Compoſitionis Bulla vti non poteſt,qui ex confidentia illius, iniuſtè accepit bona.n.1. 499
Compoſitionis Bulla pro quibus bonis concedatur.n.1. 500
Compoſitionis Bulla quando debitor vti poſſit.n.2. ead.
Compoſitio circa redditus Eccleſiaſticos in quibus caſibus valeat.n.1. 501
Compoſitione circa redditus Eccleſiaſticos in quibus caſibus vti non liceat.n.1. 503
Compoſitio ſuper medietatem legatorum licitè conceditur.n.4. 504
Compoſitio in bonis per ludum malè partis, quomodo locum habeat. n.1. 510
Compoſitio in bonis per fictionem acquiſitis quomodo locum habeat.n.1. 512
Compoſitio in damnis ex venatione fieri poteſt.n.3. ead.
Compoſitio circa bona inuenta quomodo concedatur.n.18. 518
Concionator quamuis egregius non poteſt abſque Epiſcopi approbatione,eligi in confeſſarium virtute Bullæ Cruc.n.12. 80
Confeſſio facta non Sacerdoti,etiam in extrema neceſſitate,nulla eſt defectu poteſtatis.n.14. 41
Confeſſio laico facta nec ſacramentalis eſt, nec neceſſaria, imo nec vtilis,nec conſulenda.n.6. 42
Confeſſio facta Sacerdoti non habenti iuriſdictionem eſt nulla, niſi fiat ignoranter.n.6. 47
Confeſſarius nullus virtute Bullæ Cruciatæ eſt eligibilis, niſi iuriſdictionem habeat ordinariam, vel delegatam.n.10. 55
ad Confeſſiones audiendas nullus licentiatus, ſeu Doctor eſt eligibilis per Bullam, abſque Epiſcopi approbatione.n.4. 79
Confeſſarij ordinarij, vt Epiſcopi, & Parochi, poſſunt extra ſuum territorium,ſuorum ſubditorum confeſſiones audire.n.11. 107
Confeſſarij delegati poſſunt vbique eorum confeſſiones excipere, qui ſunt illius Diœceſis, in qua ipſi ſunt approbati.n.12. ead.
Confeſſarium eligendi facultas tripliciter concedi poteſt.n.1. 109
Confeſſionis præceptum obligat poſt ſeptem,aut octo annos.n.3. 275
Confeſſio valida informis dari poteſt defectu doloris.n.14. 178
quomodo id intelligendum.n 7. 180
Confeſſio informis remoto obice habet ſuum effectum n.1. 182
Confeſſio non eſt neceſſario præmittenda ad lucrandas Indulgentias, niſi pœnitens habeat conſcientiam peccati mortalis. num. 12. 404

Digitized by Google

D

Debita alia legalia, alia realia. n.8. 533
Defunctis indulgentiæ concedi poſſunt à Pontifice. n.3. 465
Defunctis non conceduntur Indulgentiæ à Pontifice per modum abſolutionis. n.... 470
Defunctus quomodo excommunicetur. n.17. 472
in Defunctos non habet Pontifex iuriſdictionem. n.13. 471
Defunctis indulgentiæ conceduntur per modum ſuffragij. n.14. ead.
Defunctis indulgentiæ conceſſæ proſunt ex iuſtitia, & non ex mera ſolùm liberalitate. n.6. 474
Defunctis indulgentias prodeſſe ex iuſtitia, & per modum ſuffragij non repugnat. n.12. 476
Defunctus infallibiliter liberatur ſtatim à Purgatorio per indulgentiam plenariam ex legitima cauſa conceſſam, implendo opus præſcriptum. n.7. 479
Defuncti quidam in Purgatorio vſque ad diem iudicij detinendi. n.16. 481
Defuncto indulgentia prodeſt, ſi exiſtens in peccato mort. præſcriptum opus exequatur. n.5. 482
Defuncto indulgentia concedi poteſt plenaria propter bonum opus quod exercuit olim cum eſſet in vita. n.2. 484
Defunctis Epiſcopus concedere poteſt indulgentias iure diuino, non autem iure Eccleſiaſtico. n.6. 488
Defunctorum Bullam ſumendam pro ſe curent ægroti dum ſunt in gratia. n.9. 489
Diſpēſatio dupliciter ſumitur. n.13. 300
Diſpenſare ſecum poteſt Summus Pontif. in iis in quibus poteſt cum ſubditis. n.2. 345
Diſpenſare ſecum poſſunt Epiſcopi, & Prælati in iis in quibus poſſunt cum ſubditis. n.5. 347
Diſpenſare non poteſt Commiſſarius Bullæ Cruciatæ in quinque irregularitatibus. n.2. 445
Diſpenſare poteſt Commiſſarius in primo gradu affinitatis ortæ ex fornicatione. n.3. 448
ad hanc Diſpenſationem quænam requirantur. n.5. ead.

E

Eleemoſyna eſt cauſa ſufficiens, & rationabilis ad concedendam Indulgentiam. n.4. 415
Eleemoſynam erogantes in Bulla præſcriptam, Indulgentiarum fructum conſequuntur. n.11. 417
Epiſcopis, & aliis Prælatis exemptis, de iure poſitiuo, ſeu Eccleſiaſtico conceditur facultas eligendi ſibi confeſſarium. n.4. 109
Epiſcopi Cardinales idoneum ſibi confeſſarium eligere poſſunt. n.8. 111
Epiſcopi extra ſuam Diœceſim non poſſunt aliquem ſibi non ſubditum eligere ſibi in confeſſarium, qui non ſit approbatus. n.4. 116
Epiſcopi nomine in Concilio Trident. qui intelligatur. n.2. 122
Epiſcopus vrgente neceſſitate poteſt in lege Pontificis diſpenſare, quando adiri nequit. n.7. 229
Euchariſtiam ſumere quis poteſt tempore interdicti, virtute Bullæ, præterquam in die Paſchatis; alia autem ſacramenta etiam in die Paſchatis. n.1. 241
Excommunicatus Bullā Cruciatæ accipiens, fructu illius nō priuatur. n.1. 6
Excommunicatus contritus poteſt lucrari indulgentias. n.2. ibid.
Excommunicatus nominatim denunciatus, aut manifeſtus percuſſor clerici, non eſt eligibilis in confeſſarium virtute Bullæ extra mortis articulum. n.4. 92
Excommunicatus non nominatim de-

nunciatus

municiatus poteſt valide conferre Sacramenta, non tamen eſt eligibilis in confeſſarium vi Bullæ. n. 6. ibid.
Excommunicatio maior alia à iure, alia ab homine. n 4. 202
Excommunicatio ab homine, alia generalis, alia particularis. ibid.
Ab excommunicatione qualibet poteſt confeſſarius approbatus virtute Bullæ abſoluere, ſatisfacta parte. n. 5. 203
ab Excommunicatione poteſt quis valide abſolui in foro interno, etiam non ſatisfacta parte. n. 7. 203
ab Excommunicatione valida eſt abſolutio nondum præſtita ſatisfactione propter impotentiam. n. 7. 205
Excommunicatus vt abſoluatur non tenetur dare pignoratitiam cautionem, ſufficit ſi dederit fideiuſſoriam. n. 15. 207
ab Excommunicatione abſolutio virtute Cruciatæ data non valet pro foro exteriori, & iudiciali, n. 2. 209
ſi Excommunicatio ſit occulta poteſt abſolutus in foro conſcientiæ, ſe gerere etiam publice pro non excommunicato. n. 9. 210
ab Excommubicatione abſolutus in foro conſcientiæ, ſi caſus non ſit occultus, debet ſe gerere pro excommunicato, in actionibus publicis, non autem in priuatis. n. 11. 211
ab Excommunicatione deducta ad forum exterius, non debet confeſſarius abſoluere per Bullam niſi in foro interiori. n. 2. 213
Excommunicatus paratus præſtare ſatisfactionem quam pars non vult admittere, abſolui poteſt virtute Bullæ, cum cautione ſaltem iuratoria. ibid.
ab Excommunicatione abſolutio valida eſt etiam non præſtito iuramento. n. 6. 214
ab Excommunicatione licitum eſt abſoluere virtute Bullæ extra confeſſionem. n. 2. 215
ab Excommunicatione abſoluere poteſt clericus prima duntaxat tonſura initiatus. n. 4. 216
ab Excommunicatione licet abſoluere virtute Bullæ ad cautelam. n. 2 220
Excommunicatione poteſt quis ligari ignorans & abſolui. n. 8. 222
ab Excommunicatione abſolutio poteſt dari ſub hac conditione, ſi indiges. n. 10. 223
ab Excommunicatione poteſt quis etiam inuitus abſolui. n. 11. ead.
ab Excommunicarione poteſt quis abſolui abſens. n. 12. ead.
Excommunicatus abſolui non poteſt ad reincidentiam inconſulto iudice. n. 1. 224
in Excommunicationem reincidi poteſt abſque noua culpa. n. 8. 225
Et abſque noua ſententia. n. 10. 226

F

FVr in actuali furto comprehenſus careat ſepultura ſi fuerit interfectus: ſi autem Presbytero, vel Diacono confeſſus fuerit, communione non priuetur. Quomodo illa verba ſint intelligenda. num. 10. 43. & num. 11. p. 44

H

HÆreticus pure mentalis poteſt gaudere beneficio Bullæ Cruciatæ. n. 3. 11
Hæreticus mentalis abſolui poteſt virtute Bullæ Cruciatæ. n. 4 12
Hæretici negantes poteſtatem remittendi peccata Eccleſiæ conceſſam. n. 1. 36
ab Hæreſi externa vi Cruciatæ, aut Iubilæi non licet abſoluere niſi ſpecialiter exprimatur. n. 4. 169
Hæreſis pure mentalis non eſt peccatum

catum reſeruatum in Bulla Cœnæ. n.2. 170
Hæreſis quando cenſenda ſit externa, atque adeo reſeruata.n.2. 170.171
Hæreticum ſe ſimulans, & fidem exterius negans non incurrit excommunic.n.7. 173
Hæreticorum fautores, & receptatores, modò ipſi non ſint hæretici, virtute Bullæ abſolui poſſunt ſemel in vita. n.2. 172.173
Hæreticorum credentes verè ſunt hæretici.n.12. 174
Horas canonicas non recitans tranſactis ſex menſibus poſt obtentum beneficium, non facit fructus ſuos.num.1. 501
Poteſt tamen componere. ibid.

I

S. IAcobi, Calatrauæ, & Alcantaræ Equites dubium eſt an ſint vere religioſi.n.4. 314
S.Iacobi Equites matrimonium contrahunt,& caſtitatem coniugalem duntaxat profitentur, nec abſolutã obedientiam,& caſtitatem vouent. ibid.
S. Iacobi Equites ſunt religioſi ſecundum quid.n.6. ead.
ad Ieiunium quot requirantur.num.12. 254
Ieiunij tempore ab iis cibis abſtinendum eſt,quos conſuetudo ſaltem decem annorum non permittit.num.9. 261
Ieiunia per Iubilæum, votum, aut confeſſarium iniuncta virtute Cruciatæ non violantur eſu ouorum, & lacticiniorum extra quadrageſimam.n.4. 264
Ieiuniis extra quadrageſimam, etiam ſine Bulla Cruciatæ, ſatisfit veſcendo ouis, & lacticiniis niſi conſuetudo repugnet.n.9. 265
Ieiunium diebus veneris, & Sabbati totius anni olim indictum. n.6. 268
Circa Ieiunium Sabbati variæ olim conſuetudines.n.8. ead.
Ieiunium Sabbati vnde originem duxerit.n.10. 269
Ieiunij præceptum non obligat ante 21. annum completum.n.2. 275
Ieiunare tenetur reliquam partem quadrageſimæ, qui vigeſimum primum annum expleuerunt circa mediam quadrageſimam.n.3. ead.
Imò ſi vnus tantùm dies Ieiunij ſupereſſet poſt expletum tertium ſeptennium, ieiunandum eſſet. ibid.
Indulgentiam plenariam non lucratur in articulo mortis, qui ex confidentia illius factus eſt negligentior. n.3. 7
Indulgentia plenaria, plenior, & pleniſſima quomodo differant.n.1. 383
Indulgentiæ tot dies, aut annos concedere quid ſit.n.9. 384
Indulgentiæ plenariæ non comprehenduntur in facultate conceſſa lucrandi omnes indulgentias Vrbis Romæ. n.3. 387
Indulgentia plenaria in Bulla Cruciatæ quibus concedatur.n.1. 389
ad Indulgentiam lucrandam non eſt opus exercere in gratia opera prærequiſita.n.5. 392
ad Indulgentiam lucrandam ſufficit eſſe in gratia eo inſtanti quo percipitur fructus illius.n.13. 393
ad Indulgentiam lucrandam ſufficit opera iniuncta eſſe bona moraliter ex genere, licet in indiuiduo ex mala circunſtantia ſint peccata. num.5. 395
ad lucrandam Indulgentiam plenariam, non debet neceſſariò præcedere confeſſio actualis.n.7. 399
ad lucrandam Indulgentiam Bullę prærequirit confeſſionem peccatorum mortalium.n.14. 401
ad Indulgentiam lucrandã cõtritio cum confeſſione in voto poteſt ſufficere, quando actualis fieri nequit.n.4. 403

Digitized by Google

Indulgentia eſt abſolutio iudiciaria, annexam habens ſolutionem ex theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum. n.7. 406
Indulgentiæ conceſſio etiam ſine iuſta cauſa, eſt valida quoad ea quæ pendent ex ſolo iure Eccleſiaſtico. n. 1. 408
Indulgentiæ conceſſio ſine iuſta cauſa, eſt illicita & inualida quoad expiationem reatus pœnæ. n.5. 409
ad Indulgentias concedendas requiritur cauſa proportionata. n.9. 410
Inter indulgentiam, & cauſam quænam requiratur proportio. n.16. 412
ad Indulgentiæ conceſſionem, eleemoſyna eſt rationabilis cauſa. n.4. 415
Indulgentiam Bullæ Cruc. conſequitur qui orationem, & ieiunium aliàs debitum offert pro vnione, & victoria Eccleſiæ contra infideles. num.4. 420
Indulgētiam non lucratur qui ex infirmitate aut graui neceſſitate omittit aliquod opus ex præſcriptis in Bulla, nec aliud ſubrogat loco illius. n.4. 421
Indulgentia viſitantibus Eccleſiam conceſſa obtinetur toties quoties eodem die. n.10. 425
Indulgentiæ Mendicantibus conceſſæ non ſuſpenduntur per Bullam Cruc. n.6. 433
Indulgentiæ granis benedictis, iconculis, ſeu coronis conceſſæ, per Bullam Cruciat. non ſuſpenduntur. n.13. 434
Indulgentia Eccleſiaſtica quid ſit. n.13. 468
Indulgentia per modum ſuffragij quid ſit. n.13. 476
Indulgentia habet ſuum valorem ex opere operato. n.8. 483
Indulgentiæ non plenariæ per Iubilæi publicationem non ſuſpenduntur. n.6. 444
Interdictum perſonale, virtute Cruciatæ tolli poteſt, non locale. n.4. 231
Interdicti tempore non poteſt puer præditus vſu rationis ad Eccleſiam deferri. n.3. 248
Irregularis qui habebat iuriſdictionem ante contractam irregularitatem, validè abſoluit, modò non ſit nominatim, & publicè denunciatus. n.3. 92
Irregularis Sacerdos eſt incapax nouæ iuriſdictionis. n.2. ibid.
In irregularitate ex homicidio iuſto poteſt diſpenſari virtute Cruciatæ. n.2. 233
In irregularitate orta ex homicidio voluntario ſolus Papa poteſt diſpenſare. n.5. ead.
Iudex qui ob iniuſtam ſententiam, pecuniam accepit non tenetur ad reſtitutionem. n.5. 507
Iudex pro iuſta ſententia ferenda pecuniam accipiens quando teneatur ad reſtitutionem. n.3. 509
Iuriſdictio ſpiritualis in Eccleſia eſt duplex. n.3. 45
Iuriſdictionis poteſtas iure diuino requiritur ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. n.9. 55
Iuriſdictionis poteſtas mediatè à Chriſto confertur Sacerdotibus. n.1. 56
Iuriſdictionis poteſtatem omnes Apoſtoli à Chriſto immediatè acceperunt iure Apoſtolatus. n.2. 57
Iuriſdictionis poteſtas pendet ex conceſſione Eccleſiæ. n.8. 59
Iuriſdictio Sacerdotum in pœnitentes in articulo mortis, eſt delegata. n.10. ead.
Iuriſdictio nunquam metu graui interueniente transfertur. n.7. 106
Iuriſdictio duplex, contentioſa, & voluntaria. n.13. 107
Lacticiniis, & ouis veſcendi priuilegium virtute Bullæ quomodo concedatur. n.3. 259
Lacticiniis, & ouis abſtinere tenentur

 fideles

fideles iure ſcripto, diebus quadrageſimæ.n.6. 260
Lacticinia, & oua diebus ieiunij extra quadrageſimam non ſunt prohibita de iure communi, ſed tantùm ex conſuetudine.n.7. ead.
Lacticiniorum, & ouorum eſus in quadrageſima de iure communi prohibitus eſt ſub culpa lethali.n.4. 262
Lacticiniis vtens in quadrageſima, ieiunium non ſoluit; peccat tamen contra præceptum abſtinendi ab eis. n.15. 266
Lacticiniorum, & ouorum abſtinentia non indicitur, iure communi, diebus veneris per annum.n.1. 267
nec diebus Sabbati.n.5. 268
ad Lacticinia, & oua diſpenſatus, probabiliter poteſt de iure veſci ſanguine, lardo, vel ſagimine, tamen ex receptiſſima conſuetudine iam non licet, niſi in Hiſpania.n.2.3.4.& 5. 270
Laicus iudex poteſt relaxare iuramentum adiectum contractui in quo eſt turpitudo, & iniuſtitia, etiam inuita parte.n.14. 292
Legatus Apoſtolicus poteſt in Prouincia ſibi commiſſa diſpenſare in votis.n.2. 348
Licentia conceſſa debet eſſe nota confeſſario vt valide miniſtret ſacramentum Pœnitentiæ.n.1. 104
Licentia per internuncium petita, & obtenta non tantum debet eſſe nota internuncio, ſed etiam ipſi Confeſſario. ibid.
Licentia per grauem metum extorta nullius eſt valoris ad confeſſiones audiendas.n.6. 106
Licentia ab Ordinario impetrata dolo, & mendaciis eſt valida, & confeſſiones virtute illius auditæ ſunt validæ. n.9. ead.

M

S. MAriæ de mercede Ordini res inuentæ quarum ignoratur dominus, reddendæ ſub peccato mort.n.7. 515
illi Ordini quæ bona adiudicentur ad redemptionem captiuorum. n.11. 516
Melitenſis ordinis, ſeu S. Ioannis equites ſunt vere religioſi.n.3. 313
Melitenſes equites gaudent priuilegio canonis, & fori. ibid.
per Militenſium equitum profeſſionem dirimitur matrimonium ratum, non conſummatum. ibid.
Melitenſis ordinis habitum ſuſcipiens non ſatisfacit voto ingrediendi religionem.n.7. 315
Melitenſem ordinem ingrediendi votum non poteſt virtute Cruciatæ commutari.n.8. ead.
Mendicantes, & alij eorum priuilegiis communicantes poſſunt abſoluere à ſuſpenſione ob ordines male ſuſceptos, & aliis cenſuris in Bulla Cœnæ non reſeruatis.n.5. 231
Mendicantibus priuilegia conceſſa pro tempore interdicti non ſunt per Conc.Trid.reuocata.n.5. 250
Mendicantium priuilegia quoad ipſos religioſos per Bullam Cruc. non ſuſpenduntur.n.6. ead.
Mendicantium Prouinciales habent priuilegium vt ſuis confeſſariis concedant facultatem diſpenſandi ad petendum poſt votum caſtitatis. n.13. 358
Et poſt affinitatem contracta matrione inceſtus intra quartum gradum. n.16. 359
etiam extra confeſſionem.n.21. 361
Mendicantium priuilegia, & Indulgentiæ non ſuſpenduntur per Bullam Cruc.n.6. 433
Mendicantes religiones quot, & quæ ſint.n.8. 442
an Mendicantium priuilegia Iubilæi anno ſuſpendantur.n.6. 445
Metus cadens in conſtantem virum

quatuor

Digitized by Google

quatuor requirit cōditiones.n.7. 322
Metus hic eſt duplex.n.8. 323
Metus non incuſſus cauſa voti extorquendi non irritat votum, licet grauiſſimus.n.9. ead.
Metus grauis iniuſtè incuſſus ad extorquendum votum, illud irritat, iure naturali.n.10. ead.
Metus leuis non irritat votum.num.15. 325
Metus reuerentialis quando irritet votum.n.17. 326
Miſſam audiendi, vel celebrandi in priuato oratorio tempore interdicti, priuilegium virtute Cruciatæ conceſſū quomodo intelligatur.n.1. 235
Miſſam audire tempore interdicti, virtute Cruciatæ, in Eccleſia, poſſunt ij domeſtici tantùm qui dominum ad diuina audienda ſolent comitari.n.3. 237
Miſſam audire in oratorio priuato, tempore interdicti, poſſunt, virtute Cruciatæ, omnes familiares, & domeſtici. ibid.
Miſſam audire diebus feſtis tenetur ſub mortali qui tempore interdicti poteſt virtute Cruciatæ illam audire. num.5. 239
Miſſam celebrare ante lucem non licet. num.1. 450
Miſſam celebrare vſque ad tertiam horam poſt meridiem licet.n.3. ead.
Miſſam celebrare ante lucem licet ex priuilegio.n.4. ead.
Miſſæ fructus triplex.n.5. 518
Miſſæ ſacrificium eſt meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium.n.6. 519
Miſſæ ſacrificij valor infinitus. n. 11. 521
Miſſæ ſacrificij valor ex opere operato. num.16. 522
in Miſſa tres ſunt offerentes. ibid.
Miſſæ ſacrificij triplex valor.n.21. 524
Miſſæ valor quomodo finitus intenſiuè.n.31. 526
Miſſæ ſacrificium incruentum in quo conueniat cum cruento, in quo diſcrepet.n.3. 528
Miſſæ ſacrificij valor finitus extenſiuè. num.5. 529
dici tamen poteſt ſyncategorematicè infinitus.n.8. 530
Miſſa eſt infiniti valoris quoad ſufficiētiam, non quoad efficaciam.n.2. 531
pro Miſſæ celebratione poteſt ſacerdos iuſtum ſtipendium abſque ſimoniæ labe in pactum deducere.n.3. 537
Miſſæ ſacrificium ratione operis, & miniſterij, an poſſit pretio æſtimari.n.7. 538
Miſſarum iuſtum ſtipendium quodnam ſit.n.22. 542
pro Miſſa celebranda an poſſit aliquid accipi vltra ſtipēdium taxatum.n.26. 543
Miſſarum numerus priuata authoritate non poteſt ad minorem numerum reduci.n.1. 545
Miſſarum numerum Epiſcopi, & Generales Ordinum minuere poſſunt.n.2. ead.
Non tamen omnium.n.3. 545
Neque ſemper, ſed tantùm in ſynodis diœceſanis, & capitulis generalibus.n.13. 548
Monialibus bis, terue in anno dantur Confeſſarij extraordinarij ab Epiſcopo, vel à ſuperiore deſignati.n.7. 29
in Moribundi abſolutione à reſeruatis quis ordo inter Sacerdotes ſeruandus.n.7. 192
Moribundi confeſſionē excipiens ſimplex ſacerdos poteſt ſuperueniente legitimo confeſſario, vel ſuperiore, confeſſionem inchoatam perficere. n.10. 194
Moribundus excommunicatus, ſuperueniente ſuperiore non poteſt ab alio abſolui niſi de eius licentia.n.11. ead.
Mortis articulus in Bulla Cruciatæ intelligi

Digitized by Google

telligitur ſub diſtinctione vetus, vel præſumptus.n.4. 196
in Mortis articulo ſemel tantùm quis abſolui poteſt à reſeruatis,ſi ſemel in vita iam fuit abſolutus.n.7. 199
in Mortis periculo probabili, licet remoto, poteſt quis à reſeruatis abſolui per ſimplicem Sacerdotem virtute Bullæ, Parocho, vel alio approbato abſente.n.4. 200
in Mortis articulo poteſt quiuis Sacerdos abſoluere ab omni cenſura, non audita confeſſione.n.4. 216
in Mortis articulo Indulgentia plenaria impendi non poteſt per laicum, aut tonſuratum.n.2. 245

N

NOuitij intra religionem nequeunt confiteri niſi Prælatis ſeu aliis de eorum licentia. n.29. 145
Extra religionem non poſſunt inuito Prælato confiteri alicui iuriſdictionem tantum Epiſcopalem habenti. ibid.
in Nouitiorum votis poteſt Prælatus diſpenſare.n.5. 353
Nouitij Epiſcopus quis cenſendus. n.9. 354

O

OPinio probabilis quænam ſit.n.1. 570
Opiniones aliæ aliis probabiliores.n.2. ead.
Opinionem probabiliorem nemo tenetur ſequi relicta probabili.n.6. 571
Opinio tutior ſequenda in ſacramentorum adminiſtratione.n.4. 574
Opinio etiam probabiliſſima omittenda eſt, & ſeruandus Eccleſiæ vſus in ſacramentorum adminiſtratione, ſi ſolùm ſpectetur reuerẽtia ſacramentis debita.n.6. 575
Opinionem probabilem etiam pro parte minus tuta, quando ſequi liceat. num.7. ead.
Opinionem probabilem ſequens in delectu confeſſarij, tutus eſt in conſcientia. n.1. 577
Opinionem probabilem ſequendo circa iuriſdictionem confeſſarij, modo aperiatur peccatum veniale ſemper interuenit materia ſufficiens ad abſolutionem.n.5. 580
qui iuxta Opinionem probabilem cenſetur habere iuriſdictionem, quoties illa vtitur,reuera illã habet.n.7. ead.
Oppoſitum eſt etiã probabile.n.9. 229
Oratorium domi ad celebrandam Miſſam quomodo habere liceat virtute Bullæ Cruciatæ.n.1. 254
Ordinis poteſtas eſt character Sacerdotalis,per quem deputatur quis miniſter conficiendi corpus Chriſti, & iudex animarum in foro pœnitentiæ.n.2. 45
Ordinis poteſtas ſine iuriſdictione non ſufficit.n.3. ead.
Ordinis Sacerdotalis poteſtas diuerſa eſt à poteſtate iuriſdictionis.n.4. 46
Ordinis poteſtas in Chriſti corpus myſticum recte appellatur poteſtas clauis, & à poteſtate iuriſdictionis realiter diſtinguitur.n.2.3.& 4.52.& 53

P

PArochus qui Curatum reliquit non eſt eligibilis in confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ.n.10. 66
Parochus de cuius moribus,vel doctrina dubitatur poteſt ab Epiſcopo ſuſpendi,donec examinetur,& interim virtute Bullæ non poteſt eligi in confeſſarium.n.6. 75
Parochus non poteſt ſine iuſta cauſa ſuſpendi. ibid.
Parochis, de conſuetudine, conceditur facultas confeſſarium ſibi eligendi. n.5. 110
Parochiale habens beneficium ſimpliciter reputatur idoneus ad confeſſiones audiendas in tota Eccleſia. n.1. 122
Parochus non tenetur quotidie celebrare

Digitized by Google

brare pro ouibus ſuis.n.17. 341
Paſchatis dies ad implendum præceptum de Euchariſtia ſumenda quomodo ſit intelligendus.num.3.& ſeq. 242.243
Paſchatis die poteſt quis in Eccleſiis regularium communicare ex deuotione, non tamen animo præceptum implendi.n.11. 246
Peccata remittendi poteſtatem Chriſtus Eccleſiæ reliquit.n.2. 37
Peccata per hanc poteſtatem remittuntur quoad culpam,& conſequenter quoad pœnam æternam, necnon temporalem,iuxta pœnitentis diſpoſitionem.n,5. 38
Peccata poſſunt abſque contritione interdum per hanc poteſtatem remitti.n.6. 39
Peccata venialia nunquam ex vi ſacramenti Pœnitentiæ remittuntur niſi per gratiæ infuſionem.n.8. ead.
Peccata remittendi poteſtas in ſacramento Pœnitentiæ ſolis Sacerdotibus conceſſa.n 9. 40
Peccata remittendi poteſtas non requirit neceſſario ſanctitatem in Sacerdote.n.12. 41
à Peccatis venialibus Sacerdos non poteſt valide abſoluere niſi habeat iuriſdictionem,quia abſolutio eſt actus iudicialis.n.13. 60
ad Peccatorum venialſum confeſſionem nemo poteſt cogi.n.17. 62
à Peccatis mortalibus iam confeſſis non poteſt Sacerdos abſoluere ſine iuriſdictione.n.18. ead.
Peccata remittendi poteſtatem Sacerdos accipit in ſua ordinatione,quam tamen non poteſt exercere donec ei detur iuriſdictio à ſuperiore.n.6. 63
inter Peccata oblita & cenſuras quodnam ſit diſcrimen.n.9. 222
Peccati interni iudicium quoad forum externum non pertinet ad Eccleſiam.n.16. 150
Peregrinationis terræ ſanctæ votum quomodo, & quando per Bullam commutari poſſit.n.1. 331
Pœnitentiæ ſacramentum eſt grauiſſimum iudicium,eſt iudicium ſacrum, & maximè neceſſarium.n.11. 40
ad Pœnitentiæ ſacramentum requiritur iuriſdictio,vt valeat; ratihabitio autem non dat iuriſdictionem.n.15.102
Pœnitentia danda in confeſſione quomodo à ſuperiore taxari poſſit.n.1. 160
Pœnitentiam ſibi à confeſſario iniunctam recuſans reiiciendus tanquam non ſatis diſpoſitus.n.13. 386
Pontifex tanquam Chriſti vicarius habet iuriſdictionem in omnes Chriſti fideles,atque adeo in ſeipſum;quatenus eſt ouis.n.5. 58
Pontifex ſubiicit ſe confeſſario quatenus eſt peccator. ibid.
Pontifex non poteſt ſeipſum à peccatis abſoluere, quia idem non poteſt eſſe reus,accuſator,& iudex. ibid.
Pontifex de iure diuino habet poteſtatem eligendi confeſſarium.n.1. 109
Hoc priuilegium nulli alij,iure diuino,eſt conceſſum.n.2. ead.
Prælatus iniuſte denegans licentiam ſumendi Bullam Cruciatæ peccat. n.5. 14
Prælatus monaſterij, abſolutè loquendo, non eſt virtute Bullæ Cruciatæ, eligibilis ad confeſſiones ſæcularium audiendas.n.9. 73
Illum oportet ab Epiſcopo approbari.n.12. 74
Prælatus poteſt auferre à ſuo religioſo deputationem ad confeſſiones audiendas.n.7. 91
Prælatorum nomine quinam intelliguntur in Bulla Cruciatæ.n.3. 271
Prælatis non licet virtute Bullæ Cruciatæ edere oua,& lacticinia in quadrageſima.n.7. ead.
Præterquam in Dominicis.n.5. 273

Digitized by Google

Prælati poſſunt ſuis cōfeſſariis committere, vt ſibi vota commutent, vel diſpenſent.n 1. 344
Prælati regulares gaudent priuilegio eligendi confeſſarium.n.6. 135
Quem poſſint eligere.n.11. ead.
Prælati locales non poſſunt ſimplici Sacerdoti confiteri.n.14. 136
Priuilegia quædam non operantur antequam innoteſcāt, alia ſtatim atque conceſſa ſunt operantur.n.5. 105
Priuilegio qui renunciauit, ſi Superior nondum acceptauit illam renunciationem, poteſt mutata voluntate, eo priuilegio vti.n.5. 343
Priuilegium ab Innocentio VIII. Ordini Prædicatorum conceſſum pro itinerantibus.n.15. 142
Priuilegia Mendicantibus conceſſa per Bullam non ſuſpenduntur.n.6. 433
Priuilegia omnia quæ in Bulla Cruciatæ continentur ſunt perſonalia. n.3. 435
Priuilegia Mendicantibus, & non Mendicantibus olim conceſſa ad abſoluendum à reſeruatis & ſunt realia, non perſonalia.n.4. ead.
Priuilegia Regularium in ordine ad ſæculares per Bullam Cruciatæ non ſuſpenduntur.n.6. 436
Priuilegia, Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus, &c. conceſſa per Bullam ſuſpenduntur.n.10. 437
Priuilegia religioſis ab Ordinario approbatis conceſſa, vota, & iuramenta commutandi, &c. non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ.n.15. 438
Priuilegium religioſis conceſſum ſuſpendendi interdictum, per Bullam Cruciatæ non ſuſpenditur.n.16. 438
Priuilegium dandi litteras fraternitatis, & admittendi ad participationem bonorum operum, per Bullam Cruciatæ non ſuſpenduntur. num. 17. 439
Pueri tenentur cibos prohibitos euitare, temporibus vetitis, poſtquam exceſſerint ſeptimum, vel octauum annum.n.3. 275
Pueri vt plurimum incipiunt vti ratione ſeptimo vel octauo ætatis anno. n.4. 276
Purgatorium poteſt Papa euacuare conceſſis indulgentiis.n.6. 467

R

Religioſi etiam mendicātes poſſunt ſumere Bullam Cruciatæ, petita prius facultate quam Superiores denegare non debent. n.3.& 4. 13
Religioſus denegatâ ſibi à Superiore licentiâ poteſt Bullam ſumere, eiúſque beneficio gaudere.n.5. 14
Regularis obſeruantiæ fratres minores de licentia Superiorum poſſunt pecuniam procurare ad ſumendam Bullam Cruciatæ.n.6. 18
Religioſus Bullam Cruciatæ ſumens nulla prius petita à Superiore facultate, gaudet nihilominus fructu illius.n.7. ibid.
Religioſi vtriuſque ſexus, tam Mendicantes, quàm non mendicantes non poſſunt virtute Cruciatæ abſque Prælatorum licentia, confeſſarium eligere extra religionem, nec abſolui ab iis quæ ſunt Prælatis reſeruata. n.2. 27
Religioſi poſſunt virtute Cruciatæ confeſſarium eligere intra religionem pro abſolutione à mortalibus quæ non ſint Prælatis reſeruata. ibid.
vt Religióſus poſſit Bullam Cruciatæ ſumere ad effectum eligendi confeſſarium, non ſufficit tacita; ſed requiritur expreſſa Prælati Generalis, ſeu Prouincialis facultas, num. 1. 33
Religionis cuiuſcunque nouitij poſſunt, abſque Prælatorum licentia, vti priuilegio Cruciatæ ad eligendum confeſſarium, qui à reſeruatis abſoluat.n.2. 34

Digitized by Google

Religioſus ab Epiſcopo ſemel approbatus poteſt reprobari.n.3. 68
Religioſus ſemel cum examine approbatus non eſt ab eodem Epiſcopo examinandus.n.2. ead.
Suorum priuilegiorum, poſſunt nihilominus confeſſiones audire. n.6.
Tutius tamen eſt voluntati, & mandato ſuperioris acquieſcere.n.14. 78
Religioſi mendicantes ſemel approbati ab vno ordinario, non poſſunt vbique, virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij ſæcularium confeſſiones audire.3. 85
Religioſus ab Epiſcopo, præuio examine approbatus, poteſt à ſucceſſore iterum examinari.n.11. 87
Religioſus approbatus ab Epiſcopo, prohibitus à ſuo ſuperiore confeſſiones audire, nihilominus valide abſoluit.n.5. 88
Religioſus contra voluntatem Prælati confeſſiones audiens peccat. ibid.
Religioſus à ſuo Prælato prohibitus confeſſiones audire ſub pœna ſuſpenſionis, aut excommunicationis, ſi eſt ab Epiſcopo approbatus, valide abſoluit, donec declaretur nominatim ſuſpenſus, aut excommunicatus. n.9. 89
Religioſi poſſunt habere iuriſdictionem ex triplici capite.n.11. ead.
Religioſus prohibitus à ſuo ſuperiore; approbatus tamen ab Epiſcopo, poteſt virtute Bullæ abſoluere à reſeruatis, non tamen vi ſuorum priuilegiorum.n.2. 90
Religioſi quinam dicantur vere, & eſſentialiter.n.2. 271
Religioſi prohibentur in Bulla Cruciatæ edere oua, & lacticinia in quadrageſima.n.1. ead.
Religioſi ſexagenarij excipiuntur. n.4. ead.
Religioſi probabiliter poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ veſci ouis & lacticiniis, in Dominicis quadrageſimæ. n.5. 273
Religioſi ex vi Iubilæi, ſeu Cruciatæ, non tenentur confiteri Sacerdoti per Epiſcopum apponebato.n.8. 132
Religioſus, virtute Iubilæi poteſt confiteri Sacerdoti etiam ſæculari approbato ab Ordinario ipſius. n.10. 134
Religioſis nõ poſſunt religioſis alterius ordinis confiteri abſque licentia.n.1. 138
Religioſus peregrinus cui poſſit, & debeat confiteri.n.2. 138
Religioſus à caſibus reſeruatis, extra religionem non poteſt abſolui. num.3. 130
Religioſi itinerantes, de licentia ſuperiorum poſſunt cuicumque confiteri.n.4. ead.
non debent confiteri niſi approbato.n.5. 140
Religioſus quiſque in abſolutione à reſeruatis ſuæ religionis conſuetudinem ſeruet.n.14. 142
Religioſi itinerantes quomodo poſſint à reſeruatis abſolui. num. 16. & 17. ead.
Religioſi miſſam applicantes contra intentionem Prælatorum peccant contra obedientiam, & tenentur ad reſtitutionem.n.18. 560
Reſeruati caſus nomine quid intelligendum.n.1. 146
Reſeruatum peccatum Summo Pontifici nullum eſt quod non habeat excommunicationem annexam. nu.2. ead.
Reſeruatio cadatne in culpam, an in cenſuram immediate.n.4. 147
Reſeruandi peccata poteſtas eſt in Eccleſia non tantum in Summo Pontifice, ſed in aliis etiam Prælatis iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus. n.6. 148
Reſeruatum nullum eſt peccatum mere

Digitized by Google

internum ; poſſet tamen reſeruari. n.13. 149
Reſeruatio à Summo Pontif. facta etiã abſque legitima cauſa, valida eſt. n.24. 152
Reſeruatio Epiſcopalis eſt aliquando cum cenſura, aliquando ſine cenſura. n.27. 153
Facultas abſoluendi à reſeruatis Papæ extenditur ad reſeruata ab Epiſcopo. n.28. ead.
caſus Reſeruati Summo Pontifici qui & quot. n.1. 153. & 154
Reſeruati Epiſcopis. n.2. 154
Reſeruati in religionibus non ſunt certi caſus, ſed alij in aliis. n.15. 156
à Reſeruatis abſoluendi poteſtatem ſuperior non ſemper tenetur concedere. n.3. 157
In quibus caſibus teneatur eam denegare. ibid.
In quibus teneatur eam concedere. n.6. 158
In ea concedenda ſuperior debet ſe potius facilem quam difficilem præbere. n.9. 159
in Reſeruatorum abſolutione pœnitentia danda à Confeſſario taxari poteſt à ſuperiore. n.1. 160
à Reſeruatis abſoluẽdus an poſſit obligari ad comparendum coram ſuperiore. n.3. & 4. 161
A caſibus Ordinario reſeruatis non poſſunt Religioſi abſoluere ex vi iuris. n.2. 163
Sacræ Congregationis decretũ circa illud. n.5. 164
Moderatio illius decreti. n.6. 165
à Reſeruatis in confeſſione inculpabiliter oblitis tempore Iubilæi, poteſt deinde quilibet approbatus abſoluere. n.6. 176
à reſeruatis poteſt quis abſolui per confeſſarium approbatum qui tempore Iubilæi fecit culpabiliter confeſſionem inualidam. n.4. 184
Reſeruatio tollitur peccatorum quæ quis per obliuionem omiſit, cùm bona fide confeſſus eſt habenti poteſtatem à reſeruatis abſoluendi, etiamſi pœnitens nullam caſuum reſeruatorum fecerit mentionem. n.13. 187
à Reſeruatis in Bulla Cœnæ ſemel tantùm in vita, & ſemel in morte dari poteſt abſolutio virtute Bullæ Cruciatæ. n.1. 188
à Reſeruatis abſoluendi priuilegium in articulo mortis per Bullam Cruciatæ conceſſum quid operetur. n.2. 189
à Reſeruatis Pontifici (excepta Clerici percuſſione) poteſt quilibet ſacerdos approbatus abſoluere in articulo mortis, neque neceſſarium eſt Epiſcopum prius adire, aut Parochum vocare. n.6. 192
Rogationum feria 2. & 4. licitum eſt ſine Bulla comedere oua, & lacticinia. n.3. 267
Rogationes inſtituit Mamertus Vienenſis Epiſcopus quam ob cauſam. n.4. ead.

S

Sacerdos duplicem habet poteſtatem actiuam, alteram in Chriſti corpus verum, alteram in Chriſti corpus myſticum quæ dicitur poteſtas clauis. n.6. 54
Sacerdos quilibet in articulo mortis poteſt à quocunque peccato, & cenſura valide abſoluere. n.6. 58
Sacerdos hanc poteſtatem habet ab Eccleſia. n.7. ibid.
Sacerdos à venialibus abſoluens ſine iuriſdictione, nihil facit, & venialiter ſaltem peccat. n.16. 61
Sacerdos excommunicatus, & nominatim denunciatus nunquam valide abſoluit ne à venialibus quidem. n.17. 61
Sacerdotem poteſt Epiſcopus approbare, & tamen illi iuriſdictionem non conferre. n.1. ead.

Digitized by Google

Sacerdos cum ſola approbatione Epiſcopi, ſine iuriſdictione non poteſt virtute Bullæ eligi in confeſſarium. n.16. 65

Sacerdos approbatus pro tempore determinato, non eſt eligibilis per Bullam tranſacto illo tempore.n.2. 66

Sacerdos poteſt accipere ab Epiſcopo approbationem limitatam ad tempus, locum, perſonas, & caſus. ibid.

Sacerdos ſemel approbatus, non poteſt ſine iuſta cauſa licitè, & validè reprobari.n.4. 69

Sacerdos ex defectu ſcientiæ approbatus pro vno oppido tantùm, vel pro vno genere perſonarum, poteſt ibi tantùm, & ab illis eligi in confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ. n.7. ead.

Sacerdos ex defectu ætatis approbatus pro viris tantùm non eſt eligibilis à fœminis virtute Bullæ.n.9. 70

Sacerdos neque ex defectu ſcientiæ, neque ætatis, ſed voluntariè approbatus ad aliquem determinatum locum populoſum tamen vbi mercatura exercetur, eſt eligibilis in tota diœceſi.n.10. ead.

Sacerdos doctus non tamen approbatus, quando non eſt facilis recurſus ad Epiſcopum, poteſt neceſſariam ob cauſam à Parocho approbari, & adhiberi ad confeſſiones audiendas. n.2. 71

Sacerdos ſæcularis approbatus ab Epiſcopo, ſi poſtea iniuſtè reprobetur, non manet approbatus, nec eligibilis per Bullam Cruciatæ, niſi ſit Parochus.n.6. 75

Sacerdos ab vno tantùm Epiſcopo approbatus non eſt vbique terrarum eligibilis in confeſſarium virtute Bullæ.n.9. 82

Sacerdos degradatus, non eſt eligibilis per Bullam ad confeſſiones audiendas.n.1. 91

Sacerdotes non poſſunt virtute Bullæ veſci lacticiniis & ouis in quadrageſima, niſi in Dominicis. n.5.& ſeq. 273

Sacerdotes etiam pauperes non poſſunt pro vna Miſſa, plura ſtipendia iuſta accipere.n.11. 534

Sacerdos qui aliunde habet vnde vitam commodè ſuſtentet, poteſt tamen ſtipendium accipere pro Miſſæ celebratione.n.11. 539

Sacerdos vnico ſacrificio pluribus obligationibus non ſatisfacit. num.10. 554

Sacerdos poteſt fructum Miſſæ ſibi vt priuatæ perſonæ reſpondentem, alteri applicare.n.19. 556

Sacerdos non poteſt vnico ſacrificio duplici obligationi ſatisfacere, ita vt vni applicet vt impetratorium, alteri verò vt ſatisfactorium. num.22. 556

Sacerdotis intentio poteſt à Prælato ante Miſſæ celebrationem irritari.n.23. 561

Sacerdos qui tenetur in aliqua Eccleſia, ſeu altari celebrare, non poteſt alibi celebrare.n.1. 564

Non tamen tenetur ad reſtitutionem.n.5. ead.

Sacerdotes Miſſæ celebrationem notabiliter differentes, accepto ſtipendio, peccant.n.6. 565

Et fieri poteſt vt teneantur ad reſtitutionem.n.7. ibid.

Sacerdotes mercenarij ne plura accipiant Miſſarum ſtipendia, quàm poſſint intra breue tempus, omnibus ſatisfacere.n.9. 566

Sacerdos canonicus celebrans tempore diuinorum officiorum, cenſetur abſens, etiamſi celebret in Eccleſia ſua collegiata.n.10. ead.

Neque poſſunt alij canonici illum tanquam præſentem habere. n.13. 567

Digitized by Google

Sacerdos Capellanus per octo vel quindecim dies ægrotans,non tenetur per alium ſupplere.n.16. 568
Schiſmatici virtute Bullæ Cruciatæ abſolui poſſunt ſemel in vita. num. 2. 172.173
Sepultura in loco ſacro tempore interdicti, virtute Cruciatæ conceditur. n.1. 247
Simonia non committitur dum pro Bulla Cruciatæ ſumenda, pecunia erogatur.n.8. 16
Societatis IESV Preſbyteri ex ſpeciali priuilegio, poſſunt ſemel approbati, audire confeſſiones in locis à Sede Apoſt.remotis.n.4. 85
Societatis IESV Preſbyteri ſemel approbati ab vno Epiſcopo poſſunt vbique dum iter faciunt, confeſſiones audire Parocho non repugnante, & Ordinario abſente.n.4. ibid.
Societat. IESV Sacerdotes, ex ſpeciali priuilegio, & mendicantes per communicationem, poſſunt abſoluere ab omnibus Papæ reſeruatis. n.11. 89
qui in Societate IESV tria vota ſimplicia poſt biennium probationis emiſerunt ſunt vere Religioſi. num. 1. 271
Societatis IESV religioſi poſſunt,ex priuilegio, vota iuramento firmata commutare.n.14. 291
& num.2. 294
Stipendium datur Eccleſiæ miniſtris non tanquam pretium Miſſæ, ſed tanquam debitum lege naturali ad ſuſtentationem vitæ neceſſariam. n.9. 539
Suſpenſus Sacerdos qui ante ſuſpenſionem habebat iuriſdictionem, valide abſoluit.n.7. 92
à Suſpenſione contracta propter Ordines ante ætatem ſuſceptos poteſt dari abſolutio virtute Cruciatæ, ita vt liceat impleta ætate celebrare. n. 3. 230

T

SS. Trinitatis Ordini res inuentæ quarum neſcitur dominus, reddendæ ſunt ſub peccato mortali. n.7. 515

V

Verecundia confitendi proprio Sacerdoti non dat facultatem confitendi alieno.n.11. 160
Viſitari poſſunt altaria quinque ſine motu corporis.n.4. 423
Viſitans Eccleſiam lucratur indulgentiam toties quoties.n.10. 425
Viſitare Eccleſiam dicitur qui pro foribus orat ſi præ turba ingredi non poſſit.n.5. 424
Vota pœnitentis id poſtulantis confeſſarius tenetur,virtute Bullæ Cruciatæ commutare.n.1. 276
Vota quinque ſunt Papæ reſeruata.n.2. ead.
Vota caſtitatis,religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ,virtute Bullæ commutari non poſſunt ſi ſint abſoluta. ibid.
Votum numquam petendi commutationem votorum, virtute Bullæ poteſt commutari. ibid.
Vota poſt ſumptionem Bullæ emiſſa, virtute illius commutari poſſunt. n.3. 277
Vota virtute triplicis priuilegij commutari poſſunt.n.4. ead.
Hæc tria priuilegia in quo conueniant,in quo differant.n.5. ead.
Vota commutari virtute Cruciatæ extra confeſſionem poſſunt.n.7. 278
ad Vota commutanda virtute Iubilæi, ſeu priuilegij regularium probabile eſt non requiri confeſſionem. n. 8. ead.
Vota commutari poſſunt virtute Cruciatæ partim in temporale belli ſubſidium,partim in alia pietatis opera. n.5. 280
Voti commutatio in minus bonum

fieri non poteſt propria authoritate. n.4. 282
Voti commutatio (quando dubitatur an res in quam fit commutatio ſit æque bona) fieri non poteſt propria authoritate. n.5. ead.
Votum propria authoritate commutare licet, non tantùm in maius bonum, ſed etiam in euidenter æquale. ibid.
Votum in melius commutare propria authoritate ſemper eſt tutius. n.10. 283
Id melius dicitur quod, omnibus rectè perpenſis, Deo gratius eſt. n.13. 284
Votum ingrediendi religionem non poteſt quis propria authoritate commutare in Epiſcopatus ſuſceptionem. n.14. ead.
Votum de eleemoſyna certo pauperi largienda poteſt propria vouentis authoritate commutari, vt hæc eleemoſyna detur alteri pauperiori. n.15. 285
non tamen ſibi ipſi licet pauperiori. ibid.
Voti commutatio in æque bonum fieri non debet abſque ſuperioris authoritate. n.16. ead.
in Voti commutatione in melius non requiritur alia cauſa quam ipſa maioritas boni. n.2. 286
in Voti commutatione in æquale an ſufficiat pro cauſa, ipſa maior propenſio vouentis. ibid.
Voti commutatio tunc indiget cauſa cùm indiget Prælati Eccleſiaſtici authoritate vt legitime fiat. n.4. 287
ad Voti commutationem in æquale non requiritur cauſa quæ obſtet executioni voti. n.5. ead.
vt Votum commutetur in id quod dubitatur an ſit æquale, ſufficiat notabilis moleſtia, quam ſentit vouens circa voti impletionem, aut quid ſimile. n.6. 288
Vota commutandi facultatem probabilius eſt, & tutius non extendi ad iuramentorum commutationem. n.2. ead.
oppoſita tamen ſententia eſt etiam probabilis, & tuta. n.10. 290
ad Vota commutanda poteſtas delegata non eſt extendenda ad iuramenta adiecta contractui, in quo eſt turpitudo, & iniuſtitia. n.13. 291
Vota iuramento firmata poſſunt religioſi Societat. IESV per ſpeciale priuilegium commutare. n.14. ead. & num. 2. 292
Vota commutandi facultas delegata extenditur etiam ad vota iuramento munita, ſi iuramentum ſit præſtitum ad voti confirmationem. n.6. 293
Secus ſi iuramentum non ſit præſtitum in confirmationam voti, ſed independenter ab illo. ibid.
qui Vota diſpenſandi ordinariam habet poteſtatem, poteſt etiam commutare. n. 1. 297
Vota diſpenſandi poteſtas delegata non extenditur ad commutationem abſolutam. n. 10. 299
Vota diſpenſandi poteſtatem habens delegatam, poteſt partim diſpenſare, partim commutare. ibid.
Vota commutandi poteſtas delegata non extenditur ad diſpenſationem. n.12. 299. & 300
Votum pœnale quid ſit. n.1. 300
Votum pœnale à conditionali quomodo differat. n. 1. 301
Votum conditionale quid ſit. n.2. ead.
Vota tàm conditionalia, quam pœnalia caſtitatis, & religionis ante impletam conditionem, commutari poſſunt per Bullam Cruciatæ, & per Epiſcopum diſpenſari. n.4. 302
Vota pure conditionalia caſtitatis, aut religionis per Bullam commutari poſſunt, & per Epiſcopum, necnon per priuilegia mendicantium diſpenſari.

Digitized by Google

penſari.n.5. 305
Quando Voti conditio eſt ſolùm limitatio temporis, votum non eſt commutabile per Bullam, nec diſpenſabile per Epiſcopum.n.9. 306
Vota pœnalia caſtitatis, & religionis poſſunt per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari etiam poſtquam vouens tenetur ad pœnam. n.10. 307
oppoſita tamen ſententia quoad Vota conditionalia & pœnalia probabilior eſt, & tutior.n.16. 308
Votum nunquam nubendi per Bullam commutari poteſt, & per Epiſcopum diſpenſari.n.4. 310
Votum coniugalis caſtitatis, vel ad tempus, etiam poteſt per Bullam commutari, & per Epiſcopum diſpenſari. n.5. ead.
item Votum aſſumendi preſbyteratum. n.6. 311
item Votum ſeruandæ virginitatis, modò vouens velit expreſſe ſe obligare tantùm ad corporis integritatem. n.11. 312
item Votum de abſtinendo à quouis peccato venereo, etiam mollitiei. n.12. ead.
Vota omnia quæ per Epiſcopum poſſunt diſpenſari aut commutari, per Bullam poſſunt commutari.n.2. 313
Votorum quæ per Epiſcopum diſpenſari, commutarive poſſunt tria ſunt genera. ibid.
Votum ingrediendi religionem ſtrictiorem poteſt per Bullam commutari in laxiorem; & per Epiſcopum diſpenſari.n.9. 316
Vouens ingrediendi religionem cum obligatione perſeuerandi in ea, peccat ingrediendo, & profitendo laxiorem.n.3. 317
à Voto ſtrictioris manet tamen liber poſt profeſſionem in laxiori emiſſam.n.1. 316
Vouens ſolum ingreſſum ſtrictioris religionis, poteſt ingredi laxiorem. n.4. 317
Vouens ingreſſum ſtrictioris religionis, & perſeuerantiam in ea, poteſt per Epiſcopum diſpenſari circa perſeuerantiam, & per Bullam commutari in laxioris profeſſionem.num.5. ead.
Votum religionis quoad dilationem executionis poteſt per Epiſcopum diſpenſari, & per Bullam commutari.n.6. 318
Voto religionis à Pontifice commutato in aliam materiam non reſeruatam, poteſt materia ſubrogata per Bullam commutari.n.7. 319
Votum caſtitatis, & votum vouendi caſtitatem in quo differant. num.1. 320
Votum non petendi commutationem voti poteſt per Bullam, Iubilæum, & priuilegia ordinis commutari. n.3. 320
Votum caſtitatis, ſeu religionis metu leui emiſſum, eſt validum, diſpenſabile tamen per Epiſcopum, & per Bullam commutabile. n.16. 326
Votum caſtitatis quomodo emitti poſſit à coniugatis & per Bullam commutari.n.1.& ſeq. 326.327
Vota caſtitatis emiſſa à coniungatis poſſunt per Bullam commutari, quādo poſſunt ab Epiſcopo diſpenſari. n.10. 329
Votum non nubendi quando poſſit per Bullam commutari.n.11. 330
Votum irritare, & diſpenſare longè differunt.n.4. ead.
Vota filij impuberis pater poteſt irritare.n.4. 331
Votum caſtitatis emiſſum à perſona quæ non eſt ſui iuris, non poteſt per Bullam commutari.n.13. 330
Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ quomodo, & quando poſſit per Bullam

Bullam commutari n.1. 331
Votum diſiunctiuum, cuius altera pars eſt reſeruata, poteſt per Bullam commutari.n.5.& 6. 332
Voti commutatione facta in æquale, poteſt vouens redire ad prius votum. n.1. 337
Voti commutatione facta in melius poteſt vouens redire ad priùs votum propria authoritate.n.5. 338
Voti commutationem ratam habens, etiamſi ſua culpâ omiſerit materiam ſubrogatam, non tenetur ad prius votum.n.12. 340
Voti commutationem fictè acceptans ad quid obligetur.n.15. 341
Voti commutatione ritè facta, & impleta, eius obligatio planè extinguitur. ead.
Voti diſpenſatione ſemel perfectè conceſſa, ſi is cui conceditur illi renunciet, non poteſt ea vti, ſed tenetur ad prius votum.n.6. 343
in Votis Pontifici non reſeruatis poteſt Epiſcopus iure ordinario diſpenſare.n.4. 356
Vota Pontifici reſeruata ſunt quinque & quænam illa ſint.n.6. 356
Votum peregrinationis ad templum B. Virginis Lauretanæ an Pontifici reſeruatum.n.7. 357
Votũ perpetuum an reſeruatũ.n.8.ibid.
Votum non peccandi an reſeruatum. n.10. 358
in Votorum commutatione quæ ſint obſeruanda. num.1. & ſeq. 362. & ſeq.
Vota reſeruata nequeunt inter ſe commutari abſque expreſſa Pontificis auctoritate.n.21. 367
niſi in Votum religionis conſtituentium, id eſt quod emittitur profeſſione. n.22. 368
Votum peregrinationis quomodo commutandum.n. 1. ead.
Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ quomodo commutandum. n.1. 371
Votum religionis quomodo commutandum.n.1. 372
Votum caſtitatis quomodo commutandum.n.1. 377
Votum ſacerdotij quomodo commutandum.n.1. 378
Votum ieiunij ſextæ feriæ, aut recitandi ſeptem pſalmos pœnitentiales, &c. quomodo commutandum.n.1. 379
Votum factum in fauorem alicuius Eccleſiæ virtute Bullæ Cruc. commutari poteſt.n.6. 380
Votum factum in fauorem alicuius pij loci, propria auctoritate, commutari non poteſt etiam in euidenter æquale.n.12. 381

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goog

Digitized by Google

Digitized by Google